Gesprächbüchlein

№ A
8 - 177

Almanac, ò Kalendario deste Año del Señor de 1677. con

qu[illegible]guar[illegible]dan en España, Abstinencias, Conjunciones, y Quartos de Luna [illegible]

se saca anima del Purgatorio por la Bula de la santa Cruzada.

Con Priuilegio del Rey nuestro señor, para que persona alguna no le pueda ni haga
y otra[illegible] graues penas, como consta de su Privilegio, que esta refrendado de Iuan de A[illegible]









[illegible]ño de el Señor 1677 de [illegible]a Redempcion, de la Crea-[illegible] de el mundo 5625. de la Correc[illegible]ion Gregoriana 95. Primero del Pon[illegible]tificado de N. S. P. Inocencio XI. y Vn de[illegible]zimo del Reinado de nuestro Catolico Monarca Carlos Segundo; que Nuestro Señor guarde.

Fiestas Movibles.

Letra Dominical es C. Ciclo Solar 6. Aureo Numero 6. Epacta 26. Septuagesima 14. de Febrero. Ceniça à 3. de Março. Pascua de Resurreccion à 18. de Abril. Letanias à 24. de Mayo. Ascension à 27. de Mayo. Pascua de Espiritu Santo à 6. de Iunio. La Santissima Trinidad à 13. de Iunio. Corpus Christi à 17. de Iunio. Aduiento á 28. de Noviembre.

Quatro Temporas.

Las primeras son à 10. 12. y 13. de Março. Las segundas á 9. 11. y 12. de Iunio. Las terceras à 15. 17. y 18. de Septiembre. Las quartas à 15. 17. y 18. de Diziembre.

Eclipses de este Año.

EN Este Año de 1677. ay tres Eclipses, en diuersas partes de la tierra: Serà el primero de Luna à 17. de Mayo à las 3 de la mañana, y se verà su medio cuerpo eclipsado. El segundo serà de Sol à 31. de Mayo à las 10. del dia; este no se verà por la mucha latitud Austral. El tercero serà del Sol, a 24. de Noviembre, y esto no se verà. *Iuizio del Año.*

SVbiendo por este Oriçonte 9. gr. del signo de Escorpio entra el Sol en el primer punto de Aries, a 19. de Março, a las 5. y 22. m. de la tarde, en el Meridiano de Madrid, siendo Venus señor del Año, por hallarse en su angulo, y exaltacio, y Marte señor del ascendente participante: avrà muchos casamientos, con algunos divorcios; assi lo muestra Saturno en la 7. casa, y como se halla Venus señora del año, junta con Mercurio, señor de la 8. casa, muestra muerte de muchos niño, mas de lo acostũbrado. Y Ma-

Enero tiene 31. dias, la Luna 30.	*Febrero tiene 28. dias la Luna 29*	*Março tiene*
1 Vier. *La Circuncision del Señor*	1 Lun. *S. Cecilio Arçob. y Patrõ de*	1 Lun. [illegible]
2 Sab. *la Tom. de Gran.* y s. Isid. O.	*Gran.* s. Ignac. Ob. y m. y santa	2 Mart. [illegible]
3 Dom. san Antero Papa, y m.	Brigida virg. *Abstinencia.*	*Luna* [illegible]
Luna nueua à las 5. y 31. m. de	*Assiste la Ciudad en el S. [illegible]onte.*	*la mañ[illegible]e*
la tarde, en Capric. vario, aire.	2 Matt. *La Purific de N. Señora.*	3 Mier. san [illegible]
4 Lun. s. Aquilino, y comp. ms.	*Luna nueua à las 6. y 56 m. de*	C. E
5 Mart. s. Telesforo Papa, y m.	*la mañ. en Aquar. viẽto, y agua.*	*Cierran[illegible]*
6 Mier. *La Fiesta de los Reyes.*	3 Mier. san Blas Obispo, y m	*Absol*
Abrense las velaciones.	4 Iueu. s. Andres Corsino Cõf.	4 Iueu. s. Ca[illegible]
7 Iueu. san Iulian martir.	5 Vier. s. Agueda virg. y mart.	y san L[illegible]
8 Vier. san Severino martir.	6 Sab. santa Dorotea v. y mar.	5 Vier. [illegible]
Leense las Cruz. en la Real Chanc.	7 Dom. san Romualdo Abad.	6 Sab. san [illegible]
9 Sab. S. [illegible]n, y s. Basilisa ms.	8 Lun. san Paulo y comp. ms.	7 Dom. [illegible]
10 Dom. s. Nicanor Diac. y m.	** Medina.*	8 Lun. S. I[illegible]
Qu. crec. à las 6. y 33. m. de la	9 Mart. s. Polonia virgen, y m.	Toled[illegible]
tarde, en Aries, hielo, vario.	*Qu. crec. à la 1. y 39 m. de la*	9 Mart. [illegible]
11 Lun. s. Iginio, y s. Teodosio.	*tarde, en Taur. aire, y hielo.*	10 Mier. [illegible]
12 Mart. s. Benito Ab. y Conf.	10 Mier. s. Escolastica virg. y m.	11 Iueu. [illegible]
13 Mier. s. Gumersindo Pres. y m.	11 Iueu. s. Saturnino Presb. y m.	*Qu.* [illegible]
14 Iueu. el Dulce N. de IESVS,	** Verlanga.*	*mañ* [illegible]
s. Hilar. Ob. y s. Felix Pres. y m.	12 Vier. santa Olalla virg. y m.	12 Vier. [illegible]
15 Vier. s. Pablo prim. Hermit.	13 Sab. san Benigno martir.	13 Sab. [illegible]
16 Sab. san Marcelo Papa, y m.	14 Dom. s. Valentin Presb. y m.	14 Dom. [illegible]
17 Do. s. Antonio Ab. ** Tendilla*	*Este dia se saca Anima del Pur-*	15 Lun. [illegible]
Absol. en Cõvẽ. de N. S. de Marc.	*gatorio teniendo la Bula de la*	16 Mart. [illegible]
18 Lun. La Cat. de S. Ped. en Ro.	*santa Cruzada.*	Patricio
y santa Prisca virg. y m.		17 Mier. s. [illegible]
Luna llena à las 10. y 53 m. de	**SEPTVAGESIMA.**	18 Iueu. s. [illegible]
la noche, en Aq. aire, frio, reb.	15 Lun. s. Faustino, y Iouita ms.	19 Vier. *S. Patriarca.*
19 Mart. s. Canuto, y s. Mario.	16 Mart. santa Iuliana v. y m.	*Luna llena à las 44 m. de*
Abstinencia por voto.	** Medina del Campo.*	*la mañ. en Aq. y viento.*
20 Mier. s. Fabiã, y Sebastiã ms	17 Mier. s. Iulian de Capadoc. m	20 Sab. S[illegible] conf. *Ani.*
Ay Procesion general por voto	*Luna llena à las 4. y 15 m. de*	
Sol en Aquario.	*la tarde en Leo, agua, y vario.*	**PRIMERA.**
21 Iueu. s. Ines virgen, y mart.	18 Iueu san Simeon Ob. y mart.	
22 Vier. san Vicente martir.	y s. Eladio Arç de Toledo.	*to.*
23 Sab. *S.* Ildef. Arçob. de Tol.	*Sol en Piscis.*	
y s. Raimundo de Peñafort.	19 Vier. san Gaudino martir.	21 Do. el P[illegible] Ab. *Ani.*
24 Dom. N. Señora de la Paz.	20 Sab. s. Leon Obispo.	22 Lun. san [illegible] Obispo.
25 Lun. La Cõver. s. de S. Pablo.	21 Dom. s. Felix Ob. ** Vitigudino*	23 Mart. s. [illegible] martir.
26 Mart. s. Policarpo Ob. y m.	22 Lun. La Cat. de s. Ped. en Ant.	24 Mier. s. [illegible].
Qu. meng. à las 2. y 15. m. de la	23 Mart. s. Marta v. y m. *Vig.*	25 Iueu. *La* [illegible] *de N. S.*
tarde, en Escorp. con frio, agua.	24 Mier. *San Matias Apostol.*	26 Vier. s[illegible] m.
27 Mier. s. Iuã Chrisost. Ob. y cõf.	** Tendilla.*	*Qu. m[illegible] 55 m. de*
28 Iueu. la Apar. de S. Ines fund.	*Qu. meng. à las 10 y 47 m. de*	*la mañ[illegible] re, y agua.*
de la SS. Trin. y s. Iuliã Ob. *Absol.*	*la noche, en Sagit. aire, y frio.*	27 Sab. s. [illegible] b.
29 Vier. s. Francisco Salès Ob.	25 Iueu. san Cesario martir.	28 Do. s. C[illegible]oteo. *Ani.*
30 Sab. santa Martina virg. y m.	26 Vier. s. Alexandro Ob.	29 Lun. s. S[illegible]arti.
31 Dom. s. Pedro Nolasco Fun.	27 Sab. san Leandro Obispo.	30 Mart. s. [illegible]co Abad.
y s. Ciriaco m. *Absol. general.*	28 Dom. s. Roman Abad, y m.	31 Mier. [illegible] virgen.

...antos, Fiestas mouibles, y demas solemnidades, y Vigilias

...da del Sol en los doze signos. Dias en que por concesion del Sumo Pontifice ...donde estuuiere esta señal.* Y con las reglas de Agricultura, y Medicina.

...ir, ni vender en todos los Reinos de Castilla, sin licencia de su Autor, pena de 50ȝ. marauedis, ...Escriuano de Camara. En Madrid, por Iulian de Paredes, Impressor de libros. Año de 1676.



Nº 23-9

...Luna 30. *Abril tiene 30. dias, la Luna 29.* *Mayo tiene 31. dias, la Luna 30.* *Iunio tiene 30 dias, la Luna 29.*

...mp. martt.
...bispo.
...y 56. m. de
...ire, y agua.
...y Silider.
...A.
...ciones.
...neral.
...confesso,
...a, y m.
...martir.
...artir.
...ue Adino.
...çobio de
...de Ios.
...viua. *Ani.*
...yco. *Tep.*
...rez. y m.
...m. de la
...rio, aire.
...a. *Tep.*
...bit. *Tep.*
...de Reina.
...martir.
...artir, y san
Patricio
...Ob. y conf.
...angel.
...Patriarca.
...y 44 m. de
...a y viento-
...conf. *Ani.*

PRE RA.

...Ab. *Ani.*
...Obispo.
...martir.
...n de N. S.
...m.
...55 m. de
...re, y agua.
...6.
...teo. *Ani.*
...arti.
...Abad.
...virgen.

1 Iueu. san Venancio Ob. y m.
2 Vier. s. Francisco de Paula, y santa Maria Egipciaca.
Luna nueua à las 5. y 36. m. de la mañana, en Aries, templado.
3 Sab. s. Vlpiano martir.
4 Dom. s. Isidro Arç. de Sevilla.
5 Lun. san Vicente Predicador.
6 Mart. s. Celestino Papa.
7 Mier. s. Ciriaco, y comp. ms.
8 Iueu. san Dionisio Obispo.
9 Vier. s. Maria de Cleofas. *Ani.*
10 Sab. s. Ezechiel Profeta. *Ani.*
11 Dom. *de Ramos*, s. Leon Papa.
Qu. crec. à las 5. y 34. m. de la mañana, en Leo, humedo.
12 Lun. s. Cenon Obispo.
13 Mar. s. Ermeneg. Rey de Esp.
14 Mier. san Tiburcio m.
15 Iueu. s. Basilisa, Anastasia, y y Casilda vs. y ms. *Absol. gen.*
16 Vier. santa Engracia v. y m.
17 Sab. san Aniceto Papa, y m.
Danse Ordenes.
Luna llena à las 6 y 6. m. de la tarde, en Libra, agua, y aire.
18 Dom. *Pascua de Resurreccion, y san Eleuterio Obispo.*
19 Lun. *San Hermogenes martir,*
20 Mart. *Santa Ines virgen.*
Sol en Tauro.
21 Mier. s. Simeon Ob. y m. *Ani.*
22 Iueu. s. Soter, y Cayo, Pont.
23 Vier. s. Iorge martir.
24 Sab. s. Gregorio Ob. *Abstin*
Qu. meng. à las 10. y 6. m. de la mañ. en Aquario, aire, vario.
25 Dom. *Quasimodo.* s. Marcos Euangelista. * *Andujar.*
Abrense las Velaciones.
Procesion general. Và a S. Ioseph.
No ay Audiencia.
26 Lun. s. Cleto, y Marcelino.
27 Mart. san Anastasio Papa.
28 Mier. s. Vidal m.
29 Iueu. san Pedro martir.
Và el Tribunal a Santo Domingo.
30 Vier. santa Catalina de Sena.
Este dia, y el siguiente assisten los Tribunales en la Real Capilla.

1 Sab. *S. Phelipe, y Santiago Ap.*
Luna nueua à las 7. y 29 m. de la tarde, en Tauro, têplado, aire
2 Dom. s. Atanasio Ob. y conf.
3 Lun. *La Invencion de la S.* ✠.
4 Mart. s. Monica viuda.
5 Mier. s. Sacerdote Ob. de Sig.
6 Iueu. San IVAN Ante Port.
Este dia, y el siguiente Honras Reales, assisten los Tribunales en la Real Capilla.
7 Vier. s. Estanislao Ob. *Abstin.*
8 Sab. Aparic. de San Miguel.
9 Dom. s. Gregorio Nacianc.
Qu. crec. à las 10. y 16. m. de la noche en Leo, aire rebuelto.
10 Lun. s. Gordiano, y Epimach.
11 Mart. s. Mamerto confessor.
12 Mier. S. Doming de la Calç.
13 Iueu. san Seruacio Obispo.
14 Vier. s. Bonifacio martir.
15 Sab. s. Isidro Labrador.
16 Dom. s. Vbaldo Obispo.
17 Lun. s. Restituta v. * *Truxillo.*
Luna llena à las 3. de la mañana, en Escorpio, agua, aire, y truenos.
18 Mart. s. Venãcio, y s. Felix m.
19 Mier. s. Pudenciana virgen, y san Celestino Papa.
20 Iueu. s. Bernardino de Sena.
21 Vier. s. Secundino m.
Sol en Geminis.
22 Sab. santa Quiteria vir. y m.
23 Dom. san Iulian m.
Qu meng. à las 4. y 56. m. de la tarde, en Aquario, vario.
24 Lun. san Robustino m. *Abst.*
LETANIAS.
25 Mart. s. Vrbano, y santa Maria Magdalena de Pacis virg.
26 Mier. s. Phelipe Neri confes. y s. Eleuterio Papa, y m. *Abst.*
27 Iueu. *La Ascension del Señor.*
28 Vier. san German Ob.
29 Sab. s. Maximo Ob.
30 Dom. *S. Fernãdo Rey de España*
31 Lun. santa Petronila v. y m.
Luna nueua à las 10. y 10 m. de la mañ. en Gem. reb. hum air.

1 Mart. s. Segundo mart.
2 Mier. s. Marcelino m. y san Eugenio Papa, y confessor.
3 Iueu. san Isaac Monge, y m.
4 Vier. santa Saturnina v. y m.
5 Sab. s. Bonifacio Obisp. *Vig.*
6 Dom. *Pascua de Espiritu Sãto, y San Norberto Ob. y Confessor.*
7 Lun. *S. Pedro Presb y cõps ms.*
8 Mart. *S Salustiano Confessor*
Qu. crec. à las 12. y 45. m. de la mañ. en Virgo, rebuelt calor
9 Mie. s. Primo, y Felic. m. *Tep.*
10 Iue. s. Chrisipulo, y Restit *Ani*
11 Vier. s. Bernabe Apost. *Temp.*
* *Caceres.*
No ay Audiencia.
12 Sab. s. Nazario m. *Ani. Temp.*
13 Dom. *La Santissima Trinidad,* y s. Antonio de Padua. *Absoluc.*
14 Lun. s. Basilio Magno Ob.
15 Mart. san Victor martir.
Luna llena à las 10. y 21. m. de la mañ. en Sagitario, calor.
16 Mier. s. Quirico, y Iulita ms.
17 Iueu. *Corpus Christi.*
18 Vier. s. Marco, y Marcelino
19 Sab. s. Geruasio, y Protasio
20 Dom. san Siluerio Papa, y m.
21 Lun. s. Eusebio Ob. y m.

ESTIO.
Sol en Cancro.

22 Mart. s. Paulino Ob. y conf
Qu. meng à la 1. y 47 m. de la mañ. en Aries, rebuelt. truenos.
23 Mier. s. Iulia Presb y m *Vig.*
24 Iueu. *Nativ. de S. Iuan Baptista*
** *Segouia, Leon Soria, y Zafra.*
25 Vier. s. Guillermo conf.
26 Sab. s. Iuan, y s. Pablo ms.
* *Burgos.*
27 Dom. s. Zoilo, y comp. ms.
28 Lun. s. Leon Papa, y conf *Vig.*
Luna nueua à las 12. y 51. m. de la noche en Cancer, humedo.
29 Mart. *S Pedro, y S. Pablo Ap.*
30 Mier. la Comemoracion de san Pablo.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
8
177

R-643

EXEGESIS IN HABACVC PROPHETAM

LITTERAM ILLVSTRANS, ET MORES INSTRVENS.

PARS ALTERA.

AVTHORE R.P.F. ILDEPHONSO DE PADILLA

SACRI ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA
Professore, Theologiæ Lectore emerito, Prouinciæ
Granatensis semel & iterum
Prouinciali.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. 4. C. 73 N. 10

Ex Typographia Ordinis. Imprimebat Iosepl
Anno Domini 1657.

EXEGESIS
IN HABACVC
PROPHETAM

LITTERAM ILLVSTRANS, ET MORES
INSTRVENS.

PARS ALTERA.

AVTHORE
R. P. F. ILDEPHONSO
DE PADILLA

SACRI ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA
Professore, Theologiæ Lectore emerito, Provincia
Granatensi Semel & iterum
Provinciali.

Ex Typographia Ordinis. Imprimebat Iosephus de Copado.
Anno Domini 1677.

TAMETSI Omnia, quæ in Prophetis scripta sunt, humani intellectus captum longè superare videantur propter summam et argumenti magnitudinem, et orationis sublimitatem: tamen in his illa longè difficilima sunt, quæ cãtici, et orationis titulo sunt insignita. In his enim et dicentis impetus feruentior, et magnum argumenti pondus angustis orationis spatijs continentur, et ipse dictionis, atque orationis habitus, et color, vt est quidem elegantissimus, ita, explicatu difficilimus. Vt patet in titulo huius Diuini, et suauissimi Cantici, quod Habacuc composuit: vbi venustissima apparet varietas, et multiplices et in perscriptione, et in corpore prodit, et amplectitur affectus. Sic enim tractat de Euangelico tempore, de mysterijs Christi Domini, et victorijs, vt eorum omnium imaginẽ arguteè in Chaldæorum interitu, et Iudæorum libertate proponat. Exorat in exordio Vates, vt libertatem, quam Deus populo suo erat pollicitus, determinato tempore præstet. Chaldæorum aduentum postea describit, atque eorum consilia, artes, et facta, et quomodo Deus illis se Ducem præbebit, sicut olim populum duxit ab AEgypto exeuntem, et introduxit in terram promissam. Deinde quid contra Chaldæos fecit, cum Persicum contra eos induxit exercitum, vt populo ingenuam libertatem et liberationem à misera seruitute conferret, atque in patrium solum restitueret. Cum autem ex huiusmodi euentu, quem optabat maximè Propheta, et confidenter expectabat, Dei promissionem fidelem, atque paternam curam, et prouidentiam clarè inspiceret, maximè exultat, nullum laborem recusat, nullum infortunium timet, nihil sibi accidere infortunatum formidat, et omnia hilariter sustinere præsumit, dummodo Dei promissum adimpleri videat, dummodo à suo latere IESVS Saluator, et Redemptor populi sui non recedat.

CAPVT III.

Vers. 1. ORATIO HABACVC PROPHETAE PRO IGNORANTIIS.

2 DOMINE audiui auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

3 Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan: operuit cęlos gloria eius: & laudis eius plena est terra.

4 Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius.

5 Ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius.

6 Stetit, & mensus est terram. Aspexit, & dissolvit gentes: & contriti sunt montes sæculi. Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

7 Pro iniquitate vidi tentoria AEthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8 Numquid in fluminibus iratus est Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua? Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio.

9 Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quę locutus es.

10 Fluuios scindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transijt. Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.

11 Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastę tuę.

12 In fremitu conculcabis terram: in furore obstupefaciés Gentes.

13 Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.

14 Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.

15 Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

16 Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. Vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

17 Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuę, & arua nō afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

18 Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesu meo.

19 Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.

VERS. 1. *ORATIO HABACVC Prophetæ pro ignorantijs.*

ANNOTATIO. I.

EXPOSITIO LITTERAE.

CANTICVM hoc est valde difficile, si considerentur singulæ eius partes, & vnionis filum inspiciatur, quod prętexere magni negotij est. Sed est longè difficilimum, quis nam sit eius litteralis sensus: nā Patres diuersimodè illud interpretantur. Ferè omnes antiqui in ea fuerūt sententia, vt totum hoc caput de Christo Domino interpretentur, licet varie de tempore, & mysterijs, quibus illud aptant, loquantur. Ita Eusebius. *Euseb.* Augustinus. Cyprianus. Athanas. Hieron. *Augustī.* Theodoret. Cyril. Rupert. Theofilat. *Cyprian.* Euthim. & ex recentioribus non pauci. Mouentur autem ad ita sentiendū *Athanas.* inter alia, quia ex hoc Cantico multa *Hieronym.* sumpsit Ecclesia ad Christi mysteria *Theodor.* explicanda, vt est illud de duobus ani- *Cyrillus.* malibus in quarto responsorio nata- *Rupertus* lis Domini, & responsorio sexto *Theofila.* in *Euthim.*

in festo Circunciſionis.

2 Alij, quæ hic vaticinantur, de republica Iudæorum intelligunt, & libertate è Babylonica ſeruitute, licet aliquid, imo & plurimum admiſceri putent eorum, quæ in deſerto, poſtquam populus egreſſus fuit ab AEgyto, contigerunt. Ex his autem Auctoribus nonnulli ita hęc hiſtoricè de temporibus Babylonicis accipiunt, vt tamen myſticè de Chriſto, humanique generis ſalute interpretẽtur. Sic Lyra, Dionyſius, Batab. Hugo, Iſidorus, Ianſen. Albert. Caſt. & Mariana cum Sanzio: quæ quidem ſententia magis arridet, propterea quod quæ præcedũt in ſuperioribus capp. (vt probatum eſt) apprimè congruũt rebus geſtis in Babylonico imperio: & iuxta explicationem, quam tradidimus, hoc vltimum caput cum præcedentibus optimè cõtexitur. Nec ab hac ſententia diſſentit Hieronym. nam ab illis verbis *maledixiſti ſceptris eius* plurima de libertate populi Iudaici à Babylonico iugo interpretatur, & expreſsè affirmat, ſceptrum Nabuchodonoſoris ibi fuiſſe à Domino maledictum. Deinde quidquid reſtat capitis, hiſtoricè de rebus Babylonicis exponit; imo & totum caput de ijſdem rebus inſtitutum indicat, ſic enim habet in fine: *Hucuſque ne hiſtoriam prætermittere omnino videremur, quodammodo vim fecimus intellectui.* Et expreſſius in quæſtionibus ſuper Habacuc ait: *Secundum litteram autem intelligimus impium Nabuchodonoſor, vel omnes aduerſarios, qui venerunt vt turbo, vt diſpergerent me, ideſt, vt ſubuerterent Iſrael.*

Lyra. *Dionyſius* *Batab.* *Hugo.* *Iſidorus.* *Ianſen.* *Albertus.* *Caſtro.* *Mariana.* *Sanchez.* *Hieronym.*

3 Neq; ratio adducta pro prima ſententia multũ vrget: quia euidẽtiſſimũ eſt, quod Eccleſia multoties non ſolũ in myſtico, ſed in ſenſu accõmodato aliquid in ſuis ſolẽnitatibus adhibere ſolet, & illud applicat, quã vis alienę ſit hiſtoriæ, quod aliquã ſimilitudinẽ habet cum myſterio, quod celebrat, vt illud Zachariæ c. 4. de duabus oliuis & lucernis duobus fratribus Ioanni, & Paulo accõmodat. *Iſti ſunt duæ oliuæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum.* Et in Miſſa vigilię B. Ioãn. Baptiſtę ſumitur lectio ex c. 1. Ieremiæ, quę tamẽ tota de Ieremia eſt: atq; in die eiuſdẽ Ioannis ex c. 49. Iſaię, quę verba ſine dubio de Chriſto ſunt. Item in feſtis B. Virginis multa dicuntur de lib. ſapientiæ, & in Aſſumptione ipſius hiſtoria proponitur Marthæ, & Magdalenæ, & alia quam plurima, quæ paſſim occurrunt. *Eccleſia.*

Sentio itaque: in hoc Cantico ſermonẽ fieri de libertate populi à captiuitate Babylonica, cum alluſione tamen ad libertatem eiuſdẽ populi de AEgypto, totumq; Canticũ in tres partes diſtribui. In prima Propheta timorem oſtendit, quẽ ex Diuino ſermone cõceperat: quia etſi grauia incõmoda Deus minatus fuerit Iudaico populo, grauiora minatur Babylonicæ gẽti: orat autem, vt libertatem, quã promiſerat populo ſuo, præfinito tempore præſtet. In ſecunda parte aduentum Chaldęorũ deſcribit, quibus Deus permiſit Iudæos deſtruere propter illorũ fraudes, & iniuſtitias, quas in gubernatione populi exercebant: & vſque ad verſum 12. victoriarũ Chaldæarũ curſus latè extẽdit. Exinde autem ad verſam illorum fortunam, & miſerũ iugum, quod illis Perſæ [Deo permitente] poſuerunt, deſcribit. Et denique oſtendit non diuerſurum animũ à Dei fideliſſima promiſſione, etiam ſi euentus aduerſos, & qui omnem aditum obſtruerent ad proſpera quæque, videret. 4

Oratio Habacuc pro ignorantijs. Huius tituli cauſa alia ab alijs adducitur. Quidam nihil aliud ſignificare putant prædicta verba, quam hoc Canticum ad illos numeros eſſe cantandum, ad quos certum aliquod carmen eſſet cantari ſolitum, cuius eſſet initium *Sigionoth*: ſicut etiam de multorum Pſalmorum titulis meditantur. Alij *Sigionoth* quod in Hebræo pro *ignorantijs* eſt, inſtrumentum putant eſſe muſicum, cum quo benè conueniret huius Cant. Rhythmus: atque ideo à Propheta fuiſſe 5 *Hebræus.*

præscriptum, cui instrumento, quibusque medulis aptari vellet hoc illustrissimum Canticum. Sed hoc credo commentum esse Hebræorum. Quare ijs Auctoribus assentio, qui putant Hebream vocem *Sigionot* (pro qua Vulgatus transtulit ignorantiam) errorem, & peccatum significare secundum illud Psalm. 24. *Delicta iuuentutis meæ et ignorantias meas ne memineris.* Et passim alibi ignorantia sumitur pro peccato, & peccator stultus, ignarus, & insipiens dicitur: & idcirco omnes antiqui Patres quos sequitur Hieronym. *pro ignorantijs* transtulerunt. *Psalm.24. v.7.*

6 Sed restat examinandum, quid simile ignorantiæ seu peccata habeant cum Cantico. D. Hieronym. credit, Prophetam ea hic retractare, quæ antea dixerat, & pœnitentiam agere, eo quod ignoranter prius de Deo aut senserit, aut locutus fuerit, atque se ipsum reprehendere, & veniam petere. *Est sensus* [inquit Hieronym.] *quia supra temere dixerat: usquequo Domine clamabo, et non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Ac deinde in secunda querimonia; Quare non respicis super iniquè agentes, et taces deuorante impio iustiorē se?* Riberæ, & alijs Interpretibus hæc mens Hieronymi videtur à Prophetæ sensu aliena: sed nescio, propter quod hanc interpretationem reijciant. Videtur mihi aptiorem titulum non posse præscribi huic Cantico, quam qui à Propheta fuit positus. Nam cum antea non bene de Deo cogitasset, aut locutus fuisset, ignorantiam peccaminosam incurrisse videtur, pro qua pœnitentia ductus retractat sententiam, & inducta palinodia fatetur, & commendat in Deo, quod antea ignorans desiderabat. Cum enim prius cō quereretur, quod Deus permitteret, iustos à peccatoribus opprimi, à superbis & violentis diripi, quasi Deus prouidentiæ esset oblitus: nunc ignorantiam, & errorem fatetur, & prædicat Dei prouidentiam, & iustitiam, dū ait venturum esse Chaldæorum Regem, qui vindictam sumat de Iudæorum iniquitate, & postea Persarum potentiam, quæ de Chaldæis meritas pœnas sumat: quo pacto sententiam reuocat, quam prius habuit, & Dei prouidentiam apertè profitetur. *Hierony.* *Ribera.*

ANNOTAT. II. MORALIS.

VEL IN IPSORVM ERRATIS virtutis signa Sancti præ se ferunt.

7 QVOD Vates noster ante minus considerate, & paulo liberius de Deo senserat, statim corrigit, & retractat, atque Dei vigilantem prouidentiam publicè fatetur, & suā ostendit ignorantiam, atque palinodiam cantat. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.* In quo Sanctorum genium innotescit, qui statim ad virtutis semitam, à qua aberrarunt, docilissima indole reducuntur: quia nunquam sic ab illa declināt, quod futuri reditus non relinquant signa: nam in ipsis erratis, ad quę dilabuntur iusti, reuersionis leguntur notæ, & in ipsis delictis animus generosus agnoscitur (vt dicebat Seneca) *Sæpe tibi tuam indolem in malis tuis ostendam.* Vnde Moyses, vt erat expertus populi sui animos, & vniuscuiusque inclinationes, postquam ad idololatriam omnes sunt prolapsi, vindictam sumere tentans sic populo affatur. *Si quis est Domini, iungatur mihi: congregatique sunt ad eum omnes filij Leui.* Exod. 32. v. 26. Duplex hinc exurgit difficultas. Prima: cur dixerit Moyses, quod ad eum accederent, qui Domini erāt, cum nullus ibi Domini esset, siquidē omnes in idololatriam inciderant. Quomodo Moyses dubitat, an aliquis Domino fidelis remaneat, cum apertè ipsi constet, omnes vitulum pro Deo coluisse? Secunda: cur ad vocem Moysis solū Leuitæ illi aggregātur, & eius latera tenēt idololatriā detrectantes; populi autem nullus resipiscit, sed pertinaciter omnes in errore perseuerant? Belle Oleast. vtrique difficultati respondet. *Qui diu virtutē, aut sanctitatem coluerunt, facilè ad eā reuer-* *Seneca.* *Exod. 32. v. 26.* *Oleaster.*

reuertuntur, etiam si aliquando in peccata labantur: quemadmodum qui in peccatis versatus est, difficile ad virtutem redit, etiam si aliquando eam colere videatur, statim tamen ad sua vitia reuertitur. Filij Leui qui præcæteris Deo ministrabant, facilè ad eius partes tuendas reuertuntur. Nouerat Moyses multos, qui in populo antea sectabãtur virtutem; & licet omnes pollutos idololatria aspiceret, adhuc Domini vocat illos, qui ad sanctitatem propendebant: quia qui Deo inseruiũt, cum errant, quasi non totum Deum relinquunt, & signa conuersionis in ipsis erraris ostendunt: & idcirco Leuitæ qui assueti erant Dei fa mulatui, & profitebantur virtutem, ad primã Moysis vocem ipsi adhæresc unt, & vitium nondum inueteratum facilè obliterant. Habent nescio quid Sanctorum errores, quod in delinquendi forma, & in reuersionis celeritate virtutis signa præbent. Vnde optimè dixit Chrysost. hom. 5. de verbis Isaiæ. *Vidi Dominum.* &c. *Quemadmodum*

Chrysost. *enim præclara corpora etiam in aduersa valetudine multa nobis formæ vestigia ostendunt: sic et Sanctorum animæ in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt.*

Nemo est, qui non criminetur Discipulorum contentionem, qua de maioritate, & primis sedibus concertabant. Omnes Expositores sacri in ipsos acriter inuehuntur, Christi Domini doctrinam imitantes, qui non solum pepulit matrem ambientem filijs suis vtramque manum, sed & ipsos ignorantiæ notis indigitauit. *Nescitis quid petatis.* Et nihilominus in illa commu ni Discipulorum contentione, quam refert Matth cap. 18; (vbi

Matth. 18 v. 1. ad Magistrũ scisc itantes accesserũt: *Quis putas maior est in regno cælorũ?*) Virtutis signa, & sanctitatis notas Chrysostomus detegit homilia 4. in Matthæum, cuius hæc sunt verba.

Chrysost. *Illud quoque tecum verte, quod nulla eis de rebus huius sæculi quæstio est: nos autem neque ad hos defectus eorum deuenire possumus, nec quis futurus sit maior in regno cælorum, sed quis in terris maior sit, quis ditior, quis potentior.* Tales defectus, & errata Sanctorum sunt, vt ab eisdem ediscere possimus perfectionis iter: cum enim de illis notatur, quod inter se certarent, super illud sane certamen fuit, quis illorum esset sanctior, & in cęlorum regno dignior eorum esset obtenturus locum. Nos etenim nunquam ad illum errorem perueniemus: quia nunquam de illis rebus decertamus, sed de digniori loco mundi, ac de terrenis honoribus. Expediret ad illorũ errorem deuenire, si eodem morbo pugnaremus. In Discipulorum erratis eorum perfectio innotescit, & ex inductis materię contentionis notis agnoscitur sanctitas, virtus exaltatur. Sic enim loquens Euangelista de Petri arbitratu, quo in Thaboris vertice permanere satagebat, ipsius ignorantiam, & errorem accusat. *Non enim sciebat quid diceret.* Luc. 9. v. 33. *Luc. 9. v. 33.* At statim excusationem addit, & errorem quem incusauerat, honestat. *Erant enim timore exterriti.* v. 34. Ad quę verba D. Ambros. [cap. 9. supr. Luc.] hæc eleganter excribit. *In quo non inconsulta petulantia, sed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat: nam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, deuotionis.* Et lib. 10. in eumdem Luc. *Error Petri doctrina nostrorum est.* Illa enim ignorantia deuota, quam Petrus habuit, nos docuit, quam ardenti desiderio, quam vehementi cupiditate cęli possessio expetenda est. In ipsa ignorãtia animi feruentioris signa apparẽt, & erronea verba sanctitatis sunt indicia præclara. *Ambros.*

9 Magno desiderio Dei faciem intuendi flagrabat Moyses, ipsumque obnixè deprecatur, vt gratiam, quam apud ipsum inuenisse credebat, visione sui vultus compensaret. *Ostende mihi gloriam tuam.* Exod. 33. v. 18. For tè ignorabat Moyses Deum, vt est in se, oculis corporeis videri impossibile prorsus esse? Non inquam. Si ergo nó ignorat, cur petit, quod impossibile agnoscit? Cur amantem fatigat? Nã nullum cruciamentum dil igenti est *Exod. 33. v. 18.*

grauius, quam non posse desideria exequi amantis. Audiendus D. Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. *Norat vtique sanctius Vates Domini, quod inuisibilem Deum facie ad faciem videre non posset: sed deuotio sancta mensurã supergreditur, et putauit de eo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret id, quod est incorporeum comprehendi. Non reprehensibilis hic amor, sed etiam grata cupiditas, atque inexplebilis, quod Deum suum velut manu tenere, et obtutu oculorum videre cupiebat.* Non latebat Moysem id, quod cupiebat, nullo modo esse impetrandum, & tamen irritus postulationis effectus nos docet magno ac vehemẽti affectu Deum exoptare. Nugax postulatio, & cupiditas nobis profuit: quia bonum illud incommutabile nos erudiuit æstuanti siti appetere. Nullũ enim Sanctorum aut erroneum, aut irritum desiderium nobis non prodest, & ex eorum erratis medela nobis conficitur.

Ambros.

10 Arcanè salutares prouentus, quos homines aucupãtur ex iustorum lapsibus, dicebat Dauid Psal. 1. v. 3. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum* &c. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet.* Non leue dubium est, quid hac metaphora Vates significet, & quo fieri possit, quod nullum iustorum folium defluat, nulla eorum actio non sit meritoria. Lyra sic locum capit, vt omnes iusti actiones credat esse proficuas: nam quidquid agit, quid quid loquitur, quidquid intentat, vel ipsi, vel alijs prodest. Verum cur per translationem ad arborem id expressit, cũ nulla reperiatur, à qua non defluat vnum vel alterum foliũ inutiliter, nec iustus inueniatur aliquis, qui in aliquo non deficiat, & in vna vel altera actione fragilis esse naturę ostendat? Chaldęus mysterium aperit, qui ita legit. *Omne germen eius proficit.* Non itaque vult dicere Propheta, quod sit arbor aliqua, à qua vel vnum saltem folium non defluat; sed esse arbores adeo proficuas, vt earum folia, quę defluunt, vtilia sint ad sanandas plures infirmitates: & pari similitudine omnes iustorum actiones esse adeo commodas, vt etiam illæ, quæ cadere videntur, & quæ reuera respectu illorũ sunt lapsus, respectu tamen nostri medicinales sint, & proficuæ: *Omne eorũ germen proficit.* Vel folia, quæ propter infirmitatem humanam à Sanctis defluunt, nobis sunt medela: quia ex illorum infirmitatibus nostra sępe firmatur salus. Vnde Chrysolog. (serm. 91.) lapsum Thomæ ponderans dixit: *Sanctorum lapsus nos erigit, trepidatio firmat.* Et D. Ambros. de negatione Petri locutus dicebat: *Ecce nobis nihil nocuit, quod negauit; sed plurimum profuit, quod fleuit.* Idemque Regius Psaltes de se ipso post lapsum, & ad pœnitentiam reductus aiebat: *Tã quam prodigium factus sum multis.* Psalm. 70. v. 7. Idest [interprete Geneb.] *factus sum insigne exemplum iudiciorum tuorum, idest, tuæ vindictæ, et misericordiæ, et meæ pœnitentiæ.* Quod planè verissimum est: etenim multis postea profuit considerare Regẽ sanctum cecidisse, ex eo quod visum nõ compressit, vt oculos suos postea custodirent. Quot ad suas culpas deplorandas incitauit pœnitentiæ istius Regis exemplum? Quot à diffidẽtiæ pelago eruit illius peccatum à Dei misericordia dimissum? Quot infirmitates sanauit illius infirmitas? Optimè dixit Eucherius ad cap. 3. lib. 1. Reg. *Posterit eius casus medicina fuit, et illius naufragium fuit alijs portus: quia quibus ille vulneratus est, et emendauit, alij in eadem incidẽtes possunt vti vt medicina, et eadem emendatione sanari.* Facilis ad gratiam reditus & nos docet artem medendi, & illius sanctitatem denotat, cuius vel in ipsis erratis signa agnoscũtur: quia facilimè resipuit, & ad meliorẽ frugẽ fuit traductus.

Psalm. 1. v. 2.

Lyra.

Chaldæus

Chrysolo.

Ambros.

Psalm. 70 v. 7.

Genebrar.

Ezech. v. 21.

Eucherius

11 Hoc ipsum repetebat pœnitens idem Vates. *Erraui sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Psal. 118. v. 176.

Psal. 118. v. 176.

Hæc

Cassiodor. Hæc vox omnium electorum est (ait Cassiodor.) sed cur errores electorũ ouium erroribus comparantur? Suspicor: quia facilè ad rectam viam reducuntur. Hęc namque differentia est inter errores ouium, & ęterorum animalium ferocium, quod ouis, dum errat, balatum emittit, ad quem Pastor accedens eam à periculis eripit, & sibilo, aut baculo ad caulas reducit: taurus vero; vrsus, & ętera animalia ferocia, dum errant, neque balatum emittunt, nec se facile sinunt à Pastore reuocari. Sic iustus, & electus, licet aliquando errent, reducẽti non resistunt, sed maxima docilitate statim ad rectam viam traducuntur: non immorantur in peccatis: quia sic ad ea dilabuntur, vt in ipsis quodammodo displiceant. Hinc lucem capit difficilimus locus Ieremiæ Thren. 3. v. 19. *Recordare* (inquit) *paupertatis, et transgressionis meæ absynthij, et fellis.* Mirabilis sanè obsecratio, & quæ mentem inuersam Prophetę primo aspectu ostendit: nam iugiter Sancti preces fundunt, vt Deus non recordetur ipsorum delictorum. Sic Tobias c. 3. v. 3. exorabat: *Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum:* Et Isaiæ (cap. 43) vt singulare beneficium promisit Deus, non vltra peccatorum populi recordari. Ac denique peccatorum obliuiscì, in gratiam redire est, vt Ezechiel. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiã, omnium iniquitatũ, quas operatus est, non recordabor.* Quo ergo pacto obsecrat in præsenti peccator, quod Deus transgressionis illius recordetur? Siquidem dum peccatum à memoria non excidat, & penitus obliteretur, nequit ad gratiã redire? Lyra, & plerique sic nodum soluunt, vt eruditis non satisfaciant: aiunt enim, accipi hic transgressionẽ passiuè. Quasi dicat Vates: recordare passionis meæ, quam Chaldęi intulerunt mihi vltra modum: itaque transgressionem non pro culpa, sed pro pœna accipiunt. Sed repugnat Hieronymus, qui apertè transgressionem legit, & culpam interpretatur. *Recordare &c. Mutata locutione ad ipsum Dominum pro populi calamitate Propheta orationis verba conuertit: vt ipse qui flagella peccantibus insẽ intorsit, afflictis opem misericorditer impendat. Propter transgressionem ergo ad paupertatem venerunt.* Igitur de peccato verba cum Hieronymo accipiens existimo: Vatẽ Deum deprecari, vt transgressionis, & culpæ recordetur: quia absynthium, & fel transgressoribus fuit, ipsorumque gustum exacerbauit. Quasi dicat: recordare Domine transgressionis meę, appositiuè absinthij, & fellis: quia hęc transgressio absynthium, & fel mihi fuit, amarissimum palatum reliquit: non enim in peccato complacui: licet fragilitate sim lapsus, hoc cum dolore, & mœrore prędixi. Fateor peccauisse, sed cũ amaritudine: comparationeque ad illos, qui in peccatis complacent, mitius mecum agendum est; proindeq; oro, vt amaritudinis, quam in peccatis gustaui, recorderis. Licet enim iusti quandoque errent, non delectãtur in peccatis, sed labia contorquẽt, & illorum amaritudinem prędentiũt. Ipsa errata tali modo committuntur, vt prophetia sint emendationis: quia non gloriantur in malitia, sed illam fastidiunt, & detrectant.

Thren. 3. v. 19.

Tobiæ 3. v. 3.

Ezech. 18 v. 21.

Hieronym.

ANNOTAT. III. MORALIS.

DOLENDVM MAXIME DE Sacerdotum casibus: quia eo periculosiores sunt, quò dignitas eorum est præstantior.

AMARE dolet Propheta de excessu, quem commiserat, & pœnitentia ductus deplorat, quod malè de Deo senserit, & locutus sit: eo quod Dei minister erat, ignorantiã suam fatetur, & exaggerat, pro illiusque venia preces fundit. *Oratio Habacuc pro ignorantijs* hic v. 1. In quo sane nos condoleri docet de ministrorum Dei casibus, de Sacerdotum erratis, quæ eo grauiora sunt, quò eorũ dignitas maior est. Turpius enim labitur, qui felicius steterat: infelicior casus, qui ex altiori specula cõtingit: gra- 12

grauior culpa, quam gloria antecessit: ex dignitate enim personæ indignitas crescit peccati. De extremo iudicio, in quo omnia hominum scelera sunt ponderanda, & trutinanda eorũ malitia, locutus Dauid dicebat: *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Psal. 49. v. 5. D. Chrysostom. auspicatur, his verbis Angelis imperari, vt sistant ad Christi tribunal Sacerdotes in primis sceleratos, vt sententia capitalis supplicij à Deo feriantur. At si mali Dei ministri, & qui à debita obseruantia defecerunt sisti iubentur: cur Sancti appellantur? Cur Sanctorum numero adscribuntur, & tali titulo nobilitantur, qui Deum habent infensum, & ad gehennales pœnas vocantur? *Accusationem augens* [sait Chrysostom.] *honorem adiecit ad maiorem significationem supplicij.* Quasi dicat: vt accusatio augeretur, honoris commendatio antecessit: vt grauitas culpę maior appareret, sanctitas status, ac muneris excellentia fuit præmissa, quæ digna planè est, vt vehementi dolore sentiatur. Augetur culpæ reatus, dum dignitas delinquentis extollitur: & quò sublimior est, eo exitialius delinquentis est præcipitium.

Psalm. 49 v. 5.

Chrysost.

13 Samariæ inuersionem deplorans Oseas dicebat: *Proiectus est vitulus tuus Samaria: iratus est furor meus in eos, vsquequo non poterunt emundari? quia ex Israel, et ipse est: artifex fecit illum, et non est Deus.* Osee 8. v. 5. Dolentis, & contristati animi vox illa est: *Vsquequo non poterit emundari?* Et parentis, qui in protervum, ac contumacem filium cogitur seueris ioribus agere supplicijs. Sed quæ causa huius doloris est? Equidem id, quod sequitur. *Quia ex Israel et ipse est: artifex fecit illum, et non est Deus.* Quasi admiretur, & vehementer Deus doleat, quod non ab externo, sed ab Israelita artifice monstrum illud, cui Diuinũ datum est nomen, & Diuinus honor exhibitus, formatum sit. Præscriptũ quippe fuerat Israeli, ne idola cuderet, neque apud illum vllum inueniretur simulacrum, cui nimirum Diuinos impenderet honores, & cum ipse Gentium derideret insaniam, cum saxo, ligno, atque æri aliquid existimarent inesse Diuinum (cui illud Dauidicum multum erat in ore. *Simulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum: os habent, et non loquentur* &c. Psalm. 113.) Tamen ab Israelita artifice vitulus efformatus est, ab illo adoratus, & in Diuinum ordinem adductus. Vnde sic superdolet Deus, quod peccatum non solum ab exteris, & sęcularibus, sed ab ipsismet domesticis, & Sacerdotibus cõmittatur: hæc enim circunstantia vltra modum crimen aggrauauit. Hinc enim est, quòd increpans idem Oseas populum Samariæ de peccatorum grauitate dixerit: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit super eum populus eius, et æditui eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.* Cap. 10. v. 5. Et quidem expensione dignum est, quod cum vitulus etiam fuisset in tribu Dan, illumque adorauerit, sicut Bethel, solius Bethel meminerit Propheta. Sic enim habetur 3. Reg. 12. *Habuit Rex* (scilicet Ieroboam) *cõsiliũ, et fecit duos vitulos aureos, posuitque vnum in Bethel, et alterum in Dan.* Si ergo in Dan constitutus fuit vitulus, non secus ac in Bethel, cur perquam raro audimus aliquid in Scriptura de Dan; de Bethel autem frequentissimè idololatria repetitur, vt Propheta hic, & Ierem. 40. *Confusa est domus Israel à Bethel.* Atque sępe alibi? Communiter Expositores arbitrantur, rationem esse, quia locus Bethel magno erat in pretio, & religione apud Hebrẹos, propterea quod ibi Iacob in scala Dominus apparuit. Quare cum prius Luza diceretur, vocatus est Bethel, ideſt, domus Dei. Tanti autem fecit Israelitici generis Pater Iacob locum illum, vt non permiserit, cum eo ventum est è Mesopotamia, aliquod à domesticis idolum inferri. *Abijcite* (inquit) *deos alienos, qui in medio vestri sunt* &c. *Surgite, et ascendamus in Bethel.* Nefas enim putabat vir ille sanctissimus, quod in domo

Psalm. 113 v. 4. et 5.

Osee. 10. v. 5.

Ionæ. 4. 12. et 1

3. Reg. 12. v. 28. et 29.

Ierem. 48. v. 13.

Dei

Dei locus esset idolis; quid ergo non ferrent grauiter viri pij, si in Bethel, idest in domo Dei, vidissent aureo vitulo datum esse locũ? Graue est enim vbicumque personarum insidere sordes, maxime eas, quæ à peccatis sũt: at si eæ in persona Deo sacrata sint, longè grauius est. Vnde si Sacerdos sæcularibus se sordibus immisceat, aliorum peccata non recordamur: sicut vitulus aureus in Bethel fecit, vt ille alter qui erectus fuerat in Dan, abiret in obliuionem, aut minor in eo videretur esse deformitas. Maxime enim à dignitate, & munere ingrauescit peccatum: & idcirco super Sacerdotum scelera plorandum maximè est.

14 Postquam Ionas Dei mandatum adimpleuit, Niniuemque ad pænitentiam induxit, & Dei misericordiam super illam descendisse, conspexit, vehementi dolore, & angustia fuit contristatus, ita vt mortem sibi exposceret. *Et afflictus est Ionas afflictione magna, et iratus est, et orauit ad Dominum, et dixit: obsecro Domine: nũquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens, et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. Et nunc Domine tolle, quæso, animam meam à me: quia melior est mihi mors quam vita.* Cap. 4. v. 1. Affectus sanè admiratione dignus, & indignus Dei ministro. Cur Ionas contristatur, & mæret, postquam Niniuitas pęnitentes, & ad Deum conuersos aspicit? Etenim magna lætitia tunc debuit exultare, & magno gaudio perfundi propter honorem, & gloriam, quæ ipsi resultabat ex Niniue conuersione: nam quidquid Dei minister in populo Concionatoris munere proficit, in ipsius redundat honorem. Nũquid de fertilitate segetis tristatur agricola? Aut piscator dolet, quod multos pisces in sagenã traxerit? Cur ergo Propheta de vbere fructu sui laboris contristatur? Pulchrè Hieron. difficultati occurrit. *Non contristatur, quod Gentium multitudo saluatur; sed quòd videt gentem suam perire, et se de tanto numero Prophetarum electum, qui per salutem aliorum ruinam populi sui nunciaret, iam quodammodo de salute desperans Israelis.* Non tristatur Propheta de salute Gentium; sed quia ex Niniuitarum conuersione illi representabatur, quam plurimum aggrauabatur peccatũ sui populi, quem tot Domini, & tam crebra miracula subijcire, & emollire non poterant. Ad eum sane modum, quo nobilis homo ita de bonis gaudet vicini, vt illũ pœniteat, si filios vicini bene moratos videat: non quod de alieno bono doleat; sed quoniam illud bonum quod in alijs agnoscit, suorum auget penuriam. Sic nimirum Niniuitarum conuersio Ionam lætabatur propter illorum salutem; lacrymas vero, & afflictionem auxit, eo quod populi sui scelera aggrauabant, & præcipuè ipsius Vatis inobedientiam. Ad hũc enim modum de Sacerdotis peccato dolẽdum est, quod sępesępius optimi sæcularium mores aggrauant, & confusionem afferunt alterius obligationis personę illam adimplentes his, qui à sacro professionis instituto deficiunt.

Ionæ. 4. v. 12. et. 13.

Hierony.

15 Accessit Christus Dominus ad domum Marthæ, & Mariæ, quarum frater Lazarus erat mortuus, eique fit obuia Martha dicens: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ioan. 11. v. 23. Hæsitantis in fide hæc verba sunt. *Imperfecte credebat* [ait Lyra] *quia videtur innuere, quod non posset Christus tantum absens, quantum præsens.* Corrigit ipsius errorem Seruator, & sic edocta domum petit: exit postea soror altera Maria, & eisdem verbis Christum excipit. *Domine si fuisses hic, nõ esset mortuus frater meus.* Quibus auditis *infremuit spiritu, et turbauit semetipsum, et lacrymatus est.* At vtquid nunc tot doloris signa exhibet? Nonne eadem vtriusque sororis verba sunt? Audi Caietanum. *Communis hæc querela, communis, et minor fides fuit Mariæ, et Marthæ, dum vtraq; corporali præsentiæ tribuit gratiam.*

Ioan. 11. v. 21.

Lyra

Vers. 33, et. 35.

Caiet.

tiam. Si ergo idem error Mariæ, & Marthæ fuit, quomodo Martham tantummodo arguit, & cum Maria ingemit, & plorat? Arbitror: quia Martha vitam representat actiuam, quę propria sęcularium est, & in quibus non mirum est, errores esse corrigendos, quoniam minus de Deo sapiunt, minus ad ipsum accedunt; at quod idē defectus in Maria inueniatur, cuius præcipua occupatio est, ad pedes Christi esse, passim eum audire, ab eo internas accipere consolationes, hic [inquam] error grauissimus est, & quem ita egrè Deus fert, vt vehemēter doleat, & pro illo ploret, ac turbetur. Quod in sęculari homine rebus temporalibus implicato ambitio, odium, ignorantia, aut aliquis alius error inueniatur, materia reprehensionis est: ad hoc tamen filet Christus, quoniam aliquam excusationem habet; at cum Sacerdos Dei minister, qui ad ipsius pedes frequenter sedet, eumque iugiter audit, eosdem habet defectus, magnum dolorē Deo excitat, super ipsius errores Christus lacrymatur, vt nobis dolendi super huiusmodi euentus præberet animam.

ANNOTAT. IV. MORALIS.

HVMILITAS OCVLATISSIMA virtus, quæ superbis abscondūtur, rimatur mysteria.

16 INSANA superborum arrogantia peruerso tumore cęcutit, & ad omnia torpet. Humilitas perspicax dum descendit, oculos acuit, & abstrusa quęque cognoscit. Illa etenim deiectio, quæ propudiosa superbis est, & è qua nimis erubescunt, Deo plurimum arridet, illamque strictissimè amplexatur, & ad penetralia quęque, & recondita sui pectoris sacramenta agnoscenda introducit. Humilitatis arbitrio omnia deteguntur mysteria, & nullum ita reconditur, quod nō illud rimetur aquilina Humilitatis perspicacia. De hoc (inquam) Humilium priuilegio gratias agebat Christus Dominus Matth. 11. v. 25. *Cōfiteor tibi Pater, Domine Rex cæli, et terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis.* Ad quæ verba dubitat Magnus Gregorius (lib. 27. Moral. cap. 7.) Cur Christus dixerit: *Reuelasti ea paruulis*, & non stultis? Hoc enim magis commendare videbatur reuelationis priuilegium: nam quò stulti magis distant à cognitione eorum, quæ reuelātur, eò maior esset gratia. Vtquid igitur huiusmodi mysteria non ignorantibus reuelari dicuntur, sed paruulis? Aut paruuli ignorantes nuncupantur? Pulchrè Gregor. acumen hic Humilitatis agnouit. *Quia non subiunxit (inquit) reuelasti ea stultis, sed paruulis, tumorem se damnasse innuit, non acumen.* Etenim ad Diuina agnoscenda mysteria magnum Humilibus inest acumen. Non stultos, neque insipientes Humiles nominauit, ne de ipsorum perspicacia dubitaretur, & ratum maneret, eos oculatissimos esse ad pręexcelsa quæque percipienda mysteria. Sicut enim in superbis & arrogantibus mentis cæcitas, & hebetudo aditum pręcludit, etiam ad obuia intuenda: sic Humilitas oculos acuit ad remotissima & abstrusa inspicienda. Vnde Glos. Moralis ad præcitata verba dixit. *Magnus honor ex hoc est Humilibus veris, qui sunt de secreto consilio summi Regis.* Vt enim Reges, & Principes ijs, qui de illorum sunt secreto, omnia reuelant, nihil abscondunt: sic Humilibus omnia Deus secreta sua manifestat, quia nihil potest ipsos latere Humilitatis perspicacia munitos.

Matth. 11. v. 25.

Gregorius

Gloss. Moral.

Augustin.

17 De sua Humilitate plurimum gloriatus Dauid dicebat: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: sinō humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.* Psalm. 130. v. 1. Genebrard. & pleriq; alij Interpretes hanc vltimam comparationem ad primam partem prę-

Psal. 130. v. 1.

Genebr.

ceden-

cedentium per hyperbaton referunt, & ita textum contexi, reputant. *Si nō humiliter sentiebam, sicut ablactatus apud matrem suam, sicut infans, qui vix de mammis depulsus est super matris gremio; talis enim solet esse humilis, omnia à matre expectare, quod nondū corpus curare, neque sine alterius adminiculo pedibus insistere valeat.* Aliter tamen sentio, & suspicor: exprobare sibi Dauid ablactati infantis supplicium, si superbus, & non humilis extitisset. Quasi diceret: Domine si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sit mihi retributio, sicut ablactato à matre infanti solet retribui. At quę hæc exprobratio, & maledictio est? Quam energiā huiusmodi includit imprecatio? Illā scilicet, qua arrogantes puniuntur. Nam mater lac præbet filio, dum paruus est; at quando magnus, ei hoc nutrimentum subtrahit. Sic Deus (cuius genium Vates optimè nouerat) mysteria, & dona sua humilibus præbet; superbis & arrogantibus denegat. Exprobrat ergo Dauid maledictionem ablactati, si non esset humilis: hoc est, Dei secretis, ac mysterijs non lactari, quæ solis humilibus conceduntur; superbis & elatis obnubilantur. Quo spectat illud D. August. serm. 27. de verb. Domin. loquentis de Magdalena. *Sedebat [inquit] ad pedes capitis nostri: quantò humilius sedebat, tantò amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatis conualles.* et serm. 74. de temp. *quantò humilior, tanto capacior, tanto plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur.* Amplissimam humilitas habet capacitatem, & quantò in se precingitur, & contrahitur, tantò ad alia percipienda fit amplior, ad ipsamque replendam omnia diuinæ gratię dona concurrunt. Sicut ne vacuum detur in natura, contendunt omnes res replere illud spatium, quod vacuum sine illarum concursu esset: sic quem gratia vidit mente humilem, & propria æstimatione vacuum, suis donis replet, quia ad ipsam spectat prouidere, ne in ordine supernaturali vacuum reperiatur. Quod optimè notauit Beatus Laurentius Iustinianus cap. 3. de humilitate. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat: sic nec gratia humilem, quin illi se infundat.*

Genebra. *August.*

18 Cum Moyses oues pasceret soceri sui, & vidisset rubum ardentem, & non combustum, velletque rei admiratione attonitus illuc accedere, esset que prohibitus à Domino. *Ne appropies huc.* Exod. 3. v. 5. Abscondit faciem suam, oculosque velauit, & statim ait illi Deus: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto* &c. inib. Cur Moysi, qui paulo antea accedere ad Deū prohibetur, nunc magnum, & arcanum rubi mysterium reuelatur, aliaque plurima, quæ in gratiam populi sui operatus est Deus? Opertis oculis videt, quod apertis ignorabat, & obvelata facie intuetur, quod expeditis luminibus non callebat? Ita equidem (ait Lyra.) *Quando Moyses curiosè se non ingessit, sed humiliter faciem suam abscondit, tunc Dominus ei reuelauit: quia abscondit talia à sapiētibus et prudentibus, et reuelat ea paruulis.* Humilitas, qua Moyses se ipsum agnoscens desistit à mysteriorum cognitione, ipsius oculos acuit, & tunc cum illos operit, de arcanis, & mirabilibus mysterijs eruditur: quia propriæ vilitatis cognitio mentis oculos aperit, & abstrusa quæque perspicaci intuitu penetrat. Vnde B. Albertus (serm. in Dominic. 5. aduent.) animę oculum, & lumen quo omnia respicit, humilitatem vocauit. *Humilitas (inquit) est oculus animæ, per quam homo conditionem suam, ac statum suum veriſſimè recognoscit.*

Exod 3. v. 5. *ib. v. 7.* *Lyra.* *B. Albert.*

19 Vt cæcum à natiuitate Christus sanaret, in quem nulla culpa priuationem lucis induxerat, in terram expuens & collyrio ex luto facto liniuit oculos lumine orbatos, & ad visum restituit. *Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et liniuit lutum super oculos eius, et dixit ei: vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur missus) abiit ergo, et lauit, et venit videns.* Ioan. 9.

Ioan. 9. v. 6. et 7.

vers. 6. Quis non miretur, quod cæcus reddatur videns illo ipso, quo ob cæcari poterat? Vt quid ad restitutionem luminis luto vtitur Christus, quod ad illud extinguendum, & sordidandum videbatur aptius? Sic rerũ naturas Deus inuertit, vt ad contraria munera eas aptet? Cur non aliquo medicamento oculis familiari vtitur, sed visionis effectui, quem prætendit, opposito? Egregiè hic Ambros. oculatissimam humilitatis naturam agnouit, sic enim habet libr. de Viduis.

Ambros. *Alij oculos luto illinit, vt videre posset, Creatorque omnium docet nos, nostræ memores debere esse naturæ, et corporis cernere vilitatem: nemo enim magis potest videre Diuina, nisi qui humilitatis suæ conscius nescit extolli.* Medica vis ad oculos acuendos in luto aderat, quia humilitatem exprimebat, quę lumine superno mentem perfundit, vt diuina, & abscondita possit intueri. Etenim, qui propriæ vilitatis luto mentem illiniunt, & se ipsos humiliter deprimunt, oculos aperiunt, & Argos æmulati naturam vndique illos habent, vt nihil ipsos lateat, nihil non perspiciant. Vel quæ scire refugiunt, ipsis nota fiunt.

20 AEgrè ferens Moyses populi pertinaciam ad ipsius gubernationem coadiutores postulat: annuēsque Deus ipsius desiderio abstulit de spiritu eius, & dedit septuaginta viris, qui statim prophetarunt, vt Dei decreto muneri gubernationis ostenderentur prærordinati. Remanserant autem, cum hæc accidebant, in castris duo viri Eldad, & Medad, super quos etiam requieuit spiritus Domini.

Numer. 11 v. 27. *Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nunciauit Moysi dicens: Eldad et Medad prophetant in castris.* Numer. 11. v. 27. Quærunt Interpretes: cur hi duo viri vaticinati sint, cũ non essent de numero septuaginta virorum, neque se ingerere intendissent populi gubernationi? Cur diuina mysteria reuelantur, & propheticus spiritus illis infunditur, qui neque Moysis electione, neque ipsorum negotiatione ad populi regimen vocabantur; quinimo illud respuebant, siquidem in castris manserunt reclusi, ne illorum recordaretur Moyses, dum electioni intendebat? Tempestiuè Lyra difficultatem solvit. *Remanserunt* (inquit) *non ex contemptu, sed ex humilitate, reputantes se indignos tãta promotione: et ideo receperunt donũ Dei, sicut et alij.* Humilitatis assecla prophetica virtus est, quæ acutissima perspicacia omnia intuetur. Qui se indignos reputantes ad castra confugerunt humiliter de se sentientes, spiritu prophetiæ donati reponte inueniuntur: quia dignitas, quam refugit humilitas, ipsam insequitur, & humiliatus animus, vel eum oculos obtenebrare satagit, oculatissimus est, & supera luce perfusus. Diuinarum rerum cognitio humilibus defertur, & illis denegatur, qui humilitatis expertes se efferunt, & extollunt. Vnde cum Vates noster minus de se ipso humiliter sentiebat, ad Diuina obcæcatur, & aliter (ac par erat) de Deo fuit locutus; verùm eum se ipsum agnoscit, & suam ignorantiam confitetur, Diuino lumine eleuatur, & mysteria Dei altè penetrans ea mirificè in suo Cantico exponit, cui humilitatis titulum prefixit. *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantijs.*

Lyra.

ANNOTAT. V. MORALIS.

AD FORTIVS RESVRGENDVM prodest aliquando coruisse.

21 SICVT ad valetudinem conservandam quandoque iuuat ægrotasse, & victũ esse ad vincẽdum: sic multoties peccasse prodest ad peccata deinceps amputãda: corruisse ad fortius per pœnitẽtiã resurgendũ: in Diuino obsequio obdormijsse ad cautiores de cætero vigilias obeundas. Quod mirè in nostro Vate inspicitur: nã semel lapsus, casum postea detretãs, validiùs & in seipsũ, & in Dei hostes insurgit, & surgit fortior ab ignorantia, quam fautè incurrerat, & ipsã cõfitetur. *Oratio Habacuc Prophetæ*

pro ignorantis. Exigitur per pœnitentiam, & resipiscens se ipsum superat innocentem. Licet enim communiter melior sit innocentia, quam pœnitentia, sicut melior est vestis integra, quam dissuta & scisa; tamen tam ardens, & efficax potest esse pœnitentia, vt innocentia sit præstantior: sicut vestis scisurę (si aureis funiculis, & pretiosis gemmis copulentur) pulchriorem reddunt vestem ipsam, quam si tota sana & integra fuisset. Vnde recte dixit Ambros. in Psalm. 37

Ambros. *Etsi peccaui, tu peccatum dimittis: etsi ego cecidi, tu resuscitas; ne habeant, vnde exultare possint, qui peccatis latantur alienis: plus enim adquisiuimus, qui plus peccauimus: quia beatiores facit tua gratia, quam nostra innocentia.* Sic solet contrita deuotio culpæ maculas abstergere, vt non solum integra restituatur puritas, sed & candorem integrum innocentię imitetur. Vnde Isaiæ 59. de Christo Domino dicitur:

Isaiæ 59. v. 20. *Et venerit Sion Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.*

Lyra. Vbi Lyra interpretatur: *Veniet etiam ad accipiendum pœnitentes in sua misericordia.* At cur æque Redemptor mittitur ad Sion, quę innocentem significat, & ad redeuntem ab iniquitate in Iacob, qui peccatorem denotat pœnitentem? Cur innocens, qui nunquam deliquit, peccatori conuerso non prefertur? Optimè Oleaster in cõment. huius loci.

Oleaster. *Et vide* (inquit) *quod ille met Redemptor, qui mittitur ad Sion, mittitur etiam ad eos, qui ab iniquitatibus resipiscunt: vt cognoscas resipiscentiam à vestigio innocentiam sequi.* Perfecta pœnitentia nitorem innocentiæ æmulata ipsius valorem assequitur, & aliquando superat.

22 Bis præcepit Deus Ionæ, vt prædicaret Niniuitis: primò ipsius obedientiam fugit, & iactatus in mare, in ventreque Ceti receptus, ad littus tandem peruenit. Secundò, cogente Deo, obediuit, & ad Niniuem peruenit ciuitatem amplissimam, de cuius magnitudine sic loquitur text. Sacer:

Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Ionę 3. v. 3. Hanc autem ciuitatem penetrauit Ionas, & vnius diei itinere illam peragrauit.

Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius. Ib. v. 4. Non cohęrere videntur, quæ textus affirmat: nam si ciuitas itinere trium dierum erat, quomodo vno die tam longum iter conficere potuit Propheta? Nullo enim pacto valet homo pedibus incedens tam longum iter in tam breui tempore superare. Accedit, quod Vates ad prędicationis munus obeundum opus habuit, aliquam moram facere, vt excidium ciuitatis diuulgaret. Quo ergo pacto viginti quatuor horarum spatio quindecim leucas, quas mensura ciuitatis includebat, peregit, & totam ciuitatem prędicans ambulauit? Hieronym. venustissimè ad mysticum sensum Prophetæ iter inflectit.

Hieronym. *Præcepti memor [inquit] et superioris naufragij non oblitus, etiam trium dierum vnius diei festinatione compleuit.* Ocyssimo volatu pœnitentiæ pennis ad gratiam properauit Propheta, & breuissimo tempore longum iter perfecit, & quod gressibus communibus trium dierum spatio ambulatur, pœnitentiæ pernicitate in vno peragitur: quia sæpe pœnitens [qualis erat Vates] peccati anteacti memor feruentius resipiscit, & ad maiorem statum gratiæ resurgit. Quod innocentia paulatim adquirit, pœnitentia subito assequitur: memoria enim præteritæ offensæ stimulus est indiligente ad vehementius amandum.

Semel, iterum, & tertio Petrum 23
Christus interrogat, an ipsum amet.

Ioan. 21. v. 15. 16. et 17. *Dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioãnis, diligis me plus his? Dicit ei: itiã Dñe: tu scis, quia amo te. Pasce agnos meos. Dicit ei iterũ: Simõ Ioãnis, diligis me? Etiã Dñe: tu scis, quia amo te. Dicit ei tertio: Simõ Ioãnis, diligis me.* Ioan. 21. Ad quid Christus interrogat, quod ipse iã sciebat, & Petrus pia audacia, qua cęteris pręcurrebat, satis manifestauerat? Prę terquã quod si ipsũ sui amoris professorẽ audire voluit, sat esset, semel

interrogare. Ad quid igitur trina interrogatione ipsum examinat? Venuste Augustinus (tractat. 123. in Ioann.) scitcitationem triplicem cum triplici negatione confert. *Tertio, vtrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat: redditur enim negationi trinæ trina confessio.* Orat Petrum Christus. *Diligis me plus his?* Amare autem Deū vltra Apostolorum Proceres ardentior charitatis feruor est: consultissime ergo. Christus, cum excelsiorem expetit charitatis affectum in Petro, ipsi refricat trinę negationis memoriam, vt aspectu ad delicta, quorum amarè pœnitet, sic accendatur amor, vt audacter possit coram respondere, se plus omnibus Christum diligere. Quod ex vocula *etiam* recte colligit Maldonatus. Calcar enim amoris est olim immaniter offendisse, quem nunc peramanter diligis. Ideo Christus ter Petrum interrogat, an ipsum amet, vt trinæ negationis recordetur (*Redditur enim negationi trinæ trina confessio*) Vt pœnitentię lacrymis ignem amoris foueat, & vehemētius excitet: quia à pœnitentiæ feruore sæpe ad culmen perfectionis deuenitur, & cecidisse iuuat ad fortius resurgendum. Hinc ipsi Petro alibi dixit Christus: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Lucæ 22. vers. 31. At quomodo Christus pro Petri fide rogare pollicetur, si vix hæc verba protulit, cum Petri fides titubauit? Nullius enim energię oratio Christi videtur, siquidem paulo post columna illa, quam immobilem esse promiserat, contremuit. Egregie D. Hilarius lib. 10. de Trinitate nodum extricat. *Sed orat, vt Pater in nomine suo saluet ipsū, et adeo saluat, vt Petri fides, pœnitentia subsequente, non deficiat.* Etsi Petrus nutauerit in fide, non vana Christi oratio fuit, non ineficax: quoniam ipsa pœnitentiam Petri promeruit, quæ illum ad antiquum gratiæ statum restituit, & adeo pura, & expurgata eius fides pœnitentię lacrymis remansit, veluti si semper stabilis foret, si nunquam vacillasset. Nam pœnitentia artificium est redintegrandi gratiæ statum, & illum firmiùs stabiliendi: quia quascumque degeneres notas delet, & innocentiæ puritatem instaurat.

Regredienti Prodigo ad paternam domum occurrit misericors pater, & antequam ipsius nuditas seruis innotesceret, illum indui pretiosis vestibus procurat. *Cito* (inquit) *proferte stolam primā, et induite illū.* Luc. 15. v. 22. Cur filium vitijs implicatum, & perditissimæ vitæ deditum stola prima indui satagit? Nonne alia quæcumque opportuna erat ad eum induendum, qui scisa ac dissuta veste ad domum redibat? Qui patris gratiam tot flagitijs demeruerat, tam cito in paterno fauore excipitur, & ad primam gratiam assumitur? Ita enim (ait Enodius) nam semel ad pœnitentiam traductus amorem asse quitur, quem perdiderat, & ad totam paternæ domus possessionem restituitur, quasi nunquam deliquisset. *Ad stolam candidam, ad anulum pretiosum, ad diuitias illas paternæ possessionis, quasi sem per seruasset iussa, reuocauit.* Non quacumque veste pœnitens induitur filius, sed prima, quæ nitorem innocentiæ reuerberabat. Vnde videns filius maior, quanto honore pius pater reuertentem prodigum susceperat: *Indignatus est, et nolebat introire.* Ibi v. 28. Quæritur ab Interpretibus, an inuidia afficeretur senior frater dolens de prosperis iunioris: & communiter fatentur omnes, non inuidētis illa verba esse: quia nullus Sāctorū mœret de aliorū felicitate, quinimo aliorū bona sua existimat. Ille autem maior filius iustus erat, ac sanctus, vt recte colligit Caie. ex ipsius verbis, *Nūquā mādatū tuū præterii.* Cur ergo de gratia quā apud patrē inuenit prodigus, indigna ri dicitur? Audiendus est Chrisost. in Catena adductus. *Introduxit alios turbatos in eorū bonis, vt indicet eos nō liuore tabescētes, sed iāto decore honoratos redeūtes, vt etiā inuidiosi possint alijs fieri.* Est & in iustis æmulatio, sed san-

Augustin.

Maldonat.

Lucæ. 22. v. 31.

Hilarius.

24

Lucæ. 15. v. 22.

Enodius.

Ib. v. 28.

Caiet.

Chrysost.

sancta, & proficua, qua excellentiori virtuti inuident: adeoque prodigum venustauerat pœnitentia, vt seniori fratri inuidiosus extitisset: quia sic honorantur pœnitentes, & ad talem pulchritudinis gradum resurgunt, vt innocentes in gratia superent, ipsisq; inuidendi ansam præbeant: quia non modo dedecus aboluere præteritum, sed nullam eius notam reliquere.

25 Apocalyp. 14 v. 4. de numerosa illa turba quæ Christum sequebatur, dicitur: *Et nemò poterat dicere canticũ, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Merito hic ambigitur, an illi tantum qui virginitatem corporis seruare studuerunt, laudes Deo decantent, & qui vxores duxerunt ab illis arceantur: siquidem tantum de virginibus laudes decantasse dicitur? Et vno ore omnes fatentur, etiam vxoratos laudibus incumbere Diuinis, ipsisque nunquã satiari: sicut & Dei visione saturari nunquam: & quãto proximiores Deo sũt secundum meritorum qualitatem, tãto feruentius ad ipsius laudes prouocari. Quis D. Petrum, & alios Sanctorum Proceriores, qui virginitatem non obseruarunt à pueris, & alijs longè in sãctitate inferioribus in Dei laudibus superari dicet? Imo nec Deum laudare, quia virgines nõ sunt? At si dicantur omnes in beatitudine illud nouum canticum Deo dicere, vt vere dicendum est: quomodo si in illa superna patria diuersi ordines sunt, vt Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines, omnes Sanctorum animæ virgines esse dicuntur, & taliter virgines, vt cum mulieribus coinquinatę non sint? Optimè Ambros. ad hunc locum difficultatem exarmat. *Fuerunt etiam multi, qui post baptismum multa scelera commiserunt: sed cum per pœnitentiam, et lacrymas malum, quod gesserunt, delere studuerunt, et in bono proposito perseuerauerunt, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ sunt: quid quid in eis fuit reprobum, charitatis remedijs est purgatum: istorum igitur animæ rectè virgines vocantur: quia si quas sordes ex coniunctione fœminarum traxerunt, bonis operibus deletum est.* Pœnitentia enim virtutes de nouo cudit, vitia obliterat anteacta, virginitatem redintegrat: & ideo quæque animæ pœnitentię lacrymis purgatę virgines dicuntur, et si antea fuissent carnis illicebris pollutę: quia ad pristinum innocentiæ statum pœnitentia reuocat, ita vt à memoria excidat, quidquid gratiæ statum peruertit.

Apocalyp. 14. v. 4.

Ambros.

26 De Regibus Iuda loquens Ecclesiasticus omnes fuisse flagitijs implicatos affirmat. *Præter Dauid* (inquit) *et Ezechiam, et Iosiam.* cap. 48. vers. 5. Non parua hinc oritur difficultas: nam non apparet via, qua prædicta verba possint verificari, siquidem Dauidis peccata notissima sunt, & Ezechiam in iactantiæ peccatum fuisse prolapsum propter victoriam partam ab Assyrijs, ob quod grauiter ęgrotauit, vt habetur Isaię 38. & omnes fatentur Interpretes. Quo ergo pacto omnes Israel Principes peccasse dicuntur præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam? Rectè Rabanus difficultati occurit. *Isti tres dicuntur non peccasse, non simpliciter, sed aliorum comparatione: quia quod peccauerunt, condigna pœnitentia deleuerunt, et deuotionis, ac pietatis officio Domino placuerunt.* Nõ vltra Deus recordatur peccatorum, quę pœnitentia obliterantur: quia tãtum illius oculos occupat, & allicit officiosi ac pœnitentis animi pulchritudo, vt illius intuitu nequeat peccati deformitatẽ respicere, nec pœnitẽtem venustissimis gratiæ dotibus nõ exornare. Inter recentem sceleris turpitudinem futuram prospicit pœnitẽtiam, & illius aspectu ad munera exhibenda fertur.

Eccles. 49. v. 5.

Rabanus.

27 Postquam Israelitę horrendũ illud idololatriæ genus cõmiserunt, vocauit Dominus Moysem, ipsique præcepit festinãter populũ educere in terrã, quã erat pollicitus. *Vade, ascẽde de loco isto tu, et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti in terram, quam iuraui*

Exod. 33. v. 1.

iurauí Abrahám, Isaac, et Iacob. Exod. 33. v. 1. Quis non expectaret, populo grauissimum euenturum supplicium post immane idololatrię flagitium? Et tamen terræ promissæ possessionẽ festinat Deus ipsis porrigere, postquã in ipsum ingratissimi extiterunt. Felix culpa quę tanto remuneratur beneficio: apage. vbi est Dei iustitia, quod nondum expiato delicto delinquentem honorat, & coronat crimen? Quid plus ipsis contulisset, si vt par erat, ipsius mãdata obseruassent? Criminosum populum introducit in terram affluentem delitijs, & cælestẽ patriam referentem? Egregiè Oleast. pro Dei iustitia decertat. *Nunquam* (inquit) *hucusque legimus, Deum festinasse, et vrxisse sic Iudæos ad terram promissam, quemadmodum nunc post peccatum: vt intelligamus peccatores sæpius ad maiora dona, quam ante peccatum habuerant, resurgere.* Præuidebat Deus populi resipiscentiam, & crimẽ commissum pœnitentiæ piaculo expurgandum: huiusmodi autem intuitu oculos ab idololatria auertit, & populum remunerari festinat præsagus ipsius profectus, qui sæpe maior est ex incidentia, & ad meliorem frugẽ reducit errantem. Sic vbi Pastor ille, qui deperditam ouem quærere aduenerat, illam inuenit, *imposuit super humeros suos gaudens* &c. Lucæ 15. v. 5. Forsitam si ouis non errasset, pedetẽtim ad pastorem veniret: sed quoniã perdita errorem agnouit, & de ipso vehementer doluit, non tulit Deus, illam aliter, quam super eius humeros ambulare. Quod eleganter notauit D. Gregorius Hom. 34. in Euang. ad illa verba. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nouaginta iustis, qui non indigent pœnitentia. Quia dux ait, In prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, et nusquam aliqua fortiter gessit: sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quã eã, quæ nũquã spinas habuit, et nunquam fertilem messem producit.*

Oleaster.

Lucæ 15. v. 5.

Gregor.

ANNOTAT. VI. MORALIS.

CHRISTIANI VEL A VITIIS abstinere debent, ne ethnicos ad nefandas blasphemias inducant.

MINVS deplorãda essent Christianorum flagitia, si vel intra Ecclesiam manerent: neque illi qui sunt à Christi fide alieni, agnoscerent morum nostrorum turpitudinem, quo & nomen, quod est super omne nomen, polluitur in Gẽtibus, & ipsi ab eiusdem fidei susceptione vehementer alienãtur: nec enim adducuntur, vt credant probabilem, ac suscipiendam religionem esse, quæ tam deprauatos habeat cultores. Maximè sibi gratulantur Hæretici, & Gentiles, cum eosdem mores in Ecclesia vident, ac in se ipsis, & Euangelicam rationem contemnunt, dum ipsam sceleribus pollui, conspiciunt. Vnde Salvianus (lib. 4. de prouident.) in eos inuehitur Christianos, qui suis flagitijs occasionem prębent Ethnicis nefarias blasphemias euomendi: nam insultantes illos exprobrant, quos publice vitiosos vident. *Vbi est catholica lex, quam credunt? Vbi sunt pietatis, et castitatis præcepta, quæ discunt? Euãgelia legunt, et impudici sunt. Apostolos audiunt, et inebriantur. Christum sequuntur, et rapiunt. Vitam improbam agunt, et probam legem habere dicũt. Talis profecto secta est, quales et sectatores. Hoc sunt absque dubio, quod docentur. Apparet Prophetas, quos habent, impuritatem docere: et Apostolos, quos legunt, nefaria sensisse: et Euangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipsi faciunt, prædicare. Sancta à Christianis fierent, si Christus sancta docuisset.* Sic Ethnici apud Salvianum. Quorum tam atroces blasphemias quę religiosę aures non respuant, non horreant, non detestẽtur? Sed multo magis detestanda sunt illorum opera, quę illis blasphemijs & conflandis, & eiaculandis occasionem præbuerunt. Quæritur ab Interpretibus, propter quid Dauid sublato filio ex Bersabe, quem vita ipsa

28

Salvian.

2. Re
v. 13

Ibid.

Salui

ipsa habebat chariorem, grauissime à Deo puniatur? An propter adulterium? An propter homicidium? An quia vtroque simul iniustitiæ, atque intemperantiæ flagitio seipsum sordidaret? Et videtur propter nullum horum fuisse punitum: nam confessione ea deleuerat: vnde audiuit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuũ.* 2. Reg. 12. v. 13. Vnde igitur tam acriter punitur, nisi propter vnicam huius sceleris circunstantiam, nempe, pessimum exemplum in Diuini nomi nis opprobrium redundans, vt Nathan ipsi nunciauit. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Ibid. v. 14. quod Salvianus citatus rectè expendit. *Qui æternam* (inquit) *pro offensionibus suis pœnam per vnam tantum confessionem, meruit euadere: huius tamen criminis veniam nec per pœnitentiam patrocinãtem potuit impetrare.* Ex quo intelligitur, nullum esse execrabilius flagitium, quam blasphemandi causam infidelibus præbere: tum ex aliorum damno (vt probat Salvianus. *Quia multos secum præcipitat in mortem, et necesse erit, vt sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum*) tum etiã ex Diuini nominis contumelia: nam qui peccat sine offensione aliorum, *sacrosanctum Dei nomen* (pergit Salvianus) *sacrilega blasphemantium maledictione non ladit: qui vero blasphemare alios fecerit, per conuitia plurimorum inæstimabilem Deo facit iniuriã.* Occasionem enim præbent, vt de Deo male sentiant Christianę professionis hostes, & se ipsos excusent asserentes nescire Deum amicos eligere, sed potius eius dona perperam dedisse: nec plurimum esse eos peruersos, siquidem Dauid, qui Deo charus, & tot habebat motiua, vt bonus, & gratus esset, adeo magnus peccator extirit. Ac denique quod Deus terribilis est, siquidem cum amicis adeo est infelix, vt etiam strictissimi ab eo discedant.

29 Tempore Roboami duodecim tribus diuisę sunt; illiduæ tantum remãserunt, & decem Ieroboamõ, quæ sem per idololatrię seruierunt, tametsi Deus semper illis veniam promiserit, si à peccatis vellent resipiscere, vt indicant verba illa Ieremiæ 3. *Conuertimini filij reuertentes, et sanabo auersiones vestras.* Ieremiæ. v. 22. Non tantum autem Roboam, verùm & ipse Deus cum duabus tribubus remansit, quibus in numera præstabat beneficia: vt vel sic decem tribus inuidia allectę à sceleribus resipiscerent. Quantùm ergo Deus maiora illis conferebat beneficia, tantò extitere ingrati: & tandem cæteris tribubus similes fuerunt idolis servientes: de quo maxime cõqueritur Deus, Prophetæque dixit. *Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iudæ.* Ibid. v. 11. Ib v. 11. Quasi diceret: quod vehementer doleo, id est, quod ad vmbrã idololatriæ Iudę omne scelus suum iustificabit Israel; etenim dicent nũc Israelitæ, non mirum esse, eos in idololatriam fuisse prolapsos, cum Iuda (cuius ego adeo specialem curam habebam) etiam fuerit eodem crimine polluta; & quod sim Deus rationis expers, quem nullus sustinere potest, siquidem à me omnes discedunt, & adhuc Iudæ tribus, cui tot præstabam beneficia, idolis inseruiuit. Non secus qui Christianam religionem profitentur, & moribus ipsi contradicũt, infidelium peccata iustificant: nam cum ipsi viderint, quam dissimiliter operanturCatholici ab eo, quod credunt, & sperant, suorum criminum excusationem habent, nec pudet ea patrare, quę arctioris religionis professores perpetrant. Hinc loquens idem Vates (cap. 32. v. 30.) de flagitijs Iudæ & Israel dixit: *Erant filij Israel, et filij Iuda iugiter facientes malum in oculis Dei.* Ibid. c. 32. v. 30. Vertunt 70. *Soli facientes malũ.* Septuag. Nũ & aliæ gentes eo tẽpore quo Israel, & Iuda peccauerũt, malùm nõ fecerũt, quod ipsi soli pecasse dicũtur? Vtique & omnes gentes eo tempore in plurima flagitia corruerunt. Quo ergo pacto Iudæ, & Israel tribus tantum peccauerunt? Audi Hieron. *Qui habet notitiam Dei, et recedit ab eo,* Hieronym.

solus peccat in oculis Dei: qui vero incredulí permanserunt, quasi illo non vidente, et negligente delinquunt. Soli peccare dicũtur, qui Dei vbique pręsentes oculos non reuerentur: quasi cæteri pręillis minime peccẽt. Christianorum enim peccata oculos Dei lædunt; infideliũ autem non ita: quoniam fidelium flagitijs ad delinquẽdum inducuntur Ethnici, & excusationem habent de peccatis suis.

30 Hinc citius, & acerbius merito puniuntur fideles, quam qui ipsorum nomine, & professione non gaudent: quia ex Religionis, quam contemnũt, excellẽtia ipsorum ingrauescit peccatum Magna apud Interpretes concertatio est. quam ob causam Ozam Deus percusserit, & statim ac extendit manũ ad arcam, interfecerit? Sic enim ipsius mors describitur. 2. Reg. 6. v. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, et declinauerunt eã, tratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcã Dei.* Difficile est in huiusmodi euentu excessum Sacerdotis percussi detegere: nam arcæ casum anteuertere officiosum obsequium, & laude dignum videbatur. Theodoret. (quęst. 20. in 2. Reg.) congruentem rationem excogitauit. *Alterius* (inquit) *delicti luit pœnas: nam cum Deus iussisset, vt Sacerdotes arcam suis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plaustro: hoc autem eos fefellit, quod ea sic emissa ab alienigenis nemini nocuit.* Succinit Lyra *præterea peccauit in hoc, quod voluit assimilari Philisthæis infidelibus in arcæ deportatione.* Portauerant Philisthæi medijs bouibus arcam, quin eis nocuerit; at Ozæ simili modo arcam portanti mortẽ Deus intulit: quoniam Philisthæi infideles erant, proindeq; ipsorum irreuerentia non fuit illis exitialis; Oza autem quia populi Dei erat, statim vltimo afficitur supplicio: nam paria crimina disparibus pęnis plectuntur in fidelibus, & infidelibus: quia fidelium peccata præter deformitatem, quam habent, infideles inducunt, vt de Deo indignè sentiant, & ipsius nomen blasphement.

2. Reg. 6. v. 6.

Teodoret.

Inuitauit ille Pater familias relatus apud Lucam & Matthæum homines plurimos ad cœnam magnam, quam pręparauerat: ingrati aliqui, & impudentes Diuinum spreuere conuiuium. Succenditur Deus ira, & pœnam comminatus inquit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Lucę. 14. v. 24. His autem repulsis, & alijs introductis, iamquę vescẽtibus, introiuit Dominus videre conuiuas, & inuenit ibi hominem veste sordida recumbẽtem: arguit, increpat, & cõdemnat. Audi sententię tenorẽ. *Ligatis manibus, et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.* Matth. 22. v. 13. Quid? Mitius agitur cum effrontibus illis, qui comtempserunt conuiuium, qui vocati domum noluerunt adire, quam cum illo, qui obtẽperauit, qui, cęnam gustauit? Ob vnum peccatum tam acriter castigatur? Quid? Si quæ parata erant in conuiuio non comedisset, neque ad domum inuitantis accessisset? Mitius sane eo tempore torqueretur: nam qui cęnam comedit, qui beneficiũ accepit, & peccauit, circũstantiam habet ingratitudinis. Qui Christiano gaudet nomine, & delinquit, seuerius debet plecti, & quia non respondet professioni suæ, & quia infidelibus occasionem prębet de Deo malè sentiendi. Qui ad domesticos iam pertinebat, turpius cecidit, & acerbius punitur.

31

Luzæ. 14. v. 24.

Matth. 22. v. 13.

ANNOT. VII. MORALIS.

PECCATI CONFESSIO VNICVM salutis medicamentum.

32 IGnorantiam, quam Vates noster superbiendo incurrerat, humiliter confitendo retractat, & morbosum affectum, qui menti insederat, proprię insipientiæ confessione amputat. *Oratio Habacuc pro ignorãtijs.* Expromptum enim remedium est

Hic. v. 1.

egri-

ægritudinem agnoscere, & fateri, vt morbus animi depellatur. Vnde Seneca epist. 28. *Initium est salutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus: nam qui peccare senescit, corrigi non vult. Deprehendas te, oportet, antequam emendes.* Quisquis malitiã infirmitatis prænoscit, & quam lethalis sit eius morsus, ipsum facilimè detestatur, & serpentem ac pestilentem mortem avertit. Pœnam grauissimam olim Deus fuit comminatus ei, qui Caimum occidisset. *Qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Gen. 4. v. 24. Ecce post multum tẽporis Cain occiditur à Lamech, vt tradit Hieronym. epist 125. ad Damasum, cui recentiores Interpretes assentiunt. At quæ pœna occisorẽ secuta est? Nulla planè in sacra pagina inuenitur. Quid ergo? Lamech ab homicidij pœna immunis fuit? Lex generaliter fuit lata, neque vllus ab illius obseruationẽ fuit exceptus. Vnde ergo homicidij pœnas effugit Lamech? Ex ipsa sanè homicidij confessione: ipse namque pœnitens suam fatetur culpã. *Occidi* (inquit) *virũ in vulnus meum, et adolescentulum in liuorem meum.* Ib. v. 23. Hæc autem culpæ confessio, hęc peccati detestatio medicina fuit, qua venenum culpæ depulit, & pœnam anteuertit: sic pensitauit Theodoret. quæst. 44. in Genesim. *Pœnam euasit propter peccati cõfessionem, et contra se ferens sententiam mutauit sententiam Diuinam.* Viuaci confessione malitiã expendit sui flagitij, & illud abolere præsumit ipsa ægritudinis cognitione: nam peccatori nullum aliud remanet euadendi remedium prętęr illud, quod ministrat proprię culpę humilis confessio, & proprię infirmitatis reuelatio: medico enim ęgritudinem detegere primum salutis signum est. Vnde Dauid culpæ morbum expertus dicebat Psalm. 36. *Reuela Domino viam tuam, et ipse faciet.* Vbi D. Ambros. silentium confessione propellere, hic monitum agnoscit, quoniam tota vitę salus in detestatione culpę consistit: pulchraque similitudine id explicat. *Benè* (ait) *reuela: hoc est, aperi conscientiam tuam, quã sæculi istius grauat vmbra terrena, prorumpantur semina: si fuerint obtenebrata, morientur, Soli obiecta pinguescunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbuscutas quominus se in altum subiiciant, siluestris vmbra internecat, et prohibet, brachia ramosa diffundere.* Vt enim semina obtenebrata, & absque Solis intuitu moriuntur, Soli obiecta pinguescunt, & vmbra arbores internecat, Sol viuificat, & germinare facit: ita peccata tegere lethalem morbum ingerit; reuelare vitam pręstat, & salutem.

Psalm. 68. v. 16. personam Christi agens dicebat Dauid. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Hic iustã Cassiodori sententiam membra Christi loquũtur, & pœnitentiæ locum expostulãt: *Neque absorbeat me profundum, idest, vtique peccatorum, quod voracitate quadam deglutit animas impiorum, vt ad pœnitentiam redire nequeant.* Proprietas autem tranflationis in eo est, quod sicut qui in mare incidit, non submergitur aquis, quandiu ipsæ ad os non perueniunt, quoniam respirandi munere, in quo vita consistit, vtitur: sic qui in peccati gurgitem cadit, si os liberum, vt sua peccata confiteatur, vt doleat, & Diuinam implore ret misericordiam, habeat, saluus esse poterit; si autem tanto peccatorũ affectu tenetur, vt neque infirmitatẽ detegere, neque eã agnoscere possit, absque dubio demergetur, & in profundum descendet. Sic Glos. ad prędicta verba. *Quamuis aliquis in puteũ istum ceciderit, non tamen claudit puteus super eum os suum, nisi ipse prius clauserit os suum: claudit autem, qui illud in profundo contemnit, à quo velut à mortuo perit confessio.* Hinc cum homo ille, qui conuiuium parauerat ad nuptias, inter conuiuas hominem non vestitum veste nuptiali videret, ipsumque interrogaret, cur sic ingrederetur, illeque obmutescceret: *Dixit Rex ministris: ligatis manibus, et pedibus mittite eum in tenebras exterio-*

33

Psalm. 68 v. 16.

Cassiodor.

Glosa.

Matth. 22 v. 13.

teriores Matth.22.v.13.Cur ita seuerè miser ille puniatur, quærit Gualfridus in allegorijs Titelman.ad cap. 22.Matth.at satis perspicuè supplicij causam textus innuit: nempe,quia veste sordida illuc intrauerat.Verum suæ damnationis rationem aliam fuisse, arbitratur Gualfridus, siquidem postquam accubuerat, ipsum amicũ uocat inuitator. *Amice quomodo huc intrasti?* Et damnatum iri suspicatur, quia obmutuit. *Tunc videlicet: non vbi ille sine nuptiali veste introiuit; sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, et noluit cõfiteri.* Ad æternos cruciatus damnatur. quia post commissum flagitium tacuit; si enim culpam fateretur, Regis societate gauderet, & gloriæ delitias possedisset. Morbus animæ silentio inualuit, & aditum præclusit ad salutẽ, peccato alta taciturnitate retento: quia nullo alio medicamine viuax animi pestis sanatur, nisi confessione, & vomitu ipsius veneni.Cum humor qui intrinsecus latet, serpit ad os, salutis præsagium creditur. Vnde redeunti prodigo occurrit pater: *Cecidit super collum eius, et osculatus est eum.*Luc. 15.v.21.Curiosè quærit Chrysostom. (hom. de filio prodigo) in qua parte filium pater fuerit osculatus, in facie, an in ore? Et respondet: *Osculatur os, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quã pater lætus excepit.* Oris confessione prodigus redijt ad gratiam, nam hæc facile parabilis, & valde proficua medicina est.

Gualfrid.

Chrysost.

34 Petro aliquando pollicenti se Magistrum secuturum respondit ille: *Non potes me modo sequi: sequeris autem postea.*Ioan.13.v.36 Latroni autẽ quondam sui recordationem dumtaxat postulanti respondit: *Hodie mecum eris in paradiso.*Lucę 23.v.43. Cur Petri desiderium distulit, huius autem multo cumulatius, quam postulauerat, expleuit? Cur Discipulũ retardat, & latronem festinanter excipit? Nisi quia hic sua iam peccata palã fuerat cõfessus *Nã digna factis recipimus.* Annuit D.Aug. serm 130. de temp. *Vides quanta res sit confessio: cõfessus est latro, et paradisum aperuit confessus est, et tanta fiducia robur accepit, vt de latrocinio regnum deposceret.* Etenim qui humiliter confitetur, & os suum aperit ad referanda peccata, dignus est, vt beneuolè audiatur. Confidenter regnũ postulabat, postquam confessionem prę̃misit: neque ante ea fuit ausus de regno loqui, quã auxiliatem haberet humilimam cõfessionem.Quod etiam eodem sermone notauit Augustinus. *Non est ausus ante dicere: memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum, quam per cõfessionem iniquitatis præterita sarcinã peccatorum deponeret.* Confessio animauit ad gloriam, impulit ad patriam, & de illius possessione illum certum fecit.

Ioan. 13. v.36.

Luc. 23. v.43.

Ib. v.41.

Augustin.

Idem.

35 Sponsi desiderijũ, qui nostram sẽper expectat conuersionem, Sponsa agnoscens dicebat: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*Cant. 2.v.9. At quid hac metaphora Spõsa docere voluit? Audiẽdus est Bernard. serm. 56.in Cantica. *Hoc tibi tota vigilantia prouidendum, vt apertas semper inueniat fenestras, et cãcellos quosdam confessionũ tuarum, per quos te intus benigne respiciat: quoniã respectus eius profectus tui.* Quasi dicat: murum extruxisti peccatorum, quo in tuum animum Diuinus prohibeatur ingressus. Fenestras confessionis aperi, per quas intro in cor tuum, Diuinus immittatur aspectus: quoniam eius respectus tua salus, tua profectio est, sicut & Sponsę fuit. Hæc cum clauso ostio firmiterque oppesulato dormiret, perseuerãtia tandẽ Sponsi pulsantis victa: *Aperi mihi soror mea.* Cant.5.v.2. Electo decreuit surgere, & aperire dilecto. Cumq; se præpararet, & fores reserare vellet: quid primũ egit, vt ei ornata (sicut oportebat) occurreret? Myrrha probatissima se totam perunxit. *Surrexi* (inquit) *vt aperirem dilecto meo: manus meæ dist illauerunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Tanta fuit abundantia myrrhę, qua me perfudi, vt & manus & digiti illam stilla

Bernard.

Cantic.2. v.9.

Cantic.5. v.2.

Ibid.v.5.

ſtillarent. Cur cum Sponſa intra domum, & cordis penetralia Sponſum recipere vult, & illi aperire, non veſtes elaboratas, non torques aureos induit, neque alio genere vnguenti odoriferi, ſed myrrha tantum vſa eſt: Optimè ad inſtitutũ D. Ambroſ. lib. 3. de virginibus ad mediũ. *Hunc odorẽ flagrat anima, quæ Chriſto aperire incipit, vt accipiat primum odorem Dominicæ ſepulturæ.* Myrrha (vt Patres communiter docent) ſymbolum eſt pœnitentiæ. Anima ergo, quę à lecto delictorum ſurgere ſtatuit, & Chriſto Domino fores cordis reſerare decreuit, ante omnia pœnitentia ſe ornare debet, & myrrha amaræ contritionis, & cõfeſſionis ſe vngere: quia peccatorum ſalus à confeſſione incipit, & neceſſe eſt, morbum fateri vt medelã accipiat: nam infirmitas, quam non confitetur homo, ſed ſalutem putat, inſanabilis eſt.

Ambroſ.

VERS. 2 *DOMINE AVDIVI AVditionem tuam, et timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies. Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.*

ANNOTATIO VIII.

EXPOSITIO LITTERAE.

36 ACVSARE prius videbatur Vates, vt ipſe putarat, nimis ſecurum, & pacatum animum iuſtorum iniuriis vindicandis. Nunc horret, & expaveſcit, dum audit, quã durus exitus, & horribilis caſus maneat tam Iudęorum Principibus, qui inferiorem turbam lacerabant, quam Chaldæorum Regi, qui pro ſua potentia in populum captiuum graſſabatur. Hoc eſt ergo, quod audiuit à Domino, hoc quod horret, quia iã re ipſa completum propheticis oculis intuetur. *Auditionem* hic pro re audita accipitur, aut pro verbo, quod nec Latinis inuſitatum eſt. Sic lib. 8. epiſt Ciceron. epiſt. 1. ſcribit Celius Ciceroni. *Romam cum veniſſem, nec renuiſſem quidem, auditionem de ea re accepi.* Dicit autem *timui*, ideſt, obſtupui rei magnitudine & præſtantia, atque miſericordię maximæ admiratione attonitus, & quaſi raptus in mentis exceſſum. Vnde 70 reddiderunt. *Conſideraui opera tua, et expaui.* Quod licet in Hebręo non ſit, adhibitum eſt ab illis claritatis gratia. *Septuag.*

Domine opus tuum in medio annorũ viuifica illud. Quid ſit illud opus, quod viuificari orat Propheta, obſcurum eſt: nec nunc agimus de myſtico, aut allegorico ſenſu, de quo ſtatim; ſed de hiſtorico, de re nimirum Babylonica, & libertate populi captiui: opus igitur eſt populi libertas. Cum autem exules mortui dicantur, & exilium ſepulchrum (vt conſtat ex c. 37. Ezechiel) optimè ſubdit Propheta. *Viuifica illud.* Illud autem propriè eſt, quod mortuum eſt, & ad vitam reuocari iubetur. Sed quia non aliter reuocandus erat populus ad libertatẽ, niſi extincto Chaldæorum imperio, & Nabuchodonoſoris progenie [vt Ieremias docuit cap 27. v. 7. vbi idem tempus imperij Babylonici termino, & Iudæorum libertati conſignatum eſt] ideo etiam orat Deum Propheta, vt opus ſuum compleat, & potentiam euertat Babylonicam, quando aliter viuificari non poteſt Iudæorũ populus, ideſt, ſolutus ac liber eſſe: hoc autem eſt viuificare opus ſuum. Opus vero Dei vocatur populus ille, quem Deus elegit ſibi ex omnibus, inſtituit legibus, ornauit ſingularibus, & penè perpetuis beneficijs, & certo charactere à reliqua hominum turba diſtinxit. Sic vocat Iſaias cap 45. v. 11. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael Plaſtes eius: ventura interrogate me ſuper filios meos, et ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Quare opus ſuum viuificat Deus, cum opus ſuum eximit à ſeruitute, ideſt, à ciuili morte. 37 *Iſaiæ 45. v. 11.*

In medio annorum. Ideſt cum in præcipiti erunt mala, & cum ingruẽt vehementius pericula, cum circumfluentibus vndique calamitatum fluctibus, nulla emergendi affulgebit ſpes. 38

spes. In medio enim alicuius rei esse dicitur aliquando, quod ab ipsa premitur, & vrgetur, maximè, vt circũfuso malorum æstu nullum euadendi pateat effugiũ. Tale est illud Psalm. 22. v. 4. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Sic igitur in medio annorum opus suum Deum viuificare, petit Propheta: ideſt, libertatem populi Nẽpe, cum anni illi captiuitatis, & exilij, qui ad septuagesimum erant protrahendi, nullum finem, aut remedium habituri videbantur. Alij in his annis tẽpus à Deo definitum intelligũt. *In medio annorum.* Ideſt, intra annos à te cõstitutos, aut quos tu huic operi præsignasti. In medio namque alicuius rei esse dicitur, quod intra illam est: vt sæpe in scriptura Psalm. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Ideſt, intra domum meam. & Ieremiæ. 50. *Recedite de medio Babylonis.*

Psalm. 22 v. 4.

Psal. 100. v. 7.

Ieremiæ. 50. v. 8.

39

Viuifica illud. Viuificare Hebræis seruare, & liberare significat, vt 1. Reg. 27. *Virum, et mulierem non viuificabat Dauid* Et in Psalmis passim ferè in hac significatione reperitur. *Dominus conseruet eum, et viuificet eũ.* Psalm. 40 Qui enim in afflictione, angustia, & miseria cõstitutus est, mortuo ferè similis est; quin & mortuus ab scriptura vocatur, & sepulchra inhabitare perhibetur. Sic Eurupidis Hecula aiebat: *Mortua sum ego, antequam moriar.* Igitur à calamitate liberari, idem est, ac reuiuere, & iterum generari Mortuum autem dicitur id, quod in eo statu est, vt parum habeat viriditatis, & splendoris: quomodo mortuæ vocantur arbores in autumno, aut hieme: quia illam venustatem amisere, quam habuerunt à foliorum luxuria, & florum vbertate. Sic à Iuda v. 12. quædam arbores autumnales dicũtur bis mortuæ: & moriens à poeta dicitur herba, quæ siti aret: mortua imago, cuius diluti sunt colores, & forma nondum ad viuum expressa; sicut viuere dicuntur imagines, quæ omnibus numeris sunt absolutę. Vt Virgil. lib. 6. Eneid.

1. Reg. 27. v. 11.

Psalm. 40 v. 3.

Virgil.

Excudent alij spirantia mollius æra
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Et de lacerta ad viuum exargento effigiata dixit Martialis libr. 5. Epigr. 88.

Martial.

In serta phialæ Mentoris manu ductæ
Lacerta viuit, et timetur argentum.

Sic igitur in Iudęis Babylone captiuis, & præcipuè in Iechonia nulla apparebat antiquæ glorię ac dignitatis effigies, cum ita esset mutatus color optimus, sic defloruisset dignitas oris, vt nec in plateis ab illis, quos habuere prius familiares, agnoscer ẽtur. Qui hos ad pristinam gloriam & formam reuocaret, viuificasse diceretur, aut aridum lignum, aut imaginẽ decolorem, & perditam, aut certe informe animasse cadauer.

In medio annorum notum facies: cũ iratus fueris misericordiæ recordaberis. Ideſt, opus tuum, quod promisisti, manifestabis: quia populus captiuus sic splendidus apparebit, cum libertatem adipiscatur; ac si è sepulchro vbi tanquam inanimatum cadauer extabuisse videbatur, emergãt spirans, & viuus florenti specie, deposita illuuie, eo habitu, & decore, quẽ habet sponsa, cum ad spõsi thalamũ accedit. De quo Baruch cap. 5. *Exue te Ierusalem stola luctus, et vexationis tuæ, et induere decore, et honore eius, quæ à Deo tibi est sempiterna gloria.* Recordari Deum misericordię, opus significat ab ipsa misericordia ortũ: quia recordari hic operari est; sicut obliuisci dicitur, quantumuis assiduè aliquid memoria versęt, qui alicuius merita non compensat, aut miserias, & infortunia non leuat. Quare dicitur Deus recordari misericordię, quãdo miseriam leuat: pro quo nunc Propheta tam sedulo, ac studiosè laborat. Coniungit autem misericordiam cum indignatione: quia nũquam vna ab altera in Deo separatur. Vnde Dauid Psalm. 76. *Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.* Deus ita corripit, vt salu-

40

Baruch. 5. v. 1.

Psalm. 76 v. 10.

salutis curam habeat,& id facit,quod in afflicto corpore Chirurgus,qui ita vrit,& secat,vt tamen dolenti condoleat,& id solum procuret,vt ęgrotum à morte liberet.

41 Septuag. Pro his, quæ hactenus ex translatione nostra explicuimus, apud 70. ita legitur: *Domine audiui auditum tuum,et timui. Domine consideraui opera tua,et expaui,siue obstupui. In medio duorum animalium cognoscēris. Cum appropinquauerint anni cognoscēris,cū aduenerit tempus,demonstraberis: cum turbata fuerit anima mea in ira, misericordiæ recordaberis.* Quæ à Sanctis Patribus,& ab Ecclesia etiam in officijs Ecclesiasticis vsurpantur. Quibus verbis palam docent,opus hoc esse salutarem Verbi æterni incarnationem. Fuerunt enim 70. Interpretes in multis Christi mysterijs ab Spiritu Sancto valde illustrati,& merito Apostoli eorum sœpè translatione vsi sunt, cum de his mysterijs agebatur: quoniam illa eadem, quæ interdum Hebraicè subobscure dicta sunt, ab his planius, & luculentius explicantur: quod vt faciant,interdum mutatis quibusdā, interdum additis multa transtulerunt,sensu tamen seruato & retento. Psalm.95 v. 10. Sic Psal. 95. *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit à ligno.* Cum in Hebreo tantum sit. *Dicite in natiunibus: quia Dominus regnauit.* Sed viderunt, regnum illud per Crucem esse partum,& à Cruce cœpisse. Quam additionem probat Ecclesia, & canit in officio Sanctæ Crucis. Accinit 70. versioni lectio Arabica traducta à Gabriele Sionita Edeniense, quę habetur in editione Romæ facta anno 1514 ex typographia Sauariana. *O Domine audiui vocem tuam,et timui: meditatus sum opera tua,et obstupui. Cognoscēris inter duo animalia. Ad accessum annorum cognoscēris. Cum adfuerit tēpus apparebis: cum apparuerit anima mea in furore, recordaberis misericordiæ.* Quapropter omnia hæc facile ad Euangelij tempus, & spiritualem œconomiam accommodari possunt, quod Patrum, & Interpretum multi faciunt. Lectio Arabica.

Libertas enim,quam Deus populo suo erat largiturus illud extrahens à Chaldaica seruitute, typus fuit illius libertatis, quam mundo diabolicę captiuitati obnoxio Deus venit impertire, quæ in rediuiua Ierosolyma rectè fuit adumbrata. In illa igitur dira seruitute Iudaici populi statum agnouit Propheta generis humani sub diaboli imperio, & remedium, quod meditabatur Diuina clemētia: & ideo cum audisset vtrumque verbum, & quod libertatem Hebræo populo pollicebatur, & generi humano redemptionem,timuit, & expauit, atque admiratus est. *Opus* autem Domini hic aut incarnatio est, aut humani generis redemptio. Si autem *opus* ad genus humanum referas, cum illud censeri potuerit mortuum, optimè dicitur à Deo futurum esse rediuiuum, seu viuificandum: nam hoc pacto dicitur mors Christi morte destructa: quia scilicet spiritualem mortem peccati morte corporali deleuit. Si autem *opus* ad Christum referatur, optimè dicitur viuificandus à Patre: quia antequam ad nostrum genus incarnatus descenderet, quodammodo erat mortuus,ad illum modum, quo paulò ante imaginem illam vocabamus mortuam, in qua color non esset viuidus, sed dilutus, & in qua vix apparent obscura quædam prototypi vestigia: sicut in omnibus illis, quæ Christum figurarunt in veteri lege, contigit. Viuificauit igitur Christus illas imagines taliter, vt obscuras illas lineas illustraret coloribus floridis, vt quis eas contemplaretur,expressam videret nascentis,laborantis,morientis,& resurgentis effigiem. 42

ANNOTAT. IX. MORALIS.

ADEO DEVS SVVM IN CARNE aduentum distulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio.

43 COmmunis Patrum cœtus siue in literali, siue in spirituali sẽsu prædicta Vatis verba, *Domine audiui auditionem tuam, et timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*, de Christo Domino accipit, siue in ordine ad incarnationẽ, siue in ordine ad redemptionem humani generis: vtrumque enim petit Propheta; quia nisi illud prius intercederet, non videbat futurum esse posterius: nullus namq; purus homo, aut Angelus, quantumuis gratia insignitus, etiam infinita, poterat pro humano genere ad æqualitatem satisfacere (vt tenent cõmuniter Theologi cum S. Thom. 3.p. quæst 2.) Cum ergo humanum genus eo esset loco, vt censeri potuerit pro mortuo, optimè à Deo dicitur futurum esse rediuiuum: neque alio sẽsu dicitur mors à Christo moriente profligata, nisi quia spirituale peccati mortẽ morte corporali deleuit: hoc enim Diuinã exigebat Persona, quia nulla alia illud effiecre valebat. Hoc passim antiqui Patres clamabãt. *Expãdi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.* Psalm. 142. Incarnationẽ exoptat regius Vates in multorum opinione: & diuersimodè cõparatio, qua vtitur, exponitur. Hugo Card. *Ideo impleat me spiritus tuus, quia defecit meus.* Quia exanime erat humanũ genus, & nullo alio poterat spiritu viuificari, Diuinũ postulat. At cur Verbum Diuinum aquã respectu animæ vocat, non aerẽ, aut ignẽ: siquidẽ vt terra germinet, elementorũ omniũ virtute indiget? Audiendus Cassiodor. *Pulchra ergo comparatio, cum dicit, animam suam sic desiderare Deum, quemadmodum solet sicca terra copiosas pluuias sustinere. Dixit autẽ sibi, nõ alteri, ni istud desiderium malis voluptatibus applicares.* Explicatius Glosa. *Et quia nec ego, nec aliquis alius præter te rigare potest, tu complue eam, vt fructus faciat.* Ideo enim Incarnationẽ, quemadmodum terra aquam, expostulat, quia vt terra viuificetur, germinet, & floreſcat, solũ accidẽtia cęterorũ elementorum exigit: calore nãq; ignis, nõ ipsius substantia fructificat, sicut & humiditate aeris, nõ eius subsãtia: at nõ satis est ipsi aquę qualitas, vt fructũ ferat, sed indiget, vt subsantia aquę ipsius subsãtiæ vniatur, & corporetur. Sic enĩ lapsa humana natura vnione substantiali Personę Diuinæ indigebat, vt reuiuiſceret, germinaret, & à morte exurgeret peccati. *Nec aliquis alius præter te rigare potest, vt fructus faciat.* Hoc ipsum optimè agnouit August. in eo, quod accidit 4. Reg. 4. vbi Eliseus seruũ Giezi misit cũ suo baculo, vt puerũ viduæ filiũ ad vitã reuocaret: quod non fuit præstitũ, vsq; dum ipse Eliseus personaliter accessit. *Baculus* (inquit August. serm. 206. de tẽpor.) *sine Christo flagellare AEgyptios potuit; de peccato vero liberare, vel resuscitare non potuit. Opus erat, vt qui baculum miserat, ipse descenderet. Baculus sine Eliseo nihil valebat, quia Crux sine Christo nihil poterat.* Nostræ salutis opus præter Deum alius non poterat præstare; & idcirco hoc vnicum remedium flagrãti desiderio omnes expectabant naturę.

44 Ipsum ardenter exoptabat sacra Spõsa, dũ Cãt. 1. v. 6. aiebat: *Indica mihi, quẽ deligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Dei in carne aduentum efflagitat (ait Theodoret.) At cur in meridie? Cur nõ in mane, aut in vespere? Quia reliquis diei horis vmbras corpora effigiãt, solũ in meridie nullas vmbratiles figuras efformant: quia cũ Sol directè suos radios effundat, totaq; eius lux transfundatur in corpora, nullas vmbras patitur. Orat ergo Spõsa, vt faciẽ suam splendidã, & absq; vmbris ostendat. Vmbra Spõsi aduentus fuit Isaac, Iacob, Ioseph, & alij; postulat ergo, vt in meridie se ipsum indicet: ideſt, omnibus eliminatis vmbris, quia hę non proficiebãt ad viuificãdã Spõsã. Nec solũ ipsa Dei advẽtũ cupiebat naturę humanæ necessitatem agnoscens, sed & Angelica natura summis votis id ipsum desiderabat: & idcirco in ipso amoris cantico ad participationem lætitiæ,

S. Thom.

Psal. 142. v. 6.

Hug. Car.

Cassiodor.

Glos.

Cant. 1. v. 6.

lętitię, quam Sponsa capiebat ex incarnationis veritate, Angelos inuitat,

Cant. 5. v. 1. *Comedite amici et inebriamini charissimi* cap. 5. v. 1. Quæ verba opportune Honorius hic ad Angelos inflectit.

Honorius. *Nunc Angelos ad communes lætitiæ epulas inuitat, dum ait: Comedite amici, et inebriamini charissimi: amici, quia multum amant: charissimi, quia multũ amantur. Hi nimirum de humani generis, quod in Adam perierat, restauratione piè, et solicitè satagentes conditorem sui assistebant iugiter interpellantes, quodam sancto familiaritatis ausu sic compellabant: exurge, quare obdormis Domine? Egurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuã auertis? Obliuisceris inopiæ nostræ? Diminutionis nostræ? En inter nos tot loca vacua: sed da gloriam nomini tuo, et secundum æternũ propositum tuum, quod mutari nequit, imple tot locis indecenter debiscentem numerum nostrum.* Nec solum Humana & Angelica natura vehementer Christi aduentum exoptabant, sed & ipsum Diuinum Verbum, quod mittendum erat, ardentissimè venire cupiebat ab ipsa æternitate, ita vt in quoscumque annos, menses, dies, horas, imo & momenta eius aduentum differre ipsum quodammodo affligire & torquere videretur, vt indicant illa verba Psalm. 88. Quibus ęternum Patrem alloquitur Dauid.

Psalm. 88 v. 39. *Distulisti Christum tuum.* Idest, non statim, sed post multa sęcula Filium tuum è cęlo in terram dimisisti. Vbi

Septuag. 70. transtulerunt. *Iratus es contra Christum tuum.* Quasi quoties ęternus Pater Filium suum detinebat in cęlo, toties illum cruciasset desiderium.

45 Cur autem opus adeò ab omnibus concupitum, adeò vtile per tot sęcula Deus distulerit, non conueniunt Patres: plures ea sque optimas rationes congerunt; sed opportunam esse credo, quam tradit Paulus. 1. Corinth. 6.

1. Ad cor. 6. v. 20. v. 20. *Empti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Vt scilicet, magno pretio redempti, & vehemẽtissimis desiderijs expetitum pluris æstiment homines redẽptionis magnũ beneficium: expectent tot sæcula salutare suũ, per longũ tẽpus clamoribus & suspirijs cęlũ rũpãt: sint iã in calamitatibus velut mortui, cũ æternũ Verbũ carnẽ sumat, vt incarnationis mirificũ Sacramẽtũ debita existimatione accipiãt, pro quo tot laboribus ac desiderijs ab eis decertatũ est: quia solum id, quod difficulter consequũtur homines, in pretio habẽt. De huiusmodi autẽ Dei in carne passibili aduentu, qui Hebręo populo, & Gentili perquã vtilis erat futurus, locutus Isaias c. 55. dicebat:

Isaiæ 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, et quibus nõ est argentũ, venite, emite, et comedite.* Si gratia, quã Deus in incarnatione cõtulit, gratis erat largienda, nulliscque erat emenda operibus, quia incarnationis mysteriũ nõ cadit sub mẽrito: cur emẽdã fore affirmat Prophęta? Quod emitur, nõ gratis accipitur, neq; pro illo grates sunt referẽdæ: v quid igitur donũ omnimodè gratuitũ emptũ vocatur? Egregiè Oleast. in cõmẽt. huius loci.

Oleast. *Sunt quædã, quæ licet pretiosa sint, nõ æstimãtur, quoniã gratis nobis offerũtur. Solẽt homines res æstimare ex labore, vel pretio, quo illas adquirũt, et nõ ex earũ dignitate. Et vide prudẽtiã Dei: cũ enim omnia bona sua gratis offerat; quia tamen probè nouit, nos res ex pretio æstimare, adiũxit emite.* Inæstimabile incarnationis beneficiũ desideriorũ pretio voluit Deus cõparari, vt eius apud homines cõmendaret valorẽ: quia res nõ ex se, sed ex pretio, industria, ac labore quibus ad quirũtur, ęstimãt, & nullũ reputãt bonũ nullo labore partũ, semper enĩ fuit verũ illud Claudiani lib. de bello Getico.

Claudia. *Vile decus, quod non erexit præuius horror:*
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.

Apparuit Deus Moysi de rubo flagrãs, & liberationẽ à dira Aegyptiorũ seruitute vltro pollicetur, vnaq; terrã promissionis Hebręæ gẽti munificentissimè promittit: *Descendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, et educã de terra illa in terrã bonã, et spatiosã, in terrã, quæ fluit lacte, et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et*

Exod. 3. v. 8.

Pherezæi, &c. Exod. 3. v. 4. Quærũ Interpretes, cur inter hos populos, in quorũ possessionem Israel erat introducendus, nõ numeret Deus Gergesæos, cũ indubiũ sit ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, horũ etiã regionẽ, vrbes, & oppida data fuisse in possessionẽ filijs Israel. Cur alias prouincias recenſens hãc solã Deus omittit? Optimè Lyra difficultati occurrit. *Tacẽtur autẽ hic Gergesæi, et in pluribus locis, vbi cæteri nominãtur: quia (vt dicũt Hebræi) nõ restiterũt filijs Israel per bellũ, sicut alij, sed de terra recesserunt ante ingressum filiorũ Israel.* Lyra. Nõ recenſet Deus regionẽ istã: quia ab Israelitis facilè, sine prælio, & labore possidẽda erat; reliquæ prouinciæ, quæ numerãtur, validè restiterunt Hebræis, qui effuso sãguine, labore, & industria illas occuparũt. Regna difficilè expugnata, & ingẽti sudore parta gloriosè promittũtur, & in magno pretio habẽtur: at Gergesæorũ oppida sine labore occupata nõ iuuat referre, quasi illa tedeat possidere: quia rerũ existimatio labore, quo cõsequuntur, metitur. Hinc Iacob iã morti proximus ad Ioseph filiũ suũ, quẽ præ omnibus dilexerat, & a quo præ alijs maioribus fuerat obsequijs honoratus, eiq; propterea sæpe præsertim gratũ exhibere volens, sic aiebat: *Do tibi partẽ vnã extra fratres tuos quã tuli de manu Amorrhæi in gladio, et arcu meo.* Genes. 48. v. 22. Gen. 48. v. 22. Idest, iure belli co (interprete Batab) Cũ ergo vellet Iosephũ, vltra cæteros filios, maiori hereditate donare, nõ partẽ quãcunq; sed eã, quã labore, ac sudore, imo & periculo suo de manu fortissimorũ hostiũ tulerat (erãt enĩ Amorrhæi omniũ Israelis inimicorũ robustissimi ac fortissimi) dedit, quasi rẽ magno pretio cõparatã, atq; omniũ pretiosissimã: nihil enim ea re, quã labore proprio adquirimus, pretiosius existimamus, vt egregie dixit Basil. hom. 1. in Examer. *Rẽ labore partã ingenti cũ gaudio, ac veluti passis vlnis pleriq; omnes excipiũt, exceptã tuẽtur, ac seruãt diligẽter.* Basilius. Et ad idẽ institutum intorquet idẽ Basil. in prohem. ad Isaiã, quod voluerit Deus Sacrã Scripturam tot difficultatibus obscurare, vt maiori labore eius intelligẽtia acquisita in maiori pretio haberetur. *In Scripturis voluit esse obscuritatẽ ad vtilitatẽ mẽtis humanæ: primũ quidem vt his occupata à deterioribus auocetur: deinde quòd quæ labore parta sunt, eo magis amantur.* Idem.

Mirũ planè est, qualiter se gesserit Iacob in advẽtu fratris sui Esau &, quẽ ordinẽ seruauerit in collocãdis vtriusque vxoris filijs. *Diuisitq; filios Liæ, et Rachel, ambarũq; famularũ, et posuit vtrãq; ancillã, et liberos earũ in principio: Liã vero, et filios eius in secundo loco: Rachel autẽ et Ioseph nouissimos.* Gen. 33. v. 2. Cur pluris ęstimat Rachel, quã Liã, siquidẽ prius hãc periculo exposuit? Nõne Lia senior erat, & quę fœcundiores partus ediderat, qui nobilissimas tribus cõstituerãt? Cur minor, & infęcundior Rachel cũ sua prole magis à periculo elongatur, ipsiusque filios Iacob magis curat, *tanquã præelectos*, vt dixit Lyra? Suspicor: quia plus diligebat Rachel, plusque illã æstimabat, vtpote pro qua annis inseruierat quatuordecim. Nõ mirũ, quod Rachel pręponat, quã tot difficultatibus comparauerat: quia ex labore in rerum adquisitione insumpto ipsæ æstimantur. Quod adeo verum est, vt apud nonnullos hæreticos, contra quos argumentatur Tertullianus lib. de baptism. cap. 2. ob nimiam facilitatem, qua hoc Sacramentum parat gratiam, illi fidem denegabant peruersè existimantes, cũ tãta facilitate non posse compati beneficiũ illud magnum, quod secum affert sacra mẽtalis baptismi aqua. *Sed quãta vis est peruersitatis ad fidem labe factandã, vel institutã non recipiẽdam, vt ex iis eã impugnet, quibus constat. Nihil adeo est, quod obduret mentem hominum, quã simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videntur, et magnificentia, quæ in effectu repromittitur, vt hic quoq; quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu noue aliquo, deniq; sine sumptu homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus non multo, nec nihilò mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis.* Tertul. Vt igitur

47

Genes. 33. v. 2.

Lucæ. 15. v. 5. et se

Gregor. Nazien.

igitur incarnationis mirificum beneficium plus homines æstimarent, ipsum Deus voluit desiderijs, ac lacrymis compararent: quia apud ipsos pretium operis ipsius labore mensuratur. Nec Deus ab hoc genio multũ distat, qui etiam incarnationis opus pluris habuit, quia ingenti labore illud consummauit.

48 Lucæ 15. v. 5 Inducitur Deus carnem assumens, & Angelorum, ac hominum solertissimus Pastor. Errauit vna ouis, nempe Adam, in quo omnis humana natura fuit prolapsa: & diligens Pastor cæteras nonaginta nouẽ quasi negligens, hanc vnam erroneam sedulò carne assumpta venit inuestigare: feliciter inuenit, & gaudens humeris imposuit. *Et cum inuenerit eã, imponit in humeros suos gaudens, et veniens domum conuocat amicos, et vicinos dicens illis: congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Quid causæ est, vt Christus bonus animarum Pastor errantem ouem, idest, hominẽ proprio errore pereuntẽ imponat in humeros suos gaudẽs? Cur in cœlis maior lætitia est de inuẽtione vnius ouiculæ, quã de nõagĩta nouẽ, quę rõ errauerũt, idest, de cęlestiũ spirituũ possessione? Plus gaudet Pastor de vnius inuẽtione, quæ paululũ ipsum poterat locupletare, quã de ingenti numero, qui ipsius censum diuitẽ efficiebat? Luculẽter S Gregor. Nazianzen. orat. 27. *Videlicet, à natura cõpertũ est, vt ea segnius concupiscamus, quibus facile, libereque frui licet.* Quæ errauerat ouis, solicitè, ac laboriosè quæritur, aut torrente sole, aut glaciali frigore à Christo Dño hominũ Pastore, & ipsorũ naturæ consorte, qui solicitę indagationis labore fatigatur, & fessus iacet. Hinc gaudiũ magnũ in cœlo. lętitia inenarrabilis: quasi segnior esset exultatio de nonaginta nouem ouibus, quæ nunquam errauerunt, quã de illa, quã homo factus tot laboribus cõparauit, profusiori gaudio celebratur id, quod tãta difficultate cõsequitur; difficultas enim rei & adipiscẽdiẽ desiderium auget, & feliciter blãditur voluptatis possidẽdi.

Lucæ. 15. v. 5. et seq

Gregor. Nazienz.

ANNOTAT. X. MORALIS.

VT LEGEM FINIRET, CIRCVMcisionis legem Christus adimpleuit.

49 REdẽptionis fructus, ad quẽ Diuina persona humanæ fuit inoculata naturæ (quẽ exoptat, & admiratur Propheta. *Domine opus tuũ in medio annorũ viuifica illud*) in octauo nascentis in carne Dei die germinare cœpit: quia vt vberẽ fructũ salutis ferret, diro circumcisionis gladio percussus sanguinẽ fudit, quo & præclarũ opus, ad quod venerat, inchoauit, & seuerã circũcisinis legẽ aboluit. Illud etenim pactũ, quod cũ Abrahã pepigerat, hic rescidit, cruentũ ritũ abrogauit, & stagnauit sanguinẽ, qui per tot sæcula fluxerat. Vnde Ireneus (lib 4. c. 43.) antiquarũ legũ consũmationẽ Christũ vocauit. *Thesaurus absconsus in scripturis, quoniã per typos, et parabolas significabatur; vnde poterat hoc, quod secundũ hominẽ est, intelligi priusquã consummatio eorũ, quæ cõsũmata sunt, veniret, quæ est aduẽtus Christi?* Illa igitur obscura veteris legis rudimẽta Christus penitus obliterauit, & sanguine in circũcisione effuso circũcisionis legẽ deleuit. Hoc arcanè innuũt illa verba Matth. 5. v. 17. *Nolite putare, quoniã veni soluere legẽ, aut Prophetas: nõ veni soluere, sed adimplere.* Quorsum hæc? *Quis enim* (ait Chrys. hom. 16. in Matth) *ista erat suspicaturus? Quis ve omnino istud obiecerat, vt contra necessariò videatur occurrere? Nec enĩ ex dictis eius istiusmodi suspicio nascebatur. Cur igitur hoc dixit?* Ad dubitationẽ Chrys. cõmuniter respõdetur, idcirco Christũ dixisse, se venisse legẽ adĩplere, vt ipsius exẽplo aliorũ firmaret obseruãtiã, nec vilus cẽsere tur à lege solutus. quã doquidẽ ipse Legislator subijciebatur legi, nec exceptionẽ prętẽdebat. Sed credo aliquid subtilius in his verbis latere: nec enim Christus propter obseruãtiã sermonẽ

Ireneus.

Matth. 5. v. 17.

Chrysost.

instituerat: nam (vt dixit Chrysost.) nullus suspicabatur ipsum legis immunitatem intendere. Quare de omnimoda legis adimpletione, qua vide licet terminatur, & abrogatur, locum capio. Non dixit Christus: non veni frangere legem, sed solvere, ipsius nempe adimpletione: semel enim adimpleta, nihil solvēdum in ea remanet. Duplici modo finitur lex: aut ipsam violando; aut tempore adimpleto, quo obligabat: sicut accensa lax extingui potest aut afflatu, aut quia pabulum, quo alebatur ignis, in sumitur. Non veni [inquit Christus] legem solvere, non afflictibus extinguere, sed adimplere, finire, vt deinceps minimè obliget: ad hoc enim circuncidituir, nam sicut in centro omnes terminātur, & finiuntur lineæ; sic in Christo omnes leges antiquę erant terminandę.

50 Eiecerat Deus à paradiso voluptatis humani generis Protoparentes: vt autem ipsius aditum præcluderet, Cherubim prefecit flammeo minatē gladio, de quo sic textus: *Et collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem.* Genes. cap 3. v. 24. Lipomanus in Catena multum demiratur, quòd gladius, quem in manu gestabat Cherubim, versatilis esset, vt iam hinc, iam inde moueretur, nullaque in parte fixus permaneret. Vt quid interrogat immota Angelorum natura gladium assumit varium, & inconstātem, nulloque affigendum loco, sed à quocumque dimouendum? Et ingeniosè respondet, custodem Cherubim præpositum paradisi portæ Christum adumbrare Euangelicæ legis portas aperientem, sancietem nouas leges, & antiquas penitus abrogantem: gladiū que quem Cherubim gestabat, gladium circumcisionis cruentum, ac dirum prefigiare; ideoque varium, versatilem, & inconstantem esse, quia in manu Christi non solum non permanebit obtusus, sed carnem ipsius secans frangendus, ac finiendus est. *Hic flammeus gladius* (ait Lipomanus) *figura fuit circumcisionis gladij, per quem saluabātur: sed versatilis fuit, eo quod per Christum remouendus, et penitus tollendus.* Custodis Cherubini gladius volubilis fuit, quia circumcisionis impermanētem gladium referebat, quē vno ictu Christus fregit, & à tenera infantium carne relegauit.

Genes. 3. v. 24.

Lipoman.

Reuertebatur Moyses è Madianitide in AEgyptum cum Sephora vxore sua, & filijs Eliezer, & Gersam: cumque esset in itinere, ocurrit ei Dominus, ipsumque voluit occidere eò quòd, incircunciso filio, ad se miscēdum cum AEgyptijs pergebat. Diuiuina comminatione perterrita tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: *Sponsus sanguinum tu mihi.* Exod. 4. v. 25. Locus planè arduus, & quem Interpretes varia translatione fatigant. 70. quos sequitur August. ita vertunt: *Stetit sanguis filij mei.* Quia ita accidisse putant: nam cum Sephora filium circumcidisset, sanguis è vulnere effusus non effluit, sed stagnauit, ac stetit. Mira res: si sanguis humor liquidus, ac fluidus est, quo pacto detinetur? Vt quid naturali motu sicut cæteri liquores, non fluit? Auscultа August. qui circumcisionis Sacramentū hic agnouit, & acutè prædicta verba versat. *Et dimisit eum, postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem. Alia littera: et recessit ab eo, propterquod dixit: Stetit sanguis circumcisionis. Intelligatur ergo hoc (si fieri potest) quid sibi velit, ideo recessisse Angelum ab interfectione cuiuslibet eorum, quia dixit mulier: Stetit sanguis circūcisionis infantis? Non enim ait: Recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem; sed quia stetit sanguis circumcisionis. Non quia cucurrit; sed quia stetit magno, ni fallor, Sacramento.* Quæst. 11 in Exod. Quodnam est hoc Sacramētum in August. opinione magnum, in eo quod sanguis stetit? Nisi Sacramētum circumcisionis Christi, in qua antiquatæ circumcisionis sanguis erat stagnandus, neque vltra erat fluxurus. Ibi stetit, quia ibi cruenta lex fuit terminata. Sephora enim Matrem

51

Exod. 4. v. 25.

Septuag.

August.

Virgi-

Virginem figurabat, quę in aliquorũ Patrum, & pręcipuè Bernardi, opinione minister fuit circumcisionis Christi: quia hominum amor ipsam docuit filij sanguine tingere manus, vt alior sum dixit Virgilius.

Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus.

Illa enim lex in Christo erat terminãda, sanguisq; circũcisionis detinẽdus: nam aliter non adimpleret promissa.

52 Circumcisionis pactum, quod Deus iuramento confirmauit, inter ipsum, & Abraham versabatur. *Statuam pactum meum inter me et te.* Genes. 17. Pactum autem fuit, quod Deus promissam terram successoribus Abrahę pollicebatur ea conditione, vt circũcisionis notam omnes haberent. At ponderanda sunt pactionis verba. *Statuam pactum meum inter me, et te.* Nũ quid solus Abraham circumcisioni fuit obnoxius, quòd tantum inter Deum & ipsum conuentio dicitur statui? Omnes eius posteri eidem legi subijciebantur, & pactum cum Abraham stabilitum transfundebatur ad illos, ipsique eodem tenebantur vinculo, eodem afficiebantur pacto. Quo igitur pacto non inter Deum & ipsos, sed inter Deum, & Abraham pactum versari dicitur? Arbitrior, hic legis terminos, & confines constitui. Inter Deum enim & Abraham versabatur pactum, quia in Abraham incipiebat, & in Deo homine facto erat terminãdum: & verum non esset, quod pactũ erat adimpletum, si circumcisio progrederetur vltra Christum. Ideo opportunè Glosa ad prędicta verba. (*Statuam pactum meum inter me et te*) hęc subiungit: *Vt innueret per baptismum esse spoliandum veterem hominem.* Designauit Deus legis terminos, & durationem, in Abraham initium, in se ipso finem; vt innueret, in baptismo, in quem circumcisio erat commutanda, finiendas fore veteres leges, & incipiendas amabiles, ac suaues gratię, quibus antiquarum asperitas emolliẽda erat.

Genes. 17. v. 7.

Glosa.

53 Pręuidens Deus obstinatam Pharaonis pertinaciam, meditansque AEgypti strages, misit Moysem plenipotenti virtute, vt Pharaonem plagis vrgeret. Virgam in serpentem cõuertit, & iterum serpẽtem in virgam commutauit, & ãtiquæ formæ restituit. Nili fluenta similiter in sanguinẽ vertit; cæterũ non dicitur, ea ad pristinam aquę formam reduxisse: quin potius affirmat text. septem dies trãsijsse, quibus sanguinis torrentes perdurarunt. *Implettique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.* Exod. 7. v. 25. Exindeque colligitur, octauo die aquas Nili apparuisse mundas, & à sanguinis horrore expurgatas. En casus veteris legis expressa imago, ac introitus Euangelicę & felicis. Potuit Moyses ex aqua sãguinem conficere, vt AEgyptum terreret, quod in illa mirifica transformatione fuit prętensum: hoc enim (etsi mirabile sit) hominibus confertur: vnde Ioannes epist. Canonic. cap. 11. *Isti sunt, qui habent potestatem cõuertendi aquam in sanguinem, et percutere terram omni plaga.* At sanguinẽ in aquam conuertere nulli conceditur: nam hoc stupendum opus Christo Domino reseruabatur, qui circũcisionem exterminans baptismum introduxit, sanguinem illius veteris Sacramenti scriptę legis in pura baptismi fluenta transmutauit: in cuius præfiguratione octauo die Nili torrentes, quos virga Moysis purpurauerat, & in sanguinem conuerterat, ad aquæ formam sunt restituti: quia octauo die post natiuitatem Christi temporalem, in quo fuit circumcisus, fluxus sanguinis illius diræ ac inclementis legis in baptismi salutaria fluenta erat permutãdus. Vnde dixit Tertulianus: *Legis difficultates in Euangelij facilitates conuertet.* Quia dura illa pręcepta [pręcipuè circumcisioni s propter ipsius acerbitatem] in suaue baptismi erãt conuertenda mysterium.

Exod. 7. v. 25.

Apocalyp. 11. v. 6.

Tertull.

***

ANNOTAT. XI. MORALIS.

AMOR DEI ERGA CREATVRAS occasum nescit, et finem ignorat

54 DEI amorē & in se ipso, & ad se ipsū & intensione, & duratione infinitū esse, extra dubiū est, cū Diuinæ naturæ perfectione gaudeat, & hauriat ab obiecto, & potentia interminabilem durationem, & magnitudinem immensurabilem. Verum quod, prout fertur ad creaturas, eiusdem qualitatis deprehendatur, non ita videtur perspicuum; cum sit certum, quod iuxta earum bonitatē eas prosequatur amore. Tamē hæc etiā est Dei nostri natura, & propensio, vt totis viribus suos diligat, & ardētissime amet; atque supra id, quod iudicio humano æquum videbatur, se erigat. Vnde dixit Chrysolog. serm. 157. *Quid debeat, quid possit, non respicit vis amoris: amor ignorat iudicium, ratione caret, modum nescit; et ideo vadit, quo ducitur, non quo debeat.* Chryso!. Parum esset, quod Deus amorem suum nostra meriretur bonitate, quod debitū videbatur, nisi debitum ita transcenderet, quod fine fine superaret, sine termino excederet, vt suam erga nos charitatem infinitam ostenderet, & omni termino siue intensionis, siue durationis carentem, atque occasum, & mortem ignorantem. Hinc Sponsa huius amoris intensionem experta dicebat: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Cāt. 8. v. 6. Cant. 8. v. 6. Dubitant Patres, quę similitudo intercedat inter amoris, & inferni flāmam, vt ad hanc illa referatur? Nam si amantes consulimus, non infernū, sed paradisum omni voluptate repletum amorem fatentur. Cur igitur infernus Sponsæ videtur amor? Propter eius (inquam) diuturnitatem, & interminabilem durationem. Ignis enim inferni ardet, sed non cōsumitur: vrit, sed non moritur: viuacissima illa, & immortalis flamma in æternum perennat, & nunquam extinguitur. Sic Dei amor semper ardet, & nunquam moritur, quia occasum, & finem ignorat. Quod pulchrè meditabatur Propheta, dum de carnis assūptione locutus, quæ opus amoris fuit, ipsum in medio annorū expectabat. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Cur non expostulat, vt in principio, aut fine tēporum veniat Christus in lege promissus: sed in medio efflagitat eius aduentum? Absque dubio naturam amoris, qui Deum impulit, vt carnem assumeret, agnouerat Vates, & quam sēper Dei amor finem refugiat. Non in tēporum consummatione illum expectat, quia amor nūquam ad finem accedit, sed in medio permanet, in ipsoque feruet, & intenditur, nullaque temporis iniuria minuitur.

Raptus Ezechiel ab Angelo, vt tēpli mirificam structuram intueretur, minutim omnes eius partes est dimensus: quod ipse Propheta per tria capita ad longum refert. *Et ecce vir, cuius erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu eius, et calamus mensuræ in manu eius* &c. Ezechiel. 40. v. 3. Sed cum omnia, siue quę in penetrali templo, siue quæ foris existebant, Angelus fuerit dimensus, quin minimam reculam prętermitteret, cum tamen ad ignem, quem perenniter ardere Deus præceperat. (*Ignis autem super altare semper ardebit*) peruenisset, non ipsum metiri dicitur, sed tantum indeficienter ardere, perhibetur. Et quis Angelum omnia metientem ignis mensuram prętermisisse crederet, cum templi esset principalior pars, præstantiori loco collocata, & in ipso hostię, & thura concremarentur, ac sacrificia, & holocausta in eo fierent, ad quæ omnia, quę in templo erant, ordinabantur? Dicet fortasse aliquis, ignem Angelum non metiri: quia immensurabilis est propter fugacem flammarum naturam, quę modo ascendunt, modò decrescunt, nec sisti possunt ad mensuram: quis enim ens ita varium, & inconstans ad pondus, & mensurā reducet? Sed hoc licet difficile sit, & hominibus impossibile, intelligentiæ, & agilitati Angeli perquā facile est, quæ

55 Ezechiel. 40. v. 3.

quę sine temporis mora operatur, & breuissime multa perficit, & concludit, quę hominibus impossibilia videntur. Cur igitur cum dimensiones templi omni ex parte describit ignē tantum immensum relinquit? Theodoret. ad hunc locum cum rationem phisicam non inuenisset, ad mysticā, & satis accommodatam recurrit: arbitratur enim, ignem, quē Deus perpetuo ardere, pręcipiebat, ipsius amorem, & ardentissimam, qua homines prosequitur, charitatem exprimere. Igitur immensus maneat, quia immensus est: non tentet Angelus eum metiri, etsi agilissimus sit, & magna virtute prædit us, quia & mensurā, & potentiam illi deficere, opus est: nam quod fine caret, mensuræ non subest. Ignem prætermittat, dum cætera metitur, vt eius immensitatem ostendat, & compertum sit, Dei erga homines amorem finem ignorare, & occasum nescire.

Theodor.

56 Communis quęstio est inter Theologos, cur secūda Trinitatis Persona carnem assumpserit, vt hominem à captiuitate redimeret, non autem tertia, cui congruētius videbatur hoc munus competere: nam cum incarnationis opus amoris sit & charitatis (vt dixit Ioannes cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & passim sacra pagina testatur) aptius videbatur, quod Spiritus Sanctus nostram naturam assumeret, cum Persona sit, quæ Characterestica proprietate amor infinitus est, & ad quam per attributionem spectat amor. Amoris ergo opus amoris videatur, non sapientiæ, quā Filius per attributionem habet. Varias rationes excogitarunt Patres in re scholastica, & morali, vt huic obiectioni satisfaciant. Mitto illa, & eam fuisse arbitror, quia Personam, quæ carnem assumebat, mortem subire vt opus Redemptionis consummaret, & Patris obedientiam adimpleret, erat necesse: vnde si Spiritus Sanctus carnem assumeret, ad crucis occasum deuenisset, & per communicationem idiomatum de eo diceretur, quod mortuus esset, (sicut modo de Filio dicitur) & consequenter quod amor Dei, qui in Persona Spiritus Sancti significatur, mortem subibat, & finē quodammodo habebat. Ne igitur amor videretur occisus, & ad finem perueniens, carnem Spiritus Sanctus non assumpsit. Filius moriatur, qui sapientia est: nam dum amor remanet immunis ab huiusmodi mortis nota, cætera attributa ea inuri non veretur Deus, & plerumque illis defuisse, ostendit, ne amori finem imponere videatur.

Ioann. 3. v. 16.

57 Allocutus Christus Dominus Discipulos suos de extremo iudicij die, cum præambula ipsius signa, & naturæ turbationem præmisisset, tandem vt metum incuteret, quo cautiores fierent, concludit, se horam ignorare vniuersali iudicio destinatam. *De die autem illo vel hora nemo scit, nec Angeli in cœlo, neq: Filius, nisi Pater*, Marc. 13. v. 32. Mirissimum est, quod qui omnia ventura præsciuerat, & eiusdē naturę erat cum Patre, tempus ignoret, quo illa, quę prædicit, euenient: & quòd hac loquendi forma ansam Christus præberet quibusdam, vt ipsum non Deum arguant, contra quos disserit August. 9. de Trinitat. *Ignoratio autem diei, atque horæ obijcitur Vnigenito Deo, vt Deus ex Deo natus non sit in ea naturæ perfectione, qua Deus est.* Cur igitur Christus diem nescire affirmat, cum sit certum, quod eadē Patris præscientia diem agnoscebat, & eodem decreto eum destinauerat? Expediret enim Discipulis rationem innuere, ob quam diem detegere extremum incongruum erat potius, quam absolutè illum ignorasse affirmare: ne de eius sapientia dubitarent, & eum Patri imparem suspicarentur. Theodoretus in Catena relatus acutè difficultatem solvit: credit enim Christum sic fuisse locutum, & suæ sapientiæ detraxisse, ne amori deficere viderentur. *Si enim dixisset, quia scio, tamen nolo vobis reuelare, ipsos non modicum contristasset.* Si Christus diem extremum sibi esse notum dixisset, & eum nolle reuelare, suę sapientiæ consuleret:

Marc. 13. v. 32.

August.

Theodor.

leret: sed amori deficeret, & parum Discipulos dilexisse videretur: ne ergo amori detrahat, sapientię detrahit, & se ignorasse affirmat, quod propter alios fines tacere, expediebat: sic suo amori prouidet, vt cum dispendio aliarum perfectionum ipsum tueatur, & satagat demonstrare, nunquam defeciſſe. Quod Discipuli de sua sapientia dubitent, non dubitat; dummodo ab amore deflectere non videatur.

58 Lucæ 5. & Marc. 1. narratur curatio cuiusdam leprosi, qui Christum pro sua salute deprecatus mira celeritate eam acquisiuit: nam cum ad Christi pedes accessisset, & genuflexus paucissimis verbis orasset, statim à lepra mundatur. *Domine* (ait) *si vis potes me mundare.* Cui statim Christus: *Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra.* Quisquis Christi miracula attẽte inspexerit, præcipuè quæ ad sanitatem corporum dirigebantur, cunctanter, & longa temporis mora facta comperiet: quia quos Christus corpore sanabat, prius mente, & animo curare satagebat: quod in quam plurimis liquet. Cur igitur modo tam celeriter sanat leprosum, vt vix petat, cum optata possideat? Cur non prius animum mundat, quam corpus, & saluti spirituali infirmi, ac miraculi æstimationi cõsulit? Venerabilis Beda subtiliter pariter ac luculenter huius festinationis rationem rimatur. Attende artem, & ingenium, quo leprosus Christum deprecatur: *Domine si vis potes me mundare.* De amore, & voluntate dubitat: *si vis*, & potestatem indubiè confitetur: *Potes me mundare.* Vt autem Christus audit, amorem suum sub dubio verti, & potentiam extra dubium esse, quasi coactus, & dolore punctus, statim *Volo mundare* ait, vt amoris opinionem, quam periclitari videbat, repararet. Ac si diceret: vt sciasde mea voluntate non esse dubitandum, statim volo mundare, & te ad sanitatem restituere. Tua dubitatione præceps feror ad miraculum, vt deinceps de meo amore ambigere non tibi contingat. Liceret potius de potentia hæsitare, quam de amore. De mea voluntate dubitas? Ipse meę voluntatis arbitrũ te constituis, & ad miraculum me cõpellis. *Ideo etiam* [ait Beda in Catena] *tetigit, vt probaret, quod contaminari non poterat, qui alios liberabat: simulq; illud mirabile, quod eo sanauit genere, quo fuerat obsecratus. Si vis (inquit leprosus) potes me mũdare. Volo inquit: ecce habes voluntatem. Mundare. Etiã habes pietatis effectum.* AEgrè tulit Christus leprosum dubitanter amorẽ expetere: ideoque statim ipsum sanat, & mox ac ambigit, salutem largitur, atque quasi dolens eodem verbo, quo leprosus dubitauit *si vis*, ip si medetur: *Volo mundare.* Ne vlterius suam voluntatem difficultet, eam ipsi offert. *Ecce habes voluntatem:* quia cum Deus amorem suum nunquam deficere auidissimè ostendere satagat, de eo dubitari non patitur, & quasi lacessitus ad miracula fertur.

Matth. 8. v. 3. Marc. 1. v. 40. Beda.

ANNOTAT. XII. MORALIS.

ITA ACRE INSVRGIT CERTAmen inter Dei misericordiam, et hominum malitiam: vt dum magis in Deum insurgit homo, magis ad miserendum Deus videatur exurgere.

59 NON solum virtus Deum prouocat ad miserendum, sed etiam incentiuum solet esse ad clementiam. Militat cum hominũ impietate Dei nostri pietas, & quasi meritum esset culpa, occasio solet esse profusioris clementiæ. Sœpe ab indignitate offensæ Dei largitas excitatur, & acri certamine pugnat gratia, vt malitiã superet. Non aufert Deus beneficia malè illis vtentibus: quia hoc proprium Diuinitatis genium est (imo & cuiuscumque generosi animi debet esse) ingratitudine ad benefaciendum non retardari, sed incendi, vt generosè dicebat Seneca lib. 1. de beneficijs cap. 1. *Non est autem, quod tardiores faciat ad benemerendum turba ingratorum. Nam primum*

Seneca.

Genes. v. 10.

mum (vt dixi) nos illam augemus: deinde ne Deos quidem immortales ab hac tam effusa necessitate sacrilegi, negligẽtes que eorum, deterrent. Vtuntur natura sua, et cũcta, interque illa ipsos munerum suorũ malos interpretes iuuant. Diuina pietas metas proprias transilit, & occasionem sumit maioris clemẽtię, vnde seuerioris supplicij motiuum sumere debuit. Stimulatur offensis, & ex ira ad miserendum accenditur. Quod exploratum habuit Propheta noster: nam etsi Deum infensum videret populo Iudaico propter ipsius scelera; tamen exinde eius misericordiam præsagiebat, & profusioris clementię erigebat spem: *Cũ iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Motiuum misericordiæ iram cõstituit: quia plerumque Deus ex hac ad illam exurgit. Non solum mouetur ad miserendum ex proprio misericordię, sed etiam ex iustitiæ motiuo: & quasi meritũ esset culpa, ex hominũ malitia occasionẽ sumit ad miserendum.

60 Post mirabilem hominis structurã, ipsum Deus constituit in paradiso omni voluptate repleto, ex quo aquæ fluenta redundabant, quę proximas irrigabant regiones. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum: qui inde diuiditur in quatuor capita.* Genes. 2. v. 10. Dubitant Interpretes, quas primo terras irrigarent aquæ à paradiso exeuntes. Et cõueniunt omnes, terram Asur, & alias promissionis terræ proximas primò fæcundare: quod sanè mirum est: nam illarum regionum incolæ Deo erant inuisi propter bella, & incommoda, quæ populo intulerunt, & impietatẽ erga ipsum Deum. Quorsum igitur tã abundè & proficue antè alias prouincias inundãtur aquis à paradiso remeantibus? Qui malitiam tam profuse operantur, alijs prę ficiuntur, & primo prosperantur? Sat esset tantæ nequitiæ meritas non luere pœnas: vt quid ante omnes Diuinę largitatis beneficia accipiunt? Venustè Oleaster difficultatem exarmat. *Considera* (inquit) *quòd præcipuos hostes suos prius irrigat. Nouimus quid populo eius fecerit Asur, et alij vicini terræ promissionis, ad quos paradisi flumen tam copiosè mittit.* Hæc Dei natura est, vt dum magis offenditur, magis ad miserendum prouocetur. Non solum ex merito virtutis mouetur ad benefaciendum, sed ex occasione humanæ malitię: etenim cum nulla beneficentia Deum in certamen possit vocare, iniquitatem hominum, quæ quodam modo infinita est, sibi præfixit æmulatricem, vt munifica contentione, bonitate superando malitiam, dignum infinita liberalitate reportet triumphum. Vnde illud Tertuliani satis vulgatum aduersus Marcionem: *O Deum non natura, sed æmulatione munificum.* Quasi æmulatione benefaciat hominibus, qui pro æmulatione malum facere consueuere; vt dum magis in Deum criminosè insurgit homo, magis munificè Deus ad miserendum exurgat, & humanæ malitiæ peruicaciam superet.

Genes. 2. v. 10.

Oleaster.

61 Præcipiebat olim Deus Israelitis, vt agnum ederent, qui Eucharisticum referebat, die quarta decimæ Lunæ Martij in plenilunio, cum Lunę ad Solem est oppositio: sic enim habetur Exod. 12. v. 3. *Loquimini ad vniuersũ cœtum Israel, et dicite eis: decima die mensis huius tollat vnusquisque agnũ per familias, et domos suas, &c. Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Cur immolaturus agnum populus ipsum reservare præcipitur vsque ad quartam decimam diem, cum scilicet ex diametro Luna Soli opponitur, quia plena est, & ex integro ipsius lucem participat? Audiendus est Raulinus. *Cum Luna* (inquit) *plena est, tunc est Soli opposita: ideo cum opposita fuit Luna Synagogæ vero Soli iustitiæ contradicendo ei, repellendo eã, tunc necesse fuit occidi verum agnum.* Ideo in oppositione Lunæ ad Solem agnum Deus immolari iussit, vt innueret, tunc magnum beneficium Eucharistici mysterij, & passionis Iudęis largiturum, cum vero iustitiæ Soli magis

Exod. 12. v. 3.

Raulinus

gis opponerentur: quasi profusioris clementiæ sit occasio criminosioris culpæ impietas. Maiorem misericordiam impendit, vbi magis viget malitia: vbi maior viget oppositio, ibi magis dilatatur benignitatis Dei virtus: quia non solum natura, sed æmulatione benefacit. Huc spectat, quod pulchrè, annotauit Rupertus ceremoniam expendens, qua vtitur Ecclesia in Sabbato Sancto, cum scilicet nouum lumen ex silice producit. *Lapis, quem pecutientes ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere Crucis Spiritum Sanctum nobis effudit.* lib. 5. de offic. cap. 28. Magnus amor, qui ad beneficia conferenda iniurijs accenditur: qui offensus feruet ad clementiam, percussus exurgit ad gratiam.

Rupertus.

62 Postquam Deus, qui in Patris familias persona introducitur, operarios in vineam ex denario conduxit, & ad soluendum accessit, præcepit œconomo, vt non nisi à nouissimis mercedem soluere inciperet. *Voca operarios, et redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos.* Matth. 20. v. 8. Dubitat Chrysostom. (hom. 34. operis imperfecti) cur nõ à primis vsque ad nouissimos, sed à nouissimis vsque ad primos reddatur merces: aliud enim iustitia exigebat, & operariorum murmur non sine causa excitatur, qui enim magis laborauerant, prius, & abũdantius erãt remunerandi. Vtquid Deus vltra modũ præmiat, & æquali mercede dispares labores compensat, atque ab illis incipit retributionem, qui postremò aduenerant, & minus laboris impenderant? Audi Chrysostom. *Secundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent suam mercedem. Sed vt ostẽdat Deus ineffabilem misericordiam suam, primum nouissimis, et indignioribus reddit mercedem, postea primis. Nimia misericordia ordinem non aspexit.* Quasi indignitas meritum esset, ea mouetur, vt in benignitate excedat: quia misericordia non seruat iustitiæ ordinẽ, & se manifestare satagit malitiam superando; motiuum largioris munificentiæ in ipsa est, & occasionem ab indignitate sumit, indignioribus reddit mercedem, postea primis. *Nimia misericordia ordinem non aspexit.* Nulla exaggeratior laus misericordiæ est, quam quæ resultat ex profusa, & supra meritum largitione: excessu decoratur, quia malitiã humanam glorioſè vincit, & illius oppositione fortior insurgit.

Matth. 20. v. 8.

Chrysost.

63 Dives ille Pater familias, Deus inquam, plantauit vineam, sepe obuallauit, ornauit torculari, & locauit agricolis: tempore autem oppertuno misit seruos suos, vt annuos redditus exigerent. Quid tunc? *Agricolæ apprehensis seruis eius alium cæciderunt alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum dicens: verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se: hic est heres: venite, occidamus eum.* Matth. 21. Cur post primos seruos malè habitos secundos mittit, & post hos barbarico ausu lapidatos, quasi iniuriæ oblitus dilectũ filium periculo exponit? Quarè sic iterata misericordia duplicat beneficia, & repetitam agricolarum malitiam repetita clementia compẽsat? Sane vt certamen iniret cum hominũ maleuolentia, & dum magis contra eum insurgunt homines, & impudenti temeritate audent, magis per bonitatem, & misericordiam ad eos descendat: ea enim Dei conditio est, vt quo magis offensus, eo soleat esse beneficentior. Audienda sunt elegantissima Imperfecti verba hom. 40. in Matth. *Considera quomodo per singulos gradus misericordiæ Diuinæ malitia Iudæorum crescebat, et quomodo per singulos gradus Iudaicæ malitiæ Dei misericordia addebatur, et contra clementiam Dei malignitas humana certabat. Ecce, qualis vis, amicus alicuius fuerit homo, si semel ab illo fuerit passus iniuriam, quantumcumque frangitur eius affectus: si iterum passus fuerit, iterum magis minuitur: si iterum, amplius non minuetur amicitia eius, tamen non addi-*

Matth. 21. v. 35. 36. 37. et 38.

Imperfectus.

additur: Dei autem misericordia quãto magis à Iudæis offendebatur, tanto amplius addebatur in eis. Quid pulchrius? Audet malitia humana cum Dei misericordia manus conserere, impotẽter ipsam superare intẽdit: & exinde Iesus amor accenditur non ad vindictam, sed ad profusiorem gratiam, quia æmulatione concertat, & vt magis emineat, illam beneficijs opprimit.

ANNOTAT. XIII. MORALIS.

ET SI QVANDOQVE NAVFRAget, plerumque Dei timor salutis portum feliciter attingit.

64 MVltoties animus timore correptus impotens redditur ad virtutem, inualidus ad sanctitatem: naufragat timore spes, & metus, quo quæritur Deus, quandoque obstat, vt Deus inueniatur. Volẽs Christus semel Petrum fauore prosequi, eius cymbam ingreditur, & refugiens Petrus ipsius societatem, ac si ipsi esset nocitura, timẽs clamabat: *Exi ame Domine, quia homo peccator sum.* Lucæ 5. v. 8. Quærit Chrys. serm. 147. huius formidinis causã. Si Christus accedit, vt faueat: cur Petrus ipsum formidat? Si ipsius beneficentiã erat expertus, cur ipsum à se relegare satagit? Hæccine Petri iactantia? Qui dixerat: si oportuerit me mori tecũ, non te negabo, & inimica tela non formidabat; nunc Magistri præsentiã exhortet? Quis Petri animũ oppressit? Audi Chrysol. *Petrus Dominicæ virtutis timore turbatus Christũ, vt à se discederet, supplicabat. Discede* (inquit) *à me, quia homo peccator sũ. Hoc dicebat, quia quod erat amoris et fidei, pondus fauoris extinxerat.* Timore, ac pauore Petrus turbabatur: & adeò quandoq; timor obstat, vt homo assequatur Deũ, quod vel quãdo ipse per ianuas ingreditur, nesciat Petrus ipsum inuenire, & discedere à se obnixè petat, quẽ ad se accedere rogare debuit. Ipsũ à naui exulare procurat: *quia quod erat amoris et fidei, pũdus pauoris extinxerat.* Sic animũ peruertit timor, vt neq; vtile, neque cõmodũ appetere permittat. Hinc cũ Elias Angelis ducentibus, & quadriga ignea impositus, quasi in quodã triũpho victor raperetur in cælum, intrepidè Eliseus ipsum deprecatur, vt palliũ mittat, quo ipsum postea sequatur. *Ecce currus igneus, et equi ignei diuiserunt vtrũque: et ascẽdit Elias per turbinẽ in cælo: Eliseus autẽ videbat, et clamabat* &c. 3. Reg. 2. v. 11. Timet Eliseus in alio euentu, eo quod Rex Syriæ eũ voluit suæ subdere ditioni, multisq; eũ armatorũ cinxit agminibus. *Et ecce* (inquit text 4. Reg. 6. v. 17.) *mons plenus equorũ, et curruũ igneorũ in circuitu Elisei.* Quo visu timorem nõ solũ à se expulit, sed à puero, qui cũ ipso erat. *Noli timere* (dicebat) *plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Cur si Angeli Eliseo fauere intendunt, defensione tutantur, quæ beneficio Eliæ est simillima? Cur eo protegitur igne, quo Elias assumitur in cælum, & spem erigit ad illum comitandum? Egregiè D. Ambros. serm. 87. *Ergo Etiam ad cælum perferunt. Eliseũ Angeli, qui Magistrũ portauerãt discipulũ seruant, et notitia quadam obsequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Preme hęc postrema verba. *Et notitia quadam obsequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio defrebant.* Quasi idem sit cælum alicui assecurari, ac ab eo formidinem tollere, qua meticulosus erat. Sic enim animum deijcit, & spẽ prosternit timor, vt ipso quandoque impotens reddatur ad virtutem.

Sed esto aliquando timor obstet 65
ad Dei sequelam, plerumque tamen vt optimus nauclerus gubernaculo assidens nauigium anime ad salutis portum feliciter appulit. Hoc namque tentationis vortices furcantur, *Et inter hos scopulos, et sinus, inter hæc vada, et freta velificata spiritu Dei fides nauigat tuta si cauta: secura, si attonita.* Sit ait Tertullianus lib. de idololatria cap 24. Hinc Dauid æconomiæ spiritualis scientificus dicebat: *Venite filij audite me timo-*

Lucæ. 5. v. 8.

Chrysol.

Ambros.

Tertulia.

Psalm 33 v. 12. *timorem Domini docebo vos.* Psalm. 33. v. 12. Sed cur non potius amorem docere intendit, quam timorem? Magis enim deceret Dei seruos filialis amor, quam seruilis timor. Auscultа Caiet. *Meminit autem potius timoris, quam dilectionis: quia timor Dei et communior, et prior, vtpote introductorius amoris, et congruus magis pueris, atque adolescentibus est, timendo enim Deum discunt amare illum.* Amor certe timori præferendus est: sed quia timor rudimenta amoris docet (vt dixit Origenes in cap. 8. epist. ad Romanos. *Paruulis quidem pedagogus est timor*) ideo à timore, qui mores instruit, & disciplinam docet, ingreditur Psalmista Regius. Et licet in timore illo omnis actus intelligatur spectans ad internum cultum Dei (puta ipsum diligere in eo confidere & eiusmodi) meminit potius timoris, quam dilectionis. *Quia timor et communior, et prior est, vtpote introductorius amoris,* & reliquarum virtutũ: nam quas timor non firmat, imbecillę nutant, & ruituræ vacillant, nullaque Deo placet, quę ipsius timore nõ informatur.

66 Olerat olim Deus primas mensiũ & hebdomadarum celebritates, vt habetur Isaiæ. 1. v. 13. *Neomeniam et sabbathum, et festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri: kalendas vestras, et solemnitates vestras odiuit anima mea.* At cur Deus festivitates, quas imperabat, oderat? Auscultа Tertulianum, qui ex litera rationem elicit lib. 2. contra Marcion. cap. 22. *Vestra* (inquit) *dicendo: quia secundum libidinem suam, non secundum religionem Dei celebrando, sua iam, non Dei fecerant, rationalem demonstrauit recusationem eorum, quæ administranda præsumpserat.* Sed vlterius libet inquirere: quidnam illas celebritates prophanaret, & ex Diuinis humanas constitueret? Audi ipsum Tertullianum libr. 4. contra Marcionem cap. 12. *Si Deus alium sabbathorum professus est, vestra sabbatha dicendo, hominum ea reputat, non sua, quæ sine Dei timore celebrat populus plenus delictis.* Reuerentia Deo exhibita absque timore non ipsi placet, sabbatha, & sacrificia abhorret: quia quæ non roborat Dei timor, qui neruus est pietatis, nullo modo placent: summa enim perfectionis à timore incipit, & illo finitur. Qui absque timore Deo famulatur, in omnibus ipsum demeretur, quia ipsum inhonorat; vt enim ait Tertulianus libr. de pœnitentia cap. 7. *Timor hominis Dei honor est.* Et libr. de cultu fœminarum. *Qui præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est; præsumptio impedimentum timoris.* A timore namque incipit homo Deum reuereri, illum honorat, dum illum timet. Emittente Christo Domino in Cruce spiritum, *terra mota est, et petræ scissæ sunt.* Matth. 27. Vt quid terra mouetur, & trepidat, dum Christus obit? Fortè culpæ Iudæorum est consors, quod supplicium timet? Si peccati est expers, ad quid conturbatur? Audi Hilarium libr. 3. de Trinitat. *Terra quid facit? Ad onus Domini pendentis in ligno intremuit, eum, qui mortuus est, intra se contestata non capere.* Reueretur terra dum corpus excipit Creatoris, rudi obsequio illum honorat, timore quo concutitur, Dei maiestatem demonstrat, & eam talem esse ostendit, vt illius receptionis se incapacem fateatur. Pio famulãtis officio ipsum reueretur, quem timet, & indignam se præbet ad talem hospitem suscipiendum. Sic videns Centurio Christum Dominum ad ipsius domum pergere, obuius fit ei, & timore plenus inquit: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Matth. 8. Verum cur homo timet, Deum hospitem habere, cum potius magna lætitia illum excipere debuisset, sicut Zachæus excepit? *Ipsum* [ait Chrysolog. serm. 15.] *esse Dominum singulari pauore significauit, deducere dum veretur ad animæ suæ domum.* Talis est filialis timoris sublimitas, vt eum exaltet, & honorificè manifestet. Vnde ad Dei promissum

Isaiæ. 1. v. 13.

Tertul.

Idem.

Idem.

Matth. 27. v. 51.

Hilarius.

Basil. Selen.

Matth. 8. v. 8.

Chrysol.

missum maxime expauit Propheta noster. *Domine audiui auditionem tuã, et timui.* Quia mirabile opus, quod ipsi Deus pollicebatur, nullo alio elegantiori potuit exaltare prœconio, quam timore, quo illud reuerebatur.

ANNOTAT. XIV. MORALIS.

QVI A PRAETENSO REPVLSAM patitur, bona excludentis verba audiat.

67 LENITAS, & mansuetudo innata virtus superioribus debet esse, vt ea arte subditis imperent, quod videantur vitia insectari, non hominem. Arte medica eos regere expedit, vt ab infirmitatibus conualescant: verum tali industria applicata, vt dum in subditos animaduertunt, morbus à remedijs propter asperitatem non sæuiat: sœpe enim mitis curatio ad sanitatem faciendã est aptior, & in ea artis peritia magis ostenditur. Vnde dixit Basilius de Seleucia orat. 30. *Periti medici tunc plus de arte dant admirationis, non cum ferro, et igne in belli modum vim mali domant; sed cũ leuibus pharmacis affectæ parti adulantes ægrum scitè persanant.* Iustitiã attemperare mansuetudine taliter, quod vnicuiq; quod suum est tribuatur, ac nullus plusquã meretur accipiat: & tamen nemo lacessitus recedat, ars est regiminis. Nã ij qui à gradibus, & prælaturis propter meritorũ inopiã arcentur, æquũ est, vt ad minus vultũ placatũ excludentis videant, & verba dulcia audiant. Munera distribuens non debet crudeliter sæuire in candidatos, & ad brauium currentes, ne ipsi in desperationem trahantur, & indecora repulsa tabescant. Quod opere lædit superior repellendo, verbis mulceat: qui concupita non obtinet, verba ad minus benenola excludentis deferat. Remunerato sat est, desiderata possidere; excluso saltem verba honorifica relinquat: nam sicut ille ius habet ad rẽ, sic iste ad verba. Parti dolore affectæ adulandum est, ne dolor intendatur, & sæuiat.

Basil. de Seleuc.

Excruciatur in inferno dines epulo totis gehennæ tormentis, inhumana cruciamenta patitur: auidissimè esurit, ardentissimè sitit. Inter flammæ caligines Lazarum suspicit, & Abraham eum in sinu fouentem exorat. *Pater Abraham miserere mei, et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16. vers. 24. Quod cum audisset Abraham, vt se damnatum irremediabiliter agnosceret, & fore necessarium repulsam pati, ait: *Fili recordare, quod recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Quasi causam sitæ damnationis reddens bona recepisse, & eis fuisse abusum representat. At non satis cum Patriarchę iustitia, & sanctitate consonat, quod hominem Deo inuisum, sceleratum, & æternis cruciatibus mancipatum filium vocet, & paternitatis hominis immisericordis pijssimus Patriarcha non dedignetur: maximè cum Lazarum, de quo in eodem periodo loquitur, non filium nominet. Gratior ne est dines damnatus paupere glorioso? Absit. Cur igitur sic Abraham, quasi cęcutit fumantibus flammis, vt Lazaro epitectum filij adimat, & homini desperatione tabescẽti, inimico Dei, cælo odibili illud conferat, atque dum diuitem mulcet, Lazaro iniuriam irroget? Minus benenolus in Lazarum, quam in diuitem ostenditur? Chrysostom. dum hęc sibi obiecisset, Abrahę mitissimã naturam exaltat, & politicam tanto viro dignam, qua & merenti præmium, & reprobo verba mansuetæ contulit. Nam cum vidisset Lazarum gloria dignum, & diuitem inferno, hunc blandè, & paterna voce alloquitur, vt qui à prætenso repulsam patiebatur, saltem excludentis suauem loquelam, & verba benenola audiret. *Aspice* [sait Chrysost. *] Patriarchæ bonitatem: vocat illum filium, quod mansuetudinem eius potest exprimere, eũ tamen nullum præbeat auxilium.* Quasi dicat: ideo diuitem filium vocat, quia cum à prętenso excludit. Sat est

Chrysost. In Catena.

Lazaro filium esse, relinquat nomen diuiti, dum hereditatem paternam possidet. Si diues est damnandus, & à prærensione repellendus, bona ad minus verba audiat: si nullum ei præbet auxilium, eloquij non deneget suauitatem: quo & mansuetudo Abrahæ ostendatur, & nihil detrahatur iustitiæ. *Vocat illum filium, quod mansuetudinem eius potest exprimere, cum tamen nullum præbeat auxilium.* Sic Superiores, sic Iudices verba & res debent modulari, vt qui damnatur, supplicio damnetur, non verbis, pœnas luat sententia, non Iudicis indignatione, causę merito, non condemnantis furore. Sic res & verba dispensandæ sunt, vt quem iustitia à concupito arceat, verba suauiter mulceãt. Sic Deus ad Cain postquam fratrem interfecerat, dixit: *Vbi est Abel frater tuus?* Gen. 4. Non verbis contumelioſis eum inhonorauit: quia hęc Iudicem puniẽtem non decent, vt notauit ibi Caiet: *Inquirit etiam, vt Iudices hominum doceat, vt citent reum quantumcumque certum, antequam iudicent: neque aliquis vtitur contumelia. Non inquit, ô scelestę; sed absolute inquirit, ad instruendos etiam humanos Iudices, vt abstineãt à contumelia.*

Genes. 4. v. 9.

Caiet.

69 Perfidi Iudæ discipuli vacante sede Apostolici senatus, vt Petrus, cæterique collegæ de successore prouiderent, ex viris eos comitantibus duos elegerunt exemplo, & moribus, vitaque probatos, quorum sortes in vrnam miserunt, vt cælũ, quem ex eis eligerer, demõstraret: factoq; scrutinio ex duobus, quorum vnus Ioseph, & alter Mathias vocabatur, Mathias apparuit electus, & annumeratus est vndecim Apostolis. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, et Mathiam, et dederũt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam.* Actor 1. v. 23. Quæ sors nõ Diuini spiritus mouentis, sed humani fauoris satagentis videtur, cũ in ea à dignitate iustus ac benemeritus arceatur, & is de cuius meritis non sic perspicuè cõstabat, præficiatur; ac Ioseph, qui iustus ob egregiã sanctitatem vocabatur, sit repulsus, & Mathias, qui neophitus erat, & mille lucris paulo antea implicatus, ad Episcopatum ascendat: maxime cum populo spectante id acciderit, qui de Ioseph talem opinionem habebat, vt iustum eum compellaret, & de Mathia recenter conuerso aliter sentire, erat necesse. Rectiùs enim videbatur, cum Mathias esset eligendus, ipsum iustum, ac Sanctum nominare, quam Iosephum, vt eligentis auctoritas, & iustitię integritas commendarentur. Expediret etiam merita Ioseph, qui excludendus erat, tacere, ne propter merita videatur repulsus. Aut Ioseph iustitia taceatur, aut cum manifesta sit, præficiatur: ne dum electi merita tacentur, & exclusi publicantur, electio cuadat suspecta, & propter humanos respectus obtenta credatur. Sed cum hoc non casu acciderit, sed superno inspirante consilio, politia Diuina in eo euentu & cogitanda venit, & imitanda: sic enim Spiritus Sanctus sortes fuit moderatus, vt qui à dignitate arcebatur, verba honorifica audiret. Sortem Apostolatus Mathias deferebat: deferat igitur Ioseph laudes, ne desperatione tabescat: sit Mathiæ dignitas, Iosepho ęncomia contingant: sat est Mathiæ Apostolum esse, videatur Ioseph Apostolatu dignus: & cum vnus dignitatem, alter elogia saltẽ deferat. Sic Hugo Carẽsis ad hũc locũ acutè pensitauit: *In laudibus Barnabæ immoratur, ne velut indignus repelli videretur.* Diuinus sermo quasi blanditur excluso, ne inhonoratus, & lacessitus euadat. Sic enim Deus voces & res distribuit, vt cum ab excluso dignitatem subtrahit, ipsum verbis suauissimis mulceat: sic sortes modulatur, vt vterque felix euadat, atq; verba donet honorifica, cui dignitatem denegat: ea armonia munera largitur, vt qui munus non defert, pro munere panegyricum audiat. Sic qui dignitates distribuunt, munera, & supplicia, se debent gerere, vt quod iustitia lædit, differra verba sanent, adeo humani debent esse Iudices, vt eos pro quibus sententiã ferre ne-

Actor. v. 23.

Hugo.

nequeunt, saltem verbis placidis consolentur, non asperis & virulentis impetant.

70 Murmurauerat olim populus aduersus Moysem, & Aaronem exterritus ab exploratoribus: ducem voluit constituere ad reuertendũ in AEgyptum. Impatientes Diuinę blasphemiæ Iosue, & Caleb se populo opponunt, & ita impatiens sęuit populus, vt eos lapidaret, nisi in tabernaculo Deus illos protegeret. Excandescens Deus populum vult delere, aquo desistit deprecatione Moysis, contentus quod nullus ingrediatur terram promissã, vno dumtaxat Caleb excepto, quem magnis laudibus extollit. *Seruũ meũ Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, et semen eius possidebit eam.* Numer. 14. v. 24. Mirabile est, quod cum vterque strenuus miles pari animositate se populo pro Deo opposuerint, in laudibus tantum Caleb se Deus diffundat. Non minus Iosue, quam Caleb pro Dei honore certauerat: vterque acerrimè populum reprehẽdit, ab illoque fuit insecutus. Vt quid igitur à Dei laudibus excluditur Iosue, & nec minimum de illo honorificum verbum protulit; Caleb autem mirificis ęncomijs extollitur? Subtiliter Oleaster rationem huius inęqualitatis indigitat. *Non meminit Iosue, sed solius Caleb: qui eum Ducem populi facturus decreuerat.* Præfecturam & principatum Iosue conferre Deus decreuerat, & idcirco eum non laudat? Verùm ob id ipsum laudandus videbatur, vt illius merita in populo cõmendaret, & auctoritatem illi acquireret. Caleb qui non est prędiciendus, laudibus extollitur, & præclara merita habere, Deus testatur, cum tamen Iosue merita silentio prętermittit? Ita equidẽ, politicè quidẽ, & dissertissimè. Si Caleb officiũ non erat adepturus, laudibus Dei probetur dignus, ne propter incapacitatẽ reputetur excluſus. Sat est Iosue principatũ deferre, sat dignitatis collatione laudatur: verba honorifica benemerito excluso relinquat, vt Superiores, ac Iudices instruãtur verbis eos solari, quibus prodesse nequeunt, pro quibus sentẽtiã iustitia ferri prohibet. Qui cõtraria feritur sẽtentia, qui à prętenso repulsam patitur, verba ad minus placida deferat.

Num. 14. v. 24.

Oleaster.

71 Iacob vt fratris benedictionẽ, & primogenita subriperet, pelliculis hędorum manus, & nuda colli protexit: cũque ad patrẽ accederet, & ille filij manus contrectasset, & ad verba attẽdisset, ait: *Vox quidem vox Iacob est: sed manus manus sunt Esau.* Gen. 27. v. 22. Et vnde discrimen inter Iacob & Esau verba percepit? Quia Esau *sait* Gregorius Magn. *Jvt erat vir moribus agrestis, & stolidus, sic & voce: nam eã habebat asperrimã, raucam, & insuauẽ; Iacob vero & moribus, & voce erat lenis, ac blandus, taliter vt vel ipsa vocis dulcedine audientium aures recrearet. Et cur cũ caput suæ domus efficitur, voci sic leni asperitatẽ manuũ adiungit, & senticoso attactu lædit, quẽ voce delicata mulcet? Quia in hoc facto superiorem delineabat (cũ & ipse se superiorẽ constitueret primogenita auferens) qui eo temperamento debet componi. vt cum manus asperas habet, vocem emittat modulatam, & dulcem. *Vox quidem lenis, manus autem seuera*, ait Gregorius. Quem manu aspera castigat, voce suaui, ac placata debet fouere: quem à gratia, & fauore pretenso manu relegat, & excludit, voce miti consoletur, ne inhonoratus recedat, & in desperationem trahatur. Sic Dominus candidatos ad seipsum venire inuitat. *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque vllo commutatione vinũ et lac.* Isaię 55. v. 1. Et quas delitias eis præbet, vt tam auidè properent ad ipsum? *Vinum, et lac*, ait: hac mixtura Deus recreat, & disponit ad munera currentes: lac enim liquor est nimis lenis, & suauis; vinum admodum asperus & acriter pungens. Igitur hac infusione Deus vtitur, vt vini asperitas lenitate lactis corrigatur, ne nimis mordeat, atque in pœnis, & muneribus

Gen. 27. v. 22.

Gregor.

Isaiæ 55. v. 1.

distribuendis eam propinat, acerbitatem operis cũ vocis lenitate miscẽs, ne repulsę asperitate sæuiat exclusus, voce mulcet, quem manu lędit: quia verba amara senticosæ manui nescit Deus adiungere.

72 Nouerat optimè Sponsa consortis genium, cum eius pulchritudinem describens aiebat: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ plenæ Hyacintis.* Cant. 5. v. 13. De oris pulchritudine locuta ad manus immediatè transit propter conexionem, quam inter se debent habere os & manus, verba & operationes: nec enim lato vngue verbum ab opere debet distare. Sed magno discrimine vtramque partem describit: nam os plenum myrrha, ita vt in distillationes dilabatur, demõstrat, cum manus lætitia plenas, & pulchritudine, auro, & gemmis exornatas, ac elaboratas sculptura prima depingat. Et quæ conuentio oris amarè loquẽtis cum manibus tam hilariter exultantibus? Verborum myrrham redolentium cum operationibus tam gratè delectantibus? Congrueret enim, quod manus verbis corresponderent, & vtraque aut amara, aut dulcia apparerent: nam ea non Dei, sed hominum conditio est, in quibus verba rebus non consonant, & aliter ac loquũtur, operantur. Cum autem Dei dicere agere sit, manus, & vocem eisdem Sponsa coloribus, ac penicillis debuit depingere. At non ita, quæ eius genium nouerat, describit: sed os myrrham redundans, & manus dulcedinem: nam Deus operibus amaris & insipidis verba aspera & amara non miscet, sed dulcia, & mansueta: quem à fauore excludit, nom impetit verbis: cui denegat concupitum mellea verba confert, cum aliquando fauoribus cumulatos labijs myrrham distillantibus alloquatur: is, quem manu seuera tangit, eloquij suauitate fouetur: sic enim & suæ bonitati consulit, & suæ iustitiæ non deest. Sic Vatem, cui libertatem populi pollicebatur, & quem prosequebatur fauoribus, voce tertet. *Domine audiui auditionem tuam, et timui.* Hic vers. 2. Nam si denegaret optata, non verbis timorem incutientibus, sed redolentibus suauitatem alliceret.

Cant. 5. v. 13. eu 14.

ANNOTAT. XV. MORALIS.

FIDES HVMANA EX AVDITV incerta, ex munerum acceptione mendax.

73 RARA fides est, nisi cęlitus veniat, cui fides debeatur: nemo enim nisi inconsideratus hominum testimonio, quod ex auditu venit, multum fidit: magno enim cum incremento rei incertæ fama, quæ per aurium traduces serpit, diffunditur: sœpissime enim aut ęmulationis malitia, aut suspicionis arbitrio, aut inclinatione mentiendi, qua feruntur homines, veritas inuertitur, & ex leui rumusculo veritas demutatur, detrahitur, aut adijcitur. Nihil nisi quod oculus attentè perlustrat, credendũ est: quia sœpissime aurium informatione fallimur, & ex leuibus principijs transmigrante per aurium mendaces sinus fama, increscit mendaciũ. Cautè discernendum est in eo, quod auditur, ne facile in falsam, & delusã fidem dilabamur. Extat in exemplũ Deus, qui audito clamore Sodomorũ dixit: *Descendam, et videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Gen. 18. v. 21. Vt quid Deus descendere decernit, vt flagitia hominum, quæ ad aures suas peruenere, oculis inspiciat, & visa trutinet, vt sciat? Fortè Deus nescire poterat, quę Sodomorum populi perpetrarant? Nihil enim ipsius perspicaciam potest latere, nihil ipsius pręscientia ignorare. Ad quid igitur descendit? Optimè Philo de audacia extructorum turris Babylicę disserens prædicta verba exponit. *Descẽdam, et videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Propius introspecto negotio diligenter cuncta perlustrat: visus enim certus, potius quam fallax auditus testis adhibẽdus est.* Humano more se Deus gessit,

Gen. 18. v. 21.

Philo de Confus. Linguer.

sit, vt documentum hominibus præberet: postquam Deus clamorem auribus excepit, videre, quod auribus erat insertum, descendit. cuncta quæ audierat, diligenter scrutatur, quia suspectum falsitatis habuit testimonium per aures ad animum transmissum. Non adhibet fidē clamori, qui ad aures pertenit, oculorum attenta notitia, quorum infallibile est iudicium, omnia trutinat: *Visus enim certus potius quam fallax auditus testis adhibendus est. Quapropter* (pergit Philo) *in optimè constituta republica lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio: quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus. Apud Moysem quoque interuetita legitur: nō admittes auditionem vanam. Vbi non tantum interdicit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus: sed docet, quod ad manifestam veritatis perceptionem longè minus quā visus, idoneus habeatur auditus, cum sit refertus vanitatibus. Hāc censemus esse causam, cur descendisse dicatur Deus.* Vel Deus ipse auris testimonio nō condēnat: quia falsitatis habet suspectam fidē, quæ ex auditu venit, & clara visione intuetur, vt negotium absolvat.

Idem.

74 Dilectam Sponsus inuitabat Sponsam, vt ad delitias verni tēporis perfruendas exiret. Ne autem dubia remaneret de amenitate florum, & referta fructuum abundantia, quam offerebat, & vt hiemis abijsse rigorē, atque pulchritudinem veris aduentasse testaretur, aiebat: *Iam enim hiems transijt, imber abijt, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tēpus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Cantic. 2. v. 11. Vt credas, tempus aduenisse delitiosum, amenitatem agri intuere, nā iam venustissimis floribus exornatur, & turtur tristes ac dulces gemitus emittit. Verum vt Sponsus vernū tempus adesse, persuaderet, ad quid fuit necesse, signa repetere? Sufficere enim videbatur, Sponsā turturis eiulatus audire, vt certo crederet, vernum tempus aduenisse: siquidem in illo tantum turturis gemitus audiuntur; reliquo anni tempore tacet. Ad quid florum pulchritudinem, & fragrantiā adiecit, & indicia repetiuit? Esto testimonium Sponsi non sufficeret, turturis cantus sufficiebat, vt sine hæsitatione Sponsa fidem adhiberet dictis. Ad quid testes multiplicat, vbi ex vno tantum veritas innotescit, & turturis cantico flores adiecit? Subtiliter Bernard. difficultati occurrit: *Vox auditur, flos cernitur. flos qui voci accedit, fructum parturit fidei: nam et si fides ex auditu; ex visu tamen fidei confirmatio prouenit.* Signa repetit Sponsus, vt auctoritatē dictis ad augeat, & turturis voci euidentiam florum adiecit: nam turturis testimonium ad aures pertinebat, quæ deceptionibus subijciuntur; at florū testificatio ad oculos spectabat, qui falli non poterant: & vt testimonium ab omni falsitatis suspicione redderet immune, aurium informationi oculorum euidentiam adiunxit; quia quæ per aures denunciantur, falsa multoties deprehenduntur. Oculorū perspicua notitia incorruptū reddit iudicium: aurium mille mendacijs temerata fallacem arguit fidem. Sed proh dolor, quam pluries superiorū auditus dum delatorum insidias excipit, lubrica, & decepta credulitate lenocinatur erroribus, & blanditur mendacijs; nullus enim testis ex auditu fidus est, neque credulitate dignus.

Bernard.

Cant. 2. v. 11. et 12.

75 Nec minus quam naturali mentiēdi voluptatē, munerum acceptione corrumpuntur testes: hoc enim telo maximè infestatur veritas etiā apud homines virtute, & sapientia magnos. Nullus fere est, qui veritatem non inuertat, vt ei complaceat, qui eum beneficijs devinxit. Hanc etiam suspicionem à se Christus Dominus relegauit mundi corruptionem agnoscens: cum enim Discipulis suis inūgeret, vt fidem, qua ipsos imbuerat, testificarentur mundo, & testimonia eorum, quę viderant, Gentibus prædicarent, sic fatur: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sācti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in om-*

ni Iudæa,et Samaria,et vsque ad vltimum terræ. Actor.1.v.8. Ad receptionem Spiritus Sancti subsequitur testimonium: priusquã testes fiãt, virtutẽ supernã accipiunt. *Accipietis,et eritis mihi testes.* Hoc ipsum in mundo viget, accipere ad testificandum, quamquam aliter, & aliter: nam mundus munera offert, vt veritatem inuertat; Christus, vt eam fulciat. Vt Apostolorũ testimoniũ irrefragabile redderet, quid illis conferebat, expressit, virtutem nempe Spiritus Sancti: nam audita acceptione periclitaretur fides, nisi donum acceptum exprimeretur; quia à receptione munerum hominum testimonium corrumpitur & falsificatur fides. Quod subindicauit Caiet. *Accipietis virtutem Spiritus Sãcti in vos,et eritis mihi testes. Euentus subsecutus testatur veritatem horum: acceperunt enim illapsi Spiritus Sancti in eis robur, ac potentiam.* In ipsa veritate, quã postea testificati sunt Apostoli, doni accepti qualitas apparebat, nempe Spiritus Sancti infusa virtus: sicut & in falsitate, quæ in hominum testimonio deprehenditur, accepti muneris etiam qualitas innotescit: nulla enim veritas non viciatur, vbi donorum corruptela intercedit: & vel actus purissimus religionis, qualis est sub iure iurãdo testificatio, vbi interuenit munerum acceptio, violatur. Actus iuramenti per antonomasiam actus religiones dicitur: quia in illo tota Dei auctoritas interponitur. Hinc (suspicor) dixit Iacobus in sua epist. canonic. cap.1.v.27. *Religio munda, et immaculata apud Deum,et Patrem hæc est.* &c. Non parũ mentẽ fatigat, quod religionis actus, de quibus ibi loquitur Apostolus, ad Patrem referat, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum. Mitto alios religionis actus, de quibus idem dubium excitari potest, & singulariter inquiro, cur actus iuramenti, qui religionis est, ad Patrem sit referendus, & faciendus illius intuitu, non ad Filiũ, nec ad Spiritum Sanctum, cum eiusdem sint naturæ, & substantiæ, atque eadẽ reuerentia ipsis debeatur? Dicam, quod suspicor: Filius generatione æterna à Patre accipit essentiam, & Personam: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio eamdem accipit naturam, & propriam Personam: Solus Pater à nemine recipit, quia ipse principium est Diuinarum productionum. Igitur licet Filius, & Spiritus Sãctus eiusdẽ sint naturæ cum Patre, actus iuramẽti Patrem respiciat, qui à nemine accipit, non Filium, aut Spiritum Sanctum, quia hi ab alijs accipiũt: vt innuatur, quam independenter à munerum acceptione, vbi Diuina intercedit auctoritas, veritas sit testificanda: quid quid redolet acceptionem, relegandum est, vbi sacratissima Dei auctoritas in testem veritatis adducitur. Vt autem fidem occuparet Vates, quæ hominum malitia, munerum corruptione, & aurium facilitate sæpe vicia tur, quam accepit, & ex auditu hominibus tradebat, à Deo infusam ostendit. *Domine audiui auditionem tuam.* Hic.v.2. Ne homines ipsi discrederent, dum aurium informatione eam possidebant.

Caiet.

Iacob.ep. cap.1.v. 27.

ANNOTAT.XVI. MORALIS.

IN AEQVA MERITORVM LANCE cana sapientia iuniori est præferenda

DIGNITAS non ætate, sed merito est dimetienda. Non tempore increscũt merita, sed virtute: non qui diu vixit, sed qui plus proficit, ius habet ad præfecturam. Non eligitur ætas, sed meritum: nam aliter capax esset caduca senectus, quæ meritò tanquam inhabilis omni æuo à dignitate fuit repulsa. Sic Plato lib.6. de legibus septuagenarios à republica arcebat. Romani sexagenarios de ponte præcipitabant, vel saltem à suffragijs remouebant, iuxta illud Senecæ lib.4. de breuitate vitæ cap. vltimo. *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat.* Id est, non vocat ad senatum. Barbari Massagetæ Tiberini, & Hircani senes tanquã homines

76

Plato.

Seneca.

non

non solum ad regimen, sed etiam ad quamcumque aliam rem inutiles iugulatos deuorabant, aut in patibulis suspendebant, aut volucribus, & canibus semiuiuos proijciebant, vt refert D. Hieronym. lib. 1, aduersus Iouinianum. Qui nihil aliud præclarũ habet, nisi quod longo tempore vixit, merito à dignitate reijcitur. Sed certe dum intellectus, & merita vigent, æquum est, vt experta, & benemerita senectus primis honoribus remuneretur. Sic enim & meritis adipiscendis consulitur, quia spe vlterioris bravij iuuentus erigitur ad laborem, & bono Reipublicę prouidetur, quod sæpe languet, & periclitatur sub iuuenili gubernaculo. Extat in exemplum Phaëton imperitus auriga, qui habenas cęlestis currus immoderatè moderatus, præcipitatus ad terram ruit: decor enim maioris ætatis, & versatæ prudentiæ expetit, vt inexpertę præponatur. Sic Christus Dominus Apostolorum merita, & latronis, qui cõpatiebatur ipsi, remuneraturus, huic cælestem paradisum tantum pollicetur: *Hodie mecum eris in paradiso*; Illis autem primas iudicantiũ sedes, primos dignitatis honores: *Sedebitis et vos iudicantes duodecim tribus Israel.* Cur ita? Cur non latronem, sicut Apostolos ad dignitatis apicem euehit? Egregie D. Ambros. obseruat. 2. in Michæam. *E latrocinio conuersus requiem habet: at in Apostolatu probatus accipit potestatem.* Apostoli qui erant experti, & diu in schola Magistri vixerant, præferuntur latroni, & hunc cõsultissimè Deus non eligit ad præfecturam, quia inexpertus, & recẽter erat vocatus. Viros sapientia, & antiquitate meritorum præstantes ei, qui nuper ad gratiam peruenerat, æquum erat præponere.

Lucæ 23. v. 43.
Matth. 19. v. 28.
Ambros.

77 Moyses in populi gubernatione defessus coadiutores expostulat, qui regiminis pondus subleuent: annuit Deus ipsius desiderio, & præcipit, vt septuaginta senes eligat, quibus de spiritu Moysis conferre pollicetur: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, et non tu solus graueris.* Numer. 11. v. 17. locus sanè difficilimus, & quem Interpretes varia commentatione fatigãt. Lyra, Chrysostom, Theodoret. Oleast. & alij quamplurimi sic Deum de spiritu Moysi abstuliſse credunt, quẽadmodum lumen ex vna candela separatur in multas, quæ in illa accẽduntur sine vlla luminis diminutione: non enim Deus spiritum Moysis imminuit, sed ex illo coadiutorum spiritum accendit. *Non dixit* (inquit optimè D. Chrysostom. homil. de Spiritu Sancto) *accipiam tuum*; *sed de spiritu qui est in te, de meo accipiam.* Vt quid igitur Deus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, de spiritu Moysis ablaturus dicitur, vt gubernatores imbuat, quos populi regimini pręponit? Si Dei erat conferendus spiritus, cur ipsum quasi refricat spiritu Moysis, vt ex illo accendatur? etenim vt innueret, quantum interfit ad populi gubernationem cana, & experta prudẽtia. Meus est (inquit Deus) spiritus, & scientia, quam habes; attamen auferam à te, quia in te experientia prædita est, qua in me careret. Ecce quanti Deus faciat antiquitatem meritorum, & quam sit congrua virtutis antiquitas, quod quãuis septuaginta iudicibus scientiam infusam & supernaturalem tribuat, eam tamen expertam quærit, & ex Moysis versata prudentia accipit. Hæc enim semper iuuenili ætati præponenda est, ne antiquum meritum langueat, & despectũ vilescat.

Num. 11. v. 17.
Lyra.
Chrysost.
Theodor.
Oleaster.
Chrysost.

Postquam Absalon aduersus patrem suum Dauid rebellauerat, 78
quid in bello agendum esset, strenuis ac expertis militibus proponit: dux autem, & consiliarius eius Achitophel in ea fuit sententia, vt statim exercitus impeteret Dauid. Consuluit Absalon Chusai, & Achitophel consilium reprobauit. *Dixitque Absalon, et omnes viri Israel: melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile.* Euentus probauit consilium Achitophel fuisse prudenter excogitatũ, & quã

2. Reg. 17. v. 14.

erra-

erraucrit Absalon illius suffragium, despiciens, & Chusai adhærens. At vnde sic deceptus fuit, vt cum ingẽti damno occasionem prætermitteret ad bellum opportunam, quam Achitophel consulebat? Audiendus est Chrysostom. in psalm. 7. *Vocat enim Chusai, qui ad ipsum transfugerat per simulationem, et cum facit eius, quod petebatur, consilij participem: quod non erat humanæ rationi consentaneum, vt eum qui recenter venerat, tanto honore afficeret.* Antiquior erat Achitophel in domo Absalonis, quam Chusai, hic denuo aduenerat nulla experientia eruditus; ille in negotiorum expeditione maximè erat versatus: consentaneum ergo erat rationi, vt huius consilium amplexaretur Absalon, & ipsum honoraret præponendo iuniori. Vt pro votis res succedant, cæteris paribus, cana prudentia præponenda est. Maluit Absalon consilium exequi Chusai, & in se ipsum damnum vertit, quod ex indigna electione necessario resultabat: redundauit in exitium regni, non instructum ministrum experto anteponere.

79 In extremo iudicij die sedebit Christus Dominus in solio maiestatis causas discussurus, quarum decisionem sic perscribit Euangelista. *Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, et dedistis mihi manducare.* Matth. 25. v. 34. Mirũ est, quod Christus Dominus coronaturus bonos in iudicio non alia eorum merita proponat, quam quæ ex misericordia reportarunt, cum tamen ibi adstent viri aliarum virtutum meritis illustres. Cur primum à clementia incipit, & non etiam aliarum virtutum merita recensет? Cur non iustitiam, temperantiam, & similes cõmemorat? Si præmio, quod largiturus est, aliæ virtutes sunt dignæ, cur solo clementię titulo beatitudo promittitur, vt exinde lãgueãt, & nullus de earum adquisitione curet? Venustè Chrysolog. serm. 14. in Psal. 40. *Quod Abel passus sit, quod seruauit mũdum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Dominus tacet: et hoc clamat solum, quod comedit pauper. Erogatio pauperis prima Diuinis scribitur in scrinijs.* In libris, vbi merita scribuntur, vbi recensentur virtutes, clementia primum habet locum, anteit cæteras, igitur primo præmia reportet: nam meritorum antiquitas semper prę ferenda est. In virtutis catalogo alia aliam præcedit, quia etiam virtutes suas habent ętates, & quę primo venit, primo remuneranda est: nam temporis ius, quod virtuti accedit, prima exigit brauia: stadium virtutis prę cucurrit clementia, & ideo cæteris prę fertur. Sic Christus Dominus creaturus Ecclesiæ Principem dilectum in primis adolescentẽ maturo seni posthabuit. *Et ego dico tibi: quia tues Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Et cur non Ioannes virgo, & maximè dilectus eligitur? Optimè Hieronym. lib. 1. adversus Iouinianũ. *AEtati delatum est, quia Petrus senior erat: ne adhuc adolescens, et penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur.* Petrum euehit ad primam Ecclesię cathedram, vt qui religione, & ætate erat antiquior, dignitate prę iret. Sic Daniel in throno, quem viderat, seniorem adstantium sedere aspexit, & cęteris præpositum. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit.* Daniel 7. Et cur hic Deus senex apparet, & in fornace tribus pueris in iuuenili ętate? Quia vbi de regendi munere, ac de iudicio sermo est, non modo virilis, & matura ętas, sed summa senij longęuitas describitur: vt enim annotauit Brixianus: *Senes multa experti melius diiudicant.* Idcirco Christus consultò cum ad iudicandum sedet, antiquus dierum introducitur: quia in aliorum concurrentia indecens foret, vt non cana, & experta sapientia prę ferretur. Propterea etiam cum Dominus Noe patrem futuri sęculi voluit constituere, non tantum ipsius merita, sed ætatem retulit *Noe iustus, et perfectus in generatio-*

Math. 16. v. 18.

Hierony.

Daniel. 7. v. 9.

Brixian.

Chrysolo.

Genes. 6. v. 9. *rationibus suis* Gen. 6. vt quid ætas, tempora, decursusque vitæ Noe in hoc loco insinuantur? Recte Benedictus Fernandez ad cap. 6. Gen. n. 6. sect. 5. *Arbitror, ideo iustum, perfectum que per omnia illa tam longa sæculorũ spatia hominem sexcentesimo suæ vitæ anno describi Noe, vt intelligamus, quod merito illum Deus reseruauerit in patrem humani generis, et quanto cũ iure illi suam arcam, et in illa seminarium hominum, et animantium reclusum tradiderit.* Enulgat Deus ætatem Noe, dum ipsum eligit in patrem cũctarum gentium, vt electionis prudẽtiam, & dexteritatem commendet. Similiter vt mirabile opus, quod Deus nostro Vati pollicebatur, non intempestiuum, sed consultissimè patratum crederetur, illud non à principio, sed post longum temporis decursum effecturum, promittit. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud* Hic. v. 2.

Fernand.

ANNOTAT. XVII. MORALIS.

PVDEAT SENECTVTEM A VITIIS non abstinere.

80 NIhil tam natura abhorret, & ratio exprobrat, quam senem vitiosum. Vitia etiam suas habẽt ætates, & monstruosa sũt, quæ ad senectutem protrahuntur. Adolescentiæ mores ad caniciem vsque differre, naturæ est inuersio, & turpitudinis apex. Quod pulchrè dicebat Seneca controuers. lib. 7. locutus de Iulio Gallione. *Iam senex factus est, nisi quod sibi bonum credit. Luxuria vsque eo se proiecit, vt accusetur. Senex amens, senex ebrius, circumdatus sertis, et delibutus vnguentis, et in præteritos annos se retroagens, et validus in voluptatibus, quasi iuuenis exultans, non ne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat: senex autem luxuriosus insanit, ætatem inhauriunt, vitia lasciuiũt.* AEtatem anteactam reassumere in senectute, vt vitijs inseruiat, naturæ inuersio, & rationis portentum est. Insanit quisquis semper viuere incipere satagit, & præterita tempora reuocare procurat. At hęc senilis ætatis dementia est, hæc stultitia, quæ semper vitam inchoare intendit. *Circumspice tecum singulos* (aiebat idẽ Seneca epist. 13. *Idem.*) *occurrunt tibi senes, qui se quammaxime ad ambitionem, ad peregrinationem, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius, quam senex viuere incipiens?* Detrectat natura ipsius leges non obseruantem, & eos, qui ætatibus tribuunt, quod ipsarum non est: dedecet enim senectutem iuuenilis lætitia, vt dicebat tragicus Seneca in hyp. act. 2.

Seneca.

Lætitia iuuenes, frons decet tristis senem.

Et Cicero ex Catone maxime improbat senum cupiditatem, qui ad breue iter magnum viaticum parant. *Auaritia senilis vituperanda est maximè: potest enim quidquam esse absurdius, quã quo minus vitæ restat, eo plus viatici quærere?* Nec solum Gentiles, sed vel hebetissima animalia hominum stultitiam in senectute vitia insequẽtium arguunt. De formica enim ait Magnus Albertus libr. 27. *Formicæ quando senescunt, crescunt earum alæ, et in aere volitant sicut aues.* Quo homines instruunt, vt licet in iuuentute animalia sint terrestria, ac voluptuosa, carnis illecebris immersa; tamen quando senescunt in virtutis via volare ocyssimè debeant. Quo spectat illud Prouerb 6. v. 6. *Vade ad formicã ò piger, et considera vias eius, et disce sapientiam.* Et illud Senecę lib. 1. de clementia cap. 19. *Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores.* Pulchrè dixit: *pudeat*: nam pudor est, homines rationis compotes à tam exiguo animali moribus, & sapientia vinci. Nullus sane stolidior animalculus mure est (vt inquit Plinius libr. 10. cap 45.) Quia nihil discit propter heberissimã naturam: & tamen cum domus, quam inhabitat, futuram ruinam sentit, matura fuga à damno subducit, & ad aliam domum se trãsfert, vt refert AElianus lib. 1. cap 4. *Cum domus ali qua consenuit, et ruinam minatur, mures primi sentiunt, et relictis suis cauer-*

Albert. Magn.

Prouer. 6 v. 6.

Seneca.

AElian.

his,

nis, et pristinis habitationibus, quantũ cõtendere pedibus valẽt, fugiunt, aliudque domicilium quærunt. Pudeat homines vel in senectute, cum iam corporis ruina prope est, à pristinis vitiorum habitationibus non recedere, & ab stolidissimo animali reprehendi.

81 Ecclesiastes. 12. v. 5. instruens Sapiẽs senectutis mores, & felicitatis humanæ lubricam, & inconsistentem naturam dicebat: *Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via: florebit Amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur Capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Locus explicatu difficilis, & ad quem varia à varijs dicuntur. Lyra sic eum accipit, vt arbitretur, Spiritum Sanctum in prauos senectutis mores inuehi, & arcane vitia ad caniciem protracta carpere. *Timebunt* (inquit) *exire viam præsentis vitæ, quãdo caput senescit, et venter intumescit humoribus indigestis, et concupiscentia carnis, quæ idcirco capparis nominatur: quia capparis est herba, qua luxuria excitatur.* Succinit Glosa, quę prędicta verba sic commentatur. *Capparis mane aperit flores ad Solis ortum: vespere autem recondit eos cum Solis occasu.* Quasi dicat: timere debent homines, saltem quando vitę exitus instat, quãdo sicut manè Capparis albescit caput, cum mille infirmitatibus laborãt: libido quę in iuuentute ad Solis ortum viguit, saltem in senectute ad Solis occasũ dissipanda est. *Dissipabitur Capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Qui ad tumulum properat, lasciuientis ętatis flores debet recondere, carnis scintilulas extinguere, & iuuentutis delicta minimè resculpere. Marcescat caro, langueat vigor sensualis affectus, dissipentur carnis illecebræ, vbi iam iam ad domũ mortis, & æternitatis accedit senile corpus: nam vbi languidæ ætatis, & pulsantis mortis refricatur memoria, quidquid carnis luxuriam redolet, ab illa debet excidere. Hinc enim apparet, quam sedulo Historicus sacer ingressum, & egressum Noe ab arca narret. Sic enim de introitu loquitur: *Et ingressus est Noe, et filij eius, et vxor eius, et vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij.* Genes. 7. v. 7. At eius egressus sic describitur: *Locutus est autem Deus ad Noe dicens: egredere de arca tu, et vxor tua, filij tui, et vxores filiorum tuorum.* Cap. 8. v. 16. Quærit D. Ambros. (lib. de Noe, & arca cap. 25.) cur seorsim ingrederentur in arcam Noe, & filij eius ab vxore, & vxoribus filiorum eius; cũ vero exeũt, ordo commutatur, & vnusquisque vir cum sua vxore ægredi pręcipitur. *Egredere tu, et vxor tua, filij, et vxores filiorum tuorum.* Cur tantam curam Deus impendit, vt in introitu mariti separentur ab vxoribus, & in ingressu vnumquemque suam vxorem sociari iubetur? Pręclare Ambros. difficultatem dirimit. *Et littera quidem significat in ingressu abstinentiam generationis, in egressu generationis vsum. Aperte igitur ordine ipso ingressionis velut vocẽ quãdã iustus emittit, tẽpus illud nõ esse cõcubitus, neq; delitiarũ, quo omnibus immineret interitus.* Ingrediẽtes in arcã præ oculis habebant mortẽ, pulsabant ad ostium emortua corpora, quæ supernatabant aquis: & vbi mors imminet, omnes carnis voluptates sunt eliminandæ: ideo seorsum à mulieribus viri ingrediuntur. Esto semper homines virtuti debeant studere; ast quando imminet interitus, quando senectus adest, & titubat humani corporis ędificium, quando homines iam iam mortis pheretrum ingrediuntur, non delitiarum tempus est, sed virtutis amplectendæ, & à voluptatibus vel licitis abstinendi.

Increpaturus Samuel filios Israel, eo quod Regem petierunt, verba præmisit, quę vtpote implexa, expensione sunt digna. *Ecce* (inquit) *audiui vocem vestram iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, et constitui super vos Regem, et nunc Rex graditur ante vos: ego autem senui, et incanui: porro filij mei vobiscum sunt.* 1. Reg. 12. v. 2. Ad quid cum de electione Regis agitur, senecturem suam memorat Samuel, & illa à regimine excusatur, cum hoc ipsum populum

Ecclesias. 12. v. 5.

Lyra.

Glosa.

Genes. 7. v. 7.

Cap. 8. v. 16.

Ambros.

82

1. Reg. 12. v. 2.

lum deberet inducere, vt ipsum ad regimen compellerent: nam cana, & experta prudentia (vt Samuelis erat) arduis versata negotijs opportunior erat ad regni habenas moderandas, & consentaneum videbatur, vt populus nullo pacto Samuelis senectute præpediti excusationem admitteret? Egregie noster Rangolius in comment. huius loci illum versat. *Ego autem senui, ideſt, non sum deinceps subeundis laboribus idoneus: nec est, cur vltra spei quidquam, aut præsidij in sene tot curis, et ærumnis confecto ponere debeatis: hactenus vobis vixi, et vestris commodis totus inseruiui; nunc mihi denique quod superest ætatis, viuendum est.* Quasi senibus nihil aliud incumbat, nisi quod ad eorũ salutem attinet, & de nullo alio nisi de illa agere debeãt. Cana ac senili ætate se excusat Samuel, & sibi in senectute viuere oportere, qui tamdiu alijs vixerat, representat. Quod si nec regimini populi, in quo famulatus Deo exhibetur, in senectute viuere libet, quomodo vitijs viuere licebit? Hoc (inquam) tantum à ratione distat, vt superfluum videatur, senibus virtutem consulere, quia ad illam quasi naturaliter debẽt propendere. Hinc Christus Dominus, qui per inspirationes honesta consulit, in secunda, aut tertia vigilia venire describitur. Sic ipse Lucæ 12. v. 38. *Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Loquitur in persona cuiusdam Domini, quam vigilantes servi sperant venturum. D. Gregor. per vigilias ætates hominum intelligit. Prima vigilia primum tempus est vitę nostræ [ideſt] pueritia. Adolescentia, vel iuventus, quæ vsque ad annum vigesimum quintum currit, secunda vigilia est. Tertia virilitas, quæ annum quinquagesimum attingit. Quarta senectus, quæ à quinquagesimo anno decurrit. Iam ergo non leuis insurgit difficultas, cur scilicet Christus non dicatur venire in prima, & quarta vigilia, quæ pueritiam, & senectutem designant: sed in secunda tantum, & tertia. Si homines admonentur, vt in omni statu, & euentu inuigilent, cur neque pueri, neque senes instrui dicuntur? Si huiusmodi ætates procliues sunt ad lapsum, sicut & reliquę, cur non admonentur? Vehuste Drogus Ostiensis serm. de Sacramento Dominicæ passionis difficultati occurrit. *Iam primæ, et quartæ vigiliæ nulla mentio fit: quia nec primæua ætas sensum recipit vigilandi: nec vltima spem prolixius dormiendi.* Quasi dicat: Deus omnes vocat, omnes admonet: sed vt significet, quam difficile sit iuuenes respondere, quam sit iniquum, & impudens senes dormire, non dicitur in tertia, & quarta vigilia venire: quia pueris vox fere nulla sufficit, senibus quęvis vox superflua est. Quid vigilare monendi sunt, qui ipsa canicie pręmoniti excitatione non indigent: supersunt enim excitantes voces, vbi tempus pro voce clamat.

Ioann. 8. adducunt ad desum mulierem in adulterio deprehensam, & cum delatoribus dixisset. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illã lapidem mittat*: addit text. *Audientes autem vnus post vnum exibant incipientes à senioribus.* Ambigit Ambrosius epist. 58. cur ex accusatoribus primi seniores exierint, cum ipsi viderentur, qui maius auctoritatis pondus delationi præstabant, & pertinacius soleant sua vora defendere, qui ętate in populo maiorem æstimationem sunt consecuti: duplicemque rationem exhibet, quarum vltima nostro instituto congruit. *Vel quia ipsi plura haberent crimina, qui diu vixérant. Vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores, et cœperunt sua peccata deflere, qui alieni criminis venerunt accusatores.* Emendatio à senioribus incipit, quia magis ad ipsam tenebantur, Diuinamque damnationis sententiam prius pertimescere debebant, & peccata anteacta agnoscere, & flere, atque à vitijs abstinere. Quia (vt rectè dixit Salvianus.)

Genes. 2. v. 2. *Nouum hoc monstri genus est, esse aliquos etiamnum in morte vitiosos.* Vel Deus ipse, cum exiguum tempus ad operādum restat, velocius operatur, vt homines instruat, quam studiosè & vtiliter abbreuiatum tempus debent insumere: postquam enim vniuersum creauit dicitur, *Requiebit Dei septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Gen. 2. v. 3. Si requiem exigebat operatio, cur vsque ad sabbathum eam differt? Nonne melius esset, quietem cum labore miscere, & propriæ quieti aliquam partem diei destinare, dum maiorē lucro alieno applicabat? Vel si ardens Creatoris desiderium non permittit non operari quotidie, non esset congruentius, ad dimidium illius temporis requiescere? Cur in diem septimū quies reseruatur? Credideris, quia vsque ad diem septimū numerantur dies. *Factum est vespere, et mane dies vnus. Factum est vespere, et mane dies secundus* &c. Post sabbathum iam non numerantur dies, non tempus metitur: non ergo Deus ab opere cessauit, dum vita numeratur: *Quia dierum, quos fecerat summam in eo terminauit, sabbathum dici, et esse voluit,* ait Iunilius in Catena Lipomani. Dum limitatur tempus, nec Deus ociosè viuit. Sic Christus Dominus instante iam mortis tempore dixit Discipulis: *Surgite eamus hinc.* Ioan. 14. Quæ verba sic exponit Gregorius Nazianzenus: *Vt non tantum hortetur Dominus Discipulos, sed nos omnes, vt à terrenis abstrahamur, et ad cœlestia conuertamur.* At cur tam festinanter ad locum properat, quò Iudas cum cohorte erat venturus? Sanè, vt nos instrueret, cum ad mortis valuas properamus, velociùs & celeriùs à terrenis abstrahi debere, & ad cælestia currere, atque in virtutis orbita veloci pede festinare. Sic cum populum in Babylonica captiuitate quasi mortuū videret Vates, ita vt Dei opefuerit necesse ad illū viuificādū, à prę teritis erroribus resipiscit, & senectute iā cadēte virtutis stadium celeriter currebat. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic v. 2.

Iunilius.

Ioan. 14. v. 31.

Greg. Nazianz.

ANNOTAT. XVIII. MORAL.

SIC LINGVA IMPVDENTER audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat.

VITIORVM gimnasium, & iniquitatis scholam scitè Iacobus linguam nominauit. *Lingua ignis est vniuersitas iniquitatis.* Cap. 3. v. 6. ac si in lingua omnes docēatur vitiorum artes, quibus virtus impetitur: illa enim denigrantur honores, excitātur rixæ, fouetur luxuria, alitur ira, & quidquid prauam peccati naturā redolet, à lingua est: ipsam enim cohibere expedit, ne totus homo pereat. Ad tutelā animę oportet ipsam obmutescere, sicut ad vitæ tuitionem ora obstruunt grues: de illis enim ait Vlises Aldrouandus lib. 1. Ornithologiæ: quod cum Ciliciæ montem Taurum, vbi plurimæ habitāt aquilæ, trāsvolare ī tēdūt, ora lapidibus obstruūt, ne earū clangor audiatur, & ad prędā excitentur aquilæ: sicque ad vocē impotentes vitam tutantur. *Cum grues è Cilicia migrantes montem Taurum aquilis plenum parant transmittere, quibusdā lapillis, quo vocē cohibent, in os sumptis, noctu tacitè transuolant, atque ita deceptis aquilis tuto trajciuntur.* Huiusmodi autē Palamedis auem imitari expediret, vt quæ ex garrulitate sequuntur damna, euitentur: nihil enim tam nocet, quā superflua loquacitas; nihil tam prodest, quam sedula taciturnitas: nam illa semper mentis vacuitatem denotat, vt de oratione Anaximenis dicebat festiue Theocritus. *Verborum quidem flumen, sed mentis guttam.* Semper perniciosa fuit abundans, & inconsiderata loquela: vnde D. Bernard. in speculo monachorum monebat. *Verba vis ad limam, semel ad linguam.* Et Simonides apud Plutarchum de tuenda hominum valetudine. *Nunquam me pœnituit tacuisse; quod locutus sim, sæpe.* Præceps est linguæ in delinquendo audacia, facilimè dilabitur in flagitium, effrænis, & temeraria est, quascumque vires

84

Epist. Iacob. 3. v. 6

Vlises Aldrouand.

Theocrit.

Bernard.

Simonid.

ipsam

Exod. v. 12.

Exod. v. 1.

Procop

Rupert

ipsam cohibere tentantes superat, & tota Dei fortitudine opus est ad illam refrenandam, & vel Deus ipse illius damna timet.

85 Decreuit Deus Moysem mittere ad Pharaonem, vt educeret populum suum de AEgypto: linguæ balbutiæ; & ineloquentia excusatur: instat Deus, & vt audacter rem aggrediatur, duo ipsi promittit: primum ipsius ori adesse. *Et ego ero in ore tuo, docebo-que te quid loquaris.* Alterum ipsi Diuinam auctoritatem impertiri, vt munus decentiùs obiret. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. v. 1. Cur Moysis linguam Deus gubernare pollicetur, & huiusmodi munus non Angelo committit, qui ad alias arduas expeditiones erat destinatus? Angelus, qui fecunda sapientia pollet, non sufficeret verba Moysi administrare opportuna? Ad quid Deus ipse ministeria inferiora, quæ necdum superioribus Angelis committuntur, sibi assumit? Rectè Procopius in cap. 11. Genes. *Non Angeli, non creaturæ, sed creatoris est nouas formare linguas: Spiritus Sancti opus est, linguas mutare, vt discimus Apostolorũ exemplo, quibus linguarũ donũ obtulit sub specie ignis.* Sicut Dei proprium est, primò formare linguas, sic illas reformare. Linguæ gubernaculum neque Angelo fidit Deus, sed sibi reservat: quia ita audacter lingua insolescit, & effertur, vt Angelus non sufficiat illam cohibere, & necessaria sit manus Dei omnipotens ad illam refrænandam. Vlterius inquires, cur cum Moysem ad loquendum Pharaoni Deus mittit, ipsum in Deum Pharaonis constituat? Sanè vt ipsum instruat, quam parcè & moderatè sit locuturus, dum ipsius personam agit: nam Deus semel tantum locutus est, & vnum verbum tantum. Quod pulchrè pensitauit Rupertus libr. 1. in Exodum cap. 26. *Loqueris Prophetæ tuo Aaron et contra Pharaonem, et ad populum suum exemplo mei, qui nec verborum iudicijs ago cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo mortalibus filijs hominum: sed per Prophetas meos mundo, quæ illi audire meruerunt, vel quod facturus sim, indicens.* Sic est pernicioſa linguæ licentia, vt Deus ipse, qui nunquam lapsui est obnoxius, illam cohibeat, & neque cum principe tenebrarum lingua decertet: semel enim Deus est locutus, vnum tantum verbum emisit, & illud necessario protulit. Quid non cauebit humanę linguæ, à qua omnia vitia serpunt, qui propriam, & inculpabilem intra oris cancelos recludit? Sanè linguę audaciæ conscius ipsam non alteri remittit cohibendam.

Exod. 4. v. 12.

Exod. 7. v. 1.

Procopius

Rupertus.

86 Pergebat Iacob in patriam cum vxoribus, & filijs: ægre ferens Labamus discessum clandestinum consobrini, illum iratus insequitur, statuitque, vbi eum comprehendisset, durius cum eo ageret: at ipsum dormientem sic Deus alloquitur: *Ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* Genes. 31. vers. 24. Cur non Angelum Deus mittit, vt silentium Labamo iniungat, linguamque coerceat irati hominis, sed ipsemet apparet, vt illi frænum injiciat? Fortissimum robur Angeli, qui numerosam hominum multitudinem vno ictu profligat, non esset sufficiens ad exiguum hominis membrum cohibendum? Cur functionem per se ipsum Deus exequitur, & non eam alteri commendat? Quia de lingua ad rixas, & contumelias prouocata agebatur, Deus per se ipsum illam frænare accedit. *Adeò magnum est arduumque opus, effrænem maledici, præsertim irati, hominis cohibere linguam*, ait Benedictus Fernandez ad cap. 31. Genes. sect 7. Sic lingua ira incalescens temerario ausu præcipitatur, vt ad illam reprimendam nulla alia, nisi Dei virtus sufficiat: nec illa tantum, quam ordinariam Theologi vocant, sed illex & extraordinaria requiratur. Vnde Dominus interrogabat Iobum: *An extrahere poteris leuiatham hamo, et fune ligabis linguam eius?* Cap. 40. Quasi dicat; hoc quod interrogo, sic humanas vires excedit, vt sola Dei virtus omnipotens tam mirabile opus valeat

Genes. 31 v. 24.

Fernand.

Iob 40. v. 20.

efficere. At mirum est, quod balena seu diabolus compescatur hamo, hoc est, linea piscatoria, cui annectitur hamus; fune autem tantummodo illius lingua ligetur. Totum balenæ corpus, totamque diaboli potentiam linea vincit, tenetque constrictam, & tantulam illius linguam vix grandis, & validus alligat funis, quo magna nauis detinetur? Tenui quodam filo, sicut à pueris vincitur passercu-lus, contineri potest diabolus: linguam solũ cohibebit quod in mari na uem continet? Cur ita? Egregie idem Ferdinandez vbi supra: *Nimirum longe difficilius intemperantia linguæ compescitur, quam omnia vitia peruincuntur.* Nisi lingua Deum sessorem sentiat, ipsique præpotens, & Diuina virtus insideat, nequit refrænari: quia quicumque alius eam coercere tentat, excutitur, & deridetur. Hinc Dauidi, vt decenter, & quæ intererant loqueretur, pollicebatur Deus linguæ gubernaculum.

Psalm.80 v.11. *Ego sum Dominus Deus tuus: dilata os tuum, et implebo illud.* Psalm.80.

Psalm.50 Quod & ipse Dauid anxiè petebat. *Domine labia mea aperies.* Non audet linguam proprio regere nutu, sed Dei gubernatione moderari expostulat, vt sine periculo lapsus loquatur, & ausus, libertas, & audacia reprimatur. Sic est difficile verba parturire sine errore, sic periculosus oris hiatus, vt nisi Deus illum gubernet, à delicto non credatur tutus. Hinc tanquam magnum beneficium recen set Vates, quod Deus quid loquatur, ipsi administret, & ipsius exemplo illum instruat, quam parcè, & moderatè sit locuturus: siquidem semel tantum ipsum audiuit loquentem, quia semel tantum fuit locutus.

Domine audiui auditionem tuam, et timui. Hic v.2.

ANNOTAT. XIX. MORALIS.

DVRVM DEI VERBVM LENItatis est omen: misericordia vices cum iustitia reciprocat.

PARVM esset Deum ad pietatem ipso pietatis motiuo excitari, parum ex sua bonitate, & nostra miseria ad misericordiam propendere, nisi etiam rigores iustitiæ pietati inseruire disponeret. Verba seueritate plena, & quę minacem iustitiam præsagiunt, præambula sunt clementiæ signa: quę vindicis iræ instrumenta putantur, profusioris clemẽtię prophetia sunt, vt de suo Traiano dicebat Plinius, in quo nihil magis quam acerbum verbum desiderabatur, quia maioris beneficentię erat omen: sæuientium verborum ira futurę pietatis erat prognosticũ. Sic Dei verba minas spirantia, & quę seueritatem eructant, prophetia sunt ipsius pietatis, & quo plus ira inardescunt, eo magis redũdãt clemẽtia. *Peruersitas, quã putas* (aiebat Tertul. in scorp. c.4.) *ratio est: quod sæuitiã existimas, gratia est.* Quẽ Deus verbis amarulentis ferit, pietate & clementia mulcet. Fugienti Agar à facie Sarai, quę illã à propria domo relegauerat, apparet Angelus, eiq; ũde veniat, & quo vadat, scisciatur: quæ cũ respondisset se Saram fugere, dixit illi: *Reuertere ad dominam tuã, et humiliare sub manu illius.* Gen.16.v.9. Rursusque vt illam solaretur, addit: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.* Obtemperauit Agar, ad domumq; reuertitur, quia Deum fuisse, qui pręcipiebat, agnouit. At vnde fuit augurata monitũ illu d Dei esse? Nã pręsumere potuit, inimicũ fuisse, qui redditũ sug gerebat ad rixas & iurgia, quæ fugiebat? Auscultа Caiet. *Hoc enim Dei officiũ est, et in persona Dei Angelus dixit: adiunxit siquidem tristibus læta: dixerat contraria voluntati Agar, reuertere, et humiliare; et adiunxit concupita, multiplicabo semen tuum.* Ad magnum numerosæ prolis beneficium verba pręcesserant acerba, quibus iniungebatur Agar ad obedientiam exosæ dominæ redire; & exinde Deũ fuisse, qui pollicebatur, fuit auspicata. Nam cũ ipsius verba amara sunt, & seueritatem eructant, munificentiam profusiorem pręstat, & se parat ad clemẽtiam,

87

Plinius.

Tertulia.

Genes.16 v.9.

Caietan.

tiam, cùm acerbiora verba præmittit: nunquam enim tristia non lætis compensat, & amara non dulcibus lenit.

88 Iratus Dominus contra Ierusalem propter idolorum vanitatem acriter in ipsam inuehitur, & illius flagitia increpat. *Audite me duro corde, qui longe estis à iustitia, propè feci iustitiam meam, non olongabitur, et salus mea nõ morabitur: dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Isaiæ 46. v. 3. Loquitur de vastatione Babylonica, & Iudæos arguit incredulos, qui apud Babylonem erant detenti, vindictã q; illis per Cyrum minatur. Verum implexa satis verba sunt: nam si de supplicio agebatur, & excã descens Deus contra Iudæos ostenditur verbis irã, & indignationẽ spirantibus; quomodo tandẽ salutẽ, & misericordiã pollicetur? *Dabo in Sion salutẽ, et in Israel gloriã meã.* Idest, non morabitur salus, qua vos à Babylonica dira seruitute saluare decreui: ciues Sion ad propriam patriã remittam, & manifesta bo gloriã meã vos à tyrannico iugo liberando. Ecce quali Deus vindicta populũ suũ ferire minetur. Vbi est ille verborũ seuerus apparatus, quo de populo vindictam sumere minitabatur? Vbi auxiliaris iustitiæ rigor, quem ad vltionem excitabat? Tam cito à verborum iracundia in misericordiam deflectit? Audi Oleastrũ. *Expende etiam hic consuetudinem Domini, quam dure obiurgat, quos intendit consolari: vt scias, increpationem Domini signum esse appropinquãtis gratiæ. Antequam nunciaret suam propinquam iustitiam et salutem, duritiæ cordis, et elongationis à iustitia redarguit.* Quasi Deus ex misericordia irascatur, seuerum se ostendit, cum maximè misericorditer vult benefacere, & rigoris verba misericordiæ signa sunt. Hinc cum Ionæ Deus præcepisset Niniuem petere, ipsiusque prædicare ruinam. *Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur.* Ionæ 3. vers. 4. Renuit ille, fugereque conatur. Eius facti rationes plurimas tradidere Doctores: sed præ omnibus arridet, quam Theodoretus in Iosue explicatione cogitauit. *Non item nescius quòd si resipiscerent Niniuitæ, omnino Diuinam misericordiam assequerentur: itaque prædictionem eius falsam sibi videri, sibi turpe existimauit, seque Prophetam vocari mendacem.* At vnde tam certo præsagiebat, Deum populo indulturũ, quod aufugere tentat, ne mendax haberetur, eo quod ruina, quam prædicabat, non subsequeretur? Argute Theodoret. *In hanc vero opinationem eum impulit ipsa minarum vltionis plenè declaratio.* Habuit eui dens miserationis indicium ipsam, quam Deus mortis minabatur sententiam; quia cum ignem spirare videtur, ad misericordiam præparatur; cum furore inardescit, munificentius agit: ex terribilibus verbis irarum plenis, quibus Niniuitis minatur, auspicabatur Propheta ipsius indulgentiam. Rectè quidem: nam iustitiæ arma misericordię Deus facit inseruire, & arcũ suũ curuat in nubibus, vt eo dẽ telo, quo sceleratos sagittaturũ minatur, ipsos in spem pietatis erigat.

Isaiæ 46. v. 14.

Oleaster.

Ionæ 3. v. 4.

Theodor.

89 Instanter salutem filiæ à dęmone vexatę postulabat mulier illa Chananęa, quã Christus acerbè excepit, & virulentis verbis repellebat. *Nõ est bonũ, sumere panẽ filiorũ, et mittere canibus.* Matth. 15. v. 26. Canẽ eã vocat: verũ opprobrio gaudẽs, & cõuitio lætа respondit: *Etiã Domine.* Canẽ se essẽ, fatetur. Quid ergo expectat, quæ sic asperè tractatur? Cur ab incepta deprecatione vel rubore suffusa nõ desistit? Mira fiducia Gentilis fœminæ: animosa spe, cũ repulsã patitur, erigitur. Verum vnde ipsius fides animatur, quod tã ĩportunè insistit? Pauca Basilij de Seleucia verba accipe, sed magnũ acumẽ: sic enim pro Chananea respõdit. *Contumeliam teneo curationis pignus.* Piæ præsumens de magnificentia diuina ex verbis contumeliosis, quibus consentit, credit se impetraturã, quod petit. *Etiam Domine.* In spem salutis vertit verborũ acerbitatem, pignus curationis putauit indignatę elocutionis stylum. Succinit Chrysolog. serm. 53. *Ideo certe eam repellebat, vt ad hanc*

Math. 15. v. 26.

Basili. de Seleuc. orat. 20.

Chrysolo.

uotem consequentia rerum cõueniret, sed fulgente corona mulierem ornaret. Annuit Deus postulatis, dum verba acerba præmittit,& quasi reuelasset, concupita daturum,ex seuera negatione fiducia Chananææ erigitur. Nõ aliter deficiente vino in Cana nuptijs, vbi Christus cum matre aderat, pia virgo ad ipsum accurrit,& necessitatem representat *Filij vinum non habent.* Ioan. 2. v. 3. Cui Christus: *Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Tunc autem quasi beneficiũ impetrasset. *Dicit ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.* Grande hic latet mysterium: nam ex verbis filij non potuit mater eius subuenien di voluntatem augurari. Si Christus negat, qua fiducia ministris præcipit, aquam parare ad miraculum? Nam illa præparatio futuram conuersionẽ respiciebat. Quo ergo pacto obnititur Maria contra voluntatem expressam filij. & adhuc conatur fieri quod omnipotentia videbatur recusare? Optimè Glos. Interlineal. rationem indigitat. *Etsi videtur negare filius, scit mater pietatem eius: ideo fiducialiter imperat ministris.* Et paulò explicatius D. Maximus hom. 1. in Epiphan. *Venerabilis Maria solicitè ministros admonuit: quodcunque dixerit vobis facite. Sciebat profectò mater sancta, obiurgationem illam Domini filijque sui non irascenti offensam prætendere, sed miserentis portare mysterium.* Audierat pia mater, quæ filij genium optimè nouerat, verbum illud asperum *mulier*, quo illam repulerat, & exinde magna fiducia auspicabatur miraculum. Dei insuauia verba miserantis portat mysterium: hoc enim sacramentum latet in ipsius verbis rigorem eructantibus, quæ nihil minus significãt, quã quod significare videtur. Præsens verborum acerbitas prophetia est subsequendę pietatis: nam supplicia semper clementia compensat, & reciprocat cum iustitia misericordiam.

Ioann. 2. v. 3.

Glos. Interlineal.

D. Maxi.

90 Isaię cap. 10. latè loquitur Prophetа de Assur Assyriorum Rege, quem Dominus in vindicem assumpsit ad punitionem populi,& in virgam, qua illum erat percussurus. *Væ Assur virga furoris mei.* Vixque de hac virga erat locutus, cum ad aliam in eodem cap. transit. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Per huiusmodi virgam communiter Expositores Beatissimã Virginẽ intelligũt, ex qua pulcherrimus Verbi Diuini flos erat ascensurus. At cur virga Assur furoris & indignationis plena cũ pijssima Mariæ virga coniungitur? Cur tam distantes,& aduersæ naturæ virgas quasi in vno periodo inseruit Vates? Opportunè Rupertus ad prædicta verba. *Optima appositio: Supra ostenditur ille spiritualis Assur virga furoris Domini, et in manu eius baculus indignationis eius. Ecce virga autẽ gratiæ, virga requiei Dñi Mariа, et in illa flos in quo habitet, super quã requiescat amoris plenitudo Diuinitatis.* Quasi dicat: postquã suppliciũ ab Assyriorũ Rege infligendũ Propheta demõstrauit, æquum erat,& Dei ingenio affine, vt magnũ indicaret beneficiũ, quale Verbi Diuini erat incarnatio: nam semper cum Deus ira inardescit, ad misericordiã deflectit,& impetus iustitiæ pacatũ misericordiæ portũ denũciat. Hinc cũ impij Herodis iras Christus declinare voluisset, *Apparuit Angelus Dñi in somnis Ioseph dicẽs: Surge, et accipe puerũ, et matrẽ eius, et fuge in AEgyptum, et esto ibi vsquedũ dicã tibi: futurũ est enĩ, vt Herodes quærat puerũ.* Matth. 2. v. 13. O quã videtur hæc Angeli monitio parũ tuta, siquidẽ ad infensissimos AEgypti hostes puerulũ mittit. Ad terrã, quę sẽper Dei populo inimica extitit, ipsũ Deũ cõfugere consulit? Fortè maius imminebat periculum in præsidio, quam in ipso discrimine. Cur non in aliam regionem ducit infantem, sed in illã, quæ ipsius præsentiã tot flagitijs demeruerat? Perfectè Imperfecti operis Auctor hom. 2. in cap. 2. Matth. difficultatem solvit. *Sed etiam recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur, nec in æternum indignatur, quanta mala fecerit super AEgyptum: ideo mittit filiũ suum in eam, et dat illi magnæ reconciliationis signum, et perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas*

Isaiæ 10. v. 5.

Cap. 11. v. 1.

Rupertus

Matth. 2. v. 13.

Imperfectus.

AEgypti

AEgypti vna medicina sanaret. Percusserat olim Deus AEgyptum magna plagarum tempestate, & ne prę-
ter morem à sua misericordia esset exterris, cum fugere decernit, ad ipsam pergit, vt ipsius præsentiæ fauore honoraret, quam antea supplicijs afflixerat. Huc etiã respicit, quod loquens Euangelista Matthęus c. 4. de de initio prædicationis Christi, primò adducit testimonium Isaiæ terrę Zabulon, & Neptali, quæ primò beneficium prędicationis Euangelicæ excepit. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: terra Zabulõ, et Nephtalim via maris trans Iordanẽ Galilæa Gentium.* Dubitat hic Hieronym. cur tam præclarum beneficium his primo populis Dominus contulerit? Et respondet: *Hi primi audiuere Dominum prædicantem, vt vbi Israelis fuerat ab Assyrijs prima captiuitas, ibi Redemptoris præconium nasceretur.* Sic accidit, quod hæ tribus antè omnes transmigratæ fuerunt in Babyloniam: conueniens ergo fuit, vt quos Dei ira ante percussit, primo Dei misericordia visitet. Vbi primo præiuit iustitia, primo accurrit clementia, quia hęc cum illa vices reciprocat, & seuerioris vindictę rigor occasio solet esse profusioris clementię.

Math. 4. v. 15.

Hieronym.

91 Punierat Deus magnum Sacerdotem Zachariam vocis ablatione, eo quod Dei verbis non crediderit qui in senectute magnum illi filium pollicebatur. *Et ecce eris tacens* (inquit text) *et non poteris loqui vsque in diẽ, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo* Lucæ. 1. v. 20. Postea loquela ipsi restituitur, & cum ingenti lucro, nam quo antea caruerat, prophetię dono imbuitur. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu Sancto, et prophetauit dicẽ: benedictus Dominus, Deus Israel* &c. Vnde Zacharias ventura vaticinatur? Pro Sacerdote quidem habetur, sed Prophetam esse nemo nouerat. Ex quo igitur ad tam facundam eloquentiam ex priuatione vocis peruenit, vt non solum præsentia, sed & futura prænoscat? Optime Ambros. Dei ingenium, & naturã exinde rimatur. *Bonus Deus, et facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit: nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorũ præmia diuina desperet: nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum: ille siquidem dudum mutus prophetizat.* Preme illud *non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Supplicium pro incredulitate illatum non modo abstulit, verum etiam magno prophetię compensauit beneficio, silentium fęcundiori commutauit loquela, & quod iustitia exigente puniuit, misericordia auxiliante cum maiori commodo abstulit: quia vberioris clemẽtię præambula supplicia sunt signa. Vnde ad captiuitatem, quam populus in Babylonia patiebatur, potiorẽ quam antea libertatem consecuturũ, Dominus pollicetur, & ex verbis, quę terrorem Prophetæ incusserant, mirificum suę misericordiæ opus subsequi præsagiebat. *Domine audiui auditionem tuã, et timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic vers. 2.

Ambros.

Lucæ 1. v. 20.

ANNOTAT. XX. MORALIS.

REGIMINIS INVERSIO GVBERnatorum garrulitas.

92 RAro verba rebus non obsunt. Languet operandi vigor, qui in verba inutiliter euaporatur. Ille tantum opus absoluit feliciter, qui manibus addit, quod linguę detrahit. Intemperata lingua ardorem animi infructuosè euacuat, & nulla res executioni (vt par est) mandatur, vbi non præcauentur prętia ipsius verba. Prudentioris sapientiæ ministros Chrystus Dominus Discipulos suos constituens monebat illos *Stote prudentes sicut serpentes.* Anguis cursus dubius est: nam dum obliquis ãbagibus se intorquet modo in hanc partem declinans, modo in aliam, nemo, quo vadat, intelligere potest, motum enim in vnam partẽ signat,

Math. 10 v. 16.

& ad aliam pergit. Sic oportet cõsilia regiminis abscondere, vt nemo, quo dirigantur, agnoscat. Executio verba anteuertat, & gressus consilij semper in occulto sint; omnes lateant, sicut Dei pedes (quos Seraphini pennis occultabant, *et duabus velabant pedes eius*,) nulli erant manifesti, ne illorum reuelatio decretorum energiã euerteret: præstat enim, vt ministrorum cõsilia populus non intilligat, sed veneretur. Lingua, & calamus semper cordis periculosa sunt instrumenta: nihil sic retardat, & eneruat difficiliũ negotiorum executionem, ac leuis eorum reuelatio, hoc enim excidium regni, & totius prudentis œconomiæ solet esse peruersio. Vnius ministri garrulitas sat est fascinare multorum vtiliora consilia. Hinc enim dicebat Dauid: *Beatus vir, qui non abijt in cõsilio impiorum, et in cathedra pestilẽtiæ non sedit.* Psalmo. 1. At quæ illa pestilentiæ cathedra erit, aqua pestilentię contagium in populum serpit? Quę illa consilia sic infatuata, vt in regni perniciem euadant? Ex Hebræo vertit Lorinus. *Cathedra pestilentiæ significat reuelatores secretorum.* Nihil aliud est silentiũ reuelare [maximè quod inter consiliarios versatur] quã rempublicam funditus euertere. Non otiosè natura cor in scrinio pectoris recondidit, ne inuestigaretur, & ipsius cogitationes omnes laterent: quotiescumque enim quæ in ipso latent, reuelantur, nutat ad ruinam respublica, & tota regni structura infeliciter ruit.

Psalm. 1. *v.* 1.

Lorinus.

93 Præcepit Deus Moysi, vt Pharaonem vrgeret terribilibus plagis, & populum educeret de terra AEgypti. Adest coram ipso, Diuina portenta patrat: cruentat aquas: parturit pulluis innumeram cyniphum multitudinem: virgam in serpentem conuertit; & ad omnia hæc impauidus stetit Pharao. Educit ingentem ranarum vim, & vix eam agnouit impius Princeps, cum Moysem & Aaronem ad se accersiri iubet, & obnixè deprecatur, vt abi pso importunam ranarum multitudinem auferant, ipsisque libertatem populi pollicetur. *Orate Dominũ, vt auferat ranas ame, et apopulo meo: et dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Exod. 8. v. 8. O quã onerosa Dei vestri manus est: ipsum exorate, vt ranas exterminet, quibus molestissimè regnum cruciatur, & concupitam vobis libertatem concedam, ne regni excidium hac plaga grassante experiamur. At vnde Pharao ex ranarum infestatione regni ruinam præsagit: præcipue cum reliquas plagas despexisset? Horret ranarum irrequietã multitudinem, qui draconem ignem spirantem non abhorruit? Qui ex Nili fluentis vnica illius regionis aquarũ scaturigine in sanguinem conuersis ipsius ruinam non timuit, ranarum inermium, & nihil præter fastidium damni afferentium multitudinem formidat? Quid prętet incommodũ, & molestiam sentiebat Pharao, quod tam festinanter illius plagæ importunitatem à se expellere conatur? Auscultа Lyram, qui ex Hæbreo accepit, ranas non tantum terras Pharaonis inundasse, sed etiam interiora corporum, nam vix AEgyptij ora aperiebãt, cum ad penetralia corporis ranę trãsmigrabant. *Dicunt Hæbræi, quod non solum intrabant ranæ loca AEgyptiorum, sed etiam corpora eorum.* Hæc autem exitialis plaga regni fuit, & semper erit: nam quandocumque regnũ intra se ipsum, intra ipsius Gubernatores & Consiliarios, qui interiores partes reipublicæ sunt, habeat aliquos canentes, & nociua garrulitate intima gubernationis secreta reuelantes, ad ruinam properat. Ranę inconcinna loquacitate intra AEgyptiorum corpora continuo coaxabant, & vbi interiores voces audiuit Pharao, & intra corda contineri, quæ illius secreta pandebant, de regni excidio anxius plagam, quę illud minitabatur, ab illo remouere satagit; semper absurdè sonãt cordis verba, & eorũ, quę ab ore exeunt, semper pœnitendum est. Distemperata lingua non solum molestat aures, sed & regni armoniam violat: regnum confunditur, vbi tumultuaria, & inconsiderata verba illius

Exod. 8. *v.* 8.

Lyra.

regi-

regimini intendentes effundunt.

94 Decreuit Deus extructores turris Babelicæ destruere,& ad id non fulgura mittit,non inimicos armat, sed ipsis ædificatoribus supplicium committit. *Veniteigitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Gen. 11.v.7. Et cur non tigrides,aut leones mittit,qui insolentis audacię meritas pœnas sumant? Cur ipsorum linguas confundere grauius supplicium Deus existimauit? Crediderim: quia quæ ab alijs supplicijs poterant sustinere, ab exteriori hoste veniebant: at quę à cõfusione linguarum,ab interiori patiebantur inimico, & nullum aliud bellum domestico est cruentius. Linguis inter se pugnent,digladientur secreta pandentes,cordis intima & abstrusa decreta manifestentur per linguarum malignos traduces, & superque satis remanebunt destructi, ac puniti. Sic Philip.Abbas de silent.Clericor.c.10. *Illis hæc confusio Diuino est ordine distributa,vt singulis gentibus singularis lingua sit attributa.* Superborum pœna grauissima linguarũ varietas fuit, & vltima illorum ruina ipsorum loquacitati commendatur: quia in qua cumque republica garrulitas viget, vltimum exterminium imminet, neque ad illud indiget exteriori gladio. Vbicumque Deus vult regnum confundere, Gubernatorum incautam loquelam permittit, & vbicumque illud stabilire studet, silentium consulit.

Genes. 11 *v.7.*

Philipus. Abb.

95 Prępărabat Deus Moysem in populi Principem: cum autem in Nili fluẽta esset iactatus,& in tutela filię Pharaonis receptus,quæ illius pulchritudine allecta ipsum seruare studuit, & à cruenta executione eripere, tribus mensibus puerum cęlitus sibi datum recondidit. *Videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Exod.2.vers.2. Cur futurus populi saluator absconditur,& alto silentio reticetur? Cur Deus non statim illum detegit, vt & Israelitæ in nouam spem erigantur,& maior terror incutiatur AEgyptijs? Præstaret, quod Hebræi saluatorem suum agnoscerent, vt fortiori animo aduersa tolerarent. Verum Deus,qui alta politia regiminis populi fundamenta iaciebat, Moysem reuelari renuit,suppressit silentio, obuoluit taciturnitate, vt quæ in populi beneficium cogitabat,ad optatum peruenirent finem: nam aliter Moysis vita periclitabatur, & tota Hebræorum spes. Extat Principibus in exemplum Pharaonis filia,quæ auribus non commisit secretum, vt quod mente versabat in fauorem Moysis,opere complere: mira sagacitate sibi soli fidit, quod alijs commissum credebat frustrandum. Procliue est huc vocare Beatum Thomam Archiepiscopum Valentinum concione 2. de Annunciat. *Discite occultare secreta: discite ostensa vobis celare mysteria: siquid secretiore mentis cubiculo in aure cordis auditis,nõ statim effundere: super tecta: ad nos illud Prophetæ verbum spectat: secretum meum mihi.* Qui absque delectu ea reuelat,quæ rationis velamine sunt occultanda (maximè quæ ad publicam vtilitatem spectãt) communis calamitatis fit reus,& indignus,vt ea accipiat,quę seruare nescit. Nihil tam expedit reipublicæ Gubernatoribus, quam silentium. Nihil tam extollebat Sponsus in dilecta Sponsa, cui secretiora negotia committebat. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Cant.4. v.3. Communiter Patres hic fidelitatem in seruando secreto commendatam agnoscunt: nam in funiculo coccineo,cui labia assimilantur, allusionem fieri ad vittam coccineam,quam in fenestra apposuit Rahab, quę insecreto habuit exploratores à Iosue missos, vt ciuitatem Iericho considerarent,arbitrantur: proindeque metaphoricè hęc verba accipiunt. Verũ comparatio diminuta videtur, nam cum duo sint labia,non vnico,sed duplici coccineo funiculo debuit conferre. Si ruboris encomium voluit exprimere,& coralina, aut rosea labia habere;in duabus vittis pulchriori metaphora id laudabatur. Vt quid igitur huiusmodi oris venustatem vna tantum significauit vitta? Suspicor: quia labia cum ad loquendum aperiun-

Exod.2. v.2.

S. Thom. Archiep. Valent.

Cant.4. v.3.

riuntur, duabus virtis assimilantur: at cum sigillantur silentio, & taciturnitate contrahuntur, vnam tantum vittã referunt; hoc autem maximè delectabat Sponsum, Sponsę labia silentio obsignata videre. Huc fortè respexit Ghisserius, qui putat comparationem fieri ad vittam, *Eo quod labia pulcherrima sint, cum concluſa conſpiciuntur ex ſilentio.* Gratissima oris pulchritudo non arridet Sponso, cum labia ad loquendum separantur, sed cum silẽtio clauduntur. *Et* idcirco recondita mysteria ipsi reuelare non recusat, quia illa (vt par erat) seruare præsagiebat, nulloque pacto nocituram ipsius decretis Sponsæ inconsideratam loquelam. Hinc enim cum Propheta Deum agere de arcano incarnationis mysterio, videret, ipsumque illius notitię commendare, non audet loqui, sed timore correptus obstupuit. *Domine audiui auditionem tuam, et timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic v. 2.

Ghisserius

ANNOTAT. XXI. MORALIS.

HOMINES NON EX REI PATRATÆ merito, sed ex patratoris fama rem existimant.

96 QVANTVM fama interſit, nouerit quisque hominum ingeniũ fuerit expertus, qui opera non ex illorum valore, sed ex opinione auctoris habita taxant. *No las aprecian por el precio, si no por la hechura.* Vitrum in manu diuitis adamans reputatur, & adamans in manu pauperis vitrum creditur. Clarissima gesta, vbi nulla auctoris habetur opinio, vilescunt. Excelsum putatur, quod persona decorata facit; at hoc ipsum, si humilis efficiat, abiectum videtur. Nisi probatus sis apud spectatores, nullius valoris opera exhibebis. De opinione antea habita venit operis opinio. Sublimitas patratoris fidem captat: nam fide mensurantur gesta, non discursu. Quem traditio communis commendat, nihil ingloriè facit, etsi peruersè operetur; cui non lenocinatur applausus, nihil non facit contẽptibile, etsi egregia opera faciat: quia ex personę opinione ipsius gesta censentur. Semel, & iterum venit Christus Dominus in terram Genesar. Primo non benè excipitur ab habitatoribus, qui ipsum à suis confinibus eijcere satagebant. *Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Ieſu, et viſo eo rogabant, vt transiret à finibus eorum.* Matth. 8. v. 34. At cum secundo ad eos accessit, miserũt ad illum omnes male habentes, quibus fauere obnixe deprecabantur, ipsumque magnopere honorabant, & beatos se credebant, si saltem illius fimbriam attingerent. *Et rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, et quicumque tetigerunt, ſalui facti ſunt.* Matth. 14. v. 36. Mirâ hęc fuit illa rerum commutatio. Cur Genesareni tanta auiditate nunc Christũ excipiunt, quem paulo antea à se relegarunt, & modo mirifica ipsius opera extollunt, quæ tanquam nullius pretij paruipenderant? Quæ tam subitæ, & insperatæ mutationis causa extitit? Optimè Maldonat. ex Chrysost. *Creuerat miraculorum eius fama. Creuerat (vt ait Chryſoſtomus) eorum fides.* Non personam ex opere, sed opus ex persona existimabant: non à factis Christum extollebant, siquidem dum primo ad illos venerat, maxima miracula patrauerat, sæua dęmonia ab hominibus eijciendo; sed à fama, quæ tempore iam accreuerat: idcirco primo Christum à se eijciunt; nunc autẽ cum maxima veneratione recipiunt. Eadem opera quę exigua & nullius valoris reputabantur, magna & sublimia postea videntur, *Quia creuerat miraculorum eius fama:* Et ipsa factorum valor crescebat. Quandiu opinione caruit, obscura videbantur eius opera.

Matth. 8. v. 34.

Matth. 14. v. 36.

Caietan

Chryſoſ

Maldon.

97 Similiter accidit, cum Christus Dominus templum Ierosolymæ ingressus ementes & vendentes eiecit: nam cum primò eos expulit, signum potestatis, cuius virtute id faciebat, petebant mercatores. *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis.* Ioan. 2. v. 18. At cum secũdò eos eiecit, licet acriùs tracta-

Ioan. 2. v. 18.

tractauerit illos fures & latrones cõpellans, nullum potestatis signum exegerunt. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam spelunca latronum.* Cur cum acerbius feriuntur, obmutescunt, neque causam potestatis exigunt; cum vero honestiori vocabulo reprehenduntur, ausi sunt rationem potestatis petere? Fortè tacent, cum latrocinij insimulantur? O quam obiectum vitium vires animi eneruat, & quam imbecillis fuit semper culpa. Cum fures vocantur, & eorum delicta deteguntur, non audent loqui; & cum mitiori loquela arguuntur, insurgunt, & de Christi potestate audacter interrogant. Quæ tanti discriminis causa? Auscultа Caiet. *Aduerte, quod ista electio* (de illa quam Ioannes narrat, loquitur) *fuit prima inter scriptas ab Euangelistis: nam ista facta est paulo post miraculũ in nuptijs, antequam tot miracula in Galilæa faceret; alij autem Euangelistæ narrant gesta similia paulo ante passionem Christi.* Explicatius, & melius D. Chrysost. Chrysostom. hom. 22. in Ioann. *Non eodem tempore, sed in operum suorum initio fecit illud iam passionis tempore appropinquante: quare vehementiori castigatione vsus latronum spelunca appellauit; nunc in ipso initio remissius agit.* Signa Iudęi exigunt potestatis, qua Christus eos primò à templo ejiceret, etsi remissius eos tractauerit: quia illud initio suorum operum fecit; at iam passionis tempore appropinquante, etsi durius illos reprehendat, etsi vehementiori castigatione appetantur, non audent rationem potestatis petere: quia iam miraculorum Christi maximè fama creuerat, ipsiusque opera in magna veneratione erãt, nullusque maximæ auctoritatis esse dubitabat. Illam eandem electionem, quam initio Christus fecerat, & Iudęi improbabant, quia fama & opinione carebat, postea reuerenter excipiunt, quia iam fama ipsi pondus auctoritatis accreuerat.

Math. 21. v. 13.

98 Premiserat Saul filiam suam Merob in vxorem viro, qui interfecisset Goliat: quem cum occidisset Dauid, fecit cum Saul tribunum super mille viros, dicique ei præcepit, centum Philisthinorum præputia necessario allaturum, vt optatis potiretur nuptijs. Postea succedentibus rebus, & strage Philisthinorum facta postulauit Dauid vxorem suam Michol, eo quod quę promiserat adimpleuit. *Misit autem Dauid nuncios ad Isboseth filium Saul dicens: redde vxorem meam Michol, quam desponsi mihi centum præputijs Philisthijm.* 2. Reg. 3. vers. 14. Egregiè se gesserat Dauid in Philisthinorum clade; at multo præclariùs in certamine cum Goliat inito: vtriusque glorioſi facinoris filia Regis in vxorem promissa pręmium erat. Cur igitur cum expostulat, non illam promeruisse ait ingentis mollis Goliat occisione, sed Philisthinorum strage? pro vtroque facto Regis stabat promissum: gigantis profligatio omnem superabat fortitudinem, & in honorẽ totius populi redundabat, siquidem ea opprobrium abstulit ab Israel. Si potiundæ nobilis puellę spe ad vtrumque se erexit facinus, cur mortis Goliat non meminit, & Philisthinorum mortem tantũ allegat? Arbitror: quia quando Dauid ingentem illam deiecit membrorum proceritatem, & giganteam fortitudinem superauit, parvus & contemptibilis erat, nullumq; suę animositatis factum extabat: ignotus erat omnibus, ita vt interrogaret Saul: *De qua progenie est iste adolescens?* 1. Reg. 17. v. 58. Agnouerat optimè, hominum facinora non ex ipsorum meritis, sed ex opinione operantis taxari, nulloque in pretio haberi, & inglorię prętermitti, quæ à persona sunt nulla opinione celebri: ideo que filiam Saul non expetit propter trophæum de Goliat reportatum: quia quamuis glorioſissimum esset in se, obscura patratoris opinione deuenustabatur, & nullius reputabatur pretij; at cum eius fama accreuerat, partisque victorijs vigebat, non verebatur filiam Regis postulare, quia illam apud omnem populum Israel promeruisse credebat. Factum à fama condecoratum retulit, etsi non tam

1. Reg. 17. v. 58.

illustre

illustre esset, quia ipsius præconio totius existimationis dignũ videbatur.

De Christi sequela, & bonorum amissione maximè gloriãtibus Apostolis omnium nomine dicebat Petrus ad Iesum. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Matth. 19. v. 27. Cui Christus: *Amen dico vobis: vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos.* Videtur Christus non plenè satisfecisse interrogationi Petri, cum in recessione eorum, quæ ipse ad meritum allegauerat, rerum omnium desertionem omittat. Ille & sequelam, & bonorum derelictionem representat. Cur igitur Christus non computat omniũ rerum pro virtute desertionem? An Præclarum huiusmodi abrenunciationis opus contemnit? Non ne id quasi præexcelsum, & in paucis arduum consuluit adolescenti totam legem obseruare assueto? *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Matth. 19. v. 21. Vt quid igitur tam illustre opus Christus prætermittit, nec illud ad præmium imputat? Præclarè D. Hieronym. *Non dixit: Qui reliquistis omnia: hoc enim et Crates fecit Philosophus, et multi alij diuitias contempserunt; sed qui secuti estis me, quod proprie Apostolorum est.* Scilicet: perillustris est voluntaria paupertas, & quæ aliàs princeps in beatis reputatur, & remuneratur ante omnes: at quia in Crate, & alijs huius fœcis hominibus reperta est, ideo censet Hieron. à Christo Domino ingloriè præteriri. Eam dumtaxat recẽsetvirtutẽ, quę in Apostolis reperitur. Ecce tibi virtutẽ alioqui excelsam planè deuenustatã, quia in Crate homine infideli & ambitioso inuenta est: quasi opus non tam ex opere, quam ex operante censeatur: quasi homines non ex facti valore, sed ex opinione facientis illud reputent, nec magnum aliquid existiment, nisi quod ab homine factum est, qui apud illos pluris estimetur. Huc respicit, quod demirati Iudæi de altitudine doctrinæ Christi Domini, & volentes illum calumniari dicebant: *Vnde huic sapientia hæc, et virtutes? Nonne hic est fabri filius?* Matth. 13. Quid refert non adiscisse, si doctus est? Quid ex abiectis esse parentibus, vt scientia plenus sit? Vt quid ex arte patris filij discredunt doctrinæ? Subtiliter Chrysolog. serm. 48. *Dicebant fabri filium, vt arte vili ars lateret auctoris.* A qualitate subiecti sapientiam deuenustare contendebant: quia personæ obscuram habebant opinionem, sublimia facta obscurare satagebant: quia nihil magnum ille creditur efficere, aquo nihil magnum speratur. Semper suspicio ad deteriorem partem inclinat. Iudicium peruersè vitiatur, & incredibilis habetur excellentia, cuius exigua existimatio habetur. Hoc autem malignũ hominum genium optimè agnouerat Propheta, & vt admirabile opus, quod futurum sperabat, commendaret, & illius sublimaret excellentiam, non ab homine, aquo sœpe opera vilescũt, sed à Deo, cuius opera perfectissima sunt, factum expressit. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Hic vers. 2.

ANNOTAT. XXII. MORALIS.

SIC CHARITAS VRGET AD proximis subueniendũ, vt cum facultates desunt, ad miraculum recurrere compellat.

CHARITAS (vt dixit Paulus) omnia vincit, & adeò se supra naturæ vires erigit, vt ipsius terminos transcendat, & non modo necessaria, quibus subuenit, prouideat, sed quodammodo superflua. Animosa fiducia, & negotiosa solicitudine supra vires audet, & omnipotentiam æmulari videtur, ipsamque tanquam inquilinum habet, & audacter præsumit omnia posse: nam quandocumq; Deus ad necessitatem inuocatur, diuitem, & affluentissimum se exhibet. *Dives in omnes, qui inuocant illum*, ad Roman. 10. v. 12. Ast Deus dives non est in eos, qui illum non inuocãt? Absit.

Absit. Sed eius misericordiam, & omnipotentiæ profusam largitatē notat Paulus, cum semper inueniatur diues indigentibus, & potens ad munificētiam. Nunquam fallitur spes charitatis, quæ pia audacia, cum facultates deficiunt, ad omnipotētiam recurrit. Adeo omnia suppetunt ad inopiam subleuandam, vt nemo ab huiusmodi opere excusetur: quia cum humana possessio deficit, possessio Diuinę potentiæ adest. Ierosolimæ templum ingredientes Petrus & Ioannes ad eius speciosam portam hominem à natiuitate claudum inuenerunt, qui in ipsos intendens, vt eleemosynam ei erogarent, instā tissimè deprecabatur: cui Petrus: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu eius dextera alleuiauit eum; et protinus consolidatæ sunt bases eius, et plantæ, et exiliens stetit, et ambulabat.* Actor. 3. v. 6. in hoc facto non misericors, sed prodigus, non munificus, sed superfluus Petrus videtur; nam cum Claudus non pedes, sed eleemosynam petierit, & ille neque aurum, nec argentum ad eum subueniendum haberet, sufficienter à charitatis præcepto excusabatur, cum ratione suæ miseriæ alienam subleuare non teneretur. Cur igitur vt postulatis annuat, miraculum patrat, cum etsi necessitas inopem, ipsum tamen præceptum non vrgeret? Forte debitorem se agnouit, & adhuc præcepto charitatis obnoxium? Agnouit quidem (ait Hugo Carensis.) licet enim facultates deficerent, vnde pauperi vociferanti succureret, adhuc instabat charitas, & ad miraculum recurrere cogebat, vt pauperis miseriam subleuaret, ipsiusque præceptum adimpleuit, dum pedes contulit. *Non medicinali tarditate duo præcepta adimpleuit* (ait Hugo.) At quomodo adhuc obligabat charitatis præceptum, si facultates deficiebant? An non possibile viribus naturalibus nemo tenetur: præceptum impossibilitate abrogatur, verùm licet in alijs

Actor. 3. v. 6. et 7.

Hugo.

præceptis ita accidat, in charitatis mādato aliter theologizandum est: nam nemo ab illius obligatione cēsetur immunis, etsi vires deficiant, quia cum possibilitas deest, quasi cogitur omnipotentia miracula patrare. Religiosè audet charitas, & piè præsumit sibi nō deficere quidquid Deus potest facere: ideoq; Petrus pauperi dixit: *Quod autē habeo, hoc tibi do.* At vnde Petrus habuit pedes cōferre indigenti, quod sic cōfidēter illos posse largiri præsumat, cū huiusmodi opus (vtpote miraculo sū) naturæ vires excedat, & nullo pacto in hominū sit potestate? A charitate (inquam) quæ omnia vincit, omnia potest, omnia audet: sic enim Deus ad proximos subueniendos vult nos esse propē sos, vt omnipotentiā nobis necessaria etiā miraculosè administrare decernat, ne aliquis de non subuentu pauperis excusationē prætendat.

Scripsit Diuus Paulus secundam ad Corinth. epistolam, & cum sermonem statuisset de eleemosynis elargiendis, sic eos animosè adhortatur. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Cap. 9. vers. 7. Et tandem vt ipsorum charitatem foueat, & ad maiora quam possunt, erigat, concludit: *Potens est autem Deus omnem gaatiam abundare facere in vobis, vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Et cur Paulus dissertissimus Theologus, vt Corinthios ad eleemosynam erogandam instruat, & prouocet, Dei omnipotentiam in medium adducit, & oculis obijcit? *Potens est autem Deus.* Præstaret misericordiam obijcere, vt illius mouerentur exemplo, & Magistri vteretur doctrina, qui alio in loco ait: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Cur igitur dum totis viribus, & energia misericordiam, & charitatem erga proximos Paulus commendat, & fouere conatur, misericordiæ Dei non recordatur, sed omnipotentiam in medium

101

2. Ad Chorint. 9. v. 7. v. 8

Lucæ. 6. v. 36.

prodit? Cur non eamdem virtutem ipsa instruit? Præcipue cum omnipotentia nihil affine habeat cum misericordia, quam docere intendit: quia Dei virtus omnipotens fortitudinem, & inflexibilitatem præsefert: at misericordia teneritudinem, quæ ad imbecillitatem inclinat. Caietan. eo quo pollebat, ingenij acumine difficultatem soluit.

Caietan. *Declarat modo, quanti pendenda est Dei dilectio erga hilarem datorem, primum ex parte omnipotentiæ Diuinæ, et deinde ex parte efficientiæ: potest enim efficere in nobis abundantiam huius gratiæ eleemosynariæ multiplicando facultates.* Pensanda sunt vltima verba *multiplicando facultates*. Quasi dicat: ideo Paulus dum Corinthios inducit ad eleemosynam elargiendam, omnipotentiam Dei in exemplum adducit, vt certò habeant, ipsa suas facultates multiplicari, quatenus ad huiusmodi opus nunquam deficiant, atque si opus fuerit, miracula patranda. Ne igitur angamini penuria, & defícientia bonorum, neque ea excusationem quæratis: nam quod possibilitas verba non valet, omnipotentia Diuina supplebit. Exigua fides est, quæ animum possessione metitur, charitati non sat est quæ potest, facere: sed ad omnia quæ possibilia sunt, se debet erigere, etsi miraculum exigant, quia ipsius census in omnipotentia est, quæ quodammodo ipsi famulatur.

102 Dum Eliseus cum filijs Prophetarum ad Iordanis litora degisset, vt ligna secaret, fortè cuiusdam mercenarij securis in Iordanis fluenta cecidit, quo necesse fuit à labore, cuius ope alebatur, cessare, & ideireo ad Eliseum cœpit clamare. 4. Reg. 6. v. 5. *Heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam.* 4. Reg. 6. versi. 5. Verba sunt animi tribulati, & in necessitate constituti, quasi diceret. Non solum mercede laboris carebo, sed securim, quam mutuo acceperam, solvere cogor. Me miserum, accurre pater necessitati, quam patior. Quibus auditis misericordia motus Propheta ferrum super aquas natare, & ad manus mercenarij miraculose fecit peruenire. Quod admiratione videtur dignũ; scimus enim, huiusmodi raros euentus, qui naturę vires transcendunt, & miracula nuncupantur, sine necessitate nõ effici. Quæ igitur necessitas vrgebat Prophetam, vt opus sic mirabile à Deo impetret, & miracula quasi parvi pendat? Non operis interruptio: nam ibi alij quã plurimi mercenarij aderant: non instrumenti pretium: nam securis parum æstimationis habere poterat. Quare igitur auxiliarẽ Dei omnipotẽtiam prouocat, vt opus mirificũ sine sufficienti motiuo patret? Verũ nõ insufficiens causa miraculi adfuit: audiuit enim Propheta pauperis clamores de sua miseria, & inopia cõquerẽtis, eo quod mercede, qua victitabat, ac securi, quã solvere necesse erat, careret: & ita misericordia super huiusmodi miseria fuit cõmotus, vt materia ipsi sufficiens ad patrandũ miraculũ videretur. Fortè non habebat Propheta, vnde necessitati succurreret, & cũ aliunde subleuare miseriam non posset, ad miraculum recurrit: sciebat enim ijs, quibus necessaria desunt, vt pauperi clamanti sucurrant, omnipotentiam Dei esse manciparam, pauperumque æratium in illa esse, ita vt nunquam diffidere liceat. Nam cum pauperis inopia instat, supra possibilitatem charitas debet audere, & cogitare, quod *non habeo* pro excusatione non habetur, cum facultatibus deficientibus, facilis sit ad omnipotentiam aditus.

103 Pergebat Christus Dominus in Ierusalem, & cum fame torqueretur, nec haberet vnde se reficeret, videns frondosam ficum non longe ab itinere, accessit ad illam suspicatus fructũ percipere. Verum cũ illius ramos scrutaretur, non inuenit nisi folia tantum, iraque inardescens contra illam cœpit anathemata, & maledictiones supra ipsam inducere. *Nũquã ex te fructus nascatur* Matth. 21. v. 19. Hoc autem, vt ex meliori tẽporum supputatione constat, mense Mar-

Mat.21 v.19.

Martij accidit, & nisi Euangelista testaretur, incredibile videbatur: nam tunc temporis ficus non affert fructū, nec natura producit: quod & ipse Euāgelista expressit. *Non erat tempus ficorum.* Marc. 11. Quare igitur quod ficus non valet largiri, & naturæ vires excedit, illi ad culpam imputatur, & quasi fructum haberet, & eum denegaret, execratur, & maledictionibus impetitur? Sed id ita contigisse, vt in ficu nos moneamur, non est dubium: accessit enim ad ipsam Christus fame afflictus, & postulans suæ necessitati subsidium, & dum ficus impossibilitate naturali excusatur, non satisfacit, & maledictionibus oneratur, vt nos instruat, quod cum pauper postulat, etsi vires deficiant, nemo impossibilitate excusabitur: nam tunc expediet ad miraculum recurrere, & illegem Dei potentiam adire, vt necessaria ad inopem subueniendum administret. Nam eo pacto, quo nos tenemur vltra vires audere ad subueniendum, & ipsa ad elargiendum cogitur, vnde id fiat: voces enim pauperis & nos compellunt, & ipsam vrgēt. Hoc autem per exaggerationem dictum accipe.

Marc. 11. *v.* 13.

104 Adfuit Christus Dominus cum MARIA Matre sua in Cana nuptijs, & cum inter epulas vinum deficere incœpisset & pia mater præsēsisset Filio necessitatem proponit, eique succurrere deprecatur, quod, etsi cunctanter, fecit a quam in vinum conuertens. Quærūt Interpretes, quæ causa vrgeret, vt Christus miraculum efficeret, & MARIA postularet, maximè cum hoc fuerit miraculorum initium. Vnde Mater didicit, Filium miracula posse patrare, cum non esset experta? Vnde Christus impulsus, vt tam mirificum opus efficeret? Scio, aliquot ex Patribus id reuelatione compertum habuisse affirmare, scio alios arbitrari, Christum alia signa effecisse MARIAE tantum cognita, vnde illa ad exorandum fuit erecta, quod verosimilius videtur: sed ad institutum reor, MARIAM miraculum expectasse à necessitate, qua Filium vrgebat, & ipsum ab ipsa necessitate cogi, vt miraculum patraret: defecerat enim vinum, apparebat necessitas: vt igitur MARIA necessitatem vidit, Filio intimauit [*Fili vinum non habent.* Ioann. 2.] secura, quod cum deficeret vnde suppleretur defectus, miraculosè id fieri debebat, & charitatem vires administrare excitando omnipotentiam ad miraculum. Licet concedamus Christi miraculosam virtutem Virginem latere, eam à charitate haurire non dubitabat, & propterea miraculum confidenter expostulat: nec Christus tam à Matre postulante, quam à necessitate vrgente vrgebatur: illa enim verba *Quid mihi et tibi est mulier?* animi compulsi, & coacti sunt. Ac si diceret: quid te ad exorandum, & me ad efficiendum hæc necessitas compellit? Sic enim piè audet charitas, & tam animosa fide, quod necessitas exigit, expostulat, vt coacta omnipotentia ad subueniendum accurrat. Quid magis retardare potuit Dei munificam liberalitatem, quam erga homines ostendit homo factus, quam ipsorum flagitia? Et nihilominus quia necessitas instabat, & non aliunde homini remediū poterat prouideri, admirabile opus Incarnationis exurgit, vt extremæ hominum indigentię præberet subsidium. *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Hic vers. 2.

Ioan. 2. *v.* 3.

ANNOTAT. XXIII. MORALIS.

AVDITORIS CONSCIENTIA optima sermonis interpetatrix est.

105 FACIS *rem optimam* (aiebat Seneca ad Lucilū epist. 41.) *et tibi salutarem, si vt scribis, perseueras ire ad bonam mentem. Quam stultum est optare, cum possis à te impetrare?* Nulla est verborum genuina interpretatio præter illam, quam ipsius auditoris conscientia dictat: quoniā

Seneca.

que exterius legitur in faciei notis, æstuat interius fædæ culpæ conscientia, & semiun peccati nullus tam clausa habet, quod non appareant in vultu. Qui ad culpæ reprehensionem rubent, tacitum in præcordijs crimen tali nota oculis obijciunt. Sicut mula quæ interius læditur vlceribus, recalcitrat, dum clytella alijs iacitur, suaque vulnera prodit, dum refricari suspicatur. Qui podraga laborat, ad tactum sindonis ingemit, & non mala passus dolet timidus. Vnde *D.* Hieronym. Apolog. aduersus Rufinum interioris habitum ex vultu legendum cõ

Hierony. sulebat. *Quando sine nomine contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est.* Qui verbis generaliter dictis pungitur, verax facinoris testis est: nam conscientia, quæ sceleris dirè accusat impium, dum premitur, & torquetur obiurgatione, non potest illum non manifestare. Criminis conceptus, qui in pectore latet, sui ipsius accusator est, quam continet iniquitatem, palam effundit ipsius conscientia premente, & agitante. Sic cum Christus Dominus scribarum, & Pharisæorum pervicaciam in communi reprehenderet vocans illos hypocritas dolosos, quidam ex legis

Lucæ 11. v 45. peritis dixit: *Magister hæc dicens etiam nobis contumeliam facis.* Lucæ 11. vers. 45. Cur præsumptuosus ille pro contumelia propria accepit id, quod alijs, non sibi dictum fuit? Cur iniuria affectum suũ honorem reputauit generali doctrina, quę omnes comprehendebat? Optimè Beda

Beda. in comment. *Quam misera conscientia, quæ audito Dei verbo sibi contumeliam fieri putat, et commemorata*

Caiet. *pœna perfidorum, se semper intelligit esse damnandum.* Argutiùs Caietan. *Scriba iste, quamuis verba IESV dicerentur in genere, arrogat sibi iniuriam, conscientia fortè accusante illum.* Crimen, quod in abditis conscientiæ præcordijs erat occultum, indigitauit, & illius fuit testis fidelis, dum ad verba generaliter dicta vehementer dolet: conscientiam, quæ illum accusabat, prodit, & medicinæ acerbitatem plagæ applicatam præsensit, animique vulnera premente dolore fatetur, & veraciter, quæ dicebantur ad omnes, interpretatus est ea ad se ipsum inflectens. 106

Grassante fame in terra Chanaam, cum Beniamim fratre suo, quem optabat videre Ioseph, & duplicata pecunia reuertunt filij Iacob in AEgyptum. Quos cum vidisset Ioseph, præcepit AEconomo domus suæ, vt in ipsam eos introduceret, quibus lautum conuiuium parabat. At illi in domum fratris, quem vendiderant, introducti, exterriti dixerunt mutuo: *Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, vt deuoluat in nos calumniam, et violenter subijciat seruituti et nos, et asinos nostros.* Genes. 43. vers. 18. Vnde tam peruersa cogitatio in eorum ascendit corda, vt de fratre beneuolo, & qui amoris signa præbere studebat, tam immane scelus præsumerent? Illi Beniamim, quem postulauerat Ioseph, & munera, quæ ipsius animum placarent, at tulerant, ad epulas inuitabantur. Vnde ergo arbitrati sunt, fuisse deceptos, & Ioseph illorum ruinam, & captiuitatem moliri? Nullo enim externo motiuo ad id suspicandum poterant adduci. Præclarè Lipoman. [in Catena] illius cogitationis rationem detexit. *Tales impiorum conscientiæ sunt, vt etiam in prosperis expauescant: malorum enim cum sibi conscij sint, bona etiam mala suspicantur, et quæ alijs securitatem facerent et gaudium.* Liberalissimus erga fratres se exhibere intendebat Ioseph, ad idque ipsos in domum suam adduci præcepit: verùm quia ipsi immani improbitate Ioseph vendiderant, suspicabantur illum idem scelus machinari. Criminis conscientia, quæ interius ipsos cruciabat, docuit in illam cogitationem incidere, & credere in captiuitatem redigi, cum ad delirias inuitantur. Quæ in ipsorum fauorem dicebantur, in perniciẽ accipiebãt, & iuxta cõstitutionẽ animi interpretabantur verba.

Genes. 43 v. 18.

Lipoman.

Mulie-

107 Mulierem in adulterio deprehensã eo, quo solitant, inuidię zelo scribæ & Pharisæi adducunt ad Iesum, & quasi animo addiscendi dolum tegẽtes propudiosi reatus illum arbitrum constituunt. Ille autem, qua vigebat, sapientia dolosum animum in eorum mente descriptum legens, inclinans se deorsum in terra descripsit, & cum accusatores adhuc extitissent, erexit se, dixitque eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat: audientes autem vnus post vnum exibant incipientes a senioribus.* Ioan. 8. v. 8. in Græco est: *Vt à conscientia arguerẽtur.* Verùm si ad omnes, qui delationi intendebant, Christi sermo dirigebatur, & generaliter præcipit lapidem mittere à peccato innoxium, cur primo exeunt seniores? Si omnes accusatores peccatorum erant rei, cur maioris ętatis viri magis punguntur, & primo exeunt? Auscultа Maldonat. in comment. huius loci. *Quod dicit Euangelista sumptum à senioribus initium, indicat, eos primum ac maximè omnium sensisse reprehensionis aculeos, vt qui in peccatis maximè erãt inueterati.* Deprauata conscientia plurimũ pungebat seniores, quia maioribus flagitijs erant immersi: inueterata peccatorum diuturnitate stimulabantur vehementius: & idcirco primi abierunt, quia primi verba, quibus eorum crimina obiurgabantur, de se ipsis sunt interpretati. Germana enim sermonis intelligentia ipsa solet esse, quam auditoris conscientia cogitat: ex vultu sœpe cognoscitur animus, & qui reprehensus pudore suffunditur, signa prębet, in quibus ipsius criminis leguntur notæ. Quæ audiens meditatur, elocutionis solet esse energia. Sic quæ altè concepit ex verbis, quæ Propheta audiuit, ipsorum mysteria penetrauit, & mirabile opus ipsi reuelatum ea, qua decebat, reuerentia excepit. *Domine audiui auditionem tuam, et timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.*

Hic v. 2.

***

VERS. 3. *DEVS AB AVSTRO veniet, et Sanctus de monte Pharan. Operuit cœlos gloria eius: et laudis eius plena est terra.*

ANNOTATIO. XXIV.

EXPOSITIO LITTERAE.

108 PROGRESSVM describit Prophe ta, quem ducente Deo tenuere Chaldæi, sicut tenuerunt quondam Israelitę, quando Chananęorum regiones possederunt: nam sicut quia Dominus pro illis pugnabat, illorum confirmabat animos, & frangebat inimicorum militares vires: sic etiam, quia Deus exercitum Chaldæorum moderabatur, maximas reportauit victorias de Hebræa gente. Cum autem dicitur: *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan*, subaudienda est similitudinis nota: ideſt, sicut olim Deus ab Austro venit, sic etiam modo veniet. Ireneus libr. 4. cap. 17. Basilius libr. 2. contra Eunom. Concilium Smyrnens. canon. 14. & 15. docent, Dei Filium in figura humana apparuisse Abrahę, Moysi, & Aaron, Iudæisque, cum lex data illis fuit in monte Sinai. In nostro autem Vate sine dubio fit allusio ad illud Deuteronom. 33. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, aparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia: in dextera eius ignea lex.* Et Iudic 5. canebat Debora: *Domine cum exires de Seir, et transires per regiones Edon, terra mota est, cœlique, ac nubes distillauerunt a quis. Montes fluxerunt à facie Domini, et Sinai à facie Domini Dei Israel.* Ex quibus locis docemur, Deum venisse in terram promissionis ex monte Sinai & ex monte Seir, qui Hebræis vocatur Theman, & ex monte Pharan: in his enim montibus ostendebat Deus gloriam suam apparens Iudæis cum millibus sanctorum Angelorum, cum luce immensa & maiestate, quam hoc loco etiam cecinit noster Vates. Quia vero mons

Ioan. 8. v. 8.

Maldon.

Ireneus. Basilius. Concil. Smyrnẽs.

Deuter. 33. v. 2.

Iudic. 5. v. 4 et 5.

Theman siue Seir erat ad Austrum Iudeæ: ideo veniens Deus è montibus Themã dicitur ab Austro veniſſe, quia Auſter ventus eſt, qui flat à regione meridionali: proindeque Africus etiã dicitur, licet in aliquibus exemplaribus pro Libonoto accipiatur. Eſt autem Libonotus ventus inter Auſtrum, & Liben, vt ſcribit Damaſcenus libr. 2. de fide cap. 8. & nomen ipſum indicat ex Noto, ideſt, Auſtro & Libe compoſitum: qui ventus occiduus eſt inter ventos meridiei, vt eſt apud Gellium lib. 2. noctium atticarum cap. 22. *Pharan*, vt diximus, locus eſt vicinus monti Sinai (vt habet Hieronym. hic, & ſup. cap. 13. Oſee ad finem) in quo ſe Deus horribilem præbuit, vt dicitur Exod. 19. v. 16. nam ibi *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Vnde forte mons nomen Pharan adquiſiuit, quem Septuaginta vertunt denſum & vmbroſum: quia tũc temporis illum obtexit fumus, & ob vmbrauit obſcura nubes. Deus igitur Iudæis, quos per Chaldęorum gentes debellaturus aduenit, tam horribilis apparebit, quam olim cum tonabat, fulminabat, & totum in circuitu montem nube ac fumo confundebat,

Damaſc. *Gellius.* *Hierony.* *Exod. 19. v. 16.*

109 Communiter in ſenſu allegorico hęc ad Chriſti adventum inflectuntur: & per Auſtrum Bethleem intelligunt, vnde Chriſtus iam homo factus primũ humanis oculis apparuit. Hieronym. quidem refert, Hebræum quẽ dam ita ſe audiente interpretatum: ab Auſtro, ideſt, à Bethleem, quæ ſita eſt ad Auſtrum: nam & Iudęa reſpectu cęterarum partium terræ promiſſionis ad Auſtrum eſt, & ipſa Bethleẽ etiam reſpectu Ieruſalem eſt Auſtralis. Huiuſmodi ſenſum ſecuti ſunt Theodoret. Theofilat. Euthymius, & alij quam plurimi, & Hieronym. in illud Pſalm. 106. *A Solis ortu, et occaſu, ab aquilone, et mari. Legimus* (inquit) *in Habacuc: Deus ab Auſtro veniet; de Saluatore dicitur; quoniam Deus natus eſt in Auſtro, à ſitu enim Ieruſalem Bethleem in Auſtro poſita eſt: propterea dicitur: Deus ab Auſtro veniet.* Et ante eos Tertulianus in lib. de Trinitate ita interpretatus eſt. Id autẽ quod aliqui nec ignobiles Auctores legunt: Deus à Libano veniet, manifeſta deceptio eſt: nam pro Libonoto Libanum acceperunt. Per montem autem *Pharan* qui [vt diximus] vmbroſus, & condenſus à 70. Interpretibus legitur, Ieruſalem interpretantur Theofilat. & Theodoret. quæ omnibus gratijs abundabat, & ſub vmbra Dei erat. Alij Beatiſſimam Mariam Virginem hunc montem eſſe volunt, quia & ſublimior eſt omni creatura, & Diuina virtute obvmbrata, ita Euthymius, & paulo poſt Theofilat. Cyril. Pharan à Bethleem non diſiungit, ſed aliquid ibi agnoſcit, quod ad Chriſti ſacra natalitia pertineat: vt enim in Auſtro Betheleẽ intuetur, vbi natus eſt Chriſtus: ſic etiam in Pharan populum & gentem, vnde mortale genus traxit. Audi illum. *Quia Diuina Scriptura interdum inſignioribus montibus Iudæorum ſynagogam, ſiue populum comparare conſueuit, quod plurimis, longèque celeberrimis viris quaſi arboribus denſa videatur: idcirco nunc cum monte Pharam illam componit dicens è monte vmbroſo et condenſo venturum; vmbroſum autem, et condenſum montem nominat propter patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem prognatus dicitur.* In hoc igitur allegorico ſenſu natus dicitur Deus in Bethleem, in illa, inquam, parte Bethleem, vbi eſt Pharan: ideſt, locus vmbroſus & caliginoſus. Hic autem ille eſt, in quo fuit olim turris gregis, ad quam vigilabant paſtores illi, quibus ab Angelo primum annunciatus eſt Salvatoris ortus: illam enim eſſe turrim nebuloſam, de qua loquitur Micheas, docet Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad illud Gen. 35. *Profectus eſt Iſrael, et exeendit tabernaculum ſuum trans turrim Ader.* Ideſt, gregis. Quod etiã tenent apertè Remigius & Haymo ſup. Michæam, & Bed. in cap 2. Lucæ. Poſt Pharan *Sela* continuo ſequitur in Hebræo, cuius ſignificatio, atque vſus

Tertul. *Septuag.* *Euthym.* *Theofilat* *Cyrillus.* *Remigius* *Haymo.* *Beda.* *Hebræus*

vsus diu fatigauit Interpretum ingenia: nam quid significet, incertum est. Vide Hieronymum in epist. ad Marcel. vbi de hoc late disserit, & inter alia hęc scribit. *Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum vnum è tribus solere subnecti, vt aut amen scribant, aut Sela, aut Salom, quod exprimit pacem: vnde et Salomon pacificus dicitur. Igitur vt solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere explicit, aut feliciter, aut aliquid istiusmodi: ita et Hebræi, vt quæ scripta sunt, roborentur, facere solent, vt dicant amen, aut in sempiternum, aut scribenda commemorant, vt ponant Sela, aut transacta feliciter protestantur pacem subnotantes.* Vide etiam D. August. in Psal. 4. Toletum in Psalm 33. Et Riberam hic. Quidam nihil putant addere ad orationis sensum huiusmodi dictionem, sed tantum signum esse propositũ cantoribus, vt eo mutent numeros musicos, vt contendant, remittãt, aut intermittãt vocẽ. Alij illã apponi arbitrantur, vbi aliquid insigne, valdè optabile, & meditatione dignũ dicitur. In re autem dubia, cuius nec certa coniectura est, nihil aliud inuenio, quod magni referre putem.

Hieronym. August. Toletus. Ribera.

110 *Operuit cœlos gloria eius.* Sine dubio fit alluſio ad illud tẽpus, in quo Deus suam maiestatem ostendit: quia vt dixit Moyses, quando super illis montibus Dominus apparuit, millibus Sanctorum cingebatur, qua nulla maior gloria esse poterat; illi enim myriades Sanctorũ cœlos operiebant præ multitudine: nam & cum locustæ veniunt, cælos operire dicuntur: tantus enim fuit ille splendor, vt dicat text. Exod. 24. v. 15. *Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, et habitauit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus.* & v. 17. *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardẽs super verticem montis in cõspectu filiorum Israel.*

Exod 24. v. 15. Vers. 17.

111 *Et laudis eius plena est terra,* Videntes Chananęi quanta Deus in fauorẽ populi, & contra AEgyptios fecisset prodigia, mare siccans, riuum à petra extrahens, innumeram multitudinem splendidè cælesti pabulo alens, & alia quę in ipsorum confinibus edidit miracula, agnouerunt magnũ esse Deũ, & prædicarunt ipsius gloriam. Laus autem hic pro rebus laudabilibus sumitur: nam actio sœpe pro suo obiecto, vel materia accipitur: quo pacto timor sumitur pro re timenda, & nuper in nostro Vate auditio pro verbis assumebatur, *Dñe audiui auditionem tuam, et timui.* Sic laudes celebrare nihil est aliud, quam celebrare glorioriosa gesta, quæ alicui contigerunt. Quod etiam apud Prophanos vsitatũ est. Sic Virgil lib. 1. Enæid. de Priamo cuius præclara merita videbat, dixit.

En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi. Virgilius.

Idest, meritis & virtutibus. Pro prodigijs ergo & factis hoc loco accipienda est laus: quia nulla fuit pars regionum, vbi Hebræi fuerunt, in qua non extet aliquod *D*iuinę virtutis insignę.

Si autem prędicta verba ad Christi gesta inflectantur, sic debet intelligi, vt suis miraculis cuncta gloria impleuerit, ita ut vbique laudis eius materia se se offerat, & eius fama, atque glorioſum nomen ad cœlos vsque perueniat. Sic Dauid Psalm. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.* Cui simile est illud Maronis. 112 Psalm. 8. v. 1.

Fama super æthera notus.

Tam præclara enim opera Christus erat editurus, vt in cœlum eius gloria peruenire; vnde Hieronym. *Manifestum est, quod in aduentu Christi omnia repleta sint gloria iuxta id, quod in Euangelio dicitur, gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus.*

ANNOTAT. XXV. MORALIS.

CHRISTVS DOMINVS NVLLA ex parte non sanctus et impeccabilis prorsus fuit.

113 DEus ille, qui olim ab Austro, siue à Seir apparuit nobis, & Sãctus ille, qui de monte Pharan ortus est (*Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan*) veniet nobis, inquit Propheta: quem sanctitatis epitecto insigniuit, quoniam & ipse Sanctus est, & per ipsum homines sanctificandi, vt ait D. Paulus ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Ad Rom. 3. v. 24. Vt autem de hac veritate fide sancita dilucidè constet, duplicem cum Vate libet in Christo generationem distinguere: alia, qua à Patre sine matre procedit in illis verbis indicata, *Deus ab Austro veniet*: venit namque de cœlo de sinu Patris, quo aspirare non poterat labor & dolor, neque aliquid eorum, quibus propter peccatum obnoxia est humana mortalitas: est enim paterni sinus, & cœlestis beatitudinis, quò nulla noxa, nullum peccatum ascendit, Auster perquam optimum signum: quia benignus est vẽtus, quo hiemis asperitas frangitur, qui vernum inducit tempus, qui terram fœcundat, atque exhilarat, & ideo ad mysticas nuptias, genialesque dies aduocatur Auster; & Aquilo, in quo peccatum exprimitur, procul secedere iubetur: quia quidquid aspirat, frigidum & ingratum est. *Surge Aquilo, et veni Auster, et perfla hortum meum, et fluant aromata illius.* Cant. 4. v. 16. Auster enim reficit, & fouet, quæ glacies, & pruina decoxerant, laxat plãtas, quas contraxerat Aquilo, stillareque facit odoriferos succos: quę omnia apprimè æternæ Filij generationi conueniunt. Alia est, qua in tempore à matre sine patre fuit ortus, quam indigitant illa verba, *Et Sanctus de monte Pharan*: Nam in illo Theod. Theosilat. & alij Patres Beatissimam Virginem intelligunt. Et ex quauis harum Christus Dominus omnino purus, omnino sanctus, & prorsus impeccabilis processit. De prima nullus est, qui dubitet: de secunda vniuersa confitetur Theologia, Christum Dominum, qua homo est, de quacumq; potentia esse omnino impeccabilem, tum quia non traxit originem ex infecta radice conceptus de Spiritu Sãcto: tum quia gratia vnionis talis, ac tanta est, vt repugnantiam habeat cũ ipsa formali deformitate peccati, & ex vi talis vnionis ex debito omnimoda ei communicata est immunitas à peccato: tum quia Diuinum suppositum, cuius omnes actiones erant, tenebatur eas gubernare, & sanctam reddere humanitatem propter Diuinam naturam humanæ mediatè vnitam. Quod vt innueret Propheta, forsitam dixit: *Sanctus de monte Pharan*. Ideſt, quod Christus remanet Sanctus etiã vt à Beata Virgine ortus est. Vt autẽ hęreticorum ora obtundamus, alijs, sed paucis Sacræ Scripturę locis eadem veritas stabilienda est.

Loquens de se ipso Christus Dominus Nicodemo dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ioan. 3. v. 14. Cur in serpente æneo adumbrari voluit, & non verum serpentem referebat, vt eadẽ forma, qua antiquus & dolosus serpens primos parentes deceperat, illius caput contereret, & exarmaret malitiam? Audi Card. Hugo in comment. huius loci. *Serpens æneus non est vere serpens, nec venenum habet: et ideo significat Christum, qui habuit similitudinem carnis peccatricis, non carnem peccatricem: habuit quidem veram carnem, sed non vere peccatrici similem, vt dicitur ad Roman. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnauit peccatum: ideſt, per theriacam venenum expulit.* Serpentis veneni euacuati imaginem assumpsit, quia culpæ veneno non fuit obnoxius, neque æneũ præfortitudine haberet pectus, si in illo toxicum lateret peccati. Idem habet Caiet. *Assimilat autem IESVS se ipsum in Cruce serpenti æneo in ligno pendenti, eo quod caro eius non caro peccati, sed similis carni peccati erat: sicut serpens æneus non venenosus, sed similis venenoso animali erat.* Peccati tã tum similitudinem in se habuit, vt veritatem excluderet, quia similitudo & veritas non possunt concurre-

114 Ioann. 3. v. 14. Hugo. Caietan.

re:

re: siquidem eiusdem ad se ipsum non est similitudo. Huc enim ipse Dominus respiciebat, cum dixit: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Longe à salute mea verba delictorum meorum.* Psalm. 21. Totum hunc Psalmum ad Christum pertinere non solum Expositores Catholici, sed etiã antiquissima Hebræorum Glosa ante 2000 annos fere scripta docẽt. Queritur de magnitudine doloris, non diffidentiam, sed Crucis acerbitatem, & vehementiam exprimens, vt naturæ humanę statum, & conditionem explanet, vtque non se, ac res suas à Deo negligi, sed auxilium paternũ differri significet. Vnde Hieronym. inquit: *Hic humanitas loquitur: nam in passione Christus derelictus est pro parte carnis.* Sed vt deliramenta, & blasphemias, quę hic Calvinistę impudenter spargunt, irrideas, agnosce Christi impecabilitatem, vbi cęci illam denegant. *Longe à salute mea* (inquit Christus) *verba delictorum meorum:* Quid est delictorum meorũ? Remigius. *Delictorum, quæ sunt meorum, hominum scilicet, quos mihi dedisti.* Vel delictorũ meorum, quæ mihi humani generis causa imputantur: nostra enim peccata sibi propria, suaque fecit, hominum vt pœnas solveret. *Meorum, quia ego expianda suscepi:* (ait Genebrard.) Vbi nota, nõ dici absolutè delicta mea, *sed verba delictorũ meorũ:* fuit enĩ Christus velut mõs, vbi verba delictorũ nostrorũ sonuere. Verba & voces dat homo è monte eminus, & in monte Echo resonat: sic peccata hominũ in Christo velut in Echo sonuere, ibi audiuntur: at lõge à Christo efformata sũt. Lõge à salute mea, & in nocẽtia mea verba delictorum, quæ ego mea feci, vt expiarem, quin inde maculam contraxerim: non erubui aliorum delicta super me portare, quia ex illis nullæ in me remanent sordes, vt dicebat pulchre Bernard. ad milites templi cap. 10. *Quid enim erubesceret Christus? Qui ita lauit nos à peccatis, non quidem vt aqua diluens, et retinens sordes, sed veluti solis radius siccans, et retinens puritatem.*

Psalm. 21 v. 1.

Genebra.

Bernard.

De vtraque Christi generatione æterna, & temporali locutus vtriusq; Pater dicebat: *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Verba non parum fatigata Interpretum commentatione: nam non facilè percipitur, quid per Sanctorum splendores veniat intelligendum. Mitto multa, quę longum & fastidiosum esset recensere, & Belarmini in glosemate huius Psalmi menti adhęreo. *Dici possunt sancti homines splendores Sanctorum.* Ergo Deus Pater se suaq; contemplans, & etiam tot homines Verbum generat & in ęternitate, & in tempore. Verùm cur dicitur sanctos homines tantum respicere, cum de Filij generatione agitur? Nullus enim hominum, etsi improbus sit, subterfugit cognitionem Patris, qua Filium producit: nam cum sit infinita, omnes respicere opus est. Cur igitur tantum in splendoribus Sanctorum Filium gigni perhibetur? Crediderim, vt eius à peccato immunitas, & à qua cumque culpæ suspicione innuatur. Quasi auertens Pater cogitationem suam à sceleratis hominibus, & tantum intendens animum ad pia Sanctorum exempla Filium generat: ne videlicet à malo improborum exemplo aliquod vitium incurrat. Agit Vates nostro concipiendi modo, & Patrem generantem introducit quasi cauentem de contagiosa peccati natura, & de Filij puritate solicitum: omnes enĩ & Sanctos, & iniquos agnoscit cum Filium generat: tamen ad homines Sãctos spectare, & quasi oculos deflectere ab improbis dicitur, vt nihil, quod peccatum redoleat, in Filij generatione concipiatur. Filium producit in splendoribus Sanctorum, ideſt, sanctorum hominum, quasi præcauens, ne obiectum vitium in genitum Verbũ serpat. Huiusmodi autem immunitatis ipse Filius testimonium præbuit, dum tanquam sceleratus supplicio affectus clamabat ad Patrem. *Saluũ me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Substantia (vt Dialectici inquiunt) est pri-

115

Psal. 109 v. 3.

Belarmi.

Psalm. 68 v. 2. et 3.

primum subiectum, & fundamentum, in quo accidentia insunt: pœnæ subiectum culpa est, nam ex illa reatus ad pœnam resultat: vt autem Christus nullum ad supplicia, quæ patiebatur, præbuisse subiectum, nullam habuisse suspicionem culpæ manifestaret, absque substantia pati clamabat: & idcirco addidit: *Quæ non rapui tũc exoluebam.* Idest, pro peccatis, quæ non commisi, morte turpissima sum condemnatus. Hinc illud Iob personam Christi agentis: *Iob.34. v.6.* *Violenta sagitta mea absque vllo peccato.* Cap.34. Cum impius moritur, & sagittis furoris Dei configitur, sagitta violenta non est, sed naturalis, eo quod ad debitum sibi tendit locum: proprium enim sagittę signum, ad quod dirigitur, peccatum est: aſt cum moritur Iustus, cum pro peccatis alienis, quæ non commisit, occiditur, sagitta supplicij ad illum pertingens violenta est, quia absque propria culpa moritur. *Violẽta sagitta mea absque vllo peccato* (ait Christus) vt pœnę, quam subibat, merito se innoxium ostẽderet, atque alterius sortis, ac cæteri homines, etsi eiusdem naturę. Quod pulchrè dicebat Sponsa *Similis est dilectus meus capræ, hinulo que ceruorum.* Cant.2. At cur non ceruo, sed ipsius hinulo Christum assimilat? Quid Filius dissimile habet Patri, cum ab ipso quidquid habet acceperit? Auscultа Glos. hic. *Veram carnem Christus de Patriarchis assumpsit, et velocior illis est: quia illi pondere peccatorum pressi, iste immunis.* *Glosa.* Hinulus ceruorum e ceruis nascitur, sed longe illis est velocior, supra modum illos in agilitate superat: sic Christus ex hominum genere natus illis omnibus fuit velocior: quoniam illi peccatorum pede claudicabant; Christus autem innocentiæ alis ocyssime volabat. Hinc etiam non sine superno consilio Christum Herodes veste alba indui præcepit mortem subiturum, cum cęteri moribundi rubra, aut nigra veste induerentur: vt dissimilem à cęteris conditionem manifestaret, nullaque sorde peccati pollutum fuisse. *Non otiosum* (inquit Ambrosius lib.10. in Lucam) *quod veste alba induitur ab Herode immaculatæ tribuens signa passionis, quod agnus Dei sine macula cum gloria mundi peccata susciperet.* *Ambros.*

ANNOTAT. XXVI. MORALIS.

SVBTILIORI, ET OBSCVRIORI doctrina sæpius ad Dei agnitionem capimur.

VBI in nostro Vate Vulgatus legit: *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan.* 70. transferunt: *De monte vmbroso, et condenso.* Quod Hieronym. ad obscurã, & subtilem verborum, ac sensuum scripturę contexturam, qua sæpius intellectus allicitur, inflectit. *Agnitio sancti, idest, Filij Dei de monte vmbroso, et condenso, idest, de sublimitate eloquij vmbrosi, et condensi multis testimonijs contexti; vel Pharan os videntis dicitur, et de sermone eruditio veri venit notitia Filij.* Non solum subtiles conceptus mente inueniſſe sat est, nisi subtiliter exprimantur: vtrumque enim est necessarium, vt audientium animi rapiantur, & doctrinam ebibãt: sit in sensu sublimitas, vt diu trutinet intellectus: & plus verba significent, quam sonant, vt in cuiusdam laudem dicebat Seneca epist. 60. *Loqueris quã tumuis, et plus significas, quam loqueris.* Quæ peruia sunt, intellectus fastidit, ad illaque facilè nauseat, vt dicebat Aristot. *Intellectus in peruio saturatur, in inuio famescit.* Quę aliquo labore adquiruntur, gratiora sunt, & eo gustui iucundiora, quò subtiliora, vt dicebat Bernard. serm. 5. in Cant. *Nolo proinde vestram illis, quam benè noui, fraudari ingluuiẽ: præsertim cum sint de ferculo charitatis eo dulcia, quò subtilia, eo sapida, quò minuta.* Gaudet intellectus, cum mysteria abscondita percipit, quia credit ea inuenire, & nõ illi, qui cogitauit, sed sibi deberi, vt aiebat Quintilianus lib.8. *Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, et gaudent, non quasi audiuerint,* 116 *Septuag.* *Hieronym.* *Seneca.* *Aristot.* *Bernard.* *Quintilia*

rint, sed quasi inuenerint. Christiana enim doctrina non renunciauit ingenio, elaborato stylo, & profundo acumine prædita multi floruerunt Patres sanctitate conspicui, qui vtilitati aliorum studentes altè eorum animis impresserunt doctrinam subtiliter conceptam, & acutè explicatam: Christus enim, qui de monte vmbroso, & obscuro venire dicitur, per obscura verborum ænigmata, & abstrusam intelligentiam vult inquiri.

117 Metaphorice de se ipso locutus Christus Dominus dicebat: *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam, nonne accendit lucernã et euerrit domum, et quærit diligenter, donec inueniat?* Luc. 15 v. 8. Chrysol. serm. 169. Hanc drachmam Christum esse interpretatur. *Christus est drachma uostræ redemptionis plenum Diuinitatis numisma.* Et appositè ait: *Simpliciter contigit, quod eam nocturno requirit in tempore.* Res profecto expensione digna. Cur hæc fœmina in nocturnis tenebris peregrinam drachmam requirit, & ad exiguam lucernę lucem paruum præsumit inuenire numisma? Cur non expectat, vt illucescat dies, & solares radij drachmam indicent? Parum noctis tempus non expectat, vt sine studiosa solicitudine, quod desiderat, adipiscatur? Non vtique: solerter noctu quærit, quoniam impensè Deum quærit, qui per obscuritatem simplicis fidei cœlestem redemptionis drachmam Christum requirit: nox enim obscuritatem mysteriorũ fidei significat, vt tenet Magn. Gregor. sup cap. Reg. 3. Vnde simplex hæc fœmina solertissima indagatrix, & felix inuentrix cœlestis drachmæ non expectat diei fulgores, sed nocturno tempore, idest, per obscuram, & subtilem fidei lucem, atque intelligẽtiam drachmam diligenter quærit, & feliciter inuenit. Minus nanque de illius inuentione gauderet, si nullo labore, nullo mentis acumine ad diei lucem drachmam inueniret: Dei enim mysteria per obscura, & subtilia melius, & vtilius sœpè sœpius nobis innotescunt.

Lucæ 15. v. 8.

Chrysol.

Ioanni in sua Apocalyps. cœlitus attonito apparuit Christus Dominus, & inter alia Prędicatoris, & Doctoris signa, gladium habebat in ore ex vtraque parte acutum. *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat* cap. 1. v. 16 Hic autem gladius (vt habetur Ezechiel. 21.) Verbum Dei est, quo audientium corda vulnerantur: ex vtraque autem parte acutus dicitur, quia vtrumque testamentum nouum & vetus, ex quibus prædicatio componitur, significat, vt docet Tertulia. lib. 3. contra Marcion. *Quem intelligi oportet sermonem Diuinum bis acutum duobus testamentis legis, et Euangelii.* At cur ingladio acuto Dei sermo exprimitur? Ad quid Diuinum Verbum acuitur? Suspicor, vt nobilius sit in dicendo ac penetrabilius. Acuitur vt cædat: limatur, vt splendeat. Acuta, & subtili ratione debet in hui qui Dei Verbum profert: acumen enim electi sensus, & lima elocutionis maximè decent Ministros Euangelicos, & maximè auditoribus prosunt: admiranda enim energia subtili elocutioni inest ad penetranda corda, & deuinciendum intellectum. Sic de ipsis Sacris Ministris dicebat Dauid Psal. 149 v 6. *Gladij ancipites in manibus eorũ ad faciẽdam vindictam in nationibus.* Vbi optimè Hieronym. *vt occidãtur, et pereant, non hoc dicit: sed subdit increpationes in populis, increpant, vt saluentur populi.* Gladijs acutis Verbi Dei prędones armantur: quia acutis Verbis increpati populi melius salvãtur: sublimis enim sensus animo audiẽtis inhærens mentem illius rapit, & transversam ducit, quo doctrina intẽdit, ipsique accidit, quod de Phocionis oratione dicere solebat Demosthenes (vt refert Manutius) securim nempe esse, & quoties ille in concione dicturus assurgebat, *rationum Phocionis, securim* surgere dictitabat: nam Phocion erat in dicendo breuis, sed acutus; ideo eius rationes velut securis omnes secabat pertinaces, & ad veritatem reducebat.

118

Apocal. 1. v. 16.

Tertul.

Psal. 149 v. 6.

Hierony.

Demosth.

Præcepit Deus Moysi duas tubas argenteas fabricare, ad cuius sonitum popu-

119

populus aut congregandus, aut mouendus erat. Cum autem de vno ad alterum locum transmigrare oportebat, subtilis ac concisus tubarum clangor præcedebat: *Si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam.* Numer. 10. v. 5. D. Ambros (de 42. mansionibus) addubitat, cur ad concisum & minutum tubarum clangorem castra moueantur, cum ad illius multitudinem excitandã aptius videretur buccinas rebusto clangore perstrepere, quo inertes prouocarentur ad iter. Cur ad delicatam, & tenuem vocem tot hominum myriades melius mouerentur? *Quia nimirum* (ait Ambros.) *cum subtilior, ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina excitantur.* Non enim subtile, & ingeniosum eloquium à Deo relegat, sed potius homines à vitiorũ statione remouet, & ad Dei notitiã trahit. Venusta, & subtilis locutio exarmat inuicta quæque vitia, & captiuos ducit homines ad virtutis obsequium. Huc etiam respicit quod de manna dicitur exod. 16. v. 14. *Apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.* 70 vertunt *subtile.* Quod ad Dei Verbum subtiliter inflectit Origenes, & Iudeorum socordiam, qui nihil acuminis in eo percipiunt, nihil subtilitatis, carpit, *Iudæi* (inquit) *nihil in Verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil sentiũt spirituale, sed totum crassum: incrassatum est enim cor populi illius.* Super incrassatum est cor Hæreticorum verba Dei de Sacramentis, & de alijs semilibus rebus dicta crasso modo intelligentium: at fideles subtiliter capiunt, & subtiliter capiuntur, quia aliter olent catuli, aliter sues. Hinc Propheta noster in hoc 3. cap. vers. 11. de Ecclesiæ Proceribus, & primis doctrinę Magistris locutus dicebat: *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Verùm verba immutata videntur: potius enim de Apostolis erat prædicãdum, quod irent in sagittis lucis, quam in luce sagittarũ, in hasta fulgurante splẽdorem, quam in splendore fulgurantis hastæ: videtur enim lucis splendorem pro armis assumere, & iaculorum virtutem, & hastæ robur derelinquere. Num quid Apostoli lucem ambiunt? Splendorem vsurpant, & virtutibus, quę in iaculo, & hasta inueniuntur, præferunt? Audi Cyrillum Alexandrinum in comment. huius loci. *Quia arma fulgebunt, ipsi illuminabunt docentes ignorantes.* Non aliter secantur vitia, & illuminantur populi, quam armis lucidissimis & acutis: quia limato, & acuto Dei Verbo Apostoli docebant, ignorantes populos illuminabant: arma deferebant acuta, & limata nulla rubigine obtusa: acumen inelectis sensibus pro hasta vibrabant, & splendidam elocutionem pro sagittis, quę ad præcordia vsque penetrabant, quia sebtili, & acuto ore feriebant; de illarum numero sagitta fuit Ionathę, de qua dicitur 2. Reg. 1. *Sagitta Ionathæ nunquam abijt retrorsum.* Cur ita? Acute Hugo: *Acuta enim sagitta non abijt retrorsum: obtusa autem retrorsum abijt, quia non infigitur.* Verba acuta, & subtili sensu armata in cordis penetrali infiguntur: obtusa vero, rustica, & in elegantia, quæ nihil præter sonum continent, inutiliter iaciuntur, quia retrorsum abeunt, neque in animis imprimuntur. Ideo populos vulneratos cadere ad Christi prædicationem præsagiebat Dauid, quia subtiliter aculeatis sagittis eos percuti videbat. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Psalm. 44. *Ideſt* [inquit Hieronym.] *Quia sagittæ prædicationis tuæ acutæ sunt, idcirco populi sub te cadent.* Huc etiam inflectit idem Hieronymus id, quod Deus præcepit Iosue 5. *Fac tibi cultros lapideos, et circuncide secundò filios Israel,* ideſt, *fac tibi cultellos petrinos nimis acutos.* Ait Hieronym. Vbi Moralis Glos. colligit sermonem esse de circuncisione spirituali ex illis verbis *circuncide secundò:* quia iam legalem circumcisionem adimpleuerant. At cur ad circũcisionem spiritualem iubet Deus Iosue, vt cultellos nimis acuat, & coticula

10 v. 5.

Ambros.

Exod. 16. v. 14.

Septuag.

Origenes.

Cyril. Alexand.

2. Reg. 1. v. 22.

Hugo.

Psalm. 44 v. 6.

Hierony.

Iosue 5. v. 2.

Glos. Moral.

Hiero

120

Exod. 3. v. 2.

Hierony. culta limet? Audi Hieronym. *Quid est quod tantopere cauet, ne habeantur obtusi? Nimis ait acutos, vt videlicet non qui particulas corporis sui sensu doloris abscindant: sed multa lima, atque vsu cotis assiduo tenui acie mortiferos mentis sensus subtiliter discriminent.* Valde namque acutum, & subtile verbum aptissimum est ad secandos mortiferos mentis sensus. Sermo inelaboratus, & obtusus adeo est imbecillis & inermis, vt sæpius non vincat hostem, sed manus ipsi det; at si limatus splendeat, & acutus penetret, facilè hominem vincit, & ad seruitutem Dei captiuat.

ANNOTAT. XXVII. MORALIS.

DIFFICVLTAS AD CONDONANdum hominum ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobilissimam.

120 PRobrosę infamię notam incurrit, qui iniurias sibi illatas persequitur; præclaræ laudis nobiliora ęn comia acquirit, qui abundantiori pietatis vsura condonat offensas. Vtrũq; à natura Deus & homo habent: nã illius nobilissimã conditionẽ eius misericordia in remittendis iniurijs prædicat; istius autem infamiæ natales à retenta iniuria, & prętensa vindicta innotescunt: sic enim ipsi inuiscerantur odia, quæ iniuria excitat, vt nullam ea deponendi spem relinquat. Cum Moyses in deserto Madian oues pasceret, vt mysteria, quæ scire oportebat, ediscceret, *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. Meritò hic ambigunt Interpretes, cur in rubo, & non in alia proceriori planta Dominus Moysi apparuerit: non enim decebat supremam Dei maiestatem in tenui arbusculo videri, maximè cum ad roborandum Moysem, vt populum educeret, toto maiestatis fastu debuerit accedere. Lyra ideo putat Deum in rubo apparuisse, quia incapax erat fabricandi idolum, ne populus exinde occasionem ad idololatriam arriperet. *Erat enim populus Israel [inquit] ad idololatriam pronus, et ideo apparuit in flamma, quæ non potest imagine figurari, et rubo, siue vepre (vt in Hebræo dicitur) quia in talibus non potest imago fieri, ne populus Israel, qui venturus erat ad locum illum, ratione dictæ apparitionis aliquid faceret ad idololatriam pertinens.* Placet quod de flamma inquit Lyranus; sed quod de rubo sentit, non amplector: existimo enim, in vepre, ac rubo magno, & peruetusto (qualis ille esset) decursu temporis idolum posse confingi, & figurari. Cur ergo Deus, qui idololatriæ Israelitis occasionem præcidere volebat, in planta apparet, ex qua Iudæi ad idololatriam proni non difficilè Deum possent confingere? Arbitror, ideo in senticoso rubo Deum apparuisse Israelitis, dum omnem idololatrię materiam ab eis relegare tentabat, quoniam optimè sciebat, homines adeo esse infensos ijs, à quibus læduntur, vt nequaquam in spinosa planta, quę accedentes ad se lacerat, pungit, & aduncat, Deum efficerent. Adeo hominum natura est ignobilis, adeo intestina odia retinet, vt nec pictum, qui eos pupugit, intueri valeat. Venerationem, & cultum, quem rubus Dei apparitione acquirebat, propria amittere conditione erat necesse. Nam quis hominum amore prosequitur eum, qui ipsum offendit? Præcaueat ergo Deus idololatriæ periculum, hominum ad vindictam & odium propensa natura: nam nullus eorum reuerebitur plantam, quæ ipsum lacerauit. Eadem mente præcepit Deus Moysi, vt ad sanandos Israelitas ex serpentum morsibus, æneum serpentem faceret, vt qui percussi illum aspicerent, sanarentur. *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Numer. 21. vers. 8. Non vacat mysterio, quod Deus ipse, qui Moysi iniunxerat nullum sculptile

Exod. 3. v. 2. *Lyra.* *Num. 21. v. 8.*

fabricare [vt habetur Exod. 20 v. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, et quæ in terra deorsum, ac eorum, quæ sunt in aquis sub terra*] Modo ipsi Moysi præcipiat, vt serpentem æneum exaltet. Si ad præcindẽdam idololatriam omne prohibet sculptile, quomodo hic serpentem fieri, & exaltari iubens idololatriæ proximã occasionem offert, & ad ipsam quasi inuitat? Cur non veretur modo, quod tantopere antea præcauebat? Crediderim: quia serpẽs iste, quem modo exaltari iubet, eorum referebat imaginem, qui venenosis morsibus percusserunt aspiciẽtes; exindeq; nullum idololatriæ imminebat periculũ: est enim res difficilima, & penè impossibilis, quod homo eum diligat, & adoret, à quo prius læsionem accepit. Quantumuis Hebræi sanitatem accipiant ab æneo serpente, nullo pacto ad ipsius cultũ propendebunt, quoniam eum, à quo læsi sunt, nequeunt homines vel pictũ aspicere.

121 Isaię 40. postquam Deus populum propter peccata flagellauerat, iussit Prophetas illum consolari, & attemperare ipsius mœrorem. *Consolamini consolamini populum meum.* (Sic legit Oleaster.) Cur obsecro si Deus populum plagis vulnerauit, non ipse eum solatur, sed Prophetas iubet illius tristitiam moderari? Nullum enim solatium populo esset ingẽtius, quam signa dilectionis accipere ab illo, à quo supplicia, quę patiebatur, acceperat? Cur Deus, qui miseris condolet, & subleuare ipsorum miseriam studet, non ipsos consolatur, sed munus pijssimæ suæ naturæ proprium Prophetis commendat? Egregie Oleaster Dei solertiam, & hominum naturam exinde rimatur. *Considera, quæso, in hac populi consolatione, quanto artificio vtatur: nouit primum, homines non æquo animo ferre, si ab eis consolentur, à quibus sunt flagellati: ideo non per se, sed per Prophetas suos seruos suos solatur dicens: consolamini, ò Prophetæ, populum meum.* Consultò Deus non per se ipsum, sed per Prophetas populum, quem afflixerat, consolatur: quia sciebat, hominem adeo iniuriarum esse tenacem, adeo ad condonandum difficilem, vt nullo modo beneuolè respicere queat eum, à quo aliquid est perpessus, neque ipsum Deum pacato animo aspiciat, à quo iustissimè flagellatur, proindeque ab ipso solatus consolationem in odium vertet. Idcirco Deus præcauens & populi nouam offensionem, & solatij, quod conferre decreuerat, irritum effectum, non per se, sed per Prophetas, qui populo erant benefici, & amabiles, eum consolari voluit: quia dum homo propriam retinet naturam, iniurias etiam retinere necesse est: alterius enim conditionis videtur, cum inimicitias deponit. Inde Regius Psaltes ad Deum clamabat: *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.* Psalm. 5. vers. 1. Vbi Chrysostom. optimè notat Dauidis, vt exaudiatur, deprecationem. *Et hoc dicit audacter, et libere: quoniam ea petit, quæ ipse etiam dare vult: quemadmodum si quis ea petat, quæ eo, qui sit daturus, indigna sunt, non potest eam petere gratiam.* Quę ergo Dauid tam instanter postulat, vt à Deo exaudiantur, quasi Deus posset eius vocem non agnoscere? Tam obtusas Deus habet aures, vt voces, quas Dauid erat prolaturus, illius esse non percipiat? Audi Chrysostom. *Quando oratur pro inimico, ea non sunt verba hominis: si ergo dicas: verba mea auribus percipe: dic ea verba, quæ sunt hominis.* Quasi plusquam homo sit, qui pro inimicis orat, illis parcit, & iniurias condonat. Adeò pertinaciter homo vindictæ ardore succenditur, adeò ingloriè, & ignobiliter belluinis iris ardet, vt non putetur homo, qui preces pro inuiso sibi inimico fundit. Humanitatem deposuisse videtur, qui cum humanitate, & absque sęuitia vltionem non exequitur.

Vt saltẽ remuneratione ad iniuriarũ veniã Christus alliceret, dicebat Discipulis Matth. 18. v. 19. *Si duo ex vobis cõsẽserint*

Isaiæ 40. v. 1.

Oleaster.

Psalm. 5. v. 1.

Chrysost.

Idem.

122 *Math. 18. v. 19.*

ferint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Non parum negotij faceſſit Interpretibus explicatio huius ſententiæ: etenim difficilimum intellectu eſt, quomodo conſentientes impetrabunt quamcumque rem petierint, poterunt namque rem inutilẽ, temporalem, imo noxiam, ac voluptuoſam poſtulare, & neceſſe uidetur, vt illã impetrẽt. promiſſio enim Chriſti abſoluta eſt, neq; vlla res eſt, quæ in promiſſione non contineatur. *De omni re, quamcumque petierint.* Omnis namque res nullam excipit. Quo ergo pacto ſi nociuum, & indebitum poſtuletur, illud etiam exequi Chriſtus pollicetur? Scio ſenſum litteralem: ſed moralem accipe. Anaſthaſij Nizeni [quæſt. 74.] ad noſtram theſim appoſitiſſimum: advertit enim Anaſthaſ. recurrendum eſſe ad verba, quæ præceſſerunt. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, et corripe eum.* Ex quibus rectè explicantur hæc, quæ ſubſequuntur. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quãcũq; petierint, fiet illis à Patre meo.* Nẽpe: ſi duo ex vobis, is qui corripit, & qui corripitur, cõſentiant, de omni re quamcumque petierint, illã impetrabunt: quia tam longe abſunt, vt ſibi deinceps conſentiant ob odium ab increpatione conceptum, vt ſecurus poſſit Chriſtus Dominus illis quamcumque rem polliceri quamtumuis arduam, imo & noxiam: nam vbi conditio ad impetrandum eſt conſenſus, & pax reprehendentis, & reprehenſi, quaſi certum eſt nunquã adimplendã conditionẽ ad impetrandum requiſitam: & ita ſecurè quiduis illis potuit promitti. Accipe argutam Anaſthaſ. verba. *Quomodo eſt intelligẽdũ, ſi duo ſcilicet conſenſerint ſuper terram &c. ipſe locus hoc indicat, nã verba facit de eo qui arguit, et arguitur.* Cũ is, qui increpando aliũ arguit, nunquã conſenſurus ſit cũ eo, qui increpatur, & arguitur: inde fit, vt ſecure poſſit Chriſtus promittere, quod omne id impetrabunt, in quod conſentientes petierint. Adeò difficiles ſunt homines ad conſentiendum inter ſe, vt cum alius alium contumeliosè, & iniurie increpat, nulla deinceps conſentiendi maneat ſpes: quaſi homo laceſſitus humanitati renunciauerit, & monſtri ignobilis naturam induerit.

Anaſthaſ. Nicen.

Quam longè ab hac hominum pertinacia, & ignobili parcendi difficultate Dei natura inuenitur! Si enim *gloriosum eſt iniurias obliuiſci*, vt dixit Auguſt. ſerm. 16. de verb. Domini, quibus condignis ænomijs Dei noſtri nobiliſſima natura commendabitur? Non ſolum ipſius miſericordiam non retardant iniuriæ, quæ ipſi irrrogantur, ſed ad parcendum ſtimulant: hoc enim magnanimæ naturæ, diuinioris gratiæ, auguſtioris nobilitatis argumentum eſt. Quæſtio eſt maxime exagitata inter Theologos, an ſi Adamus non peccaret, Deus aſſumeret carnem? Opus enim incarnationis amoris fuiſſe nemo dubitat: ſed ſciendum ſupereſt, an præcipue fuerit amicorum amor, vel inimicorum potius. *D.* Paulus propter inimicorum amorẽ Deum ad terram deſcendiſſe affirmat. *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius* &c. ad Rom. 5. verſ. 10. Sic de facto accidit: attamen quæſtio exagitatur caſu, quod neque Adamus, nec aliquis eius filius peccaret, ſed omnes Sancti, & amici Dei eſſent, nullumque Deus haberet inimicum: vtrum ſcilicet, in illa hypotheſi, pro ſolis amicis veniret? Non omnes in eadem ſententia conueniunt. *S.* Thomas [3. p. quæſt. 1. art. 3.] in eo caſu non venturum affirmat: cuius ratio ea eſt, quia in rebus, quæ pendent ex voluntate, iudicare debemus per ea, quæ nobis ſunt reuelata, & cũ ſcriptura paſſim clamet, Deũ non veniſſe iuſtos quærere, ſed peccatores: probabile videtur, quòd ſi non eſſent infirmitates culparum, Deus ad ipſarum medelam carnem non aſſumeret. Nam ſi non eſſet peccati captiuitas, ad quid Redemptoris munus Deus aſſumeret? Contrarium non leui fundamento alij opinantur, arbi-

123

Auguſtin.

Ad Rom. 5. v. 10

S. Thom.

arbitranturque, etiam si Deus non haberet inimicos, propter amicos vt illos nobilitaret, & cumularet faboribus, carnem assumpturum. Si Praeceptoris Angelici sententiam teneamus, euidenter ex illa colligitur nos illum Deum habere, qui pro inimicis fecit id, quod pro amicis non fecisset. Si oppositæ assentiamus, etiam ex illa infertur, Deum pro maximis inimicis id fecisse, quod pro maximis amicis posset facere: adeo enim Deus ad benefaciendũ inimicis propendet, adeo de iniuriarum venia gloriatur, vt ingenitę suæ nobilitatis stemmata inimicorum delictione cognoscantur. Huc spectat illud Petri Cellens. libr. de panib. cap. 1. sententiæ D. Thomæ adhærentis. *Non inclinaret cœlum partus virginis, si pomum prohibitum non contingeret Euæ tactus temerarius.* Huc etiam respicit id, quod dubitat D Gregor. Nazianzen orat. de Natiuit. cur scilicet tandiu expectauit Verbũ Diuinum, vt carnem assumeret, & in mundum veniret? *Quia* (videlicet) *malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingressurus, expectauit necessario, vt omne ab inimico satum, propagatumque peccatum germinaret, ac tunc demum, vt legitur in Euangelio, zizania secum admouit.* Adeò longe ab eius amore fuit, vt iniurijs, & inimicitijs frigesceret, quòd potius expectauit, vt crescerent, quia earum occasione ipsius erat nobilitanda clementia. Adeo Dei pietatẽ nostra crimina ex occasione extulerunt, vt non satis ipsi videretur amore inimicos prosequi, nisi etiam eorum iniurias, quasi concupiscceret, expectaret.

Petrus Cellens.

Greg. Nazianz.

124 Sic nouissima Dei natura procliuis est ad iniurias condonandas, & parcẽdum inimicis, vt pro illis vnigenitum suum sub ignobili hominis forma daret, cum periculo illum amittendi, si eius Diuinitas non obstaret, vt egregie dixit D. Ambros. lib. de Iacob & vita beata c. 6. cuius verbis, vtpote pulcherrimis nihil parcẽdũ duxi. *Sed veteris* (inquit) *dubios vitæ anfractus, et aduersarij insidias, tũ habeas auxilium Dei, habeas tantã eius dignitatem, vt filio proprio pro te non pepercerit. Pulchro verbo usa est Scriptura, vt Dei Patris erga te pium propositum declararet, qui morti pro te totum obtulit, quod in Patre fuit: nihil sibi ipse reliquit, totum pro te obtulit, quod enim plenitudine Diuinitatis non amisit, et ipse te redemit. Cõsidera affectũ Patris quòd pietatis est: quasi morituri filij susceptit periculũ, quasi orbitatis sumpsit dolorẽ, ne tibi periret fructus redemptionis. Tam fuit Domino studium tuæ salutis, vt prope modum de suo periclitaretur, dum te lucraretur: ille pro te dispendiũ sustinuit, vt te Diuinis insecreret, cœlestibus consecraret.* Quid exaggeratius ad redundantiam benignitatis Diuinę ponderandã? Nõ videbatur humanũ captũ capere posse, quę Ambrosius pia audacia excogitauit, vt Dei erga homines effusam misericordiã exaltaret. Vetus quęstiuncula est, an dæmõ agnouisset Christũ Dñm Dei Filiũ esse, dũ fuit in carne possibili: & fere omnes Theologi çũ S. Thom. 3. p. quęst. 19. art. 1. ad 3. asserunt: illũ nõ cognouisse neq; in præsepio, neq; in vitę discursu, neq; miraculorũ magnitudine: quia (vt ait Ambros. in luc. c. 4) *Ventũ quidẽ sciebat, sed per carnis infirmitatem non putabat.* Cũ miracula patrare videbat, dubius extitit, an Dei Filius esset, inquit S. Tho. 3. p quæst. 44. art. 1. ad 2. *Visis miraculis ex quadam suspicione coniecturauit eũ esse Filium Dei.* At in eius passione sacratissima, cum eum vidit ineffabili amore opprobria, & calumnias sustinere, & pro inimicis deprecari, *tunc nouit* (inquit D. Thom.) *eius Diuinitatem.* Illum ipsum, quem diabolus non agnouit mira operantem, dura ab inimicis patientem, & pro illis obnixè deprecantem cognouit: hoc enim egregiũ benignitatis opus nobilissimam Dei prædicabat naturam, & quem mirifica portenta ignotum reliquere, effusa in iniuriantes pietas manifestauit. Quod opportune notauit Chrysostomus ad illud Actor. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat, fidei. In quo* (ait) *eluceseit infinita misericordia Christi, quod illos conuertere digna-*

D. Ambr.

S. Thom.

Ambros.

S. Thom.

Chrysost.

dignatus est, à quibus tam importunè atque crudeliter fuit expetitus ad mortem. Idcirco Sacer Historicus notanter aduertit, non solum laicos Obedire fidei, sed etiam Sacerdotes, vt Christi clementia, & ipsius naturæ nobilitas eluceſcerent, dum eos ipsos conuertebat, à quibus ad mortem expetitus fuerat. Tam illustris perfectio est iniuriarum indulgentia, vt ipsa Deus suam nobilitatem, & genero sam indolem commendare conetur.

125 Præcepit Deus Moysi, & Aaroni, vt petram alloquerentur, à qua aquarũ scaturigines erant effluxuræ, vt populus reficeretur: percussit autem Moyses virga silicem, & egressę sunt aquæ largissimæ, ita vt populus, & iumenta biberent. Sed tunc Deus: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis.* Numer. 20. v. 12. Locus plane difficilimus: nam non constat, cur Dominus in Moysem, & Aaronem ita excãduerit, vt illos à promissa, & tot delitijs referta terra relegauerit. *Difficile namque est inuenire, in quo Sancti patres peccauerint, vt tam seuerè à iustissimo Iudice puniantur: non enim apparet, quomodo verbis Domini non crediderunt, aut in quo ipsum non sanctificauerunt coram filijs Israel, vt propterea priuatione in promissam terram ingressus plecterentur.* Mitto multa, quæ hic dicuntur, & Diu. Augustin. quæst. 19. in Numer. sententiam teneo, qui ideo tam seuerè punitos fuisse autumat: *Non quod dubitarent de Dei potentia, sed quod populum iam rebellem iudicaret indignum hoc miraculo, et an pro incredulis Deus miraculum faceret, vel ob grauitatem delictorum bonitatem suam suspenderet.* Quasi dicat: dubitauit Moyses, an Deus cum infensissimis hostibus vellet vti beneficijs, & miraculis, quæ amicis largiri solebat: in quo maximè Deum offendit indignè de eo sentiens, existimans ob multitudinem, & grauitatem delictorum populi illis negaturum beneficium aquæ, quod postulauerat, & forsam suspensurum suæ bonitatis concursum populo tam incredulo, ac rebelli, quidum actu beneficia à Deo expostulabat, blasphemabat de illo. Indignè enim, & cum offensione de Deo sentit, qui ad misericordiam putat iniurijs retardari, cum potius ipsis stimuletur ad veniam, quia vltima ipsius laudis, & nobilitatis exaggeratio est, in aduersarium, & maleuolum beneficijs insurgere. Quod optime indicant verba quæ subsequuntur. *Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis.* In quo Deus sanctificatus fuit, vbi à populo blasphematur? Forte populi murmuratio Dei laus, & sanctificatio fuit? Si Moyses, & Aaron diffidentes non crediderunt, & ingratus populus incredulitatis ipsi arrogauit iniuriam; quomodo sanctificatus dicitur? Eleganter Bathab. ad dubitationem. *Sanctificauit se se Deus in illis, et apparuit gloriosus filijs Israel superando incredulitatem eorum.* Gloriosum se populo Deus ostendit magnitudine suæ clementiæ ingratitudinem populi, & peccatorũ malitiam vincens; ex occasione populi iniuria, & Moysis diffidentia Dei misericordiam nobilitarunt, quoniam cum vidissent neque eorum ingratitudine, neque Moysis dubitatione indignatum Deum beneficiorum concursum suspendisse suorum, tantæ clementiæ succumbentes clamauerunt: Domine te hodie solum ostendis clementissimum, siquidem tua clementia peccata nostra superat, & nunquam glorioſior quam hodie apparuisti; quia non solum inimicis pepercisti, sed ex silice aquarum fontes eduxisti. Adeò bonus es, vt existimes sanctificari, cum nostra delicta condonas, & gloriosum reportare triumphum, cum nostra crimina vincis: in quo plane ostendis tuam nobilissimam natu-

Numer. 20. v. 12.

Bathab.

Augustin.

Thom.

nbros.

Thom.

ryssost.

naturam. *Sanctificauit se se in illis, et aspirauit gloriosus filijs Israel superando incredulitatem eorum.* Quasi Dei laus, sanctificatio, & gloria in eo sit, quod calumniantem foueat, & beneficus erga hostes ostendatur. Vnde dixit Tertullianus lib. 1. aduersus Marcion. cap. 27. de Deo loquutus: *Quid adulantius, quam iniurias non exequi?* Adulatio immodica solet esse laus, & quę merita excedit personæ; exindeque exaggeratio laudis adulatio dicitur: quo Africanum acumen audaciùs culè exaggerat, quanti Deus faciat iniuriarum indulgentiam, nam ipsius gloriæ, & nobilitatis adulatio dicitur, quia nullo alio tam honoratur stemmate. Hac autem eadem laude ipsum exaltat Vates noster, dum eum ab Austro venturum prædicit: quia Auster benignus est ventus, qui omnia foouet, omnia fœcundat, atque exhilarat: in quo Dei nostri bonitas, & effusa erga inimicos clementia optimè describitur. *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan.* Hic vers. 3.

Tertulia.

ANNOTAT. XXVIII. MORALIS.

PLACIDA MANSVETVDO FORtior persuasionis energia est.

126 DEVS ille, qui ad subiugandum mundum in humana forma erat venturus, ab Austro venire perhibetur, non ab Aquilone. *Deus ab Austro veniet.* Quia Auster benignus, & placidus ventus est, cuius lenitas, & mansuetudo hyemis asperitatem frāgit, terram vtiliter fœcundat, atque germinare facit. Aquilo vero, quia asper, & ingratus aspirat, fructus, & herbam glacie & pruina decoquit. In vtroque autem optimè, quid interest inter Superioris mansuetam, aut asperam conditionem, describitur: nam qui sapientiam & doctrinā acriter, & insuauiter administrat inidoneus est, quia potius audientium corda, & animos indurat, ac frigefacit: qui autem lenitate afflat, vberes doctrinæ fructus reportat; nam semina virtutum non vento ingrato, non acre procellis agitato, non turbinis aqua nutriuntur, sed surdo cœlo, sereno aere, & imbre guttatim, ac liniter stillato. Hinc locutus Michæas de Apostolorum prædicatione dicebat: *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorū multorum, quasi ros à Domino, et quasi stillæ super herbam.* Cap. 5. vers. 7. 70. vertunt. *Quasi agni super gramen.* Vtrumque autem ad Apostolorum prædicationem appositissimè inflectit Hugo Cardinal *Stillæ fuerunt gramen rigantes, et agni sibi, vel Christo cū mansuetudine incorporantes.* Mansuetudine agni his, quos ad Christum trahere conabantur, lenocinantes, pacato stylo, & placido vultu eos reducebant, ipsisque, sicut stilla herbę, erant proficui. Etenim vt imber magno effusus impetu sata perdit, & non irrigare solet, sed eradicare; modicis autem guttulis stillatus in terræ viscera blandè, & vtiliter illabitur segetes alit, lętificat, ac fœcundat: sic planè Prælati, qui nimis seuerè corrigunt, conterunt quidem, & perdunt: qui vero leniter obiurgant, mansuetudine subditos emendāt, & ad meliorem frugem traducunt. Idcirco Moyses priores legis tabulas, quas inter tonitrua, fulgura, & terrores accepit, confrigit; posteriores vero, quæ sereno sole, & placido vento accepit, integras seruauit: quia ex primis, quæ minitantibus signis datæ sunt, nullum obseruantiæ fructum sperabat: illas vero, quæ absque seueritatis timore sunt traditę, obseruandas fore prędagiebat. Hinc etiam Isaias vberes Euangelij fructus festiuè prędicens dicebat. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Cap. 2. At cur arma in vomeres, & lanceas conflanda esse prædicit, vt felicitatem Euangelicę legis prædicet? Cur Apostolorum verba, quę arma fuerunt, quibus totus mūdus deuictus est, vomeres, & falces Propheta nuncupat? Nisi quia vomer, si terra non humefacta sit & lenis, nihil efficit: falx non educitur, nisi cum messis colligenda est. Sunt ergo verba lenia, & mansueta vomeres,

Michæa. 5 v. 7. Septuag.

Hugo.

Isaiæ. 2. v. 4.

res,& falces, quoniam mitibus nunquam deficit terra irrigua, & fructibus plena: qui enim pacificis verbis allicit,& reducit,vel saxum obstinatum emolliet.Si pectora indurata inuenerint placidę doctrinę voces, terram irriguam,& disposita efficient, & maturos fructus reportabunt.

127 Postquam Christus Dominus Philippum ad Apostolatum vocauit, inuenit iste Nathanaelem, dixitque ei, se inuenisse Iesum filium Ioseph à Nazareth,quem Moyses,& Prophetę in lege scripserunt: quod cum irrideret Nathanael dicens: *A Nazareth* *Ioan.1.v* *potest aliquid boni esse? Ait Philippus:* 46.47.48 *Veni,et vide.* Videns ergo Iesus Na- 49. thanaelem venientē ad se dixit de eo: *Ecce verè Israelita,in quo dolus nō est.* Cui Nathanael: *Vnde me nosti? Respōdens autem Iesus dixit: Priusquam te Philippus vocaret,cum esses sub ficu, vidite*: Tunc autem Nathanael inclamans respondit: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Ioan. 1.facilis videtur hic Nathanaelis assensus, nondum enim Christum viderat miracula patrantem; paulo antea de ipso nō bene sentiebat, & habebat firmum,à Nazareth nihil bonum posse exire. Quid ergo hominem alioqui sapientem incitauit, vt tam repēte crederet? Quid tam cito ad fidem induxit? Praeclare *Chrysost.* Chrysostom.hom.19 in Ioan. *Verum cum dixisset, vbi eum cognouit Philippus,et tempus., certissimum sa Prophetā ostendit: neque hoc tantum, sed etiam quae inuicem locuti essent in memoriam reduxit: hoc est, à Nazareth potest aliquid boni esse? Exquo maxime eum sibi conciliauit,cum ex eo non reprehendit, sed laudibus prosecutus est.* Conuitiatus fuerat Christo Nathanael, & tamen cum Christus non tonuo superciliq, non virulentis verbis impetit, sed blandis,& honorificis laudat,hęc autem Christi mansuetudo tam grata fuit Nathanaeli, vt statim ipsius asseclа adscriberetur, & eum verum Israel Regem exclamaret.vera enim doctrina non amarulentis sermonibus suadetur: quia asperiora verba spinositate pungunt, non emolliunt; auertunt, non alliciunt: irritant vulnera, non sanant: verum pacata doctrina, & quæ placidè mulcet,feliciter persuadet,& induratos animos reducit. En Christus cum Samaritana sedet ad puteum,& aquam petit,non vt bibat, sed vt ansam accipiat eam instruendi, sitiebat enim eius salutem,ipsius conuersionis desiderio æstuabat. Petit ergo:at illa inuerecundè respondit: *Quo* *Io in.4.* *modo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Ioan. *v.9.* 4. v.9. Quis ex repulsu mulieris illā crederet reducendam? Verum instauit Christi mansuetudo illam suauiter mulcens, quæ tandem tandem iā postrata dixit: *Domine neque in quo* *Vers.11.* *haurias habes.* Cur iam Dominum vocat,& reueretur, quem paulo ante tanquam Iudæum execrauerat? Vnde mulier, quæ saxeum vitiorum opitulante multitudine habebat cor, tam cito ad Christi verba liquefit? Audi *Caiet.* Caietan. *Audita mansuetudine, ac placida responsione Iesu incipit honorare Iesum: prius enim dixerat: Quomodo tu? Modo dicit: Domine.* Pacata suadentis mansuetudo affectum emolliuit ad ad consensum,& ferreum, atque obduratum cor allexit: mira enim vis docentis lenitati inest ad corda inuertenda, quietum suadentis eloquium, quidquid prętendit, consequitur.

Orabat amaro animo paulo post 128 futura mater Samuelis Anna: cui cum dixisset Sacerdos Heli: *Vsquequo ebrias eris? Digere paulisper vinum, quo ma-* *1.Reg.1.* *des* 1. Reg.1.v.14. sic illa respon dit: *Ne-* *v.14.* *qua quam Domine mi,nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, et omne quod inebriare potest,non bibi,sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Quid tunc Heli? *Vade in pace* *Vers.15.* *(inquit) et Deus Israel det tibi petitionem tuam,quam rogasti eum.* Mira hæc *Vers.17.* fuit Sacerdotis mutatio: nunc temulentam,& ebriam vocat,& iam Deum exorat, vt eius votis annuat? Vnde tā subita cordis inuersio? Cuius orationem modo despiciebat,tanquam mulieris vino ingrugitatæ: modo deuotionem extollit, & commendat? Ita equidem: attende Chrysostom. hom.

Chryſoſt. de Anna, & Samuele. *Mulier ex accuſatore fecit patronum, tanta res eſt humanitas, et manſuetudo: pro contumelia copioſo accepto viatico diſceſſit, eumque nacta eſt propugnatorem, et interceſſorem, quem habuerat obiurgatorem.* Cõuitijs Heli iactatis Annam inpetierat: Anna ipſum conuitiantem dominum vocat, eiuſque ſe ancillam profitetur: hæc autem manſuetudo fecit, vt ex accuſatore Sacerdos redderetur aduocatus Hęc lenitatis energia eſt, vt vel duros animos emolliat, diuerſiſq; habitibus induat. Mitiſſimè Anna contumelioſa verba audiuit, & dura placidis compenſauit: hinc aduerſum animum ſibi conciliauit, quod neutiquam efficeret, ſi Sacerdotem amarulentis verbis repercuteret: nam pro miraculo habetur, quandocumque aſperioribus verbis animus obſtinatus reducitur. Cæteros Diſcipulos verbis placidis, ac benebolis Dominus ad ſe vocauit: vnum tamen Paulum poſtrauit in terra, & cæcitate percuſſit. *Et ſubito* (inquit text.) *circumfulſit eum lux de cælo, et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule quid me perſequeris?* &c. Actor. 9. v. 4. D. Auguſt. (epiſt. 50. ad Bonifatiũ Comitẽ) poſtquam diſcrimen ponderauit inter Pauli, & cæterorum Diſcipulorũ conuerſionem, tandem admirabundus concludit. *Mirum eſt, quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illi ſit omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, in Euangelio laboraret.* Adeo innatum hominibus eſt rigore, & ſeueritate non proficere, vt miraculum ſit plus Paulum in Euangelio laboraſſe cæteris Apoſtolis, cũ ad illud rigore, minis, & acerbitate vocatus fuerit. Mirum plane eſt, & miraculi ad inſtar Diſcipulum proficere à Magiſtro tam aſperè laceſſitum, & mirum eſſet, cæteros Apoſtolos lenitate vocatos non reſpondere.

Actor. 9. v. 4.

D. Augu.

129 Loquens Euangelicus Propheta Haias de Chriſti mitiſſima natura docebat: *Calamum quaſſatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium: non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: et legem eius inſulæ expectabunt.* Cap. 42 v. 3. Non facilè intelligitur, quo pacto hæc, quæ de Chriſto dicuntur, inter ſe cohæreant: nã quę conexio erit inter Chriſti manſuetudinem, quæ tanta eſt, vt quaſſatum iam calamum, & qui vſui nequit inſeruire, non confringat, neque extinguat lignum fumigans, cuius grauis, & noxius odor eſt, cum eo quod propter hoc eius legem cum magna auiditate expectent Inſulæ? Recte Oleaſt. huiuſmodi verba commentatur. *Vides* [inquit] *quanta ſit manſuetudinis vis: ſolent Inſulares eſſe indomabiles: Cretenſes* [ait Paulus ad Timoth. 1. v. 12.] *male beſtiæ, ventres pigri: his tamen omnibus manſuetudo leges imponit: non enim ferocitate, ſed manſuetudine feræ manſueſcunt. Quibus Prælati admonentur non omnibus vim inferre, ſed ſi poſſibile eſt, manſuetudine ducere.* Vel ferini mores, quales Inſulanis inſunt, manſuetudine ſub iugantur, & legem alacriter perferunt de ſuaui regimine venientem.

Iſaiæ 42. v. 3.

Oleaſter.

ANNOTAT. XXIX. MORALIS.

COMITAS INGENVITATIS, AC dignitatis illuſtrius ſtemma eſt.

FERE ſemper ignobiles ſanguine, & natura inciuiles eſſe ſolitant, & invrbanitatis nota fœdantur. Generoſus, & nobilis valde de vrbanitate curat, & ſuæ ingenuitatis illuſtre prębet inſigne in vrbanitate, & politicis obſequijs, quibus erga omnes ſe gerit: hęc enim naturaliter prima nobilitatis eſt nota. Nulla inter volucres meruit principatum, niſi aquila, de qua Pierius (lib. 19. cap. 3.) comitatem & modeſtiam commendauit, quibus & Ioui ſacrari, & reginã auium conſtitui promeruit. *Minime petulans* [inquit] *verum quadam etiã modeſtia prædita regiam prorſus maieſtatem in omnibus imitatur.* Ales quę modeſtia, & vrbanitate cęteras antecellit, merito nobilitatem primam & prefecturam obtinet, quia hęc precipua ſuperioris eſt virtus, vt dixit Chryſoſt.

130

Chryſoſt. ſoſtom. hom. 84. ſuper acta Apoſtolorum. *Comitas et manſuetudo præcipuè eos ornat, qui in poteſtatibus ſunt.* Ciuilior hæc vrbanitas, qua Teodoſius erat præditus, ipſum ad imperium euexit non ſolum non requirentem, ſed requiſitũ, vt cecinit Claudianus. *Solus meruit regnare rogatus.* Idem de

Claudia. Auguſto, & Conſtantino ſolet ſcribi; quia hæc ſola politiæ comitas compendium ſolet eſſe meritorum. Nimis vrbanè & politicè ſegeſſit Abraham cum illis viris, quos in domo ſua perhumano excepit hoſpitio: poſtquam enim pia humanitatis obſequia illis exhibuit, Sodomam verſus ituros ipſos Patriarcha comitabatur. *Et Abraham (*inquit text.*) ſimul gradiebatur deducens eos.* Gen. 18. v. 16.

Geneſ. 18 v. 16. in Hebræo eſt *ad mittendum eos*; quia officioſe & comiter ad ſimilitudinem mittentis cũ

Hebræos. ipſis gradiebatur, non vt ſe ab hoſpitibus, qui faſtidioſi eſſe ſolent, exoneraret, ſed vt liberali vrbanitate honoraret ipſos: quod acute aduertit Caietan.

Caietan. *Et deſcribitur huiuſmodi comitatus ad ſimilitudinem mittentis, ad differetiã comitantium hoſpites, vt ſe exonerent.* Poſtquam autem tam eximie eos tractauit, vox Dei auditur dicentis: *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnã, ac robuſtiſſimam, et benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ?* Et cur poſt vrbanum Abrahę cominatum ipſius egregiam dignitatem, & primatum ſuper numeroſas gentes Deus commemorat? Cur nunc quaſi coactus nobilitatis inſignia, & dignitatis honores revelat? Auſculta Oleaſt. *Sancti*

Oleaſter. *viri non ſolum Sancti ſunt, ſed etiam vrbanitatem norunt: abhorret Deus à Sãctis inciuilibus.* Porro liberalis Abrahę comitas Deum ita allexit, vt illius dignitatis tunc meminerit, quia illius intuitu ad tantæ maieſtatis faſtigium eum euexit. Nobilitatẽ muneris quã diu profunda taciturnitate celauerat, tunc detexit, cum diſſertę politię honeſtamento adornatum vidit Patriarcham, quaſi hęc vna virtus cæterarum ad dignitatem exigendarũ eſſet compendium.

Mirum eſt, quam ſedulo, quam ſtudioſè educationem Mayſis Deus curauerit: illum enim ad Nili fluenta iactatum ad domum regiam perduxit, vbi (vt ait Flauius Ioſeph. lib. 2. cap. 25. ad illa verba epiſtolæ ad Hebræos 11. *Fide Moyſes grandis factus eſt*) Magna politia fuit eruditus; *educabatur quam accuratiſſimè.* Si autem inquitas cur Deus decreuerit Moyſem in domo regia Pharaonis educari, ſiquidem non minori, quam mortis, periculo illic erat expoſitus, maximè ſi Pharao ſcribæ Regis crederet prænuncianti Moyſem exitioſum fore

Thena. AEgyptijs? Reſpondet Thena in cap. 11. ad Heb. diſſe. 15. *Vt regali curia in virum vrbaniſſimum euaderet.* Regia vrbanitate Moyſi opus erat, vt dignus populi Princeps conſtitueretur: igitur in aula regia, vel cum mortis periculo, accuratiſſimè educetur, ne comitate regia virtute careat Dux futurus: præſtat enim Principes, & qui cœleſti politia ſunt imbuendi, prius vrbanitate humana eruditi: nam virtus comitati non renunciauit, quin potius in virtutis ſchola prompta comitas docetur. Nullus Paulo in cœleſti doctrina politior: ille autem ad Philipp. ſcribens ſic exorditur epiſtolam.

Ad Phil. 1 v. 1. *Paulus, et Timotheus ſerui Ieſu chriſti.* Cap. 1. v. 1. Similiter ad Philemonem. *Paulus vinctus Chriſti Ieſu, et Timotheus prætor.* &c. Cur in his epiſtolis

Ad Phile. 1. v. 1. nomen Apoſtolatus omiſit Paulus, quo in alijs frequenter vtebatur? Fortè veretur Apoſtolum nominari, & dignatur munus Apoſtolicæ ſortis, & dignitatis fateri? Non inquam (ait præclore Caietanus) *Modeſtia enim Pauli*

Caietan. *honorificum Apoſtoli nomen in ſilentio ſepeliuit, et vrbaniſſimè illud in his epiſtolis reticuit omittit Apoſtolatus nomen, vt communi ſibi, et Timotheo nomine vtatur.* Comitate, & politia plenus erat Paulus; vtpote qui ad tantã Apoſtolatus dignitatem fuerat euectus: quia ergo Timotheus, qui etiam perſcribebat epiſtolas Apoſtolus non erat, vrbanitatis cauſa illud glorioſum Apoſtolatus nomen comiter omiſit: nihil enim tam anxie in ſuperioribus

131

bus requirendum est, ac ciuile politię studium, egregia vrbanitas, & cōspicua comitas: hoc enim de suprema Magistri doctrina venit imitandum.

132 AEgrotante Lazaro sorores eius Martha, & Maria Christum Dominū certiorem fecerunt de infirmitate fratris, vt qua solebat pietate ipsi accurreret. *Ioan. 11. v. 3.* *Miserunt ergo sores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur.* Ioan. 11. v. 3. Quid miserint, epistolam, an nuntium, textus non exprimit. Maldonatus non epistolam, sed nuncium misisse arbitratur: quia ex Hebræorum, & Græcorum more *mittere* significat nuncios, sicut apud latinos *legare*: & ex contextu liquet non epistolam, sed nuncium ad Christum sorores misisse: dicit enim Ioannes: *Audiens autem Iesus dixit*: & iterū: *vt ergo audiuit, quia infirmabatur.* Etenim si epistolam legeret, non diceret Euangelista: *Vt ergo audiuit*; sed *vt ergo legit.* Maldonato assentiunt graues Auctores, qui censent, Christum Dominum non per epistolas, sed per verba docere consueuisse, vt tenet *D.* Thom. 3. p. quæst. 42. art. 4 & est cōmunis Sanctorum Patrum sententia. Sed cur non per epistolas docuit, vt eos instrueret, ad quos verba non pertingebant? Crediderim epistolas non recepisse, quia eis non erat responsurus: inciuilitas quippe est epistolas accipere, eisque non respondere [vt inquit D. Hieronym. epist. 37.] & in Christo esse non potuit, quippe qui & Deus, & Princeps erat. Hinc à Baronio Agauari epistola, quę communiter circumfertur, & Christi esse creditur, inter apocryphas scripturas numeratur. Tam studiosus fuit Christus Dominus huius virtutis, vt epistolas non admiserit, neque scripsisse cōstet: quia cum ipsis non respondere præstaret, eas recusauit, ne invrbanus videretur, qui tam attentam, & ciuilem politiam semper obseruauit etiam cū incibilibus & invrbanis. Postquam enim quinque millia hominum pauit in deserto, Discipulosque coegit, vt in nauem ascenderent *Marc. 6. v. 45.* *Ipse* (inquit text) *dimisit populum.* Marci 6. v. 45. Græca lectio non significat simplicem dimissionem, sed dimissionem benignam, & vrbanam, qua amicis recedentibus valedicimus: ita quod Iesus more celebrantium conuiuia benevolè, & comiter populum emiserit. Et cur ignobilem turbam, & agrestes homines tā humaniter Christus dimittit? Cur promiscuum, & illiberale vulgus tāta vrbanitate prosequitur, vt dicat Caietanus, quod in hoc discessu. *Maxima Iesu comitas etiam ad rusticos commendatur?* Nisi quia Israel, & totius orbis dignissimus erat Rex: ideo nobilitatis stemmata in comitate etiam circa agrestes, & rusticos demonstrabat: cum abiectis homunculis vrbanus erat, ne inciuilitatis nævo fœdaretur. Sic cum supremus esset Princeps, ad humanissima suorum obsequia descendit. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus* &c. *surgit à cœna, et ponit vestimenta sua.* Ioann. 13. v. 3. Quid refert se Dominum, & absolutum Principem agnoscere, vt ad grata humilitatis se paret officia? Quid omnia possidere, vt obsequioso famulatu suos allicial? Audi *D.* Greg. hom. 40. in Euang. *Sciebat, quia omnia dedit ei Pater in manus: inter quæ omnia, et ipsum traditorem, et eos, quibus tradendus erat, vt de his omnibus, quæ vellet faceret, malumque eorum sua potentia conuerteret in bonum.* Iudam agnouit obstinatum, durosque Iudæos, & vt eos reduceret, comitatem, & mansuetudinem suæ potentiæ adiunxit, & quia superior erat, & quia compertum habebat incorrigibilem prorsus esse, qui vrbanitate obligatus adhuc maneret inconuersus: comitatis merito obstinatos voluit allicere, & se omnium Dominum ostendere. Quod & noster Vates intendit, nam vt ipsius Diuinam, ac nobilissimam prædicet naturam, ab Austro, qui ventus est lenis, & mansuetus, venire perhibet. *Deus ab Austro veniet.* Hinc

Maldon. *D. Thom.* *D. Hiero.* *Marc. 6. v. 45.* *Caietan.* *Ioan. 13. v. 3.* *D. Grego.*

ANNOTAT. XXX. MORALIS.

PRINCIPIS CRVDELITAS ET odium gignit, et Regnum euertit.

133 *Seneca.* REGIA *crudelitas* [aiebat Seneca lib. 1. de clementia cap. 9.] *auget numerum inimicorum: Regibus certior est ex mansuetudine securitas.* Timor qui ex crudelitate resultat, amorem extinguit, nemo enim amat, quem formidat. Vnde dixit Sidon Apollin. lib. 1. epist. 2. in laudē sui Regis. *Theodoricus timet timeri.* Vbi subditorum amor deficit, preceps regnū nutat ad ruinam: nullus enim fidelior custos Principis est, quam subditorū amor, vt dicebat Claudianus.

Claudian. *Non sic excubiæ, non circumstantia tela,*
Quam tutatur amor.

Et idem Seneca eodē lib. 1. de clementia c. 19. *Saluū Principem in aperto clemētia præstabit: vnum erit inexpugnabile monumentum amor ciuium.* Eamdemque sentētiam aut ab eo sumpsit, *Isocrates.* aut inuenit Isocrates. *Corporis custodiam tutissimam putat tum in virtute amicorum, tum in beneuolentia ciuium esse collatam.* Noluit enim natura, vt supremi Principes offendere possent, ne in odium incidant reipublicæ, & propterea Rex ab apibus electus aculeo caret, quia non indiget armis, qui amari indiget. Sic refert Aristot. lib. 8. *Aristot.* Historiæ Animal. omnium placidissimum, ac mitissimum esse elephantē: tanta enim est illius mansuetudo erga debiliora animalia, vt gregatim occurrentia pecora paulatim permoueat, atque segreget, ne imprudens illa conculcet, atque proterat: quæ quidem clementia à proceritate qua polet, prouenit, ipsaque omnia animantia allicit. Suauis dominatio non solū imperium firmat, sed quod violenta, & exasperans non assequitur, feliciter concludit, & imperiosa mansuetudine omnium animos sibi conciliat. Hæc enim scientia superiorum est, nō omnia vulnera medicamentis hispidis curare, non cauterijs eorum malitiam absumere, non ferro resecare, lenitate enim plerumque melius medentur. Semel tantum Deus mundū illo vniuersali & vindicatiuo naufragio puniuit, & ex illo asperrimo supplicio quasi pœnitens non vltra huiusmodi pœnis vti iurauit: nisi enim superior multa pepercerit, subditis carere, necesse est: nam & formidini Silæ ita cruentæ ac tyrannicę fuit qui aduerteret, aliquos impunitos reliquere, vt haberet super quos imperaret. Diuina virtus clementia dignoscitur, nam ex consortio Moysis cum Deo non tantum lucem adquisiuit, sed suauitatem regiminis. Nunquam in Deo incarnato nisi semel eius inimici seuerum vultum viderunt, sed suauitate, & dulcedine perfusum: vnde ansam illis prębuit, vt eum calumniarent se Regem fieri voluisse non irrationabiliter, nam nulla proprietas debet esse Regi connaturalior, quā mansuetudo, & dulcedo.

134 Iunilius Africanus (libr. 2. de partibus Diuinę legis) quęstionem excitat, an nobis constet ignem in prima rerū conditione creatum fuisse, & quomodo id non inueniatur in sacra pagina? Multorum opinio est, Deum, cum lucem condidit, ignem creasse, & in solis, lunę, ac siderum creatione esse incluſum. Cur igitur si ita accidit, id non exprimitur, & sicut cæterorum luminum, ignis mentio specialis non habetur? Præsertim cum pars vniuersi sit principalior, & quæ quasi vniuersalis causa, & elementaris portio influit? Cur lucis, non ignis nomine innotescit? Audi Iunilium. *Sapientius hoc scriptura lumen, quam ignem vocauit, vt ex melioni usu nomen acciperet.* Duo enim munera ignis habet, & illuminare, & comburere: pon igitur in sua creatione ignis, quo nomine vrēs deprehenditur, vocetur, sed lumen, quo illuminans agnoscitur: ab illuminatione tantū cognoscatur, non ab vstione: quia cum ipse causa quasi vniuersalis sit, & non simplicibus superior, qualitatem, qua lędit, & odium parit, debet abscondere: beneficam, & amabilem, qua animos sibi conciliat, *Iunillius.*

mani

manifestare: Deus enim qui(vt in Deutheron. 4. habetur) ignis consumens appellatur, plus dignatur mansuetudine & lenitate illuminare, quã rigore & asperitate comburere. Palma, quia superior est cæteris plantis, dulciorem & suauiorem fructum præ omnibus affert: sic qui supremum locum obtinet, & alijs imperat, plus ad suauitatem debet apparere propensus, quam ad rigorem: plus ad misericordiam, quam ad iustitiam: & cum hac vti sit necesse, quia pars regiminis est, eam attemperare, & clementia perfundere oportebit. Inter Thaboris glorias hinc & illinc Christus Moysem, & Eliam constituit. Hic administer fuit zelo inardescens, & qui terram comburere tot annis siccitatis tẽtauit: ille Princeps ita suauis & mãsuetus, vt amicitiã Dei audacter perdere non dubitauerit, quatenus suis subditis indulgentiam cõsequeretur. Inter quos Dominus, vt eos attemperaret, medius voluit adesse, ea tamen industria, vt Moysis suauitas ad dexteram extitisset; Eliæ vero seueritas ad sinistram, vt eos erudiret, præstantiorem locum suauitati & mansuetudini deferendũ. Quod optime notauit Petrus Cluniacẽsis. *Duo ergo illi Patres, alter mitissimus, alter immitissimus apparent cũ Domino: quare? Quia misericors et miserator Dñs, quia iustus Dominus, et iustitiam dilexit: misericors ergo misericordiam, iustus iustitiam designat; vnde et congruè scriptura non prius Eliam, et postea Moysem, sed antè Moysem, et postmodum Eliam ponit.* Suauitatem prætulit, vt quotquot regimini intendunt, ad illam potius propendeant, vt subditi suo obsequio mancipẽtur. Quod in laudem sui Imperatoris dicebat Tacitus lib. 6. Annal. *Mirumque amorem assecutus erat effusa clemẽtia, modica seueritate.*

Petr. Cluniacens.

Tacitus.

135 Dum Isboseth filius Saul bellum gereret contra Dauid, cum ipsoque de possessione regni contenderet, accidit, vt Abner strenuus miles, qui partes Isboseth tenebat, ingrederetur ad concubinam Saulis: quod ægrè ferens Isboseth ipsum reprehendit; ille autem iratus valde de perditione regni cogitauit, ipsumque in manus tradidit Dauid. *Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, et eleuetur thronus Dauid super Israel, et super Iudam a Dan vsque Bersabe.* 2. Reg. 3. v. 9. Quam offensionem Abner accepit, vt regni ruinam moliretur, & regnum Isboseth ad Dauid transferret? Nullam aliam recensent textus, nisi leuem reprehensionem pro facto turpissimo: at hæc remissa Isboseth ira sufficiens fuit regnum penitus euertere. *Disce* (inquit Caietanus) *Qui accusas negligentiam Principum, quanti mali Isboseth occasio fuerit reprehensio Abner.* Vel seuera elocutione thronũ paternum amisit Isboseth: vt exinde abstineant Principes à verbis virulentis, & sæuitiam spirantibus: atque clementia, lenitate & dissimulatione regna diuturna facient. Ioseph cum puer esset, fratres suos accusauit: cum autem factus est vir, & aulicis negotijs expertus, neque fratres reprehendit, neque de cisterna, in quam eum miserunt, neque de accusatione dolosa, quam patiebatur, quidquam loquitur, quia Deus eum ad regnum prępa rabat: & cum iam Princeps erat, neque de venditione inuidiosa verbum protulit: quia (vt dixit Veronensis Zeno) agnouit, quòd si prophetia Princeps suorum fratrum debuit esse, & eorum accusatio principatum in somnium vertit, dissimulatione criminis, & mansuetudine vere regnum erat fundaturus. Prestat Reges ad misericordiam propendere, ea enim & excelluit Dauid, & perpetuauit principatum. Inter alia autem pietatis insignia illud fuit prędarum, quo cum Moabitarum Rege, quem fecit tributarium, vsus fuit. *Et percussit* (inquit text.) *Moab, et mensus est eos funiculo coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos ad moriendum; et plenitudinẽ funiculi ad viuificandum.* Quibus insinuatur, quod non promiscuè, & ferino furore multos fecerit occidi, sed cum mensura proculdubio iustitiæ.

Caietan.

Zeno Veronens.

2. Reg. 8. v. 2. *Caiet. ex Hebræo.*

At

At cur funiculus ad mortem tendens non plenus dicitur, sicut funiculus, quo metiebatur vitam? Auscultа Caiet. *Maior clementia significatur dicendo: et plenitudinem funiculi adimplendam; vt funiculus mortis insinuetur mancus; funiculus vero vitæ insinuetur plenus: propensiores enim debent esse Principes ad vitam hostium, quam ad mortem eorum.* De diuturnitate regni cogitabat Dauid, & ipsum clementia perennare, auspicabatur: idcirco quidquid seueritati detrahebat, accrescebat pietati: quia sciebat, dominationes non tam inimicorum robore, quam crudelitate dominantis extingui.

136 Immoto Sole vnius diei spatio superauit Iosue quinque Reges præcepto Dei, ipsosque suspendi præcepit: Dominus enim pro ipso pugnabat, & de cælo ingenti grandinis multitudine hostes lapidauit. *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azeca, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.* Iosue 10. v. 11. Ad quid miracula multiplicantur, & Solis ac Lunę inaudito prodigio tumultus lapidum de cælo additur? Gloriosior enim esset victoria, si non tam cœlesti auxilio adiuuarentur Israelitę. Egrègie Rupertus lib. 1. de Trinitat. & operib. eius cap. 22. non tam contra inimicos, quam in fauorem Iosue hæc facta fuisse pensitauit. *Parum autem erat apud homines tantum victorem, qui nec mortuis parceret, sed mortuorum quoque colla pedibus calcare præceperit, mortuosque patibulis affigeret, de crudelitate excusari prædicto testimonio, vel præcepto legis; nisi etiam defenderetur in præsentiarũ nouo et inaudito miraculo iusti Dei.* Sic dedecet verum Principẽ in homines etiã hostes infensissimos desæuire, vt quia Iosue infinitam mortaliũ stragem edidicit iusto quidem bello, & Dei addactus imperio, prodigiosis de cælo, Soleque miraculis necessario fuerit honorandus, ne crudelitatis nota inter homines laboraret, & subditi ad inobedientiã, & ipsius odiũ prouocarentur: quia nemo facilè crudelẽ, & seuerã potestatẽ amat. Hinc cum Dominus Moysi reuelaturus mysteria descendisset, in rubo apparuit flammis non voracibus inardescente. *Apparuitq; ei Dñs in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. v. 2. Cur autẽ Deus in rubo apparuerit humili arbuscula, nõ autẽ in alia arbore procera, & elevata, non parũ negotij facessit Cõmẽtatoribus. Theodor. in rubo apparuisse credit: ne postea Hebræi ipsã ranquã Deum adorarent, & idololatriæ crimẽ incurrerẽt. Sed hæc ratio parũ vrget: nã si Hebręi rubum erant adoraturi, quia Deus in eo apparuerat, materialis differẽtia erat eũ rubũ, aut aliã arborem extitisse. Sed acumen percipe. Cultũ, quem rubus Dei assistentia promerebat, propria conditione deperdere erat necesse, quod in alijs arboribus nõ cõtingeret: rubus enim arbor est sentibus, & pugionibus armata, vndequaque spinis circũsepta: quis ergo arborẽ sic agrestẽ, seueræ ac intractabilis conditionis adorabit? Caueat igitur Deus idololatriæ periculũ naturali rubi rigore: nã cultũ, quẽ Dei assistentia promeruisse videtur, propria cõditione deperdet: superioris enim intẽperata seueritas subditos deterret, ipsorũque odium, & inobedientiã negotiatur; qui suauitate & dulcedine mãcipãtur, & vsq; ad adorationẽ trahũtur. Sic Deus humana carne indutus ab Austro, qui eius mitissimam naturã significat, venire perhibetur, vt hominum corda deuinciat. *Deus ab Austro veniet.* &c. Hic v. 3.

Idem.

Iosue 10. v. 11.

Rupertus.

Exod. 3. v. 2.

ANNOTAT. XXXI. MORALIS.

DIGNITAS, QVAE CONFERTVR digno, ab omnibus habetur.

137 TAM in cõmune bonũ electime rita redundãt, & eius prelatura vergit, vt omnes ęque credãtur honorati, & publicũ omniũ credatur beneficiũ, cũ benemeritus præfertur. Ea, quæ digno exhibẽtur, quasi nobis donarẽtur, cõputamus. Vnde optimè dicebat Publius Mim. *Beneficium dignis vbi des, omnes obligas.* Et alibi:

Publius.

beneficium dando accipis, qui digno dedit. Hinc illud Iustiniani Imperatoris in C. de aduoc. lib. 6. *Vniuersis redditur, quod pro voto omnium Primatibus indulgetur.* Cum pluuiæ in montes altos cadunt, postea in valles stillantur, & fructuosè sata fœcundant; si autem in valles primò cadant, montes illis orbantur: haud aliter cum præmia dignis conferuntur, omnes suscipiunt, & læta plebs proficuas stillationes accipit; si vero indigni dignitatem accipiant, omnes tristantur, & nulli proficit. Nitente Sole, Luna & sidera fulgent, quia lux, quam ille capit, ad ista transfunditur. Cum benemeritus honorem accipit, & inferiores simul accipiunt. In secunda creationis die locutus Moyses dixit: *Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum.* Genes. 1. v. 12. Per huiusmodi autem lignum fructum faciens omnes Interpretes arbores frugiferas intelligunt; quærunt tamen, an tunc terra ifrugiferas arbores produxerit: omnesque vnanimiter fatentur, non frugiferas arbores etiam subintelligi, & sub nomine frugiferarum comprehendi. At cur plantæ steriles, & infœcundæ frugiferarum nomine honorantur? Cur eodem epitecto ac proficuæ laudantur? Crediderim, ex consortio, & fœcunditate frugiferarum arborum steriles fœcundas nuncupari: infructuosum lignū alieno elogio adornatur, quasi quod frugiferis datur arboribus, infructuosis etiā impendatur. Concessum creditur sterilibus plantis, quod fœcundis, & proficuis donatur. Quę dignū referebāt fructū, alijs fœcunditatis gratiam cōmunicabant, vt impensum ipsis crederetur, quod proficuis, & benemeritis donabatur. Sic (inquā) dignitas, quæ frugiferis ac benemeritis viris confertur, etiam infrugiferos ac indignos honorat, muneranturque omnes, cum benemeritus ad præfecturā euehitur.

Iustinia.

Genes. 1. v. 12.

138 Quærens sedulo Saul asinas patris sui regnum inuenit: sic enim Samuel ipsum sciscitātem alloquitur: *Et cuius erunt optimaque Israel? Nonne tibi, et omni domui patris tui.* 1. Reg. 9. v. 20. Non solum felicitatem ipsi venturam annunciat, sed & prosperum paternę domus progressum, quę ad regni apicem erat eleuanda. Verū cur Propheta non solum Sauli prædixit futurum Regem Israel, sed omnem domum patris eius, omnes laterales, & adiunctos in eodem regno esse prę ficiendos? Si solus Saul erat regnaturus, & non ad posteros regia dignitas protrahenda; cur omnes eius cognatos regnaturos prænunciat? Optimè noster Rangolius in commentario huius loci difficultatem exarmat. *Quia semper consanguinei, et affines Principis beneficia participant, rebus enim gerendis præficiuntur, et præfecturas amplissimas obtinent, et propter sanguinis cum Principe communionem officiosè coluntur ab omnibus, illos populus veneratur, et suspicit tanquam Principis sui membra quouis honore digna, et ob fauorem, quo apud Principem valere plurimum creduntur, vnusquisque eos perobsequiosè, ac diligenter obseruat.* Sed licet Rangolij expositio videatur idonea, ipsique succinant Glos. Hugo Card. & Abulens. adhuc plus in verbis Samuelis latere suspicor: nam tunc non de felicitate parentum & consanguineorum Saul agebatur, sed de meritis & virtute, quibus eligebatur ad regnum; hoc enim vers. 2. eiusdem cap. Saulis elogium extabat. *Et erat ei filius vocabulo Saul electus, et bonus, et non erat vir de filijs Israel melior illo.* Igitur vt Propheta innueret, de meritorum copia Saulis dignitatem venire, ipsam totius familæ esse perhibuit: quia quotiescumque benemeritus ad dignitatem eligitur, omnes de familia, omnes de populo illā possidēt: omnes enim sibi impensum reputant, quod merenti donatur. Non modo inuidiā non excitat beneficiū digno collatum, sed gratitudinē solicitat: quia alieno condignè possesso honore omnes remunerantur, & incrementum magnum mutuant.

1. Reg. 9. v. 20.

N. Rangolius.

Glosa. Hugo. Abulens.

Vers. 2.

Diui-

139 Diuisit in seruos suos Pater ille familias bona sua, vt lucrum exinde repeteret: cum autem rationis dies accederet, qui quinque talenta acceperat, alia quinque, quæ fuerat lucratus, retulit: qui duo, alia duo: at qui vnum, ob negligentem negotiationē, nihil lucri reddidit, sed ociosum talentum attulit. Tunc Dominus præcepit, vt à pigro seruo talentum auferretur, & ei, qui decem iam habebat talenta, exhiberetur. *Tollite ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta; omni enim habenti dabitur, et abundabit.* Matth. 25. vers. 28. Non paruam difficultatem faciunt hęc posteriora verba, quæ satis implexa videntur: etenim si omni habenti talentum dandum est id, quod aufertur à negligenti seruo; cur illud præcipit habenti decem talenta tantum dari? Si qui habebat quatuor, duo, aut tria talenta habens erat, & decretum fuit omni habenti id, in quo ociosus fuit multatus, esse largiendum: cur tantum illi, qui decem habebat talēta, confertur? Nam ex eo quod omni habenti esset dandum, sequebatur, quod etiam habenti quatuor, duo, aut tria daretur. Quo ergo pacto, quod vnus defert, omnibus conferendum dicitur? Profundè Caiet. eo quo pollebat ingenij acumine. *Et vere sic est: quia ita datur vni, quod dabitur omnibus: communio enim gaudij de vno et eodem non minuit gaudium à singulis.* Dignior sanè erat, qui decem habebat talenta: idcirco quando ei talentum datur, omni habenti datum perhibetur; proindeque etiam habenti quatuor, duo, aut tria talenta: quia vbi dignior remuneratur, quidquid ipsi in pręmium meritorum confertur, omnes possident, & omnibus exhiberi creditur. Cum dignitas ei, qui prestantiori pollet talento, datur, omnes eam accipiunt; & extraneo honore munerantur. Mensura gaudij omnibus æqualis est, & alienus honor emeritus honoris aliquid omnibus affricat.

Math. 25. v. 28. et 29.

Caietan.

140 Aperto in cœlo ostio agnum vidit in throno sedentem Euangelista Joannes, & in circuitu throni viginti quatuor seniores habentes in capitibus coronas aureas, quas quotiescumque animalia glorificabant agnum, ante ipsius pedes prosternebant. *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viuentem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum.* Apocalyps. 4. vers. 10. Vbi animalia intonabant laudes, seniores redimiti coronis eas mittebant. Si autem inquiras, quando animalia clamabant, inuenies: *Animalia non habebant requiem die ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus.* &c. Si ergo Reges procidunt, & coronas mittunt, quoties animalia clamant, semper Reges procidunt, semperque pedibus agni coronas dicant, siquidem absque vlla requie diu noctuque animalia clamant. Plane ita est. Sed hinc magna exurgit difficultas; si semper Reges procidunt, ac coronas mittunt, quia semper animalia clamant: quando sedentes potuerunt apparere, & in eorum capitibus coronę? Si ad pedes iacent dominantis agni, & sub ipsis coronas prosternunt semper: quomodo in sedibus collocati, & eorum capita coronis exornata perhibentur? Opinor idcirco seniores illos coronas semper possedisse, quia dignior in throno sedebat, vt ipsi profitentur: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem.* Cum enim, qui meritorum splendore fulget, dignitatem obtinet, & coronam assequitur, omnes illam possidere reputant. Seniores coronati dicuntur, quoniam sibi impensum credebant regnum benemerito exhibitum; ipsis dignitas imputatur, quæ meritorum iure erat possessa. Idcirco laude, & honore, quem Christus suis operibus promeruit, omnem terram expleri, cecinit noster Vates, quia à digno possessore omnes illum participabant. *Et laudis eius plena est terra.*

Apocal. 4. vers. 10.

Vers. 8.

Vers. 11.

Hic vers. 2.

***

ANNOTAT. XXXII. MORALIS.

IVDEX, NISI AEQVVS SIT, iniquus erit.

141 LANGVET iustitiæ vigor, vbi Iudex officio fungitur aduocati; nullius speciatim esse oportet, qui omniũ coẽmuniter debet esse: nec quidquam pro sua voluntate decernere, qui non sibi pręponitur, sed cæteris. Iustitia alijs nascitur, non sibi, vt optimè dixit Ambrosius libr. 1. offic. c. 28. *Magnus itaque iustitiæ splendor,* Ambros. *quæ alijs potius nata, quam sibi, communitatem, et societatem nostram adiuuat, ex celsitatem tenet, vt suo iudicio omnia subiecta habeat, opem alijs ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena.* AEqua bilance iustitia debet librari, quin in aliquam partem inclinet, neque subornetur, aut corrumpatur munerum, amicitiæ, aut cognationis lenocinio, & non æquus reputetur Iudex, si his affectibus inclinatus insontes impunitos relinquat, & damnet innocentes: alienos puniat, parcatque proprijs, sicut diluuij aquę, in quibus pisces, qui illius cognationis erant, plaudebant, & lætabantur, cæteris animantibus suffocatis. Qua imagine, nescio quis, Iudices carpebat iniquos.

Gentibus immersis piscis generatio salua.
Innatat. En tantum, cui fera parcit aqua.
Cætera submergens cur piscibus vnda pepercit
In reliquos furens, mitis et in soboIem?
Iudicis haud æqui viua est facialis imago,
Qui reliquos plectit, parcit et ipse suis.

Ob tria facinora egregia Moyses æquissimus Iudex fuit reputatus: AEgyptium Hebręi percussorem interfecit, vt habetur. Exod. 2. v. 12. Madianitas pastores in Sacerdotis filias iniquos refrenauit. ib. v. 17. Ac denique duos Hebræos rixãtes cõspiciens, ei qui faciebat iniuriã, dixit: *Quare percutis proximũ tuũ?* Exod. 2. v. 3. Nec solo verbo, sed etiã facto ipso repressisset, iam enim aderat occisurus, nisi proditionẽ formidasset, ipso Hebræo testãte, ac dicente: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti AEgyptium.* ibid. v. 14. In quo horũ euentu magis integer Iudex Moyses apparuit? Credo equidẽ, in tertio: nã in duobus prioribus alienos, ac barbaros puniuit: verũ in posteriori domesticũ, & proprię gentis hominem cohibuit, & affectũ vicit, quo fere semper iustitia flectitur. Profecto nullibi tam dignus laude Moyses reperitur, quam vbi cognationis amore iustitiam non adulterauit.

Exod. 2. v. 13. Vers. 14.

142 Ipso Moyse moram faciente cum Deo in monte populus conflauit vitulum, quem pro Deo coluit: descendit ille ira accensus, & vt vindictam tam nefandi flagitij sumeret, dixit Leuitis: *Ponat vir gladium super femur suum, et occidat vnusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum.* Exod. 32 vers. 27. Si idolatras occidi decreuerat, cur non solum pręcipit, vt gladios manibus Leuitæ arripiant, sed etiam, vt super femora imponant, vbi magis inepti sunt ad feriendum? Quid gladius in femore impositus nocumenti populo potuit afferre? Egregie Diu. Ambrosius epistol 56. ad Romulum id factum putat: *Vt contemplatione, atque amore reuerentiæ Diuinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis.* Est femur sedes generationis, & cognationis: consultissime ergo præcepit Moyses, vt enses, quibus idolatræ erant perimendi, in femore ponerentur, vt indicaret, non tantum externos, & alienos esse occidendos, verum etiam consanguineos, & propinquos; imo ad hos tãtum vltio videbatur inflecti, siquidem vnicuique Leuitarum pręcipitur, fratrem, amicum, & proximum occidere, vt omnis inæqualitatis pręcideretur suspicio: ne amicis indulgerẽt, & in exteros sæuirẽt: amor enĩ, & voluntas iudicio officit, adulterat iustitiã, & leges inuertit. Hinc vbicũq; in sacris litteris de iudicio, in quo hominũ

Exod. 32. v. 27. Ambros.

causæ

causæ discutientur, agitur, nusquam Spiritum Sanctum sedere ad iudicandum dicitur, sed id munus Patri aut Filio appropriatur. Quod optime notauit Maldonatus ad cap. 16. Marc. *Animaduerte autem, in litteris sacris nusquam Spiritum Sanctum, sed solum Patrem, et Filium dici sedere, quòd sedere, vt dixi, gubernare sit, et non Spiritus Sanctus; sed Pater, et Filius dicantur gubernare, gubernare (inquam) extrinsecus, nam intrinsecus quidem animos hominum regere Spiritus Sancti proprium est.* Res plane admiratione digna: nam licet certum teneamus, aliquas extrinsecas operationes alicui ex Personis Trinitatis attribui, quę non appropriantur alteri, quamuis indiuisibiliter ab omnibus sint, non apparet ratio, cur Persona Spiritus Sancti non dicatur ad iudicandum sedere, sicut Personæ Patris, & Filij dicuntur. Mitto alia, quæ in re tam profunda poterant excogitari, & arbitror, iudiciariam potestatem Spiritui Sancto nunquam in sacro Canone adscribi, quia proprietate Personali amor est, & licet amor in Diuinis periculo careat corruptionis, & inæqualitatis, quia in hominum iudicijs periculo plenus est, & qui iustitiam violat, quasi recusatur amor Diuinus in iudicio, vt erudiamur, quantum à Iudice amor, & affectio erga litigantes sit exulandus.

Maldon.

143 Leuitic. 24. vers. 22. vt iustitiam Deus in populo sanciret, dixit: *Aequum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit.* Pagninus vertit: *Vnum, seu idem iudicium sit inter vos.* At quomodo si vnum iudicium sit, æquum esse poterit? Nonne æquum est iudicium, æquus Iudex, qui sontes & insontes æque plectit? Si pro diuersitate causarum, & meritorum modulandę sunt sententiæ: quomodo idemtitas iudicij in omnibus potest seruari? Supplicia enim adaptanda sunt delictis, & Iudex, qui ęque & sine delectu omnes punit, iniquus est. Quo ergo pacto præceptum de vnitate iudicij sine iustitiæ offensione poterit adimpleri? Rectè Marius ad hunc locum. *Significat, sine personarum delectu iudicium fieri debere, nec Israelitis plus indulgendum, quam alijs:* Vnitas iudicij non ad pœnas refertur, sed ad personas, quia sine earum discrimine ferendæ sunt sententiæ. Iudex, qui iura tuetur, vnam tantum personam respiciat, iustitiam nempe: & neque amor absoluat, qui puniri debet, neque odium damnet, qui plecti non meretur. Non sit à reatu immunis, qui ad ipsum quoquomodo accedit, neque pœnę obnoxius, qui priuilegio amicitiæ, aut cognationis non gaudet: hoc enim in magnum reipublicæ redundat beneficium; pro illoque grates Deo referebat Dauid: *Qui exaltas me de portis mortis.* Psalm. 9. vers. 5. Iudicum portas portas mortis appellat, quoniam Iudices in portis ciuitatis iudicia ferre solebant. At cur portę mortis Iudices dicuntur? An quia sicut in morte omnia relinquuntur, sic Iudices ad iudicandum accedentes omnia, quæ illos possunt inflectere, relinquere debent? Sic olim meditabar. Nunc idcirco existimo Iudices portas mortis appellari, quoniam sicut in morte omnes sunt æquales Principes, & plebei, nobiles, & ignobiles, rustici, & vrbani: ita æqui Iudices ęqualiter iustitiæ zelo omnes plectere debent, diuites, & pauperes, exteros, & consanguineos, si ęquali scelere sint comprehensi, ne propter amorem potentes euadant innocui, & propter Iudicis odium innocentes puniti: nihil enim sic dedecet Iudices, ac potestate abuti ad proprias iniurias vindicandas, & se consolandũ de dolore inde recepto.

Leuitic. 24. v. 22.

Pagninus

Marius.

Psalm. 9. v. 15.

144 Increpans Christus Dñs nequitiam Phariseorũ, qui & Prophetas persequebãtur, & ipsũ erãt occisuri, dixit: *Itaq; testimonio estis vobis metipsis, quia filij estis eorũ, qui Prophetas occiderunt, et vos implete mẽsurã patrũ vestrorũ.* Matth. 23. v. 31. Quasi dicat: illi interfecerunt seruos; vos Dominũ crucifigite: mensuram adimplete patrum vestrorũ: ideſt, eorum mensurã ęquate.

Matth. 23. v. 31.

At cur dixit, implete, & non: superimplete, vt appositè potuisset dicere, cũ incomparabilis esset excessus mortis Domini ad mortem cuiuscumque seruiẽtis? Si malitia, qua ipsum crucifixerunt, longe superauit illam, qua eorũ patres in Prophetas insurrexerunt: cur æqua lance, & pari mensura vtrãque librat? Profundè, ac luculenter Chrysostom. prædicta verba versans.

Chrysost. *Et quam bene dixit: implete, et non: adimplete. Quantum ad veritatem excesserunt mensuram patrum suorum: illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt: illi ministros, isti Regem. imputat autem illis mortem Apostolorum, cæterorumque sanctorum. Ideo dicit: implete, et non: superimplete: nam benigni et iusti iudicis est suas iniurias contemnere, et aliorum iniurias vindicare. Qui autem suas vindicat, quamuis iuste vindicet, nunquam tamen iudex iustus esse putatur.* Non solũ alios, sed & se ipsum non debet respicere, qui iustus inferendis sententijs vult reputari: arma enim iustitię in vltionem proprij doloris conuertere, etsi iuste fiat, degenerem intentionem in iudice arguit, qui in æquilibrio semper debet versare, & velut funanbulus lanceam iustitiæ æque librare: nã si ad aliquam partem inclinet, totus ruet, & næuo amoris, qui indecorus in iudice est, fœdabitur.

ANNOTAT. XXXIII. MORALIS.

PLVS CHRISTVM CRVCIAVIT electorum paucitas, quam tormentorum multitudo.

145 NIHIL sic torquet amantem, quam amato non proficere, & inutiliter amoris opera disperdere. Hoc argumento & sacra, & prophana scriptura redundat, & de hoc maximè conquerebatur Christus Dominus apud Michæam cap. 7. v. 1. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* De paucitate hominum, qui eius sanguine salvi fiunt, dolet: quasi dæmoni maximo vindemiatori multi botri cedant; ipsi vero tanquam racematori non nisi reliquiæ, pauci scilicet, & pauperculi. Quasi dicat: mihi non supereſt botrus, sed vix paucuſi accini, & granula pauca: botri enim magni & pingues vulpium pabulum facti sunt. Maxima pars hominum dę monis ingluuiei inservit, plenos botrorum cophinos colligit; mihi accini relinquuntur. Quid grauius? Quid acerbius? Sic capit verba ista Origen. hom. 37. ad illa Matth. 27. *Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Nota* (inquit) *Christum non conqueri de sua derelictione, nisi postquam tenebræ factæ sunt, quando occuparunt tenebræ animos Iudæorum, vt derelicto Israele salus fieret Gentibus. Forsam etiam videns paucitatem eorum quibus sanguis suus erat profecturus, dixit: quare dereliquisti me? Iuxta illud: Væ mihi: quia factus sum veluti qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Idem repetit tractatu 25. in Matthæum. *Et Videns peccata hominum, pro quibus patiebaris, dicebas: quare me reliquisti, vt fierem quasi qui colligit stipulam in messe, et sicut qui colligit racemos in vindemia, cum non sit botrus ad manducandum primitiua.* Mille tormentorum generibus Christus Dominus torquetur: à Patre sequestrata dulcedine eius humanitas derelinquitur: & acerbitatem omnium dolorum superat, quod pauci eius sanguine ad salutem potiantur, & quod maxima hominum pars dęmonis sit assecla. Huc respicit quod Patri referens cruciamenta, quæ in passione pertulit, concludit: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Psalm. 21. Cur tantoperè conqueritur de sorte super vestem missa, vt pro coronide omnium tormentorum hoc vnum recenseat? Quid sors eum cruciauit, vt tam vehementer doleat? Egregie D. Augustin. tract. 18. in Ioan. *In sorte quid nisi Dei gratia commendata est?* De hoc ergo queritur, de hoc dolet, & angitur, quod gratia, quam passione promeruit, non omnibus proficiat, sed paucis adeò, vt quodammodo numerum

Origenes.

Psalm. 21 v. 19.

Augustin.

rum non constituant, siquidem vnus tantum fert: quod enim sorte mittitur, non omnibus, sed paucis contingit. *Et super vestem meam miserunt sortem.* Sanguis, quem in omnium lauacrum effudit, paucis piaculum extitit, quod maximum cruciamentum ipsi fuit.

146 Mirum inter alia, quæ Ioannes in sua Apocalyp. c. 13. vidit, illud est, quod agnus, qui in tempore pro hominum salute erat immolandus, ab origine mundi occisus apparuerit. *Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* Quo pacto ab æternitate cruenta immaculati agni apparet imago, si in tempore determinato mortem erat subiturus? Quis temerario ausu regales cœli sedes sanguine potuit violare? Quis vulnera intulit, vt cadaueriscentis mortis effigiem ibi introduceret? Opinor, sic ab æternitate Christum occisum se exhibuisse, quia ab illa cognouit plures suo sanguine non profecturos: tanto enim dolore afficiebatur præuidens suam passionē multis propter eorum nequitiam nō proficuam, vt in Patris sinu mortuus appareat, quia lętitiam, quam percipiebat ex redemptionis opere, ad quod erat venturus, perditorum hominum mæror extinguebat, & mortē quodammodo inferebat ipsi. Sic iam carne assumpta, cum Lazarum suscitare accessit, infremuit spiritu, profuso imbre fuit lacrymatus, tandem voce magna clamauit: *Lazare veni foras.* Ad quid obsecro tot doloris signa? Pœnitet vitam conferre, quod Lazaro ad eam reuocato ingemit, & dolet? Audi Chrysologum sermone. 64. *Fremit spiritu, et tota se viscerū commotione conturbat: quia adhuc solum Lazarum, et non omnes mortuos suscitabat.* Peccatoris typum, qui ex peccati morte ad vitę gratiam reuocatur, Lazarus gerebat: dum ergo Christus ipsum suscitat, tota se commotione conturbat, liquat per oculorum stillationes cor dolore acerbissimo pūctus, eo quod solum Lazarum, & non omnes mortuos suscitabat, quia vnū tantum peccatorem reducebat: quia nihil tam acerbe sentit, quam eius sanguine non omnium arida corda emolliri: tanto enim nostræ salutis desiderio flagrat, vt hominum quemlibet perdere tāti reputet, quasi omnes perdidisset.

Apocalyp. 13. v. 8.

Ioan. 11. v. 43.

Chrysolo.

Sub persona hominis ad lautum conuiuium inuitantis Christus introducitur Lucę 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocauit multos.* De illo omnes capiunt huiusmodi parabolam. Verum nō ipsius videtur, quia profusa ipsius clementia non ad omnes extenditur: si enim vt dixit Paulus omnes homines vult saluos fieri, quomodo hic non omnes, sed multos vocat? Multi enim non omnes comprehendunt. Qui ergo illi erunt, qui ab illius misericordia excluduntur? Fortè redemptionis pretium omnibus non fuit sufficiens, quod non omnes vocari dicuntur? Absit: quo ergo pacto hic nō omnes, sed multi vocātur; & alibi dixit: sanguinem fudisse non pro omnibus, sed pro multis? *Qui pro vobis, et pro multis effundetur.* Verum omnes proculdubio vocauit, cum multos vocare perhibetur: quia nisi omnes essent, non multi illi viderentur. Sic hominum salutem suspirat, vt si vnus tantum eam non assequatur, omnes perdidisse credat, & nisi omnes saluētur, nullum salvari reputet. Vbi multos vocare dicitur, omnes vocari satis innuitur: quia non multos, sed paucos, imo nullos reputaret, si non omnibus vocationis gratiam impertiret; sicut à contrario sensu vnius perditio eumdem dolorem ac omnium excitat. Hùc spectat illud Ambrosianum in cap. 9. ad Hebręos. *Quantum in te est eius momenti est vnius perditio, cuius momenti est omnium perditio.* AEstuanti siti omnium peccata absorbere anhelat, & de amissione cuiuscumque amarissimè dolet. Huc enim dirigebatur vox illa magna & clamorosa, qua inclamauit ad Patrem iam iam spiritum exhalans. *Clamauit voce magna* &c. Lucæ 23. Ad quæ D. Hilarius canon 32. in Marcel. *Post-*

147

Lucæ 14. v. 16.

Math 26. v. 28.

Ambros.

Lucæ 23. v. 46.

Hilarius.

quam potauerat dixit: Consummatum est. Quasi omne vitium humanæ corruptionis hausisset: et quia nihil agendum erat extrinsecus, spiritum cum clamore magnæ vocis emisit dolens non omnium se peccata portare. Hoc ipsum ponderauit Chrysolog. (serm. 169.) solicitudinem aduertens, qua mulier illa quę drachmam perdiderat vnam ex decem, quas possidebat, eam solicitè requirit, & de eius amissione tam intensè dolet, ac si omnes perdidisset, & censibus ac facultatibus omnibus maneret destructa. *Ad destruendum* (ait Chrysolog.) *sufficit vnum, et non solum drachmam perditam deflebat vnam, sed ipsas nouem reliquas non videbat: quantum enim in ipso est, eius momenti est vnius, cuius mvmenti est omnium perditio.*

Chrysolo.

148 Mysteriosa illa sitis, quæ Christum Dominum cruciauit in patibulo, postquam omnia ad passionem decreta pertinentia consummauit, aduenit. *Vt cõsũmaretur scriptura, dixit: sitio.* Ioan. 19. v. 28. Cur qui ad tot cruciamentorum genera obmutuit, æstuantis sitis dolore quasi impatiens conqueritur? Quę sitis illa fuit, quæ plusquam cætera tormenta ipsum cruciauit, & in tristissimas voces prorumpere compulit? Ausculta Taulerum de vita & passione Christi cap. 47. pulcherrima verba exarantem. *O quam incomprehensibilis hæc sitis erat. O quam incruciabiliter hæc eum sitis intus afflixit, dũ se et fecisse omnia, quæcumque poterat, et vel centuplo plusquam fuisset opus; et tamen tam paucos se conuertisse, et esse lucratum. Iam corpus eius omne detritũ erat, sanguis omnis effusus, nihil quod ageret, restabat, atque adeo fateri cogebatur, et dicere: Consummatum est. Et tamen cunctis laboribus, atque doloribus suis non maiorem Patri suo fructũ, atque lucrum fecerat. Et revera plus eum omni sua afflictione cruciauit, quod in tam duro certamine non augustiorem esset victoriam adeptus, tamque raris spolijs ad Patrem suum victor rediret.* Sanguinem, quem pro omnibus fundebat, paucis profeciſſe, & ex certamine inito cum potentissimo hoste tam exigua spolia reportare crudelius ipsi cruciamentũ fuit: quia maxime dolebat aliquem perdere, & ex ingenti pretio pro omnibus exhibito paruum lucrum referre, & infructuose sua opera feciſſe, quæ omnes gratia, & gloria replere valebant. *Et laudis eius plena est terra.* Hic. v. 3.

Ioan. 19. v. 28.

Taulerus

ANNOTAT. XXXIV. MORALIS.

DEVS VNVS EST, VT FACILIVS seruiatur: Trinus, vt abundantius benefaciat.

149 QVotiescumque antiqui Vates de ineffabili Trinitatis mysterio loquuntur, arcane illud indicant, quod familiare apud omnes est; mirifice autem Propheta noster hoc canticum eo studio organizauit, vt in illo Trinitatem Personarum describeret. Quod pulcherrimè detexit Rupertus, cuius verba etsi prolixa integra referam, ne eorum sensum deuenustem: obseruat enim tripliciter mẽtionem fieri huius dictionis *Sela*, & ex triplici comparte totum hoc vaticinium absolui, vt Sanctissimæ Trinitatis reuelatio ex illis constaret. *Quoniam distinctione trina distinctum est hoc canticum, cuius videlicet distinctionis signum est, semper, siue* diaplasma, *tertio iam positus, et in antedictis clare discernuntur duæ Personæ Filij, et Spiritus Sancti, delectat hanc tertiam partem cantici referre ad propriam Personam Patris, vt sit canticum, siue laus totius Trinitatis.* Et specialiter hic vbi Propheta Deum ab Austro, & à monte Pharan venire prenunciat, Trinitatem Personarum eiusdem naturę consortem appositissimè agnoscit. *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan: semper hactenus admirando exclamauerat; nunc rem ipsam latiùs eloqui incipit: super cuius magnitudine attonitus exclamationem præmiserat. Deus, inquit, veniet, et Sanctus veniet ab Austro de monte Pharan: quod de Christo Dei Filio scimus, vel credimus, propter quod et loquimur. Libenter in istis Prophetæ verbis intelligimus,*

Rupertus

Iosue 3 v. 3.

Idem

Augusti

gimus, quia à Deo exiuit et in hunc mũdum venit homo factus secundum operationem Spiritus Sancti; Spiritus enim Sanctus rectè per Austrum intelligitur, quia ventus est calidus, et è regione calida Aquiloni oppositus, quo significari solet spiritus malignus Spiritui Sãcto contrarius. Ipsa autem Dei Patris Persona per montem Pharan, siue (secundũ 70. Interpretes) per montem umbrosum, et condensum congruè significatur; quia videlicet, incomprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles viæ eius: porro Deus, et sanctus ipse est Christus Dei filius, vtique Deus verus, homo sanctus. Hucusque Rupertus, vbi inuolucrum, & admirabile hoc mysterium à Propheta obscure tradi arbitratur: quod in lege veteri solemne erat, vt obseruauit Marius, (ad cap. 3. Iosue) animaduertens, quod toto tempore, quo populus per desertum iter fecit duce Moyse, arca Dei cortinis cooperta, post exercitum transportabatur præeunte columna nubis die, & ignis nocte: at vbi Iosue populi dux fuit suffectus, res mutatæ sunt, & ex Iordane nubes, & columna disparuit, & arca ibat ante omnes discooperta, ita vt ab omnibus videretur, vt habetur ibi. *Cum videritis arcam Domini Dei vestri* &c. *Iosue 3. v. 3.* Quæ tanti discriminis potuit esse ratio, vt sub vtroque duce in totum res mutarentur? Nisi quia in arca virga Aaronis erat, duę legis tabulę, & vrna Manna, in quibus Trinitatis mysterium erat obuolutũ. In virga, quæ potentiam significat, Pater: in tabulis Filius ob duplicem naturam: & Spiritus Sanctus in Manna, quoniam animę gustus, & suauitas est. Dum regit Moyses, qui legem naturalem, & scriptam referebat, totum hoc mysterium inuolutum, & abstrusum pergit: at duce Iosue, qui Iesum ignificabat, disparet nubes, & obscuritas, & licet mysteriũ absconditum in arca sit per fidem, iam ex aquis baptismi in Iordane figuratũ, absque nube progreditur. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.* *Augustin.* prodest D. Augustin. quæst. 3. in lib. Iosue. *Longè iussum est arcam præcedere, vt posset à populo videri. Tam grande enim agmen, si post eam proximè pergeret, non illam videret præire, nec nosset, quid sequeretur. Ex hoc intelligitur, quod columna nubis, quæ solebat mouendis castris signum dare, et iter ostendere, iam recesserat, nec eis apparebat. Nunc ergo duce Iesu post arcam Domini sequitur nube subtracta, iamque velamine ablato.*

Verum hic quidem Deus, qui Trinus in personis sub obscure olim apparuit, perspicuè Vnus semper fuit cognitus; nisi enim cum Trinitate Personarum vnitatem seruaret essentiæ, non verus esset. Vnde eleganter Tertulianus libr. 1. cont. Marcion. cap. 3. *Deus si nõ vnus est, non est.* *Tertulia.* Et D. Chrysostom. super Psalm. 13. *Multorum Deorum admissio vnius negatio est.* Est ergo Deus vnus, & Trinus necessitate naturæ, & conuenientia nostra: vnus, vt facilius seruiatur: multiplex in Personis, vt vberius nobis benefaciat. Obsequia vni Deo exhibita tres Personę compensant, & vt suauius ipsius imperium homines sustineant, vnus est: quia multis dominis inseruire durũ est, & incomportabile iugum. Vbi Rex nouus surrexit in AEgypto, & incrementum vidit filiorum Israel, timens illorum multitudine opprimi dicebat ad populum suum: *Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est,* *Exod. 1. v. 10.* *venite sapienter, opprimamus eum: præposuit itaque eis Magistros operum* &c. Exod. 1. v. 10. At quæ hæc oppressio populo Israelitico fuit? Cur cum de illorum ruina, & oppressione cogitat, non illos mittit in carcerem, aut in exilium: sed multiplicat gubernatores, qui illorum regimini intendant? *Lyra.* Acutè Lyra. *Præposuit eis Magistros operum. Hic describitur ipsa afflictio populi.* Nullum acerbius supplicium poterat populo inferri, quam præpositos multiplicari: hæc enim grauior populi fuit afflictio, hæc intolerabilior oppressio; quia plures dominos sustinere, plurimis obedire præpositis vltima calamitatis exaggeratio est. Vt igitur suauius Deus seruiatur, vnus per naturam est: quod ipse populo optimauit, vt facilius ad ipsius sequelam,

lam allicerentur. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus vnus est; diliges Dominum Deum tuum* &c. Deutheron. 6. v. 4. Cur cum Deus legem Deuther. 6. v. 4. sanciuit Trinitatis Personarum non meminit, sed vnitatis essentiæ? Præstaret auctoritatem, Patris Filij, & Spiritus Sancti in medium producere, vt maius auctoritatis pondus legi, quam tradebat, accresceret. Cur cum præcepta proponit, vnum esse præmittit? præclare Oleaster. *Si Deus tuus nõ esset vnus, sed plures, posses te excusare, ne diligeres eum ex toto corde, quoniam non posses tam diuisum habere cor: nunc vero quia vnus est, facile tibi erit eum ex toto corde diligere.* Acerbe nimis homines ferunt geminata dominia, & qui multis dominis seruire cogitur, nulli seruit. Vt igitur Dei dominium, qui legem imponebat, facile homines portarent, vnum esse exprimere oportuit. Cum de obedientia agitur, vnus perhibetur: at cum de profusa largitate, trinus: & ideo in Euangelio, quia lex erat gratiæ Trinitas Personarum detegitur, & ad nostram vtilitatem, qui vnus in natura est, multiplex in Personis ostenditur, vt dixit Gregor. Nazianzen. *Diuina, et simplex Dei essẽtia indiuisibilis, vnius que formæ est; cæterum ad salutis animarum vtilitatem partitionem quoque propter appellationem subire videtur, diuisionisque necessitati subiici.*

151 Sopore ad sensuum stuporem immisso in Adam, ex vna è costis eius ædificatur Eua, vt ei, qui solus erat, associaretur. *Non est bonum* (aiunt ad inuicem Personæ Diuinæ) *hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Gen. 2. Sic inter se consulebant. Verum cum ad ædificationem fœminæ deuentum est, non omnes Personæ Diuinæ ipsi intendunt, sed vna tantũ exprimitur. *Tulit vnam de costis eius, et repleuit carnem pro ea, et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Si idem est, qui costam abstulit, & sponsam efformare decreuit, quomodo cum costam accipit, vnus videtur esse solus, *Tulit*, & ad decernendum beneficium multiplex? *Faciamus.* Plures ne ad promittendum fuerunt, quam ad exequendum? Minime: nam eædem Personæ, quę consortium Adami decreuerunt, ipsum sunt operatę. Cur igitur mutatur stylus, & cum de beneficio Adami agitur, plures concurrunt; cum vero de accipienda materia, quam Adamus operi exhibuit, vnus? Quoniam aliud est benefacere, aliud accipere. Dum Deus benefacere intendit, se multiplicem in Personis explicat; at dum aliquid ab homine accipit, vnum tantum. Ad prosequendum Adamum fauoribus omnes Personę Trinitatis se manifestant; verum vel ad id recipiendum, quod in ipsius commodum vertebatur, essentię vnitas tantum apparet. Ne homo exasperetur pluribus dominijs, vnus Deus dum ipsius seruitium exigit, apparet; & vt ipsum magis habeat deinctum, triplex in largiendo ostenditur.

152 Virgines illæ fatuæ, quæ oleum in lampadibus habere neglexerunt, dũ cunctanter ad nuptias veniũt, & clausam inuenerũt ianuam, validissimis vocibus inclamare cæperunt: *Domine, Domine aperi nobis.* Matth. 25. v. 11. Stultè nimis, quibus neque vexatio intellectum dedit. Si vnus est sponsus, vt illis fuit intimatum, cum vocantur ad nuptias: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Cur ei nomina multiplicãt, & ingeminant dominia? *Domine, Domine.* Si cum ipsis tam magnum beneficium venerat conferre, quale erat intra beatitudinis ianuas eas recipere, singulariter vnus erat: quomodo quãdo eum inuocant, ipsius personam duplicant? Opinor: quoniam, etsi fatuæ, etsi imprudentes, id planè nouerant, Deum ad accipiendum vnum esse (*Ecce sponsus venit* dicitur, cum sponsas recipere aduenerat) multiplicem vero ad beneficia conferenda; & idcirco cum eius auxilium implorant, personam ingeminant. Sed adhuc fatuę videntur, quia non tertiam personam inuocant, vt acutè notauit Hugo Card. *Tertius Domine deest.* Quia vt dixit Apostolus, *nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

Gen. 2. v. 18.

Vers. 21. et 22.

Matth. 25 v. 11.

Hugo Card.

Sancto. In hoc imprudentes se ostendunt virgines, quod dum beneficia ambiunt, secundam tantum Trinitatis professionem, cum ipsam in nomine tertię implorare deberent. Quę bene incæperat oratio, truncata non proficit, quia *Tertius Domine deest.* Verum cum tam in nos beneficam diabolus agnoscat beatissimam Trinitatem, eam semper abscondere satagit.

153 Accessit callidus tentator ad Christum Dominum in deserto delitescẽtem, & inter alia versute consuluit, vt se e pinaculo daret pręcipitem, vt Angelorum famulatum experiatur: quia scriptum erat: *In manibus tollent te, vt custodiant te in omnibus viis tuis,* Matth 4. Dubitat D. Gregor. Nazianzen. orat. 5. cur dęmon subticuerit conculcationem leonis & draconis, atque deambulationem super aspidẽ, & basiliscum, de quibus Dauid Psalm. 90. vnde hoc hemystichiũ sumptum est, immediate agit. Cur iniquus hostis non integrum textum retulit, sed trũcauit? Communiter Patres illa verba, *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem* omisisse arbitrantur, quia contra se pugnabat, & in ipsis victoriam, quam Christus de ipso erat reportaturus, decantari agnoscebat. Verum Nazianzen. idcirco illa reticuisse credit, quia in ipsis professio Trinitatis beatificæ exprimebatur. *Oscelleris* (inquit) *ductor, et architecte, quomodo, id quod sequitur, suppressisti? Hoc enim probe intelligo, etiam si ipse reticueris: ui mirũ quod super aspidem et basiliscum ascẽdam, et scorpionem, Trinitate scilicet, septus, et munitus.* Ecce vaferrime subticuit dęmon verba, quæ sanctissimę Trinitatis protectionem innuebant, liberalitatem Diuinam, quæ ad numerum increscit Personarum, occultare intendens, vt Dei curam inuerteret, qua se multiplicem in Personis ad benefaciendum ostendere gliscit. Vnde Iob. 36. v. 26. dicebat Eliud: *Ecce Deus magnus.* Quod proprie idẽ est, ac multiplex, seu nimis exaggeratus. Vbi 70. habent *multus.* Idcirco in lege veteri vbi multa Deus hominibus præcipiebat, & minora quam nobis beneficia donabat, semper vnus appellabatur, Trinitas vero Personarũ erat recondita; nunc vero quia pauca nobis iubet, & ingentiora in lege gratię dona elargitur, Trinitas detecta est, vnus apparens Deus, vt suauius seruiatur, & Trinus in Personis, vt vberioribus beneficijs homines prosequatur.

Matth 4 v. 6.

Gregorius Naziãz.

Iob. 36, v. 26.

Septuag.

ANNOTAT. XXXV. MORALIS.

SIT HOMO IN RE VIRTVTIS pie audax, et impossibilia tentet.

154 PARVM est quemque id adimplere, ad quod ex voto, & obedientia tenetur, nisi vltra obligationẽ audeat, & ad id se erigat, quod exequi non præcipitur; non enim plenum meretur ęncomium, qui plene muneri suo incũbit, nisi aliquid gloriose intendat vltra debitum. Non sat est obseruantiam virtutis tenere, & intra mandatorum limites claudi, nisi aliquid supererogetur, & ipsius limites pia audacia transcendantur. De hoc maxime gloriabatur Isaias. dũ Dei doctrinam obseruare, & excedere pollicebatur. *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* Cap. 2. v. 3. Aduersæ & minime formales hæ voces videntur: etenim si Deus viam docet, iusti, qui hic loquũtur, in huiusmodi vijs debent ambulare: quo ergo pacto in semitis ambulare audent? Si regalis via ipsis sternitur, & per eam incedere pręcipitur, à præscripto legis deficient per inusitatas, & non tritas semitas ambulantes. Qui non recto tramite pergit, errandi periculo facilè exponitur. Si via ipsis designatur, ad quid nouam semitam calcare tentant? Optimè Oleaster. *Expende verba ipsa. Dominus vias docet, sed ipsi in semitis ambulãt: quoniam multa præter legem homines inspirati fecerunt, quæ consilia dicuntur, et arctiora legibus sunt.* Summa virtutis perfectio non est exequi quod quisque debet, sed animosa temeritate arctioris vitæ institutum arripere,

Isaiæ. 2. v. 3.

Oleast.

atripere, & ad ardua quęque aſcendere conſilia. Summa perfectio per regalem, & aſſuetam viam non obtinetur: neceſſe eſt per non tritas ſemitas ambulare, vt eximius virtutis apex comparetur.

155 Vt egregiam Iob perfecti viri perfectionem alte meditaretur, dixit ei Deus: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, et in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, et in præruptis ſilicibus commoratur, atque in acceſſibus rupibus.* Iob. 39. v. 30. Cap. 39. v. 30. D. Gregor. (lib. 31. Moral.) virum iuſtum & eximiæ virtutis ſtudioſum hic delineatum agnoſcit, qui præcepto Dei adſtrictus non eo contentus eſt, ſed audacter eleuatur, vt in arduis, & excelſis conſiliorum rupibus ponat nidum ſuum, vbi præclaras virtutes gignat. Iuxta Hebręum habetur: *Rupem habitabit, et dormiet ſuper dentem petræ, et turris.* Hebræus. Sic enim habitatio aquilę deſcribitur in excelſa, & præruptа petra tanquam dente, hoc eſt, ab alijs ſciſſa. Sed cur aquila ſupra excelſos, & præruptos petræ dentes habitat? Nonne ſufficeret arborum cacumina aſcendere, & ibi ſe tutarię Auſculta Caiet. *Ratio, [inquit] quare huiuſmodi excelſa loca eligat, creditur, quia inde poteſt aſpicere longè, et explorare cibũ: ſi enim ſuper arborem ſe collocaret, impediretur proſpectus à frondibus ipſius arboris; in ſublimitatibus autem præruptarum rupium liberum habet intuendi ſpatium.* Caietan. Non ſecus iuſti ad præcepta Dei eleuantur, illa pię tranſgrediuntur, & in conſiliorum præruptis, & acutis ſemitis ſe collocant, ne nąmque virentibus ſemper frondibus impediantur, quominus virtutis cibum libere explorare poſſint: ad arduas ſemitarum ſilices ſe eleuant, ne à præceptorum via impedimento ſe ſe deuient: & pium deuotionis propoſitum præceptum eſſe, arbitrantur, vt auidius ad ipſius conſecutionem anhelent. Sic vbi callidus ille ſerpens Prothoparenten Euam ad peccatum lethalis pomi eſu voluit inducere, à malè poſtea ſuaſa fęmina, tunc rectè repellitur. *De fructu [ait] lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur; de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Gen. 3. v. 3. Fęminea garrulitate mulier exceſſit Deum tactum ligni prohibuiſſe affirmans: nam Deus non tactum, ſed eſum inhibuit. An autem Eua fuerit mentita, necne, non conueniunt Patres. Communiter illam à mendacio excuſant, quia per exaggerationem fuiſſe locutam arbitrantur: ſic Oleaſter, qui non modo in ipſius apologiam diffunditur, ſed in eius laudem: ſic enim ait: *Aut potius pius pater præcepit non tangere, licet ſcriptum non ſit, ne contingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum, ſeu initia præcludere, ne contingat peccare. Sic Exod. 21. mandat ſepem ad montis radicem ponere, ne contingeret aſcendere.* Oleaſter. Vel certe quamuis Deus lignum tangere non prohibuerit, illud Eua prohibuiſſe credidit, vt præceptum tranſiliret, & vltra debitum ſe erigeret. Non ſolum munus ſuum implere decreuit, ſed adplus teneri, quam ipſi præcipiebatur, fuit arbitrata, vt debiti metas tranſcenderet, & in virtutis agone de exceſſu triumphum reportaret. Sic præſtat arduam virtutis difficultatem exarmare, vt etiam quodammodo impoſſibile aggredi conſulamur & vltra uires audere pia virtutis animoſitate.

Gen. 3. v. 3.

156 Ad ſublime perfectionis faſtigium Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos aduocans dicebat. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut et Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. v. 48. Matth. 5. v. 48. Similitudinę nobis cum Patre ſuadet, vt tenet concors Patrum cohors. Sed cur non dixit: eſtote Patri ſimiles, ſed eſtote ſicut [Pater perfecti? Quibus verbis innuere videtur, non tantum ſimilitudinem, ſed æqualitatem rcum Diuina perfectione debere nos intẽdere. Nũquid in nobis facultas viget ad ſimilem cum Patre perueniendi æqualitatem? Cur igitur Chriſtus quod noſtras, imo & Diuinas vires excedit, nã neque à Deo poteſt fieri, vt nos ipſi in perfectione coęquemur', conſulit? Egregie D. Gregor. Niſenus (de vita Moyſis) Gregorius Niſen.

Moysis) difficultati occurrit. *Non tamen quoniam quod quæritur exitum non habet, idcirco præceptum illud Domini negligendum, quo dicitur: Perfecti estis sicut et pater vester cælestis perfectus est: nam etsi totũ consequi nequeas, tamen in rebus omnibus, quæ natura bona sunt, non parum lucrum (nisi desipias) vel partem eorum aliquam consequi.* Altius aude, quam potes, perficies amplius, quam sperabatur: perficies quę debes, si intendis, quæ non potes. Proponit Christus signum ad collimandum, quo scit nos peruenire nõ posse, vt quo possumus, cum ingenti lucro perueniamus. Non præcipit nobis eo vsque progredi, sed vt non deficiamus, ad non possibile vult nos esse intentos. Vt peritus sagittarius qui arcum lassum agnoscit, & vltra scopũ collimat, vt sic pertingat scopum: sic conatus dirigendus est ad ardua virtutis vel impossibilia, vt quæ possumus, & debemus, vtiliter pertingamus, & adimpleamus feliciter. Ad virtutis culmen conãdũ est, imo vltra culmẽ, vt totã illius virtutẽ assequamur: audaci magnanimitate impossibilia sunt ambienda, contemnenda possibilia, vt præeminentẽ virtutis scopum pertingamus.

157 Postquã Christus Dñs Discipulorũ primas sedes ambientiũ ambitionẽ repulit, vt viã ad ea, quę desiderabãt, assequendi doceret, interrogauit illos: *Potestis bibere calicem, quẽ ego bibiturus sum?* Matth. 20. Quorsũ Christus à Discipulis expetit, quod sciebat impossibile: etenim nõ dixit: potestis subire mortem meæ similem, sed quam ego subiturus sum? Impossibile prorsus erat puro homini tot perpeti cruciatus, & in tam sæuissimis perdurare tormẽtis, quãdiu durauit Christus. Cur ergo humanã fragilitatem excitat ad ea, quæ ipsius pręteruolant vires? Ad quid interrogat, an possent facere, quod nequibat fieri? Si longe fortiores vires tormenta sustinenda exigebant, ad quid Discipulorũ impotẽtiã palã proferre intendit, impossibilia ipsis suggerẽdo? Optimè Peresius in Catena ad illa verba Matth. 5. *Estote ergo perfecti* &c. *Voluit* [inquit] *eos accẽdere ad audenda impossibilia, vt tandẽ pertingerent, quæ possibilia erant: vt dum mortem, quã solus Christus perpeti poterat, audentibus arriperent desiderijs, executione amplecterentur eã, quã hominũ facultas intra limites suos coercet.* Ad impossibile prouocat, vt possibile feliciter exequãtur; & vt pia ac virili temeritate conentur impossibile assequi, interrogat ipsos, an mortẽ suis viribus disparem possint subire? Impossibilia in via virtutis sũt intẽtãda, vt in possibilibus, quantũ possumus, proficiamus. Neque impossibilitas operis nos à pio proposito debet retrahere, sed conandum adhuc, vt dicebat Philo libr. de mundi opificio. *Non tamen ideo cessandum est, sed studio pietatis vel vltra vires audendum.* Qui perfectionis summam gloriosè assequi intentat, religiosè audax non solum arduum, sed & impossibile superare tentet exemplo Christi præuio, qui montem virtutum condensum, arduum, & vmbrosum ascendit, vnde promerita gloria laude cœlum ac mundus sunt repleta. *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan. Operuit cœlos gloria eius, et laudis eius plena est terra.* Hic v. 3.

Math. 20 v. 22.

Peresius.

Philo.

ANNOTAT. XXXVI. MORALIS.

SPES GLORIAE MAEROREM FVgat, animumque tranquillat.

158 CVM audisset Vates, & à Dei oraculo accepisset futuram, quam Deus pollicebatur, libertatem de Babylonica seruitute, meliori est animo, & exinde ostendit iã non esse, cur se ingruentibus malis in posterũ affligat. Quoniam cum magno aliquo gaudio recreatur afflictio, sustentatur, & erigitur animus spe melioris fortunæ, & omnis à pectore mærenti ęgritudo detergitur. Hinc labores pręsentis vitę expectatione futurę beatitudinis facilè tolerantur, quia præmium est virtutis solatium, & laboris leuamentum, vt dixit Hieronym. ad Demetriadem. *Omne opus leue fieri solet, cum eius pretium cogitatur, et spes*

Hierony.

præmii solatium est laboris. Aduersus terriculamenta humani timoris armatur animus, & animosè ad subeundos labores excitatur spe vlterioris brauij, & illius dulcedo prægustata acerbitatem ærumnarum exarmat. Mærore plenus Mesopotamiam migrabat Iacob Esau fratris iram fugiēs. (Heu formidabilia fratrum odia.) Tutum se putabat apud exteros, inter suos periclitari timebat. Lassus ex itinere Iacob sistitur, & vt fatigatis mēbris aliqualem requiem præberet, humi recubuit: cumque in somnis scalā cerneret, promissionemque Dei audiret, addit textus: *Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem.* Gen. 29. Caiet. ex Hebræo legit: *Eleuauit Iacob pedes suos, quo significatur, quod Diuina visione, ac promissione animæquior redditus Iacob accelerauit iter.* Idest alacriter, & exultans vitam arripuit. At vnde qui tam dejectus animo exul erat à patria, & iras fugiebat Esau, dilatato corde iam pergit? Ex Diuina nempe visione, qua aliquando fruiturum præsagiebat. Adeò cœlesti beatitudine extitit animosior, vt qui antea tardo pede faciebat iter, postea potius advolare, quam iter facere videretur: ad intuitum enim præmij tardiores pedes plumescunt, & minima futurę gloriæ guttula perfusus Iacob alacriter pennas induit, & ad labores quoscumque tolerandos accingitur: nec enim minus præmium, quam pedibus timor addidit alas. Festinat igitur Iacob, ad Labamum confugit, & cum septem annos ipsi famularetur, vt pulchræ Rachelis potiretur nuptijs, callidus Labam mentitus fidem, alios septem servire coegit, vt venustæ puellę cupitis amplexibus fruererur. Si amor impatiens est; quis ferat alterius septenij longam diuturnitatem? Quis amore flagrans ad tam longum curriculum spem protrahat? Adi textum. *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Ibi vers. 20. Si Iacob æstuat amore Rachelis, quomodo alij septem anni videbantur illi dies pauci, cum potius pauci dies longissimi anni ipsi videri debuissent? Si bellæ puellæ nuptias, & libatos amplexus cupiebat, & vehementer desiderabat, quomodo septennij seruitij ærūnosa & dira calamitas parui temporis seruitus reputatur? Pulchre Lipomanus in Catena. *Ideo sicut pauci dies videbantur, et facilis labor, pro quo tam grata ei merces maneret à Domino præparata.* Labor merendi ebibit dulcedinem præmij, & dum ærumnosè Iacob mærebat, delitioſe præpropera fruitione quasi potiebatur beata præmij suauitate: dum laborioſe seruiebat, cupita felicitate non fraudabatur: quoniam spes præmij solatium laboris est, & possessionem inchoat. Futura ideali gloria ab animo mœrente subleuabatur ægritudo, & infelicitas non possessi ipe felicitabatur: quia vehemens futuræ beatitudinis desiderium animum dilatat, & tristitiam fugat.

Gen. 29. v. 1. *Caiet. ex Hebræo.* *Ibi. v. 20.* *Lipoman.*

Sic Deus, vt Israeliticum populum ad mandatorum obseruantiam alliceret, dicebat ad Moysem: *Loquere filijs Israel, et dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Numer. 15. vers. 38. Non satis liquet, quæ in his verbis sit consequentia, & cur *Dominus*, vt mandatorum sint memores, & ad illorum obseruantiam accingantur, præcipiat, fimbrias vestimentorū, quę ex vittis hyacinthinis erant elaboratę, respicere. Quid ille color poterat excitare, vt fidat Deus ex illius intuitu legis obseruātiā? Opportunè Theodoretus quęst. 32. in Numeros. *Color hyacinthinus cœli colorem imitatur: illos ergo meminisse volebat legislatoris, nempe qui omnia quidem repleat, proprie tamen cœlum incolere videtur.* Color, qui cœlū referebat, oculis semper obijcitur, vt cœleste prēmiū cogitantes mādata omnia facilius exequerentur: ita vt nihil sit aliud vittas hyacinthinas intueri, quam ad viam

159

Numer. 15. v. 38.

Teodoret.

man-

mandatorum Dei facilius & iucundius percurrendam spe cœlestis beatitudinis accingi, nam ardens adipiscendi percupitum bonum affectus omnia tametsi difficilia aggreditur. Huc etiam respicit, quod de illis animalibus currum gloriæ Dei vehentibus dicitur Ezechiel. 1. v. 22. *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus chrystalli horribilis.* Ad quid firmamentum animalibus superponitur, cum ad laborem excitantur? Aptè ibi Rupertus. *Similitudo firmamenti super capita animalium regnum immortalitatis est pro mercede paratum euangelizantibus, et suscipientibus Christi Euangelium.* Quid ergo habent animalia ex eo quod, super eorum capita beatitudo cœlestis, & immortalitatis regnum sit? Ausculta text. Pernacissimo cursu velut fulgura discurrebant, quocumque spiritus dirigebat: siue per terram, siue per maria, omnia expeditissimè ac velocissimè concutcabant, & super ea libero vagabantur pede, quicumque enim capite cælum gerit, quicumque bona futura auidè suspirat, cogitatione versat, & confidenter sperat, amara quæque conculcat, omnia humanę vitæ cõmoda despicit, & acerba hilariter sustinet: quidquid delitiosũ est in præsenti sęculo, fastidit, & ardenti siti superna anhelat, & illis lenocinarus omnia alacriter sustinet.

160 Hinc Pręco ille magnus Dauid milites hortaturus, vt stadium virtutis viriliter percurrant, præmium beatitudinis prius objicit. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Psalm. 1. v. 1 Vbi D. Ambrosius energiam solicitatę spei agnoscit: *A præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret.* In certamine namque nec pericula terrẽt, nec vulnera sentiuntur, si corona, si præmium expectetur Vt enim aiebat Tertulianus aduersus Gnosticos: *Corona præmij vulnera, palmæ sanguinem obscurat.* Idcirco Christus Dominus mandata omnia suaue onus, ac iugum leue appellauit: *Iugum enim meum suaue est, et onus meum leue.* Matth. 11. Verùm quis neget onerosa ac difficilia esse aliqua præcepta? Inimicum diligere, à voluptatibus abstinere, cárnem semper aduersus spiritum pugnantem cohibere, & alia plurima quis laboriosa esse abnuet? Quo ergo pacto leuia & suauia dicuntur? Rectè Theofilat. *Dicuntur omnia mandata Christi iugum leue: quoniam propter futuram retributionem leuia.* Licet in se ardua videantur multa, quę præcipiũtur, aspectu tamẽ ad gloriam & felicitatem, quibus eorum obseruantia muneranda est, leuissima sunt: quia spes retributionis eorum difficultatem exarmat, & dum gloriæ futurę sapor iam in ipsis gustatur, omnis eorum acerbitas ab infusa spei suauitate dulcescit. Hinc duo illi Angeli, qui in die Ascensionis apparuerunt in vestibus alvis, vt Discipulos stantes, & aspicientes in cœlum solarentur (quia valde erant anxij præ tristitia de Magistri abscẽtia) hanc de reditu ipsius spem reposuerunt. *Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cœlum.* Actor. 1. vers. 11. Quasi dicerent: Ne nimis de huiusmodi absentia doleatis: quia qui modo recedit, postea redibit: ipsum expectate, & in huiusmodi spe vestri mœroris solatium inuenietis. Hac enim vnica expectatione iusti suauiter inescati omnes præsentis vitæ molestias facile deuorant, & in ipsa spe glorię, non minus quam in ipsa gloria, exultant. Vnde Paulus ad Rom. 5. v. 2. *Per quem* (scilicèt Christum) *gloriamur in spe gloriæ.* At quo pacto spes glorię gloria dicitur? Nam spes negotiũ est desiderij, non possessionis, non obtenta anhelat, & ad non possessa suspirat; gloriæ felicitas res est gaudij & possessionis: possessio autem & spes non compatiuntur, quia vna alteram foras mittit. Tamen licet verum sit, spe gloriæ gloriam excludi, ita animum exhilarat, vt quodammodo beare, & glorio sum reddere videatur. Futuræ gloriæ denunciatio sic homini lenocinatur, vt in ipsa quasi in beatitudine quadam glorietur.

Ezechiel. 1 v. 22. *Rupertus.* *Theofilat.* *Actor. 1. v. 11.* *Ad Rom 5. v. 2.* *Psalm. 1. v. 1.* *D. Ambr.* *Tertulia.* *Matth. 11. v. 30.*

ANNOTAT. XXXVII. MORALIS.

TVNC AD DEVM PER SIMILITUDINEM ascendimus, cum bona nostra opera non infœcunda sunt, sed se mutuo gignunt.

161 ACVTE sanè obseruauit Philo circa creationis opera discrimen quod inter illa & hominũ opera versatur: opera namque hominum semper imperfecta remanent, eo quod ad finem, quem intendunt, non perueniunt, vel si perueniunt, ita ibi quiescunt, vt illis alia opera non gignãtur. Domum construxit homo, & adeo fatigatus remanet, vt nec animus supersit vlterius ædificandi. Idẽ in spirituali opere contingit. Eleemosynam largitur optimo perscripto fine; irrepit gloria vana, & quod à principio sanctum fuit opus, deficit, & de inceps non Dei, sed glorię vanæ opus est. Non sic Dei opera: quia cum ex perenni illius infinitæ sapientiæ fonte ortum ducant, neque fatigantur, neq; quiescunt; verùm alia ita concinnè post alia sequuntur, quòd quorundã fines aliorum sint initia. *Philo.* *At quæ Deus* (inquit Philo de mundi opificio) *perfecit sua scientia, mouentur denuo: fines enim eorum aliorum sunt principia, vt verè dictum sit, perire nihil eorum, quæ generata sunt; sed aliud accedens ad aliud aliam formam representat.* Diei finis noctis est initium: finis noctis principium diei: menses & anni finiũtur, in suisque finibus aliorum annorum, qui sequuntur, sunt principia, aliorumque mensium, qui continuãtur. Quędam corrũpuntur; sed nõ ob id finiuntur: quoniam alterna vicissitudine in quorumdam corruptione aliorum extat generatio. Hanc legem vel in ipsis plantis collocauit Deus, vt ex ipsis homines accipiant: earum enim finis est fructum ferre, & in hoc ad alium gignendum semen inest. Quod notauit idem Philo ad illa verba Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum; cuius semẽ in semetipso sit. In choata* (inquit) *perduxit ad finem propere, rursumque à fine reflexit ad initium: à plantis enim fit fructus, tanquam è principio finis: et fructus semen intra se denuo plantam continens, tanquam è fine principium.* *Idem.*

Talia opera nostra esse debent, vt vnum alterius sit principium, & in vnius fine fœtus gignatur alterius, vt ad Deum per similitudinem repetita virtutum generatione ascendamus. Etenim paradisus à Deo plantatus, in quo primo hominem collocauerat [*Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem.* Genes. 2.) ipsius hominis virtutum fœcunditatem referebat, & in illo legere voluit, quo pacto in via virtutis debebat proficere. Locum autem illum delitiarum, qui *Edem* vocabatur, ad orientem fuisse nemo dubitat: sic enim præcitata verba 70. transtulerunt: *Plantauerat Deus hortum in Edem ad orientem.* At cur virtutum schola, quas homo colere tenebatur, ad orientem erigitur? Venustè & luculenter idem Philo consequenter ad ea, quæ præmiserat. *Paradisus certè figuratè dicitur virtus: locus autem proprius paradisi Edem, id est, delitiæ: virtuti autem conuenit pax, voluptas, gaudium, in quibus sunt veræ delitiæ. Ad orientem est huius paradisi plantatio: nam neque occidit, neque extinguitur.* Sic excolendæ sunt virtutes, vt perpetuo regenerentur, & perenni natiuitate germinent. In oriẽte semper debẽt apparere, quia semper debent oriri, & vel ab occasu vitam mutuare, & vnius finis aliã parturire, & repetitis partubus se mutua fœcũditate adaugere. Quod pulchrè & eleganter dixit Bernard. serm. 47. ad illa verba Cantic. 1. *Lectulus noster floridus.* *Quod si lectulus respersus floribus cõscientia est bonis referta operibus, vides certè, vt similitudo seruetur, nequaquã sufficere semel aut secũdo operari, quod bonũ est; nisi incessanter addas noua prioribus: alioquin tacet, et marcescit flos boni operis, atq; in breui omnis ex eo nitor exterminatur, et vigor, si non alijs atque alijs superiectis pietatis actibus continuo reparetur.* *Septuag.* *Philo.* *Bernard.*

Vnde

162 Vnde pauidi semper & diffidentes de nostris bonis operibus debemus esse, vt de illis pœnitentiam agamus, quasi culpę forent, quo nunquã ab eis cessemus. Psalm. 146. aiebat Regius Psaltes: *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Deus est, qui contritis, & mæstis corde, deque peccatis dolentibus peccata remittens eos sanat, & qui eorum confractionem circumligat metaphora sumpta à Chirurgis, qui vt sanent vulnera & rupturas, membra circumligant. Sed cur illas prius dicitur sanare, & circumligare postea, cum è conuerso deberet dicere? Si enim rupturæ solidatæ sunt, ad quid eas fasciat, & ligat? Si infirmus conualuit, ad quid ægritudinis remedia applicantur? Verùm hoc mysterium est sanò: fasciam Deus ponit, vt se homo existimet ægrotum; vt cum se circumligatum videat, curam salutis habeat, quasi non sanatus fuerit. Prodest Hugo Cardin. *Instar medici, qui frangit, quod tortum est; et inde alligat, vt fiat rectum.* Pręstat ad temperatè viuendum, & salutem conseruandam ipsam credere defecisse, & non sanũ se reputare, & ad virtutem augẽdam illa demeruisse. Eamdem sententiam repetit Dauid Psalm. 125. vbi de iustis proficientibus ait: *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.* In euntibus prouectus vitę sanctissimæ designatur, in qua bene ambulando semper proficitur, vt recte aduertit Cassiodorus, qui verbum *ibant* de virtute in virtutem continuo profectu accipit. Si ergo in virtute medijs operibus proficiebant, cur semina sua mittentes deplorant? Si semina sunt bonorum operum, cur flendũ est, cum ea spargunt? Fleat oportet, qui peccata seminat, quoniã ipsis Deũ offendit; ast qui in bonis operibus proficuè exercetur, ad quid deplorat? Fletus enim pœnitentiam olet ob cõmissa peccata. Præstat ne de bonis operibus pœnitere? Pulchrè D. Fulgentius ad difficultatem. *Quam bene sanctus Propheta semina bonorum operum riganda docet flumine lacrymarũ: omnia enim semina non germinant, nisi fuerint irrigata.* Vt virtutes pullulẽt, & bona opera mutuo germinent, necesse est de illis diffidere, & quasi Deo displicuerint, super illa largiter lacrymas effundere. Ingenium & artificiũ augendæ virtutis est ipsam culpã reputare, vt ex illa quasi ex peccatis excitẽtur lacrymæ, & iugiter bona opera exerceat, qui nullũ exercuisse credit.

Psalm. 146. v. 3.

Hugo Card.

Psalm. 125. v. 6.

Cassiodor.

D. Flug.

163 Exod. 28. v. 18. inter duodecim illos lapides, quos summus Pontifex supra pectus afferebat, & qui duodecim Tribus Israel adumbrabant, Tribui Issachar sapphirus respondebat, cuius color pallidus, & prassinus est. Arcanè autem illorum lapidum naturę proprietates Tribuum referebant. Ideo ambigere licet, cur Tribus Issachar, quę studiosior erat, & virtuti magis dedita, in sapphiro insculpebatur? Ad quod consulendus est Philo lib. 1. allegoriarum. *Sapphirus* (inquit) *est lapis prassinus: sapphiro Issachar insculpitur. Issachar exercet se in virtute, honestisque actionibus: Issachar etiam nunc laboranti conuenit color prassini lapidis: pallent enim qui se exercent præ labore, et præ timore; ne forte ad optatum finem non perueniant.* Pallido colori diffidentia tribuitur: & idcirco in sapphiro grauatur virtuosa & proficiens Tribus Issachar: quia prudens, & qui Deo placere intendit, non debet in bonis operibus sibi multum placere; sed de illis cautè diffidere, ita vt ex opere bono non tali reputato, de nouo ad operandum se excitet, & noua ac meritoria proles ex alia resurgat. Vnde egregiè Diu. August. serm. 15. de verbis Apostoli. *Semper tibi displiceas quod es, si vis peruenire ad id, quod nondum es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris: sufficit; et perijsti. Semper adde, semper ambula, semper proficè: noli in via remanere.* Et Tertulianus libr. de exhortatione castitatis cap. 3. *Promereri nolle delinquere est.* Vnde annotauit Hieronymus, quòd cũ ea omnia, quę in templo illo augustissimo Ezechieli obiecto certo pondere, numero, ac men-

Philo.

D. August

Tertulia.

Hierony.

mensura clauderentur (vt intueri licet in cap. 43.) gradus tamen, quibus ad propiciatorium ascendebatur, nullo certo numero continebantur, neq; eorum aliqua ratio habetur. Quod cõsulto prætermissum putat Hieronymus, vt innuatur, nunquam nos de gradibus acquisitę virtutis rationem habere oportere, vt semper neq; vnũ gradum ascendisse credamus. Propterea graduum numerus incertus relinquitur, vt quantocumque studio ad altiora scandere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos; & cogitemus illud Psalmistę. *Ibunt de virtute in virtutem.* Semper in virtutis rudimentis versari proficuũ est cogitare, & in inferioribus gradibus esse constitutos, vt noua, & fęcundiora germina semper pullulent.

164 In se reuersus Prodigus ille filius statuit ad domum patris reuertere, & sua peccata coram ipso confiteri: *Pater peccaui in cœlum, et coram te.* Lucæ 15. Surgens ergo ad patrem accessit, qui præpropera beneuolẽtia illum benigne excepit: & post libatos amplexus, & alia amoris signa dixit Prodigus: *Pater peccaui in cœlum, et coram te, non sum dignus vocari filius tuus.* Si se iam remissum videt, & tot fauoribus cumulatum, cur adhuc se reum reputat, & verbis vtitur, quæ contritionem peccatorum significant, & eorum indulgentiam expostulant? Si ad patris gratiam recipitur, & eius potitur fauoribus, cur adhuc se peccatorem reputat? Opportunè Caiet. *Suscepta gratia non excludit, sed exequitur sanctum propositum.* Adhuc post libata oscula, postquam peramãter ruit in amplexus, & toto patris gratioso beneficio fruitur, nihil profecisse credit, quia multum proficere desiderat: & vt à sancto proposito nõ diuellatur, post susceptam gratiam adhuc se peccatorem fatetur, & memoriam refricat pręteritorum scelerum, vt acutè excitetur ad virtutis, quam iam profitebatur, sequelam. Nunquam enim qui perfectionis desiderio flagrant, quiescunt, sed continuo de nouarum virtutum genesi cogitant. In accipitre sancti Patres virum perfectum agnouere, pręcipuè D. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 18. D. Antonius Patauinus Dec. 1. quadrag. serm. 2. & Glosa ad locum illum Iob cap. 39. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expãdens alas suas ad Austrum?* Verum cur rapaci & cruẽto accipitri mitis & innoxius iustus comparatur? Audi Antonium. *Accipiter hoc in loco virum iustum significat: et nota quod accipiter duo facit, pede capit, et non capit auem nisi volantem: sic vir iustus pede affectus capit, et non capit bona nisi volans, de terrenis non curat.* Optimè iustorum genium depictum. Sed ad rem nostram illud facit, quod refert Magnus Albertus in historia animal. de quadam falconũ specie ex accipitris genere, qui non contenti ex eo quod auem vnam feriant, columbam scilicet aut perdicẽ, alteram & alteram insequuntur, & ex vna occisa ad aliam occidendam incalescunt, & maxima auiditate eas aucupari conantur, vbi primo capere cœperunt. Quod ad virtutum opera maximè inflectendum est: in quorum progressu semper, & per singula tempora proficere oportet, & acquisitis non ociari, sed auidissime ad non possessa anhelo desiderio intendere. Sic enim Deus, cuius sanctitas nequit accrescere, cum infinita sit, homo factus illam quasi de nouo generauit, & nouo sanctitatis titulo insignitur, quẽ ex operibus naturæ assũptæ sibi acquisiuit, vt hic fatetur Habacuc. *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan.* Hic v. 3.

Lucæ 15. v. 18.

Caietan.

D. Grego. D. Anton. Patauin. Glosa.

Albertus. Magnus.

VERS. 4. *SPLENDOR EIVS VT lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius.*

VERS. 5 *ANTE FACIEM EIVS ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius.*

ANNOTATIO. XXXVIII.

EXPOSITIO LITTERAE

Cre-

165 CREDO hic omnia verba futuri temporis posita pro præteritis, vt respondeant historiæ antiquæ, ad quam hæc pars prophetiæ refertur: docet enim Vates splendorem illum, qui (*Domino* super illis montibus, de quibus supra, apparente) videbatur, fuisse lucis fontem, & ad modũ Solis, qui montes implet. Protendebant porro duo cornua illa, quibus Deus ventilaturus erat Amorrhæos, Iebusæos, & reliquos Palæstinæ habitatores, quãuis essent fortissimi Gigãtes. Et sicut ante debellaturus Chananæos horribilem se præbuit in scin tillante nube, & fremente monte Sinai: sic etiam cum eodem spiritu atque furore expugnaturus veniet Iudęorum gentes per Chaldæos, & splẽdorem adducet: splendor enim gloriã significat & claritatem, qualem afferre solet, qui margaritis & prætiosis lapidibus fulget, aut armis tersis atque nitentibus induitur. Splendor apud nos est lumen procedens à Sole: lux vero est ipse fons, vnde manat splendor. De Deo igitur bellatore & ad dimicandum parato hic sermo est. Sed tamen si de vestibus splendidis, quæ prætiosis ornantur lapidibus, fit intelligendum, credo similitudinẽ ducere à Sole, vel ab igne, ad quorum splendorem referimus huiusmodi sculptas vestes. Sic Silius Italicus libr. 15.

Silius Italic.

Ardebat gemma Geramani cerula vestis,
Vt cum sparsa micant, stellarum lumina cœlo.

Et Claudianus lib. 1.

Claudia.

Et fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cerula flammis.

Idemque lib. 3.

Quis tinxit lapides ostro, quis miscuit ignes
Sidonÿ Rubrique maris?

166 *Cornua in manibus eius.* Varie à varijs hic versus explicatur: & in primis cornua potentiam significare solemne fuit apud Iudæos: nam Sedecias ille pseudopropheta duo sibi ærea cornua fecit, & Regi Achab dixit: *His vẽtilabis Syriam, donec deleas eã* 3. Reg. 22. Et Zacharias *Erexit cornu salutis nobis.* Lucæ. 1. similiter Dauid. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Deducitur autẽ metaphorâ à feris cornipetis, in qua ventilare cornu dicuntur, vel cornu petere, qui aliquos debellant, prosternunt, proculcant, & proterunt. Aptè igitur per cornua mors & diabolus intelliguntur, quorum mentio mox subinfertur: quasi se explicet Propheta, & quid cornuum nomine significare voluerit exprimat, quod vsitatissimũ est in scriptura: id enim, quod prius subobscurè ac metaphoricè dixerat, perspicuè atque enodate statim declarans subiungit: *Ante faciem eius ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius.* 3. Reg. 22 v. 11.

Deum porro mortis atque diaboli 167
ministerio, quasi oppositis cornibus, in hostes suos inuehi non semel scriptura testatur, illudque Dauidicum Psalm. 77. v. 49. satis manifestat, *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per Angelos malos: viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum, et iumenta eorum in morte conclusit.* Ecce diabolo & morte, velut cornibus, in AEgypto Dominus & viã sibi debellandis hostibus aperuisse, & ab homine vsque ad pecus vastasse, ac perdidisse dicitur. Horum similia nunc infert Habacuc, Deum nempe, pro Iudæorũ iniquitate, idest, pro pœna sceleribus illorum debita, diabolo ac morte, velut cornibus oppositis, in ipsos irruisse, & ipsorum vrbes ventilasse. In his autem cornibus abscondita dicitur fortitudo Dei, eò quòd diabolus & mors tanquam vas interfectionis Deo sunt. Manus autem Dei in sacra scriptura inter alias significationes Dei potentiam atque fortitudinẽ denotat, vt Numer. 11. *Numquid manus Domini invalida?* Et sæpe alibi. Ergo cornua in manibus eius metaphoricè dicit Propheta, ac si diceret: Assumpsit Deus ad ministros, & satellites fortitudinis suæ mortem, atque diabolum, quasi arma quædã & instrumenta, quibus potentiam, & Psalm. 77 v. 49. Numer. 11 v. 23.

fortitudinem suam in vltionem, ac vastationem Iudęorum exerceret per Chaldæos, hisque ante eum præeuntibus, terram Deus Iudęorum ingrederetur, vt expulsis indigenis Israelitis, Chaldæos inibi collocaret. Mortẽ & diabolum cornua esse in manu Dei præcedentia, & quod Vates è vestigio subiungit, Dei fortitudinem latere, vel asseruari in his cornibus, idem est: moris enim est Diuinis Autoribus, & ante alios præcipue Habacuc, obscuris lucidiora subtegere, & quod prius sub ænigmate dixerat, apertis sine mora proferre. Vel denique per cornua Chaldæorum exercitus venit accipiendus, quo Deus, tanquam cornidus, Iudęorum gentem ventilavit, & in quo Dei fortitudo abscondebatur: non enim Chaldæi suis viribus illa grandia facinora ediderunt, quæ in debellanda Iudęa legimus; sed Dei manu, quę & roborabat Chaldæos animum & vires præstando, & Iudæorum turbabat consilia, atque frangebat spiritus. Pugnabat igitur Deus in Chaldæis, quod & alij, & ipsi ignorabant: quare in eis pugnantibus, quasi in cornibus, abscondita erat Domini fortitudo: sicut & in manu Assur Dei sęuientis fortitudo, & virga furoris Domini esse dicitur Isaię. 10. v. 5. *Assur virga furoris mei, et baculus ipse: in manu eorum indignatio mea.* Quod Assur non intellexit, siquidem suis dextræ & armis arrogabat victorias.

Isaiæ 20. v. 5.

Ibi v. 13. *In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et Principes eorum deprædatus sum.* Inibi. v. 13. Dicitur igitur in Nabuchodonosor Dei fortitudo absconsa, quia in eo Deus pugnabat, cum Iudæorum frangebat vires, & ex fortissima ciuitate opimas reportabat exubias: licet enim vulgares oculos lateret, ibi tamen Dei fortitudo pugnabat.

168 Allegorice autem varie hi versus accipiuntur: præcipuas tamen Patrũ intelligentias breuiter attingemus.

Hebræus. *Splendor eius vt lux erit.* Plerique de factis, & miraculis Christi hęc verba capiunt: quod maxime quadrat, si cornua splendores significent, vt habent Hebræi codices. *Splendores de manu eius.* Significatur enim, magnum fore splendorem, qui ex eius operibus splendidissimis Christo resultabat: quod enim de manu exit, opus est. Opera autem Christi talia fuerunt, vt nomen illi conciliarent admirabile, propter ea enim gloria & honore fuit coronatus, splendor enim illorum, vt lux solaris fuit: quia sicut Sol radijs suis omnia complet, & lustrat: sic etiã omnia Christus Euangelico splendore lustrauit. Quasi diceret Propheta: opera, & facta Christi non erant, vt splendores aliorum hominum, qui nõ à se, sed ab atauis, & alijs splendent: erant enim vt lux, quę ab ipsismet operibus nitebat,

169 *Cornua in manibus eius.* Plerique Patres cornua hæc Dominicam Crucem esse reputant, cui tribuunt mundi, infernique victoriam: sic Cyprianus lib. 2. contra Iudęos cap. 21. D. Augustin. lib. 18. de Ciuitate cap. 32. Tertulianus aduersus Iudæos cap. 20. Hieronym & Theofilat. in hunc locum. Euseb. lib. 6. de demonstrat. cap. 15. & iterum Hieronym. in epist. ad Paulinum, vbi sic fatur: *Habacuc luctator fortis, et rigidus stat super custodiam suam, et figit gradum super munitionẽ, vt Christum in Cruce contempletur, et dicat: Operuit cœlos gloria eius, et cornua in manibus eius.* Itaque cum cornu insigne potentis bellatoris, ac instrumentum victorię sit, Cruce Christus, quam pro cornu accepit, aduersarias potestates & ventilauit, & profligauit, & per eam sibi omnia subiecit, vt habetur Ioan. 12. *Etego si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsum.* Quæ autem nos brachia in Cruce vocamus, aptè cornua vocari possunt: sic D. Augustin ad illa verba Deutheron. cap. 34. vbi dicitur de Ioseph. *Quasi primogeniti tauri pulchritudine eius: cornua rhinocerõtis cornua illius. Propter Crucis* (inquit) *cornua de Domino intelligitur figuratum.* Et Tertulianus contra Marcion. cap. 10. *Christus in illo* (nempe Iosepho) *signabatur taurus, ob vtramque dispositionem,*

Cyprian. *D. Augustin.* *Tertullia.* *Hierony.* *Theofilat.* *Eusebius.*

Ioan. 12. v. 32.

D. Augustin.

Tertullia.

nem, aliis ferus, vt Iudex, aliis mansuetus, vt Saluator, cuius cornua essẽ Crucis extima. Nã et in antẽna nauis, quæ Crucis pars est, hæ extremitates eius cornua vocantur. Verba autem, quæ in Vulgato habet Propheta, per hypallagem sumenda sunt, ita vt commutatæ voces hunc sensum reddant: *Manus eius in cornibus Crucis.* Ita lib. 4 Reg. cap. 9. vbi Vulgatus ait de Iezabel: *Depinxit oculos suos stibio*: in Hebræo est: *posuit oculos suos in stibio*: pro *posuit Stibium in oculis suis.*

4 Reg 9. v. 30. Hebræus

170 *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Cũ confixus Christus pendebat in Cruce, cornua habebat in manibus, & pugnabat, sed occultè: nam in illa humilitate passionis latebat fortitudo eius, & virtus Diuinitatis; humanitatis autẽ infirmitas manifestabatur.

171 *Ante faciem eius ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius.* Communiter Patres hæc de Christi victoria accipiunt, qua subiugauit orbem, infernas euertit potestates, fauces obstruit inferni, cęlorum claustra reserauit, secundum illud Osee cap. 13. v. 14. *Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne.* Et illud Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Licet enim tam egregium opus manus exigeret solutas, pedes veloces, & expeditos ad cursum, robustum corpus, & contraria omnia iis, quæ spectamus in Crucifixo; tamẽ in illa specie infirma, in illis cornibus Crucis Christus habuit giganteam fortitudinem abscõditam, qua diaboli potestatem profligavit.

Osee 13. v. 14.

Ioan. 12. v. 31.

ANNOTAT. XXXIX. MORALIS.

CRVX CHRISTI REGNI, AC Diuinitatis eius veritatem propalauit.

672 ALIGNO, quod infamiæ, ac dedecoris erat nota, regalem decorem, & regiam dignitatem rimatus Isaias dicebat: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius* cap. 9. v. 6. Ingenitum in ligno regnum, quod super humeros Christus portauit, ab vtero matre, & tenello corpore sustinere auspicatus, iam exinde maiestatem regni publicabat, & vbi scandalũ fuit Gentibus, quia criminis obrepebat suspicio, veritatis regni rutilabat honos: quia non modo homines Cruce Christus redemit sed & ipsam Crucẽ ab infamia, quam vsque tunc patiebatur, reddidit immunem, & regali stẽmate condecoratam. Quod pulchrè annotauit Bernardus. *Crucem, quam imperij nomine significauit, natiuitati statim adiungit, quia profecto à natiuitatis exordio passio Crucis exorta est. O quanta charitas. Vix natus est Iesus, et ecce recẽti ortui Crucis ignominia, Crucis dolor copulatur: sed redemit Crucem imperii nomen verum.* Ponderanda sunt hæc vltima verba. *Redemit Crucẽ imperij nomen verum.* Abstergit enim à ligno maculam dedecoris, & in illo imperij, ac regni eius veritas resplenduit Hinc Ambros. (de obitu Theodosij) piam Helenæ solicitudinem, & deuotionem, qua & Crucem inquisiuit, & extulit, ponderans, ex Cruce coronas fabricari, quibus deinceps Imperatorum tempora cingebantur, dicebat. *Sapiens Helena, quæ Crucem in capite Regum leuauit, et locauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cum deportur sacræ redemptioni. Bonus itaq; clauus Romani imperij, qui totum regit orbem, ac vestit Principum frontem, vt sint prædicatores, qui persecutores esse consueuerunt. Rectè in capite clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena: corona de Cruce, vt fides luceat: habena quoque de Cruce, vt potestas regat, sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio. Habeant hoc etiam Principes Christi sibi liberalitate concessum, vt ad imitationẽ Domini dicatur de Imperatore Romano: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Alludit Ambrosius ad id, quod tradidit Chrysostom (hom. de Cruce, & latrone) olim nempe Cruce coronari aiens: *Coronas merebimur Crucis.* Quia ex quo verus Rex in Cruce extitit, quod antea ignominiosum sce-

Isaiæ 9. v. 6.

Bernard.

Ambros.

Psalm. 20 v. 4. Chrysost.

sc & regale sceptrum euasit, vt dicebat sanctus Ephren in serm. de Cruce. *Hæc rursus in secundo aduentu Domini prima in cœlo apparebit, tanquam pretiosum et venerabile et sanctum Regis Christi sceptrum secundum verbum Domini dicentis: et apparebit signum filii hominis in cœlo.* Idem repetit sanctus Leo oratione de Cruce. *Ecce Regium sceptrum tanquam dilecto filio tradit Dominus, quo te, versute serpens, occiso vitam mihi donauit.* In ligno igitur, quod infame patibulum extiterat, regni Christi veritas fuit asserta, & nobilitatis insigne ex tunc habetur.

S. Ephren. S. Leo.

173 Purpura, & imperiali fastu induitur Christus Dominus, vt illudatur, militarisque cohors murice vestitum ipsum deridet, & in maiestatis ludibrium geneflexo dicebant: *Aue Rex Iudæorum:* vt sic de tyrannide ipsum accusarent, & insultarent publicè de vsurpatione regni, hoc enim prætendebant, vbi regiam vestem ipsum induerunt. Verùm cum ad Crucis patibulum defertur, chlamyde exuitur purpurea, & proprijs vestimẽtis induitur. *Et postquã illuserũt ei, exuerũt eũ chlamyde, et induerunt eum vestimentis eius, et duxerunt, vt crucifigerent.* Matth. 27. v. 31. Demirare huiusmodi discrimen: cum ad Crucem adducitur, regali purpura exuitur, & propria vestimenta reassumit. Planè cęcutit Iudęus: si ipsum in signum vsurpati regni croco induit; cur non ipsum ad patibulũ ita adducit, vt criminis, quod insimulabat, insignia deferret? Ad ducatur purpura ad Crucem, vt publicè arguatur de culpa, quam ipsi imputabant. Verum superno consilio id ita accidisse non ambiges. Dum iocosè & illusoriè de vsurpato regno deridetur, purpuram induit, quæ iocum regnum persuadeat. Verum cum Cruci suffigitur, ludi purpura exuatur: quia regni ludus cessauit in Cruce, & veritas innotescere cœpit. Ibi Regis, qui regnauit à ligno, maiestatem omnis creatura agnouit. Quatitur terra cuulsis scopulis: lux cœlestium astrorum occubuit. Iatro ipsius regnum prædicauit: omnis natura imperium confitetur. Illusoria chlamys, quę iocosè regnum designabat, non accedit ad Crucem: quia ibi regni veritas seriò omnibus ostenditur. Succinit Hieronym. ad prędicta Matth verba. *Quãdo flagellatur IESVS, non habet propria vestimẽta; cum autem crucifigitur, et illusionis pompa præterierit, tunc priſtinas vestes recipit, et proprium assumit ornatũ, statimq; elementa turbantur, et Creatori dat testimoniũ creatura.* Vis quã verè Iudæi eius regnũ in Cruce agnouere, cognoscere? Audi ipsos suggerẽtes: *Si Filius Dei es, descende de Cruce.* Matth. 27. Nobilitate verborum, Diuinæq; filiationis ęncomio occultat Iudęus lethale vulnus, suadetq; vt descẽdat sub vocabulo Filij Dei. Cur ita? Si paulo ante ipsum illudebat, & maiestatis croco tingit ad deridendum: quomodo iam ipsum Filij Dei epitecto honorat? Egregiè Paschasius (lib. 12. in Matth. cap. 27.) hic virtutem Crucis, quę pendentis in ipsa regnum ac Diuinitatem propalauit, agnoscit. *Quia vt confixus est Dominus, statim Crucis senserunt virtutem, et intellexerunt, vires suas esse iam fractas: vnde callide hoc agunt, vt de Cruce descenderet, priusquam triumpharet de illis, et mortis destrueret imperium. Sed Dominus sciens eorum insidias permanet in patibulo, vt omnes tartareas vinceret legiones, victorque remaneret ab inferis.* Cuius antea maiestatem irridebant, mox vt in Cruce affigitur, potẽtiam agnoscunt, quia eius à Cruce regnum innotuit, & imperij veritas enituit. Præsentit ibi diabolus virtutẽ, qua eius caput erat conterendum, & tremore correptus ipsum à Cruce auellere satagebat: vbicumque enim de Cruce agebatur, baculum, quo erat interficiendus, horrebat.

Matth. 27. v. 31. Hieronym. Matth. 27 v. 40. D. Pasch.

174 Acutè sanè ponderauit Chrysost. (hom. 11. in Matth.) quod Christus Dominus Satanam Apostolorum Principem compellauerit statim ac ipsum Ecclesię caput constituit. *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Matth. 16. quę huius nouitatis causa? O bone Deus,

Matth 16. v. 23.

Deus, vix eximium honorem Petro exhibes, & clauicularium regni cœlorum cõstituis, cum statim magno dedecore afficis? ipsum, quem vicarium constituis, Satanam appellas? Cur ita? Audi Chrysostom. *Si Apostolorum Princeps, antequam Crucis mysterium disceret, Satanas vocatus est, quia dixit: Absit: quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prædicatam Crucem Christi negare audent?* Dixerat Christus, se in Cruce moriturum. *Quia oportet eum ire Ierosolymam, et multa pati à senioribus, et Scribis, et occidi.* Vt autem Petrus Crucem audiuit, ait: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Et quia Satanas Crucẽ aufugit, ab illaque discedit, qua victus fuit, velut canis à baculo, quo fuit percussus, Apostolum à Cruce fugientem Satanam vocat: quia eodem ipsum, ac dæmonẽ timore correptum aspicit. Accinit Chrysostomo Germanus Patriarcha in oratione de Crucis exaltatione. *Nihilominus cum ei adhuc passionis mysterium ignotum, et absconditum esset, Magistrumque ad Crucis patibulum festinãtem intelligeret, conatus quidem est tenero quodam amoris affectu cursum illum, et festinationem prohibere, illudque, Propicius esto tibi Domine: non erit hoc tibi, commiseratione quadam ductus protulit, sed contra audit cum graui indignatione illud, Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominũ. O miraculum ingens. Satanas appellatur magnus Petrus, quod Crucem detrectet, quam vt commodum toti mundo longe fructuosissimum Christus arripere cogitabat, et vt petra scandali, et lapis offensionis retro abijcitur infractum illud Ecclesiæ fundamẽtum.* Vbi Petrus Crucẽ formidat, Satanas vocatur, qua ipsius terrorẽ manifestat, quippe qui Crucẽ aufugiebat, aqua se contritum, & eneruatũ auspicabatur, vt idẽ Germanus in eadẽ oratione dixit. *At vero diabolus necesse habet, vt Crucẽ oderit, et procul ab ipsa aufugiat, sicut qui exigne aufugit: per ipsã enim cõtritus, et eneruatus, et funditus euersus est. Quicumque igitur Crucem oderunt, et auersantur, manifesta suæ erga diabolum beneuolentiæ documenta edunt.*

Chrysost. Ibi v. 21. Vers. 22. German. Idem.

Verum licet in Cruce deuictus dæmon, spoliatus infernus, & agnoscentes eius regnum Iudæi apparuerint: adhuc non cessabant ipsum blasphemare, & conuitijs appetere. *Prætereũtes* (ait text.) *blasphemabant eum mouentes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei* &c. Matth. 27. v. 39. Vbi pulchrè annotauit Ambrosius in Comment. Psalm. 61. irrisoriè loqui. *Transeuntes* (inquit) *mouebant capita sua: transeuntes, non stantes: stãtes, non transeuntes sunt pedes benedicentium.* Magnum mysterium in verbis Euangelistæ latet, dum prętereuntes blasphemasse, affirmat: nam si attentè considerassent maiestatem pulchritudinem, & bonitatem pendẽtis in Cruce, & non per transennam, ipsius regnum & virtutem rimari, sicut latro, qui attente inspexit, erat necesse. Sic regalis potestas à Cruce nitebat, vt quicumque eam permanenter aspiceret, probè nosceret, & in aperto, & clauis exarato illo libro, imperiũ, & Diuinitatem legeret. Nam vt grauiter dixit Damascenus [lib. 3.] omnia Dei attributa eluceſcebant in Cruce. Vnum vel alterum in cæteris operibus ostendebatur: in inferno iustitia: in gloria bonitas: in mundi gubernatione scientia: potentia in illius fabrica: at in morte omnia resplendebant attributa. *Eius bonitas, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem: iustitia, quoniam non vi eripuit hominem ex morte: sapientia, quoniam inuenit difficilimi debiti decentissimam desolationem: potentia vero elucet suæ virtutis infinita, quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem, et Deum mori.* Ibi enim, vbi eius virtus videbatur confracta, integrior apparuit, & quæ latebat Diuinitas per contriti corporis rimulas scintillauit. Quod optimè ponderauit Chrysolog. serm. 98. ad illa verba Lucæ 13. *Simile est regnum cælorũ grano sinapis, Christus* (inquit) *est regnum cælorum, quia sicut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe toto Crucis in arborem creuit,*

175

Math. 27. v. 39. Ambros. Damasc. Chrysolo.

ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione, vt quidquid est vitale, suo saporaret, et tēdiret attactu: nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus eius vehementissimè, si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suæ noluit latere virtutem. Dum corpore lacertus & confractus in Cruce apparuit, eius virtus magis renituit, & artificio Crucis contritus Diuinitatis spirauit odorem, & cruore sanguinis venustior refloruit, vt dicebat Ambrosius libr. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. ad illa verba Cantic. 1. *Ego flos campi, et lilium conuallium. Flos* (ait) *odorem suum etiam succisus referbat, et contritus accumulat. Ita Dominus in illo patibulo Crucis nec contritus emarcuit, nec auulsus euanuit, et illæ lanceæ punctione succisus sacro speciosior fusi cruoris flore vernauit.* Beneficio Crucis illuxit Diuinitas, & vbi destrui videbatur, mirum in modum, & inuerso rerum ordine fuit ædificata.

ambros.

176 Loquitur Ieremias (Thren. 2.) de eversione Ierosolimæ, & aduersis vocibus quasi turbatus præ merore animi illius ruinam prefagit. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum, et non auertit manum suam à perditione, luxit que antemurale, et murus pariter dissipatus est.* Quid est, ò Domine, quod ad destruendum murum funiculum tendis? Hic enim non solet distendi, nisi in constructione ædificij? Qui murum vult destruere, instrumenta capit, quibus impetitur, & euelluntur lapides à proprijs locis: ast funiculus & plūbum non mittuntur, nisi quando quis ędificare intendit, vt ædificij parietes rectè extruantur. Vidit hanc difficultatem Hugo Card. & eam satis politicè soluit. *Tetendit funiculum ad destruendum, qui tamen non solet tendi nisi in constructione murorum: sed sic innuit, quod sicut murus ex magna deliberatione factus est, sic ex causa rationabili, quasi ex magna deliberatione, destructus.* Discant hic Principes & Dynastę non præcipitantet illos destruere, quos antea extruxerunt, & magnis fauoribus cumularunt, sed moderate, & rationabiliter. Interlinealis locum accipit de Christo Domino in patibulo Crucis suffixo *Cogitandi facultatem reliquit, dissipare muram filiæ Sion, ideſt, Christum tetēdit funiculum suum, vt nihil faciat sine mēsura.* Illis igitur instrumentis, quæ ad ædificandum deseruiunt, vsi sunt Iudæi ad destruendum murū filię Sion, qui est Christus: quia quo magis ipsū dissipare tentabant, magis extruebā: quo magis eius humanitas fuit attrita, eo splendidius emicuit Diuinitas. Crucis artificium, quod in destructionem vergebat, in ædificationis funiculum vertebatur: quia ignominiæ Crucis, quibus flagitiosi sordebant, ipsius commendabant honorem: lacerata caro Diuinitatis emittebat radios, & pulchrior à læsione apparebat. Hinc illud amatorium carmen: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Cant. 4. Plures ad Christum referunt, maximè qui ex Hebræo legunt: *Sicut flos mali punici.* Quia vt tradit Columela, flos mali punici id peculiare habet inter alios, quod Euri flatibus neque decidit, neque marcescit, sed magis suæ arbori adhęret, & eodem vēto, quo cæteri decidunt flores, ille magis vernat, & luxuriatur. *Mira Citinarum firmitas* (ait Columela) *qui neque Euri flatibus, vt cæteri flores, decidant, sed quo vehementius inflantur, eo pertinacius obfirmentur.* Vnde scite huic flori patientiam (in eius libro) comparauit: *Quia omnis alia pulchritudo senio, vel rugis mareida defloreſcit, patientia semper in flore est.* Pulchre etenim Christum Dominum ad hunc florem in monte referas: nam in ligno, quod noxijs erat infame patibulum, flagitiosis ignominiosum supplicium, vbi cœterorum honores marcescebant, magis vernauit, floruit, & vigorem Diuinitatis ostendit. Nec minus aptè Vulgatæ lectio *Sicut fragmen mali punici* arridet: nam, vt notauit Beda, Ecclesiæ pulchritudo non integro malo punico, sed fracto æquiparatur: *Quia quò amplius illam frangi contigerit, eo clariùs, quot virtutum gra-*

Thren. 2. v. 8.

Hugo. Card.

Interlin.

Cantic. 4. v. 3.

Columela

Beda.

na-

na vnius fidei regimine complectitur, referuntur. Nō aliter Christus toto corpore in Cruce confractus Diuinitatē ſuam palā oſtendit, & vbi Iudęus ipſius moliebatur ignominiā, ſignaFidelis Diuinitatis inuenit illuſtria: nec ſolū Crucis beneficio natura fuit exaltata Diuina, ſed & humana, & Angelica ad vltimū honoris faſtigium aſcēderunt.

In excelſo maieſtatis ſolio Iſaiæ Dominus apparuit c. 6. *Vidi Dominū ſedentē ſuper ſoliū excelſum et eleuatū.* Quod Vates de auguſtiſſimo Crucis throno loquatur, nō leues coniecturæ ſuadent: Ioannes enim dixit: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius.* Hoc igitur prælibato, ſolium illud, vbi Chriſtus regia maieſtate nitebat, vtrāque naturā deſignare Angelicā & humanā arbitratur Bernardus, magna quidē proprietate: nā ly *excelſum* naturæ cōpetit Angelicę, quæ ſemper excelſa fuit, ſiquidem nūquam cecidit: ly *eleuatum* humanæ naturę cōgruit, quia tota ruit, & eleuatione indiguit. *Angelorū* (ait Bernardus) *ſtabilis celſitudo, et hominū miſericors eleuatio deſignatur.* Vtraque autem natura apprimè in figura Crucis materiali delineatur: nā Crux ex duobus lignis coaleſcit: altero erecto, quod in ſuperiori parte vacuū habet ſpatiū; altero ad mediū librato, & quod vacuum illud adimplet. Erectū lignū naturā reuerberat Angelicā, quę nunquā cecidit, quia Angelorū peccatū nō naturæ, ſed perſonarū fuit, natura enim ſemper in gratia ſtetit, ac permanſit: cœterū vacuū quoddā in ſuperiori parte habuit, quia ex illa plurimi cū ſuo Principe cecidere, & uacuas reliquere in cœleſti manſione ſedes. Lignū autē, quod in Cruce libratur ad mediū, humanā denotat naturā, quæ tota miſerè cecidit, quia peccatum hominis originis fuit & naturę, & neceſſe fuit illā eleuare, vt vacuū repleret, quod in natura Angelica remanſerat. En Crux ex vtraq; natura cōpoſita, altera excelſa, quæ Angelica fuit, ſed in ſuperiori parte vacua, altera eleuata humana nempe, vt Angelicę vacuū repleret: vtraq; enim in Cruce fuit exaltata, & ex vtraque regalis thronus effectus, quia aliam reparauit, aliā ad alterius gloriā euexit, proindeq; cōmunis eſt vtrique cauſa lætitiæ, ſicut & deſperationis diabolo. vt dicebat Germanus Patriarcha Cōſtantinop. oratione de Cruce. *Qui igitur Crucē honorare debēt? An qui beneficio Crucis ex diaboli tyrrannide erepti, et ad cœlū euecti, et æqualis cū Angelis gloriæ participes effecti ſūt? An diabolus, qui ex priore poteſtate per Crucem excidit, quiq; nunc hominū pedibus miſerabiliter ſubſtratus eſt, vt ab illis ludibrio haberi, et cōculcari poſſit?* Ex Cruce homines ciues in cœlo conſcribuntur Angelicæ naturę conſortes, & à Cruce cœli reſerantur portę, & auellūtur, vt exinde aditus occludatur nulli. S. Germ.

177 *Iſaiæ. 6. v. 1.*

Bernard.

Cœleſti plauſu, & regia deſuper Patris voce ſonāte baptizatur Chriſtus in Iordane, cœliq; portę aperiūtur. *Aperti ſūt cœli, et vox Patris intonuit* &c. Matth. 3. Poſtquā vero tyrānū Principē per Crucē debellauit, & reſurgens ab Angelis portabatur in cœlū, ianitores aiunt: *Atollite portas Principes veſtras, et eleuamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Pſ. 23. v. 7. Cur cū victor Chriſtus redit in cœlū, eleuātur portę, & tūc ſolū aperiūtur, cum Iordanis fluēta ſuper ſe recepit? Vtrobiq; enim eūdē Principē cœli honorabāt, & vtrobiq; hominū ſalus agebatur. Cur igitur ad ſacramētū Iordanis tantū aperiūtur cœleſtes portæ; & cū ad ipſas triūphali gloria accedit, penitus tollūtur? Audi īperfectū ho 4. inc. 3. Matth. *Ecce baptizato quidē Chriſto cœli aperti ſunt ei tātū: poſtquā vero tyrānū vicit per Crucē, et reſurgēs ab Angelis portabatur in cœlū, vidētes Angeli portitores, quia cœli iam nunquā erant claudēdi, ſed omnes iuſti, et peccatores pariter aſcenſuri erant in cœlum, quia non erant neceſſariæ portæ cœli cœlo, poſtea nunquam claudendo: ideo non dicūt: Aperite portas, et introibit Rex gloriæ, iam enim erant aperti; ſed tollite portas Principes veſtras.* Suam potentiā Chriſtus oſtendit in Cruce, non ſolum per ipſam tartareas poteſtates deuincēs, & in-

178 *Matth. 3. v. 16.* *Pſalm. 23 v. 7.* *Imperfect.*

& inferorum regna expugnans, sed & cælum arietans, vt ipsius valuas reseraret, portas sustolleret, & nullum deinceps obstaculum ad ingrediendũ cœlos adesset.

ANNOTAT. XXXX. MORALIS.

CHRISTI SANGVIS IN CRVCE fœcundior.

179 VBI inimicorum Christi peruicacia eius sanguinem in Cruce inutiliter effundere tentauit, vberiori facundia mundum irrigauit. Quemadmodum compressa in fonte aqua plus distenditur, & maiorẽ terrę partem irrigat, vbi libertatẽ est aucupata: sic violenter Christus in Cruce affixus maiori impetu, & vberiori sanguinis alluuione mundũ inundauit, & à tormẽtorum vexatione fœcundior extitit. Quod sub eadem metaphora pulchrè dixit Isaias c. 59. v. 19. *Cũ venerit quasi fluuius violentus, quẽ spiritus Domini cogit, et venerit Sion Redẽptor, et eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus: Hoc fœdus meum cum eis.* De Christo Domino hæc verba capit Glosa Interlinealis, cui plurimi Auctores consonant, & Redemptoris epictetum ad Crucẽ referunt, vbi redemptionis opus consummauit. Verũ cur cũ tã sponte offerebatur in hominũ salutem, violentus nuncupatur fluuius? Hebræus *Quasi fluuius arctatus* vertit. Et Theodocion: *Quasi fluuius oppugnans* Quę omnia in eumdẽ sensum coincidunt, significantque Christi, & eius Ecclesiæ progressum instar fluminis esse: nam flumen vbi nullæ obsistunt, molles, leniter fluit, & aquis minor: si vero quis ipsum offendat, & obstruat alueum, altior intumescit, & exuberantibus vndis vndique latior euagatur, camposque fœcundat, quos non compressus non irrigaret. Sic Nilus, qui per septem ostia in mare fluit, obstrusis arena oris, retrò recurrit, & auctior ascendens omnes AEgypti campos exuberat, maiori aquæ copia tumens arua irrigat, & totam AEgypti terram beneficio compressi oris fœcundat. Nõ aliter Christus Dominus in eius passione, vbi Iudæi morte ipsum oppugnare voluerunt, miracula, & præclara opera comprimere, vt eius progressus, generatio, & splendor penitus extinguerentur, tunc altior & fœcundior intumuit, & exuberantibus populis, & Gentibus latior euagatus est: vbi sanguinis effusione doctrinæ fructus perdere nitebantur, vberiores ipsos reddidere. Huc spectat illud Gregorij in lib. 1. Reg. c. 2. ad illa verba. *Et infirmi accincti sunt robore.* Vbi quærit, cur perfidi Iudæi Christũ crucifigere tantopere conarentur: ipsorumq; desiderio illuso respondit: *Vos occidistis, ne post eum totus mundus iret: sed idcirco post eũ totus mundus vadit.* Mors, quã moliebãtur, ne fructus faceret, ad meliorem frugem mundum traduxit, & ex illa vberiores fructus accepit.

Isaiæ 59. v. 19. 20. et 21.

Hebræus. Theodoc.

Gregor.

180 Beneficia recẽsẽs Moyses, quæ Dñs in deserto Hebræo populo contulit, illius meminit botri à feracissima promissionis tetra in ligno adducti. *Vt comederet fructus agrorũ, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum de armento, et lac de ouibus cum adipe agnorũ, et arietum filiorum Basã, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem vuæ biberet meracissimũ.* Deuthe. 32. v. 13. Per botrum autem, qui in ligno portabatur, & promissæ terræ testabatur fœcunditatem, Christum in ligno Crucis pendentẽ Macharius intelligit in oratione exaltationis Crucis. Verum cur à promissa terra racemus educitur in ligno, vt Christum in patibulo referat, & illius regionis feracitatem? Cur non alibi fructus è pinguissima terra decerptus Christum adumbrat, sed in Cruce passum? Audi Macharium vberiorem ex sanguine Christi in Cruce effuso fructum meditantem, & ipsius exaltationem, vbi Iudæi machinabantur ruinam. *Iesus autem meliora et veriora nunciabat, sublatumque ex Palæstina botrum, et ex vecte suspensum attulit, tanquam specimen quoddam eius vbertatis, qua promissa terra pollebat. At tu cum rursus Iesum audis, in men-*

Deuth. 32 v. 13. et 14

Exod. 1 v. 36.

Psal. 12 v. 3.

Aquila Theodo ex Heb.

Macharius.

Pierius.

mentem reuoca verum Deum, et Saluatorem Iesum, magni consilij Patris Angelum, et eius, quæ nobis promissa est, beatitudinis Doctorem, et regni cœlestis iam quidem superis in oris præparatorem, postea vero etiam largitorem, qui ex Cruce suspensus velut botrus dependet, quique sanguinem suum in immortalitatis potum præbuit; quod et Moyses ænigmate quodam tectum pronunciauit dicens, eos sanguinem vuæ bibisse, vt hoc loquendi modo salutarem passionem, et exaltationem, quæ ex Cruce extitit, denotaret. Non aliunde nisi ex vberrima & referta terra fructus erat adducendus, qui Christum in ligno affixum figurabat, vt quã proficuè huius botri sanguis effundebatur, quantoque eius fœcunditas crescebat in Cruce, denotaretur: à ligni enim attactu sanguinis vbertas increuit, & totum mundum frugifero prouentu irrigauit, inque numerosam prolem, & progationem fœcundam largiter effundebatur.

181 Arcanè sanè huius propagationis vmbra in Paschali agno celeberrimo Christi typo fuit delineata: ille enim sic immolari, & comedi præcipiebatur, vt nequaquã ipsius ossa frangerẽtur. *Os non confringetis ex eo.* Exod. 12. v. 46. In cuius adimpletione Christus Dñs nec sibi quidẽ mortuo vel minimum os violari permisit. *Ad Iesum autem cũ venissent, vt viderunt eũ iam mortuum, nõ fregerunt eius crura.* Ioan. 19. Et cur Dñs, qui tã duros in suam carnem voluit habere tortores, & corpus suum ita atrociter lacerari pertulit (iuxta illud Psal. 128. *Supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores:* Seu vt Aquila, & Theodocion ex Hebræo legũt: *Arauerunt peccatores.* Quasi Christi Dñi dorsum non funibus flagellari, sed impresso vomere sulcari videretur) in ossa sua tã humanos voluit esse ministros, vt nec minimum quidẽ os ab eis frangi permiserit? Causam fuisse credo, quoniam olim (teste Pierio lib. 34) in ossibus fęcundã successionẽ, & propagationẽ antiqui collocabãt: ad quod videtur alludisse Virg. 4. Eneid. cum in persona Didonis suos Chartaginenses monẽs, vt Deos orarent, quo tandem filios eis concederent, qui illam vindicarent, aiebat.

Exorare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos. Virgilius.

Nec longe ab hac doctrina distat sacra Scriptura, cum in ea reperiamus, primam primi hominis ad mulierem extensionẽ sumpta costa constitisse. Ideo ergo Dominus noluit, sibi crura frangi, ossaue, quæ prolem filiosq; significabant; vt indicaret maximã propagationem, & numerosam progenẽ ex effusione sui sanguinis ei esse profecturam, & ex ligno Crucis opimos fructus referendos, ibi enim & vberrime satum gratum germinauit, & Redemptionis fructum perfecit.

182 Id ipsum mysteriosè continetur in pulcherrima illa metaphora, qua spõsa sponsi manus cõmendabat. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Cantic. 5 v. 14. Vel vt Hebræus vertit: *Manus eius orbes aurei plenæ Tharsis.* Per manus opera accipiũt Ambros. lib. 3. de virginib. Augustin. epist. 119. Gregor. in 1. Reg. 16 & Hieron. in c. 2. Sophon. Pulchrè autẽ Christi manus tornatiles dicuntur & aureę, quibus perfectissimũ ac pretiosissimũ opus nostrę Redẽptionis in Cruce absolvit, vnde veluti de cõpleto & orbiculato opere dixit: *Consũmatũ est.* Ioan. 19. At cur plenę Tharsis dicũtur, vbi in Cruce fuerunt affixæ? Egregie Philo Cyprus, cuius integra inferã verba, ne eorũ sensũ deuenustẽ. *Tunc enim Christi manus tornatiles aureæ factæ sũt, cum eas pro salute nostra crudelissimis clauis confixas in vitæ ligno extendit: quæ quidẽ ob Diuinissimã puritatẽ et innocentiam, admirandaque opera iure aureæ prædicãtur. Plenæ vero Tharsis dicuntur propter Gentium ad se conuertendarum plenitudinem: Tharsis enim conuersio gaudij interpretatur. Cũ enim Iesus in Cruce manus suas extendit, tũc ad ipsum summa cum lætitia se conuertit Ecclesia dicens: In velamento alarũ tuarum sperabo Psalm. 60 Manus enim suas sponsus extendit, velut auis ad*

Exod. 12. v. 36.

Psal. 128. v. 3.

Aquila et Theodoc. ex Hebr.

Pierius.

Virgilius.

Cantic. 5. v. 14.

Ambros.

Augustin.

Gregor.

Hierony.

Ioan. 19. v. 30.

Philo. Cyprus.

protegendum pullos suos à rapacitate bestiarum, et ne diutius ab ingluuie dæmonum immanissimorum deuorarentur. In Cruce spoliorum inferni plenas Christus habuit manus, & ad se innumeram gentium multitudinem attraxit, quia sanguinis effusi odore allectus totus post ipsum curebat mũdus, quia virtus, quæ latebat, de fracto corpore exiuit, & omnium corda suauitate repleuit. Hoc ipsum subindicauit sponsa, vbi ipsum Cypri botrũ cõpellauit. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cantic. 1. ad quę verba fęcunditatem sanguinis à Cruce decurrentis optimè ponderauit Ambros. serm. 3. in Psalm. 118. *In illis ergo vineis* (inquit) *lignũ est, quod si quis cõpungat, vnguentũ emittit: hic fructus est ligni: si non incidatur lignũ, non ita fragrat, et redolet: cũ autẽ cõpũctum fuerit artificis manu, lacrymã distillat: sicut et Christus in illo tentationis ligno crucifixus illacrymabat populum, vt peccata nostra dilueret, et de visceribus misericordiæ suæ fundebat vnguentũ dicẽs: Pater ignosce illis. Tũc ergo in ligno cõpunctus est lancea, et exiuit ex eo sanguis et aqua omni vnguẽto suauior, accepta Deo hostia, per totum mundũ odorem sanctificationis effundẽs: et quasi balsamus ex arbore, sic virtus exibat è corpore.* Quo magis Christus in Cruce fuit cõfractus, eo fragrãtiorẽ spirabat odorẽ, & afflictus, ac vulnerato corpore vberius ab ipso effusũ vnguentũ vegetabat mũdũ, & in cuiuslibet guttę sãguinis orbita celeri currebat pede.

Cantic. 1. v. 10.

Ambros.

183 Huc spectat illud Isaię c. 11. v. 12. *Et eleuabit signum in nationes procul, et cõgregabit profugos Israel, et dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Vbi D. Basilius per signũ Crucem Domini accipit, exindeq; inquirit, cur mũdus per Crucẽ instauretur, & hoc potius, quã alio ad Redẽptionẽ Christus vsus sit instrumento: in ipsaq; Crucis materiali imagine totũ orbẽ figuratũ agnoscit: quia sicut ille quatuor partibus cõstat; ita & Crux in quatuor partes est distincta. *Vtbac significatione* (inquit) *omnes mundi partitiones per eas sanctæ Crucis partes ad salutem dispensentur.* Quo spectat id, quod notauit Chrysostom. oratione de Cruce, nempe Calvarię locum, in quo Christus fuit eleuatus in Cruce, medium orbis terrarũ tenere, vt ibi effusus sanguis ad ad omnes mundi partes æquè decurreret. *Hoc signum Gentes ab ortu Solis, et occasu, et septentrione, et meridie collegit, et in vnam Ecclesiam, in vnam fidem, in vnum baptisma in charitate cõiunxit.* Et paulo infra. *Hæc est* (Crux nempe) *quæ in medio orbis terrarũ defixa in loco Calũariæ, mox optimum vitæ nostræ racemũ germinauit. In ea Christus voracissimũ inferni disrupit ventrem, insidiosumque et multis versutijs instructũ diaboli os obstruxit. Qua conspecta contremuit, et exhorruit mors, omnesque, quos à primo homine ad illud vsque tempus sub sua ditione vinctos tenuerat, liberos dimisit.* Hinc Calvarię mons mons quoque prędæ appellatur iuxta id Psalm. 57. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Vbi Hebræus vertit: *A montibus Thereph:* Ideſt, prædę. Quia in illius montis cacumine vexillo Crucis eleuato, tartarea regna debellauit, conculcauit inimici potentiã, cunctasque gentes ad suam adorationẽ adduxit. Quod & ille Crucis titulus tribus præcipuis linguis scriptus designauit, vt annotauit Cyril. Alexãd. lib. 12. in Ioan. c. 30. *Diuinitus, vt ego puto, omnium gentium regnũ Christo attributum esse significauit, vt omnes populi, tribus, et linguæ ipsi seruiant.*

Chrysost.

Psalm. 75 v. 5.

Hebræus.

Cyrillus Alexan.

184 Postquam Christus Dominus Centurionis seruo salutem cõtulit, ipsius virtutẽ populi demirati omnes ęgrotos illi vespere deferebãt, quos nimia clementia curauit. *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curauit.* Matth. 8. vers. 16 Non ociosè Euangelista huiusmodi generalem curationem vespere cõtigisse describit. Cur non mane, non meridie ad Christum concurrentes infirmi curantur; sed ad vesperam ipsorum salus differtur? Quid tẽpus expectant, qui male habentur, & ab illo

Matth. 8. v. 16.

D. Basil.

illo sanitatem accipiunt, qui non à tẽpore virtutẽ expectat? Subtiliter Hieronym. vberrimam Crucis virtutem hic rimatur. *Hieronym.* *Attendendum, quod omnes non mane, nõ meridie, sed ad vesperã curantur, quãdo Sol occubiturus est, et quãdo granũ tritici moritur, vt multos afferat fructus.* Opportunè inveſpere adducuntur, & curantur omnes infirmi, vt fructuum abundantia ex ligno, vbi Christus in vespere vitæ occubuit, proueniatur. Ex grano tritici ad vesperam in Cruce fato pinguiores salutis fructus erant colligendi, & in illo omne glorię semẽ erat absconditũ. Hinc vbi Nicodemus iter ad cœlum quęrebat, Crux ostenditur. *Ioann. 3. v. 14.* *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitã æternam.* Ioan. 3. Cur ad cœlos ire cupiens, & de illius via solicitus in serpente æneo instruitur, vt aberrare non possit? Pulchrè Rupert. lib. 3 in Ioan. *Rupertus.* *Ecce qualẽ vitam, qualẽ introitum vni expectanti regnũ Dei, et in illo vno omnibus, qui expectant, vel quæruntillud, paulatim Saluator ostendit.* Quęrenti cœlum seipsum proponit crucifixũ: quia nulla alia via est ad salutem nisi Crux: in illa quasi in cathedra omnis salutaris via docetur; quia ex illa omne vitæ medicamentũ emanauit.

ANNOTAT. XXXXI. MORALIS.

NON MAIORVM STEMMATA, sed propriæ virtutes veram nobilitatem cudunt.

185 PER lucem & splendorẽ, quibus Christus coruscauit, eius splendida opera, & mirifica portenta plures accipiunt, & ex Hebræo facilè deducitur: nã vbi noster Vulgatus *Hebræus.* habet: *Splendor eius vt lux erit*: vertit ille: *Splendores de manu eius.* Quo significatur, splendidissima fore Christi opera, quia quod de manu exit opus est: ipsis enim & admirabile nomẽ, & gloriã totũ orbẽ operientẽ sibi conciliauit. Nec enim splendor, quem Christus suis operibus acquisiuit, hominũ referebat splendorem, qui non à se, sed ab atauis & maioribus splendent. Erat sane vt lux, quæ ab ipsismet operibus eluceſcebat, non ab alio mendicabat gloriam, sed à seipso promeruit se gloriabatur: vane enim se iactat de progenitorũ operibus, qui ea non imitatur: nã vt dixit Ouidius 13. metam.

Quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco.

Et Sene. epist. 9. *Nemo in nostrã gloriã vixit, nec quod ante nos fuit, nostrũ est.* Aliorum opinio alios laudat, & *Ouidius.* qui de alienis factis sibi blanditur, *Seneca.* aliorũ æncomia, non propria extollit, vt in Hercule furente dicebat Seneca: *Qui genus iactat sũũ, aliena laudat.* Ab argento prouenit stannũ, nec argentũ est: sic neq; omnis nobilis, qui à nobilibus oritur; sed qui in seipso nobilitatis habet characterẽ. Quia vt dicebat Cassiod. 5. variar. c. 12. *Hæc est indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.* *Cassiodor.* Et Horat. lib. 4. carm. 4. *Dedecorãt benè nata culpæ.* *Horatius* Genera distinguit virtus, & qui moribus nobilitati contradicũt, ignobiles sunt. Vnde dixit Euripides: *Nulla nobilitas inter malos est, sed inter bonos tantũ viros,* *Euripides* & Aristot. 1. polit. *Virtus et malitia determinãt nobiles, et ignobiles seruos et liberos.* *Aristot.* Atq; D. Hieron. ad Celant. *Sola apud Deũ nobilitas est clarũ esse virtutibus.* Cui cõsonat Epicharmus apud Stobęũ serm. *Epichar.* 86 *Quisquis suapte natura procliuis ad bona fuerit, nobilis est, quãuis matre fuerit Ethiope.* Vnde Plutarch. in quęst. Roman. quęst. 37. pulchrã reddit rationẽ, cur præceptũ fuerit, quod hostiũ spolia, & trophæa victoriarũ à Romanis cõparata in tẽplisq; Deorũ apposita, & appẽsa minimè reficerentur, si aliqua ex parte temporũ iniurijs essent consumpta. *Inter ea, quæ Dijs cõsecrantur, lege permissum est, vt sola spolia sinantur tempore corrumpi, atque aboleri, neque ea licet reparare, aut instaurare; vt existimantes gloriam priorem, scilicet cum spolijs intercidere, semper nouum aliquid virtutum monumentum parare operam dent.* *Plutarch.* Non reparentur vetusta parentum stemmata; maiorum gloria & nobilitas tẽporis

iniuria absumatur: gestorum illustriũ memoria decidat: obliterentur prędecessorum splendida trophæa, vt posteri non de atauorum gloria confidentes proprijs factis & virtutibus gloriam & splendorem comparare non cessent, & ab vnoquoque genus sui incipiat, deq; propria virtute, quæ veram nobilitatem sculpit, glorientur.

186 Moyses de generosæ Noemi prosapiæ publicatione solicitus, sic ipsã contexere inchoauit. *Genes. 6. v. 9.* *Hæ sunt generationes Noe: Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit* &c. Gen. 6. v. 9. Si Historicus sacer nobilitatem sanguinis narrare incipit, cur à virtute, quæ non hereditate acquiritur genealogiã exorditur? Præclarè D. Ambros. ibi. *Ambros.* *Non generationis nobilitate, sed iustitiæ et perfectionis merito laudatus. Probati enim viri genus virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt: etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.* Et lib. de Nabuthe cap. 13. contra istam vulgarem & falsam nobilitatem eleganter insurgit. *Idem.* *Nonne sic vtero conceptus, et natus es ex vtero, quemadmodum et pauper es natus? Quid te iactas de nobilitatis prosapia.* Deinde subdit: *Soletis et earum vestrorum originem, sicut diuitum recensere: soletis et equorũ vestrorum nobilitatem, sicut Consulum prædicare: ille ex illo patre generatus est, et illa matre editus: ille auo gaudet, ille proauis attolitur: sed nihil istud currentem iuuat: non datur nobilitati palma, sed cursori. Deformior est virtus, in quo nobilitas generis periclitatur.* Parum refert, quod equus ex nobili satus sit equo, si ad currendum tardus est & iners: respuit enim virtus ab alio nobilitari. Non à maiorum gloria cõmendatur homo, sed à conspicua imitatione: qui enim moribus degenerat, & nobilitate. Hinc describens Moyses generationem Seth ait: *Genes. 5. v. 3.* *Vixit Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Genes. 5. Hoc autem non dixerat de Cain, vt recte annotauit ibi Chrysostom: quia moribus dissimilis patri euasit. *Chrysost.* *Secundum imaginem suam, hoc est, eorumdem morum, quibus iste, qui genuerat, et qui seruet paternos characteres, operibusque paternos mores exprimat.* Seth, qui patris obseruauit virtutem, eius nobilitatis heres fuit, & idcirco similis patri dicitur: at vero Cain, qui illustre genus sordidis moribus obscurauit, atque deleuit, non dicitur patris imago; quia animum habuit ignobilem, vt dixit Philo de vera nobilitate. *Philo.* *Quid huic profuit nobilitas generis ignobilem præ se ferenti animum?* Nam vt dixit Cesarius Arelatens. homil. 4. *Sine causa à foris vel genere, vel honore conspicuus, qui non est intus ingenuus.*

Zachæi in arborem ascendentis, vt 187
Christum videret, exiguitatem staturę Lucas expressit. *Lucæ 19. v. 3.* *Quia statura pusillus erat.* D. Ambrosius lib. 8. in Luc. prope finem putat, non ociosè hic Euangelistam Zachæi corporis exiguitatem notare, eo quod scriptura de staturis curare non soleat. Cur igitur quem Principem publicanorum ac diuitem esse ostendit *[et hic erat Princeps publicanorum, et ipse diues.]* *Ibi v. 2.* statura pusillum esse testatur? Venustè Ambros. *Ambros.* *Nondum enim promiserat, cum ascenderat, nondum viderat Christum: merito adhuc pusillus.* Adhuc Zachæus improbis moribus fordebat, nondum lucra reliquerat, nec aliena restituerat, non propria pauperibus erogauerat: licet ergo Princeps, ac diues esset, adhuc pusillus erat; quoniam quantumuis homo sit magnus, quantumvis potens, dũmodo bonis moribus non est præditus, pusillus extat, & vt res vilis, & attentionis parue existimandus est. *Hombre de poca consideracion.* Existimatio enim nobilitatis & dominationis à virtutis censu prouenit. Vnde illa fęmina, quæ pellicere Ioseph in fraudem volebat (vt notat Ambros.) domina non appellatur iuxta 70. versionem, qui vbi *Septuag.* nostra Vulgata habet: *Dixit ad eam* &c.

&c. vertunt: *Dixit vxori Domini sui.* Genes. 39. v. 8. Et cur non ipsam, sub cuius erat dominio, dominam appellauit; sed ambage interposito vxor Domini dicitur? Acutè Ambros. *Recte vxor Domini, non ipsa domina dicitur: nam quomodo domina, quæ dominandi habebat officium, quæ disciplinam Domini non tenebat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faciem?* Obediendo libidini dominij nobilitatem perdidit, illamque Ioseph acquisiuit pudicitię obtemperans, vt dixit Origen. hom. 5. *Ioseph, cui nulla corporis libido dominata est, totius AEgypti Princeps et Dominus fuit.* A vitio enim infamiæ natales, & seruitutis notę oriuntur; à virtute autem illustres & ingenuæ soboles. Quare cum Iudæi filios Abrahę se iactarent, degeneres ab illo esse Christus obiecit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ioan. 8. opera despiciens, quę à præscripta patris virtute deficiebant, & ea commendans, quibus maiorum gloria non fœdatur. *Nõ enĩ Deus* (inquit Ciril. in Amos. c. 9) *carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit: apud Deum quippe nobilitas cẽsentur boni mores cũ religione maiorum conteudere soliti.* De hac enĩ Deus plurimũ gloriatur, & quã mũdus ęstimat, pedibus calcat.

188 Mulier illa, quæ Ioãni cœlitus attonito (Apocalip. 12) apparuit, omnia habebat nobilitatis stemmata, Sole enim erat amicta, qui virum virtute clarum designat, secundum illud Maronis enæid. 11. qui strenuos duces solis radijs comparauit: *Lumina tot cecidisse Diuum.* Stellæ, quibus coronabatur, perspicuum sunt nobilitatis insigne: luna autem nobilitatis semper fuit hieroglificum, pręcipue apud Arcadas, fibula enim, qua calceamenta connectebantur, speciem prętferebant lunæ cornua porrigentis, vnde illud Herodis dictum ad Bradeam, quod refert Celius Rodig. Lib. 22. antiquit. cap. 27. *Ne tu generis tui nobilitatem in Astragalis gestitas.* Romanis quoque idem fuit mos, vt tradit Plutarch. Vnde Iuuenalis Quintiliani volens ostendere nobilitatem dixit. *Et nobilis, et generosus appositam nigræ lunam subtexit alutæ.* Lunam igitur, quę generis claritatem designat, sub pedibus gestabat mulier (*Et luna sub pedibus eius*) quę de cęlesti origine gloriabatur, & in multorum opinione Beatam Virginem figurabat, quę regalem nobilitatem à maioribus acceptam pedibus conculcans, & despiciens virtutis nobilitatem prætferebat. Vnde Petrus Damianus de ea dixit: *Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis.* De Verbi generatione, quam de congruo suis virtutibus promeruit, potius quam de sacerdotali ac regio stemmate, aquo procedebat, gloriabatur, sibique illustre genus fecit, & nobilitatem peperit, eam, quam à natura accepit, despiciens: quia non quę ab stirpe venit, sed quę laboribus est parta, laudem acquirit nobilitas. Hãc opinor fuisse causam, cur Deus, qui reliquum opus creationis comite laude creauerat, hominem illaudatũ omiserit, cum tamen propter egregiã ipsius excellentiam dignior cæteris creaturis laude videretur, & propter nobilem animę originẽ, quam à Deo traxit, maiori elogio esset prosequendus: quia cum homo liberi sit arbitrij, generosior erit laus bono opere promerita, & egregijs factis acquisita, quam ab aliena excellentia proueniens: sic enim Deus ipsum excitauit ad prędara opera, ne laude prędenta redderetur iners, sed acquisita nobilitate illustraretur.

Gen. 39 v. 8. — Ambros. — Origenes. — Ioann. 8. v. 39. — Cyrillus. — Maro. — Arcad. — Celius Rodig. — Plutarch. — Iuuenal. — P. Dami.

ANNOT. XXXXII. MORALIS

RES CVM PROPE SVNT AD interitum, magis placent.

189 VBI ad vltimam perfectionem deueniunt res, leuiores ad originem suam reuolant, & gestiunt perire, quę nequeũt perfici. Quod vicinius est morti, perfectius est, & citius extinguitur: quia vt dixit Seneca lib. de consolat. ad Marciam cap. 23. *Quidquid ad summum peruenit, ad exitum prope est, eripit se, aufertque ex* — Seneca.

oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturauerunt. Exindeque magis alliciunt, quæ viciniora sunt occasui, & quia perfectionis metam attigere, & quia nescio quam ab imminenti exitio accipiunt pulchritudinem, quod magis voluntatem mouent, & intuentium animos vehementius, quam antea, ad amorem prouocant. Vnde scitè Lipsius in politica iam iam senescens meliorem fortunam venusta similitudine suis scriptis præsagiebat. *Vt ipse Phœbi dulcius lumen solet iam iam cadentis: sic nostra debent abeuntium scripta.* Sol namque & ingenium dulciora sunt, cum ad interitum properant. Et Plutarch. problemat. cap. 1. *Nullus [ait] tam diligit vitam, quam qui senescit.* Quia prope est ad interitū vita in senibus, magis diligitur: quasi ab imminēte morte venustatē mutuet, qua magis placeat.

Lipsius.

Plutarch.

190 Senum lasciuientium testimonio admortem accusatur Susanna: cumque ad illam duceretur velata facie annosi Iudices lasciuiæ incendio ardentes, vt discoopertam viderent, & illius pulchritudine satiarentur, faciem nudare præcipiunt. *Porro Susanna erat delicata nimis, et pulchra specie: at iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur (erat enim cooperta) vt vel sic satiarentur decore eius.* Daniel. 13. v. 31. Et cur eum ad mortem pergit, vultum abscondit pudica fœmina, & iniqui senes ardētius eam videre desiderāt? Expediret ipsi discooperto vultu apparere, vt honesta venustate intuentiū animos ad commiserationem prouocaret: & malitiosis Iudicibus illam velatam condemnare, ne à proposito inferendæ mortis, pulchritudine, quā ambibant, rursus allecti flecterentur. Vt quid igitur discoopertam gestiunt videre, & illa cooperiri procurat? Ingeniosè Tertulianus lib. de corona militis cap. 4. *Susanna in iudicio reuelata argumentum velatæ præstat: possū dicere: et hic velamen arbitrij fuit. Rea venerat erubescens de infamia sua, merito abscondens decorem, vel quia timens iam placere. Cœterum in stadio mariti non putem velatam deambulasse, quæ placuit.* Cum in horto erat Susanna non se cooperuit, quia non ita formosam ac decoram se existimauit: cum vero ad mortem pergit, pulchritudinem abscondit timens denuo magis placere, & incendium, quod in languidis ac frigidis Iudicum corporibus serpebat, vehementius excitaret: tanta enim pulchritudo è mortis vicinitate ei accreuit, vt quæ in lauacro nuda non venusta existimabatur, pulcherrima sibi videatur, dum desti natur ad mortem: & in ipsius decoris intuitu senes satiari arbitrentur, qui ea visa in pomario magis lasciuiæ æstuantis sitim excitarunt, & venustissimę puellę cupitis amplexibus potiri: sic enim arridet quod ad occasum pergit, vt vultum celet Susanna, ne auidius, cum ad morrē ducitur, amātium oculos prouocet.

Daniel. 13 v. 31.

Tertulia.

191 Præcepit Dominus Sauli, vt demoliretur Amalec: contra Dei iniunctum præceptum Regi pepercit: quod ita ægre Deus tulit, vt Samuelem mitteret, qui depositionem à regno ipsi intimaret. Facta autem denunciatione, cum Samuel recedere voluisset, summitatem illius pallij Saul apprehendit eum detinere intēdens, & scissura facta in omen futuræ in regno scissionis, partem chlamydis scissam in ipsius manibus reliquit. *Et conuersus est Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ scissa est.* 1. Reg. 15 v. 27. Saul vehemēti dolore punctus regni priuationem audiens, manus in sacram vestem iniecit, ipsam lacerauit, & tentauit Deū victimis flectere, vt sententiam contra ipsum latam reuocaret. Et cur Saul tam dolet coronam amittere, quam primo oblatam recusauit, & domi se abscondit, ne Rex eligeretur? Quid nunc regnum habet, quod plus cum alliciat? Ingeniosè Magnus Gregorius discrimen annotauit, & in ipso euentu rationem rimatur. *Non pallium (inquit) sed pallij summitatem, idest, extremitatem apprehendisse perhibetur: sed en extremitas scinditur.* In extremis regnum Saul apprehendit:

1. Reg. 15. v. 27.

Magn. Gregor.

illius

ij Finis enim finē & interitum in extremitate, quam manu tenebat, aspiciebat, & exinde ad illius desiderium magis inflammabatur. Cum regnum scinditur, & ad occasum pergit, plurimum arridet Sauli, & ille ipse, qui coronam respuebat, cum ad extremū accedere conspicit, illius amore flagrat, & omnibus modis de finiendo regno tentat reuocare decretū: quia res morti proximiores pulchriores sunt, magisque placent, & ad illarum amorem incitant.

192 Angelus ille, qui celeberrimā meretricem Ioanni in sua Apocalysi ostēdit, superaquas sedisse testatur. *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* Apocalyp. 17. v. 1. Si delitias, quas mūdus offert, mulier cupit, & illæ sicut aquæ fugiunt: cur sedet, vt eis potiatur? Cur tam auidè anhelat, quod tā velociter fugit? Illæ celeriter transeunt; illa permanenter sedet. Quis fugitiuum bonum perrenni desiderio insequitur? Quis tam vehementer alliciturr eo, quod tam cito transit? Egregiè, Rupertus lib. 10. in Apocalyp. *Sedet hæc mulier super aquas multas, defluunt ab ortu suo vsque ad mortis occasum, et nunquam ad certum locum, in quo consolidentur, et stent, perueniūt, quia defluunt vsque ad mortis occasū.* Quasi dicat: Idcirco mundi delitiæ mulierem alliciunt, quia fugitiuę sūt, & ad mortem properant: si enim consisterent, & perenni gaudio ipsis frueretur, minus illas diligeret, desideraret minus. Placent, quia euanescunt: arridēt, quia fluunt: & sedet ipsas permanenter amans, quia cito deficient. Sic enim vbi finis instat, amor accenditur, quasi de amatæ rei interitu placeret. Huc spectant illa verba Christi Domini (Ioan. 13.) varia commentatione fatigata. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Caietan. *in morte* legit. At quomodo amor exaggeratur in fine? Quid mirum, quod qui Discipulos suos in toto vitæ curriculo dilexerat, in fine & in morte diligat? Verum id mysteriosè dictum puta: vt enim ardentiorem charitatem, quam erga suos habuit, magis commendaret, in finem ipsos dilexisse ait: quia quod in fine, & propè mortem amatur, vehementiori amore diligitur. Profūde Caiet. id indigitat: *In fine pro ad finem dilexit eos, ex hoc quod scientia imminentis proprij transitus ad felicem statum, nec obliuioni tradidit amorē erga suos, nec interrupit illum, nec nouum generauit amorem erga illos, sed continuauit, et consummauit.* Amoris consummatio in fine probatur, quia ibi magis accēditur, & interitus imminens calcar est ad amoris curriculū feruentius transeundum. Sic Iacobus præ cæteris filijs Beniamin diligebat, quia in senectute ipsum genuit, & prope finem ipsum adamauit. Merito hic dicitur Christū mortē præiturā (*Ante faciem eius ibit mors*) non solū quia triūphali gloria ipsā deictā erat delaturus: sed quia ad ipsā omnia eius opera dirigebātur, qua scilicet Redēptionis cō sumauit trophæum, vt hominum dilectionem excitaret Deum semper pro ipsis mortuum aspicientium.

Apocalyp. 17. v. 1.

191

Rupertus.

1. Reg. 15. v. 27.

Ioan. 13. v. 1.

Magu. Gregor.

Caietan.

ANNOT. XXXXIII. MORALIS.

PRINCEPS, QVAE IPSI INCVMBUNT, per seipsum exequatur.

198 REGIA potestas semper apud Principem sit, vt ab ipso populus & prēmia, & præcepta recognoscat: principatus enim sine regiminis munere spectrum est, non maiestas. Corona non patitur alterius imperium, & monstrosum est, qui à Deo prēficitur, alterius voluntati subijci. Semper periclitatur regnum, vbi oriū & dissidia Regem à munere retrahūt, & alterius consilio fidit, quæ ipsi ex officio incumbunt. Consulat Princeps in negotijs occurrentibus solertissimos quosque ministros, gratiam & voluntatem inclinet ad vnum, vel ad plurimos: at expensis singulorum sententijs, quod mature consuluit, per seipsum determinet, super negotia quæque deliberet, & ne in alterius voluntate eius sententia sit: nam non

sic

sic Deus subdit (cui præstantissimus sit) ac Regis cor habet in manibus. Ad se ipsum igitur in deliberandis rebus accedat, vt omnia feliciter exequatur. Sic Traiano dicebat Plutarch. in politica ad ipsum. *Plutarch.* *Tu vero quidquis rectissime geres, si non recesseris à te ipso.* A seipso recedit Princeps, qui nō sua, sed alterius vota sēper expectat, & titulū Regis gerit sine Rege, hominis vmbram sine homine, alterius consilio obtemperans: indecorum enim est, vt maiestati renuntiet, qui non alienandam, sed sibi tantum reseruandam accepit. Magnum inter alia præstitit Mardocheus Regi Assuero obsequiū, cū cō iurationem detexit, qua duo Regis Eunuchi ipsius moliebantur interitū. Consuluit Rex Aman de prēmio conferendo homini, qui tam beneuolus in Principem extiterat: cui ille respō- *Esther. 6. v. 8. et 9.* dit: *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, et imponi super equum, qui de sella Regis est, et* *Vers. 10.* *accipere regium diadema super caput suū, et primus de regijs Principibus ac tyrannis teneat equum eius, et per plateā ciuitatis incedens clamet, et dicat: sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Esther. 6. v. 8. Strenuè honorem parat Aman, quem sibi cogitabat conferendum: annuensque Rex ipsius consilio dixit: *Festina, et sumpta stola et equo, fac vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij: caue, ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.* Ibid. v. 10. Si omnia executioni sunt mandanda, si nullum eorum, quæ dixit Aman, prętermittendum: cur nulla de corona fit mentio, quam tamen ille dixit, super caput honorandi esse imponendam? *Et accipere regium diadema.* Implexū videtur Regis præceptum: nam si nullum eorum, quę consuluit Aman, est prætermittendum, cur honorem decernens, & cætera recensens honoris insignia Mardochæo exhibenda, regale diadema reticuit? Acutè Lyra difficultati occurrit. *De diademate autem regio tacuit: quia non videbatur sibi conuenienter dictum, quod alius à Rege portaret diadema regium. Quod autem infra cap. 8. dicitur, quod Mardochæus portabat coronam auream, et illa tamen non erat similis coronæ regiæ.* Quamuis omnia, quæ dixerat Aman exequi Assuerus prēcepit, coronam tamen tacitè exclusit, quia hæc incommunicabilis est, vni tantū Principi competit. Caput solum coronatur: pedes corona redimitos & politica abhorret & natura: suprema potestas nunquam extra Principem sit: consulat, & proponat Consiliarius a verum nunquam in ipsius arbitrio Regis sit voluntas: non ad ipsius nutum res moduletur, nec sibi arroget, quæ soli Principi conueniūt. Per seipsum Princeps omnia trutinet, omnia scrutetur, & omnia peragat, vt occasionem præcindat ambiendi ipsius protestatem, & regni publico bono consulat.

Lyra.

Detrusis in carcere pincernarum Magistro, & pistorum Principe, in natalitio Pharaonis die ipsorum Rex fuit recordatus, & dispari fortuna alterū absolvit, damnauit alterum. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis recordatus est inter epulas Magistri pincernarum, et pistorum Principis.* Genes. 40. v. 20. Quid Regis excitauit memoriam, vt in splendido epulo, quo suum natalitium celebrat, aulicorum recordatio repente subeat? Forte magno Regi deerant, qui ministrarent in mensa, nec certatim regni Proceres excelsa palatij munera ambibant: quod inter lautas delitias illorum recordatur, qui ipsi panem & pocula condiebant? Ingens solemnitatis lætitia non modo non obliterauit, sed memoriam excitat illorum, qui in carcere detinebantur? Quis Regis memoriam acuit, vbi animum ad alia habebat diuersum? Acutè Caiet. qui ex Hebręo legit: *Et leuauit supputatorium Principis pincernarum, et pistorum Principis in medio seruorum suorum.* Scilicet, in die natalitio Pharaonis coram recensita insinuatur eius numerosa familia, vt appareat, an plures superfluant famuli, qui Regi ministrant, & regium censum sumptuosius absumunt.

491

Genes. 40 v. 20.

Caietan.

munt. Opportunè in die natalitio ipse per se Rex rationem accepti, & expensi supputat, quo publicetur ad id etiam Reges natos, vt rem nummariā per se procurent, ne ærarij paupertate cogantur subiectos populos onerosis vectigalibus deuexare: nihil enim quod officij sui est, Principem dedecet. Sic postquam Pater ille familias in vineam suam, quos conduxerat, operarios misit. *Cum sero factum esset* (inquit text,) *dicit dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem.* Matth. 20. v. 8. ad quid coram se operarios, & procuratorem vocari iubet, si ipse denarios nō soluit? Si minister est redditurus mercedē, ad quid adducuntur accepturi, nisi vt de rei nummariæ dispensatione ipsi cōstaret? Nam ærarij regalis ministri, cum schedulis obtemperantes Regis nummorum aliquas quantitates soluunt, solitant integras non tradere: multa ex ijs, quę administrant, subripiunt. Recte igitur coram se reddere præcipit, ne miseri operarij pecunia defraudentur, & rapaces ministri maiorem ab ipsa partem adimant: nisi enim Princeps per se ipsum omnia peragat, quę ad ipsum spectant, Regis titulum non meretur, & quasi nemo esset, reputatur.

Matth 20 v. 8.

195 Moram faciente Moyse in monte, agitauit populus Aaronem, vt Deos, qui ipsum ducerent, fabricaret. *Videns populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron dixit: surge fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. v. 1. Fruſtra ducem quērit, qui renuit ducentem sequi. Si Hebræi columnam nubis & ignis, quam ipsis oculis cernebant, ducem habebant viæ, quorsum alium ducem postulabant? Aliqui autumant columnam ignis & nubis toto tempore, quo abfuit Moyses, Israelitis defuisse, quoniam si columnam ducem haberent, non quærerent Deos ductores. Sed ductricem columnam nunquā defuisse populo testatur expressè Scriptura Exod. 13 *Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.* Idem le-

Exod. 32. v. 1.

v. 22.

gitur lib. 2. Esdræ cap. 9. Quo igitur pacto si columna aderat, quæ viam indigitabat, ductores Deos quęrebāt? Respondet Barradas (in itinerario lib. 4 cap. 12.) non defuisse columnam: sed cum viderent Hebręi tot diebus illā quiescere, neque viam ostendere, petiuisse Deos fieri, qui viam docerent. Quia ergo columna in pręteritis māsionibus non stetit per tot dies, & in hac multo diutius permansit, in reliquis, quasi non esset, à populo existimatur, quia muneri suo non satisfaciebat. Rex qui populum ducere tenetur, & otio quescit, nihilque in munere suo prodest, non Rex, sed *Regis* ūbra & spectrum iudicatur. Quasi nemo esset, reputatur ab omnibus, & munere vacuus tantum nomen resonat. Sic Dauid parta victoria de Rege Soba iugales currus, quos in prędam assunpsit, exarmauit, & equos qui ipsos vehebant, interfecit. *Subneruauit* (inquit text) *amnes iugales curruum*. 2. Reg. 8. Vbi Abulens. quæst. 8. equos occidisse putat. *Credendum est autem magis, quod non solum isti equi subneruabantur, sed etiam occidebantur: quia fruſtra esset, imo nociuum, facere equos impotentes ad opera, et relinquere eos ad fruſtra vorandum segetes.* At cur capta pręda equi occiduntur, & non ad alios vsus reseruantur? Quia nimirum equi & currus destinabantur ad bellum, subnervati suo muneri non poterant satisfacere: merito ergo occidūtur, quia vita frui non merentur, qui muneri, ad quod eliguntur, non incūbunt: fruſtra enim deuotarent segetes, qui iam bellicis vsibus erant inepti. Superflue diadema splēdet in Principe, qui sua negligit, & titulum tantum sine munere portat. Qui enim quę debet facere omittit, superuacaneus in mundo est, & non esse creditur.

Barradas

2. Reg. 8. v. 4.

Abulensis

Christi mirificis operibus auditis misit Ioannes discipulos suos ad Christum, vt ipsum scisciterentur: *Tu es qui venturus es? An alium expectamus?* Matth. 11 v. 3 Huius modi autem verba aut Ioannis incredulitatem indicant, aut ipsius ignorantiam arguunt:

196

Matth 11. v. 3.

nam

nam inter se adversantur, & implexa contradictione id ipsum destruunt, quod supponunt; nam si Christum alloquuntur legati, quomodo interrogant, an sit venturus? Si enim ille est, qui venturus erat, iã plane venisse fatentur, quandoquidem illum tanquã Messiam alloquuntur: ergo iam venisse affirmant, dum cum illo fabulantur; & venisse negant, an venerit, interrogantes; atque sibi ipsis contradicunt. Tamen vtrumque optime cohęret: quia cum Christus fere triginta annorum spatio lateret, neque negotio, ad quod venerat, intenderet, forsitam quasi non venisset, reputabatur. At cum præclara opera facere incæpit, tunc primum venisse dicitur. Vnde sapienter interrogãt, an venerit? Quia vsquedum muneri suo satisfecit, non venisse credebatur: quia non esse existimatur, qui muneri ad quod nascitur, non intendit. Sic vbi Iosue. 5. præcepit Deus: *Fac tibi cultros lapideos, et circuncide secundo filios Israel.* Caietanus ex Hebręo legit: *Fac cultros acutos:* quod deinde sic expendit: *Nec sis ita rudis, vt intelligas, faciendos nouos gladios, sed tunc acuendos.* Si ergo iam facti erant cultri, & tantum acui Deus præcipiebat, cur scriptura fieri testatur? *Fac tibi cultros.* Quoniam proprie fieri dicuntur, cum iubetur acui: cultri enim qui inepti erant ad suum officium fungendum, nec secare poterant, fieri denuo dicuntur: idem enim erat illos acuere, ac primum facere: quia non factum reputatur, quod ministerio suo non inseruit, vt habet regula illa: *Si re priueris, nec nomen habere mereris.* Per se igitur omnia Princeps, quæ ad ipsum spectant, debet perficere, vt Regis titulum mereatur, vt homo, non hominis vmbra reputetur. Non suam voluntatem in alterius arbitrium compromittat, sed à seipso omnia peragat, nullaque ambitio regale sceptrum à propria manu subripiat. Sic enim vbi Deus homo factus hominum imperium acquisiuit, in propria manu retinuit, ibique regię maiestatis fortitudinem omnes agnouere, vt pulchre canebat Vates. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Hic. v. 4.

Iosue. 5. v. 2.

Caietan.

ANNOT. XXXXIV. MORALIS.

DEVS CVM SVPPLICIA INFERT, quodammodo naturam mutare videtur.

PLANE Dei natura benefacere est: nam cum summa bonitas sit, naturaliter munificus, & liberalis est, vt enim dixit Seneca lib. 1. de beneficijs cap. 1: *Cum benefaciunt, vtuntur Dij natura sua.* Vnde vbi ad mala inferenda accedit, violenter fertur, & quasi ab alio noxiam naturam mutuet, propriam dissimulare conatur, & sub alterius persona latet, vbi ad vindictam prouocatur. Sic vbi ad Abraham diuertit beneficia largiturus, sub triplici persona Trinitatem ineffabilem exprimente apparuit, idque meridie, vt omnibus innotesceret: cum vero accessit ad Loth supplicia inflicturus, duabus Angelicæ naturæ personis repręsentatur, & vespere aduenit, vt noctis obscurirate cęlaretur, quasi erubescens, & videri recusans. Quod optimè notauit Glosa Græca ad cap. 18. Genes. *Ad Abraham tres Angeli, et meridie veniunt; ad Loth duo tantum, et vespere: quia vbi beneficia Dei explicantur, Deus adest: vbi vero supplicia exercentur, Angelos mittit, vt sciamus, Deo benignè facere iucundum, et placitum propriè esse; vlcisci vero Deo ingratum esse.* Idemque habet D. Ambrosius. *Vbi gratia largienda est, Christus adest: vbi exercenda seueritas, adsunt ministri.* Sed adhuc mẽ tem pulsat, quod vbi supplicia inferre Angeli venerant, duo mittantur. Si enim Deus non Trinus voluit apparere, cur duos Angelos mittit, cum vnus sufficeret id exequi, quod vtrique commendatur? Ad quid multiplicantur ministri, & vbi potentissima cuiusque Angeli virtus muneri incumbere sufficiebat, duo designantur? Suspicor, vt quodammodo Deus suam occultaret naturam, & veluti alienam sumeret ad exercendum supplicium:

197

Seneca.

Gen. 3. v. 8.

Gl. Græc.

Ambros.

est

est enim Deus Trinus & vnus, & sub hac naturali forma apparuit Abrahæ, quando dona largiri venerat: at quando nefandas ciuitates venit puniturus, vt Deus apparere recusat, & ita nec vt vnus, nec vt Trinus ibi conspicitur. *Duos Angelos mittit*, vt naturā quodammodo mutare videretur, siquidem nec vt vnus, nec vt Trinus apparet: personarum enim ac naturarum dualitas *Diuinitati* obstat: proindeque in duabus personis irā exercet, vt alterius naturæ videatur consors, vbi benefacere desinit, & vindictam sumit.

197

198 Postquam Prothoparentes in noxā cecidere, accessit Deus de vltione cogitans, cuius infensam vocē, qui peccauerant, absconsi audiunt. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam.* &c. Gen. 3. v. 8 Abulensis ex Hebræo vertit: *Et cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso contra auram.* Quasi vim faceret Deus, vt ad criminosos plectendos accederet, & venti, qui obsistebat, impetum vinceret. Quis non miretur, Deum tam humano more se gerentem aspiciens, vt aeris afflatu impeditos gressus sentiat, & à contrario vento retardetur? Quis Deum esse credat, cui aer resistit, & tardigrado cursu paradisum deambulat? Vbi vestigia aeris leuitate impediuntur, vestigia nulla *Deitatis* apparent: nam corporis moles, non spiritus agilitas, aere præpeditur. Cur igitur tam gestit Deus non Deum agnosci, vbi in paradiso ambulat? Auscultа Abulensem *Qui contra ventum ambulat, tardius mouetur: sic Deus ad puniendum peccatum primorum Parentum tardius veniebat: quia Deo misereri proprium semper est, et parcere.* Dissimulabat se in ipsa Diuinitate *Diuinitas*, & cui proprium est misereri, tam improprium iudicauit inferre supplicia, vt naturam dissimulare conetur, & non Deum, sed hominem apparere, violentiam, quam patiebatur, vi, quam ventis inferebat, exprimens: nec enim tā ab aere, quā à se ipso detinebatur, qui personā cogebatur īduere alienā, quia alienū munus venerat exercere.

Gen. 3. v. 8.

Gl. Græc.

Ambros.

Abulens.

Isaiæ 7 v. 20. *In die illa radet Dñs in noua cula conducta in his, qui trans flumē sūt in Rege Assyriorū caput, et pilos pedū, et barbā uniuersā.* Minatur Deus in hoc vaticinio Senacherib graui illo captiuitatis supplicio, quod cōtigit Regis Ezechię tēpore; erat enim tūc (sicut & nūc) barbā & capitis capillos radere seruitutis signū, quo iniquū plectere Deus decreuerat. Verū quo pacto dicitur Deus nouaculā conducturus ad huiusmodi suppliciū inferēdū? Forte Deus ille est, quē fingebat Epicurus, omnino inermis, vt flagitiosos puniat? Hæc enī cogitatio demētia esset, vtop timè demōstrat Senec. lib. 4. de ben c. 19 *Tu deniq; Epicure Deū inermē facis, omnia illi tela, omnē detraxisti potē tiā, etne cuiquā metuēdus esset, proiecisti ui extra motū.* Si igitur Dei iustitia nō inermis est, sed ad quęcūq; exequēda potens: cur nouaculā Deus cōductā assumit, vt peccatori meritā pœnā infligat? Et dato quod Epicurus delirāne dixit: si Deus nouaculā, & alia arma offensiua nō habebat, cur non potius illa emit, quā cōducit? Hæc enim mē dicitas non Dei, sed hominis sapit naturam. Egregie S. Martyr Bertarius dubio 87 in vetus testamētum huius conductionis causam assignat: *Quia Deus* (inquit) *apud se puniendi instrumenta non habet, neque vult habere.* Exinde non Deum esse, quem machinabatur Epicurus, conuincitur, quia instrumenta punitionis non habere dicebat: & nihilominus piè auder B. Martyr affirmare, Deum armis carere, quibus hominem feriat, ipsisque vti conductis, vbi agitur de supplicio: quasi Deus pœnam respiciens alius sit, & naturam mutet: nam cum sit certum Deum non esse, si inermis foret, inermis vult videri, ne Deus reputetur, cum mala hominibus infert. Nulla apud se arma habere perhibetur, & cum ipsis indiget, conducere opus est, vt non à se videantur pœnæ quas iustitia exigit. Id ipsum in eodem Propheta satis expressit: nam vbi de suplicio Leuiathan agitur

Isaiæ. 27. v. 20.

Epicurus

S.

S. Bertar.

Isaiæ.27. v.4. cap.27.v.4. ait ipse Dominus: *Indignatio non est mihi: quis dabit me spinã, et veprem in prælio?* Vbi D. Hieronym. Deum agnoscit infensum, & putat, velle sibi indignationem infundere, clementiam & humanitatem excutere, quia se ipsum ad vindictam accitere non poterat. *Hierony.* *Aut ergo Deus* (inquit Hieronym.) *quis me faciet durum atque crudelem, vt vincam naturam meam?* Ecce vbi Deus plectere intendit, arma ab alijs mutuare procurat, non tam vt inimicos ferat, quàm vt propriam naturam vincat: quia naturaliter inermis videtur, & alterius persona indiget, vt sceleratis infligat supplicia.

199 Hinc enim vbi de supplicio agitur, cunctanter procedit, quasi impotens esset ad exequendum, quod iustitia dictat. Ciuitatem Iericho destructurus præcepit, arcam portari Sacerdotum humeris circa mænia ciuitatis *Iosue.6. v.5.* sex diebus: *Septima autem die* (dicebat) *muri funditus corruent ciuitatis.* Iosue 6. D. Chrisostom hom.26. super cap. 23. Matth. hunc locum conferens cũ illo Gen.2. *Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat:* *Gen.2. v.2.* miratur, quod Deus septem dierum spatio mundum condat, & totidem diebus indigeat, vt ciuitatem vnam diruat. Nonne eadem potentia, quæ vniuersum ex nihilo patrauit, prostrauit Iericho? Quo ergo pacto eodẽ temporis spatio, quo mundum parturiuit, indiget, vt ciuitatem vnam evertat? *Chrysost.* Auscultа Chrysostom. *Mundum vniuersum sex diebus construis, et vnã vrbem septem diebus dissoluis? Velox Deus extruens, tardus Deus destruens: illud potentiæ; bonitatis istud.* Nisi Deus æqualis omnibus attributis sit, & æque semper in omnibus sibi cõstet, nõ Deus est: at tantum sua bonitate ad clemẽtiam propendet, & à vindicta retardatur; vt quodammodo ad ipsam videatur impotens, & minoris potentiæ appareat, cum supplicia infert, quam cũ beneficia largitur. Illa eadem virtus, quæ valuit mundum septem dierum tempore extruere, eisdem indiguit, vt vnicam ciuitatem destrueret: quasi alia hic esset potentia, & non Deus vtrobique operaretur. Hoc ipsum in mundi euersione liquet inspicere, qui in quadraginta dierum spatio naufragauit. *Facta est pluuia super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus* Genes.7.v.12. *Genesis.7. v.12.* Quod sex dierũ curriculo fuit extructum, quadraginta dierum mora abijt in ruinam; cum tamen facilius, quam ædificare, sit destruere, eademque in vtroque euentu intercedat potentia: quia Deus sic iustitiæ executionem refugit, & misericordiæ liberalitatem exequitur, vt alter videatur, cum punit, alter, cum benefacit. *Sex diebus* (inquit Oleast.) *cuncta creauerat, quæ quadraginta diebus delet: vt ostendat, quam difficile illi sit peccatores punire.* Sic vbi Iudæorum flagitia plectere accedit, quasi erubescens Deũ videri, & omnipotẽtem in supplicijs apparere, fortitudinẽ & potentiã abscondit, vt non beneficæ Dei naturæ, sed alterius punitio videatur. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Hic v.4. *Oleaster.*

ANNOT. XXXXV. MORALIS.

PLVRA DEVS, QVAM EVVLGAT, hominibus confert beneficia.

200 VACVE Homines de suis operibus gloriantur, & blaterantes extollũt, quæ parui aut nullius sũt momẽti: beneficia & fauores, quæ guttatim præstãt, magno verborũ strepitu exaggerãt, & plus vane euulgãt, quã in re conferunt. Nõ sic Deus, qui rerũ apparẽtias fastidit, & in ipsarum veritate cõplacet: nõ garrit, quę largitur, rebus sẽper verba superat, & plus exhibet, quã promittit. Quod optime notauit Orig. ho.9. sup. c.17. Nu. nã vt electionẽ Aaronis in sũmũ Sacerdotẽ & sibi gratam, & populo proficuam demonstraret, præcepit, vt quæ germinasset virga ex in sãctuario appositis, asseruaretur. *Quem ex his elegero* (inquit textus) *germinabit virga eius.* Numer.17.v5. Virgã electi florere, & in folia erumpere, quin obstaret ab arbore esse præcisam, pollicebatur Deus. Iã *Num.17. v.5.*

ergo

ergo duodecim virgis, inter quas virga Aaronis erat, in loco sacro collocatis, cum Moyses comitante populo sequenti die venisset, Aaronis virgam pullulasse folijs vestitam, floribus ornatam inuenit, & quod plus est, onustam fructibus. *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domi Leui, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amigdalas deformati sunt.* lib. v. 8. Disruptis temporum moris, repentina vitæ lucra arripuerunt fructus, & intempestiuè auulsam virgam exornarunt. Verũ si promissionis memoriam refrices, tantum folia Deus fuit pollicitus, eaque miraculosè pullulata electionem confirmare sufficiebant: ad quid igitur superadduntur fructus, si promissio folijs tantum adimplebatur? Forte populus, qui vltra promissionẽ signa videbat, an Deus ipsa daret, ãbigeret? Vt quid igitur plus Deus in executione cõfert, quã in pollicitatione promiserat? Paucis verbis rẽ dirimit Origenes. *Vt eum largiorem in præstando, quam in promittendo videamus.* Sat esset, vt Deus promissa adimpleret, à virga folia erupisse, non vero, vt suæ naturę satisfaceret: nam semper verba opere superat. Verax esset, & fidelis, si quod pollicebatur, tantum præstaret: sed non iam liberalis videretur, quia ex debito iustitiæ stare debebat promissis. Ne autem sibi esset ingratus, quod promissionem excedebat, contulit: nec tam hominibus, quã sibi liberalis extitit non promissa largiendo.

Genesis. 7. v. 12.

Vers. 8.

Origenes.

200

201 Solers ille Paterfamilias, Deus inquã, exijt primo mane cõducere operarios in vineam suam, obviosque primum, denarium pro mercede promittens, conduxit. *Conuentione autem facta cũ operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Matth. 20. Iterum atq; iterũ conducere alios operarios exijt circa horas tertiã & nonã, dixitque illis: *Ite et vos in vineã meã, et quod iustũ fuerit dabo vobis.* Sub incerto pacto vltimos operarios conduxit. Cur non cum illis paciscitur, sicut cum primo conductis, & iustum tantũ reddere pollicetur? Præstaret conuẽtionem facere, ne postea cũ ijs, qui primo venerant, murmurarent, & inciuiliter de inęqualitate mercedis cõque rerẽtur: nihil enim satisfacit sine pactione operanti. Ausculta D. Chrysostom. hom. 35. operis imperfecti. *Istis autem non fecit pactum: quia tantum paratus est tribuere, quantum mercenarij recipere non sperabant.* Non paciscitur, quia vltra merita mercedẽ erat largiturus: præmium ex iustitia repẽdere pollicetur, & laborum æqua lance compensare mercede, vt verborum postea promissionem excedat, & vltra iustitię mensuram merita remuneret. Vniuscuiusque labor integro denario rependitur, cum tamen illud non promeruissent: quia eodem bracuio, qui tota die laborauerant, remunerantur ex iustitia, vt quod ore prædixerat superabundaret in opere; integri enim denarij donatio iustitiam refutat, quia ipsam superabat, & promissionem excedit, quia iustum tantum reddere erat pollicitus. Ne autem Deus, qui non liberalis, sed iustus mercedem conferens labore pro meritam videbatur, si bi illiberalis esset, & promissionis mensuram, & accipientis vota largiter excesit.

Matth. 20 v. 2.

Vers. 4.

Chrysost.

202 Exorauit quidam Regulus Iesum, vt in domum suam cito descenderet, quia eius filius, qui infirmabatur Capharnau, morti erat proximus, & iam eam præguſtare incęperat. *Domine descẽde, priusquã moriatur filius meus.* Ioan. 4. Cui Dominus: *Vade, filius tuus viuit.* Non bene (opinor) Cẽturionem Dominus exaudiuit, siquidẽ pro votis ipsi non respondet: ille enim non filiũ existimabat mortuũ, quamuis morti esset proximus, ipsiusque non vitam, quam habebat, sed salutem, qua erat orbatus, postulabat. Cur igitur Christus non sanũ esse dicit, sed viuũ; non valetudinẽ promittit, sed vitã? Ni si dicatur, mortẽ iã in parte incurrisse; *incipiebat enim mori*, præmisit Euangelista: quia à natiuitate homo moritur, & vix prima vitę lucra accipit, cũ mortis ingreditur ditionem. O plane verũ: diurno interitu morimur, prolixo

Ioann. 4. v. 49.

Vers. 47.

Num. 17. v. 5.

curriculo decedimus. Sed philosophi cè rem agamus. Mors in instanti tota peragitur: homo cum mori incipit, nō homo est, sed cadauer. Cur igitur Christus eum, qui viuebat, viuere affirmat, & Centurioni de salute filij solicito, non de vita, vitam, non salutem promittit? Maximè cum vtramque conferebat. Acute Caietanus. *Filius tuus viuit. Minus quidem dicit, quam significat: nam dicit viuere, et significat sanū esse.* Hoc enim Dei genium est, promissionis verba & optantis vota beneficio superare. Non salutem pollicetur, sed vitam, vt salutem extra promissionem accipiat, & plus in re conferat, quam in promissione præmiserat. Verba ipsius beneficentia sunt gravida, & plus significant, quam significare videntur, resque voces valde superant. Sic Israelitis sua præcepta exequentes de inimicis victoriā reportare pollicebatur. Leuitic. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis* &c. *Persequētur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia: cadēt, inimici vestri gladio in conspectu vestro.* Magna promissio, & quę non vltra posse extendi videbatur; & nihilominus factum pollicitationē exceſſit: etenim maiora præstitit, quam promisit: nam cum promiserit, à quouis Hebræorum centenos hostiū, & à centenis decies millenos superandos esse; tamen postea effecit, vt à singulis milleni, & à binis decies milleni vincerētur: quod Moyses demiratus, & pene incredulus repetiuit Deutheron. 32. *Quomodo persequatur vnus mille, et duo fugent decem millia?* Euentus promissionem excesit: quia Deus plus, quam pollicetur, largitur.

Caietan.

Leuit. 26. v. 8.

Deuth. 32 v. 30.

203 Hoc ipsum ingenium hauserunt, qui in schola Dei sunt instructi. Apparuerunt olim pio Patriarchę Abrahamo tres viri, quos perhumano excepit hospitio, illosque ad bucellam panis inuitauit. *Domine, si inueni gratiā in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, et lauate pedes vestros, et requiescite sub arbore, ponamque bucellam panis, et confortate cor vestrum: postea transibitis.* Gene. 18. v 3. Ad bucellam panis obsequiosus Abraham hospites suos inuitat: cūque ipsi illius desiderio annuerent, ad mensam discumbentes solemne conuiuium paratum inuenere. Auscultat text. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera; tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes; ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimū, et optimū, deditque puero, qui festinauit et coxit illum: tulit quoque butyrum et lac, et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis.* Hæc est bucella panis, ad quam hospites inuitaueras bone senex? Potius solemne, & opiparum dixeris conuiuium, ad quod totam domum conturbas. Cur tam pauca polliceris, vbi hospites allicere, & ad diuertendum sub arbore inuitas; & tam magna porrigis, postquā tecū remanēt? Cur saginatum vitulum, butyrum & lac bucellam panis vocas, & promissionem superabundanter excedis? Audi Oleast. *Plura iusti semper exhibent ex bonis, quam promittant: inuitat eos ad bucellam panis, et instruit solemne conuiuium; non sic impij, sed cum multa polliceantur, perpauca exhibent.* Cœlesti doctrina eruditus, & diuina æconomia instructus pauca Abrahā pollicetur, & multa donat, vt & accipientis spem, & promissionis debitū factum superet. Non sic impij, qui patris dæmonis versutia imbuti ipsum imitantur, & ex ampla promissione parum aut nihil exhibent. Sic ille verbis infidus Christo omnia promisit, si pronus in terram ipsum adoraret: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Euidens quidem signum, nihil alijs dedisse, quibus spoponderat, siquidem omnia integra habet. Detrahit enim semper à promissione et fidē & factum: Deus autem sub limitata promissione magnum & exedens postea beneficium conferendum occultat. Sic mirabile Redēptionis opus, vbi ad nostrā Diuinitas veniebat salutem, sub forma hominis latuit, vt plus in re conferat, quam videbatur largiri. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Hic v. 4

Genes. 18. v. 3.

Verſ. 7. et 8.

Oleaſter.

Matth. 4. v. 9

AN-

ANNOT. XXXXVI. MORALIS.

LACRYMABILIS DOLOR A VITA mortem mutuari.

204 ADVERSA infelicitari fortuna regulare est, nec animus à nouitate meret, sed ab infelicitate torquetur: verum secunda periclitari fortuna, post deuictam ingruentẽ tempestatem in portu naufragare vltima calamitas est. A lethali mortis falce mortem subire tolerabilis est infelicitas, quia non præter spem ferit, non armis abutitur; verum ab ipsa vita mortem pati, ab ipsa felicitate infelicitari, ipsa infelicitate est infelicius, ipso suplicio grauius. Nihil tam infortunatum potest accidere, quam rerum naturas ad excidium experiri mutatas. Vbi de suppliciorum acerbitate agitur, statim occurrunt duo illi Aaronis filij Nadab & Abiu in exemplum Dei furoris relicti. *Arreptisque* (inquit text.) *Nadabet Abiu filij Aarou thuribulis posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressusque ignis à Domino deuorauit eos, et mortui sunt corã Domino.* Leuitic. 10. v. 1. Variè huius supplicij circunstantię ipsius acerbitatem exaggerant: subito, & absque temporis mora, & contritionis beneficio moriuntur: igni voraciſſimo elemento, & seuero ministro criminis vindicta commendatur: patris merita apud Deũ benè accepta non ipsis proficiunt, neque pœnitentię locum obtinent. Verũ non hæc seueritatẽ vltimo extollunt, sed locus & officiũ, à quibus mortale supplicium erupit, quod subtiliter pensitauit Chrysolog. ser. 26 *Nadab et Abiu Sacerdotes filij Aarõ Sacerdotis dũ contaminare externo igne altaria præsumunt, consumuntur incẽdio, vt sumerent de sacrificio pœnã, qui fecerant de propitiatione peccatum.* Altare propitiationis locus est, in thuribulo illex misericordię ignis accenditur, qui thure aspersus placitũ Deo suffitum exhalat: quia ergo his instrumẽtis pietatis Sacerdotes patrauere peccatum, sapiens ignis in loco sacrificij illos cõbusit, vt qui crimen in loco veniæ cõmiserãt, pœnã in remissionis loco paterentur: quæ sane lacrymabilis fuit infelicitas, ab aris, qui sacrificat, condemnari. In loco, vbi vitę semina iaciuntur, mortem colligere, suoquemet pretio ensem, quo figatur, mercari, in portu naufragari, nihil infelicius.

Leuit. 10. v. 1.

Chrysol.

Morte Saul & Ionathæ audita Dauid generosa indole præditus mõtes, vbi ceciderũt, dãnauit, anathemate & maledictionibus impetiuit. *Mõtes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat super vos, neq; sint agni primitiarũ: quia ibi abiectus est clypeus fortiũ, clypeus Saul, quasi nõ esset unctus oleo.* 2. Reg. 1. v. 21. Terrã, quę interfectorũ sanguinẽ bibit sterilitate multauit, & quę frugifera antea erat, deinceps nõ tulit fructus, neque cœli pluuiã gustauit. *Montes Gelboe* (inquit Glosa Rabb *Juberrimi ante maledictionẽ fuerunt, quos hactenus maledictioni subiacere ferunt, nec unquã pluere ibi testantur.* Sed quid deliquerũt montes, vt eos Dauid tã acri maledictione impetat, & quasi nõ tã doleat de Saulis & Ionathæ morte, quam de loco, vbi contigit, non occisores maledicit, sed terrã, quę ipsos cepit? Si innoxij mõtes erãt, & neq; arma neq; insidias ad bella ministrabãt, cur tanquã criminis reos illos dãnauit Dauid? Pulchre Philo lib. 2. allegoriar. causã huius auersionis indigitat. *Naturaliter enim* (inquit) *mõtes ad celãdos fugitiuos sunt appositissimi, et nõ ad perdendos.* Piè ergo doluit Dauid, merito cõtra montes irascitur, magnoq; ingemuit affectu, eo quod in mõtibus vbi sẽper vita seruatur, feralẽ mortẽ Saul & Ionathas inuenerint. Vehemẽti dolore pũctus iusurgit in mõtes, eo quod refugiũ alijs pręstitũ in exitium Saul & Ionathę verterũt, vitæq; tutamẽ mortis effectũ est instrumẽtũ: hęc enĩ vltima infelicitatis est meta, à vita mortẽ hauriri, & à securitate periculũ

205

2 Reg. 1. v. 21.

Philo.

De supplicio illo grauissimo, quo Deus per Moysem puniuit AEgyptios, aquam in sanguinem conuertens, locutus sapiens dicebat: *Pœnas passi sunt inimici illorũ à defectione potus sui, et in eis cum abundarent, filij*

206

Sapient. 17. v. 5.

Israel lætati sunt. Sapientię 11. v. 5. At quomodo lætantur Hebręi ipsa plaga, qua puniuntur AEgyptij? Forte complacent in proximi infelicitate, & de aduersa inimicorum fortuna lætantur? Eadem plaga hilaris & proficua fuit Hebręis, noxia & exitialis AEgyptijs? Vnde in vna re tam aduersi effectus? Ausculta Lyram. *Quando hauriebant Hebræi de flumine, statim quod hausturn erat, reuertebatur ad naturam potatibilis aquæ, et sic lætabantur filij Israel de Diuino beneficio: nam ex eodem fluuio AEgyptij affligebantur, et filij Israel reficiebantur.* Hac igitur plaga durius, quam cæteris AEgyptus fuit percussa: ab eisdē enim aquę fluentis vitam Hebręi, mortem hauriebāt AEgyptij, & salutares vni populo aquę, alteri exitiales erant: vbi vnus bibebat vitam, alter deuorabat mortem, quo vltra infelicitas progredi nequibat: nam vbi remedia officiunt, lethalis infirmitas est. A vita mortem mutuare vltima omnium calamitas.

Lyra.

207 Vbi Christus Dominus de bono exemplo proximis præbendo agebat, vt scandalosum terreret, aiebat: *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Lucæ 17. v. 2. Cur obsecro, non quicumque lapis, sed molaris appendendus est collo eius, qui scandalum simplicibus præbet animabus? Non sat erat quodvis saxum, onerosaue sarcina, quę decliui præcipitio baiulantem impelleret in profundum? Ad quid lapide molari scandalizans proximum est plectendus? Venuste Chrysolog. serm. 27. & ambigit, & resolvit. *Quare non lapis, sed lapis molaris? Quia lapis molaris dum triticum terit, dū farinam fundit, à polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui elegit minister scandali magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos mortis conuertit in scandalum.* Lapis molaris panis minister est, qui vitam alit, & sustentat: grauissimum ergo supplicium, & omni ponderatione maius est, quod vitæ instrumentum mortis instrumentum fiat; sed ei aptissima pœna, qui è vitæ ministro feralis mortis instrumentum efficitur, dignusque, vt à vita mortem hauriat, & à sustentaculo ruinam. Huc spectat, quod Hieronym. de Iuda dixit ad illa verba Matth. 27. *Vt quid perditio hæc? Perditus* (inquit) *de salute perditionem inuenit, vt in ficu fructifera mortis laqueum nanciscereturi.* Quasi dicat: In arbore, ex qua dulces ac suaues fructus quisque accipit, Iudas suspendium inuenit, quo nihil miserabilius. Merito igitur vt Iudæorum infelicitatem exaggeraret Vates, ante Christum, qui vita est, mortem ire prę nunciauit, vt vnde fidelis vitam trahebat, traheret Iudæus mortem. *Ante faciem eius ibit mors* &c. Hic v. 4.

Hieron.

VERS. 6 *STETIT, ET MENSVS est terram. Aspexit, et dissoluit gentes, et contriti sunt montes sæculi. Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.*

ANNOTATIO XXXXVII.

EXPOSITIO LITTERAE.

208 SOLENT victores terram victoria sua partam metiri, vt suis distribuant militibus, & auxiliaribus: ita fecit Iosue Numer. 34. & Iosue 13. Ad hoc videtur Vates alluisse, dū Deum profligatis inimicis terram metientem introducit. *Stetit, et mensus est terram.* Non autem quia victor euasit, victoriarum cursum velocem Deus cohibuit, ipsam enim secundam fortunam fuit prosecutus, donec terram Chananitidem populo subiecit Israelitico. Ly enim *stetit* aut Deum non velociter veniisse ad terram promissam, sed per quadraginta annos, quibus in ea demoratus est, significat: aut victoriam consummasse, indicat: nam (vt hoc loco docet Cyrillus) *stare* est opus aliquod, aut datum sibi nego-

negotium absolvere. Tũc enim stetit, & pugnare desijt, cum Hebræis liberam, & ab incursionibus immunem terram Chanaan reliquit.

209 *Aspexit, et dissoluit gentes, et contriti sunt montes sæculi.* Hyperbolica hæc locutio est, qua frequenter significamus, faciliter à nobis aliquid præstari posse: estque familiaris, & prouerbialis hyperbole prophanis, qui omnia quamuis ardua & impossibilia sint, alicuius tantum oculorum aspectu fieri dicunt, sicque prophanos Deos omnia intuitu labefactare posse credunt. Id autem præcipuè Ioui attribuit delusa Gentilitas. *Horatius.* Sic Horatius Oda 1. lib. 3. *Cuncta supercilio mouentis.* Sic Catullus *de nuptijs Pelei* Ionis nutui vniuersi orbis tremorem atque concussionem tribuit.

Catullus. *Annuit inuicto cœlestum numine Rector,*
Quo tunc et tellus atque humida contremuerunt
AEquora; concussitque micãtia sidera mundus

His Magistris accessit Ouidius 1. Metamorf.

Ouidius. *Terrificam capitis concussit terque quaterque*
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera mouit

Idem. Idemque Ouidius 2. Fastor. de Ioue lõcutus ait.

Nutu tremefactus vterque est Polus,
Et cœli pondera mouit Atlas.

Eamdemque commotionem Neptuni terrifica ira fecit metamorf. 1. *Ipse tridente suo terram percussit, at illa intremuit.* Et clarius Virgilius AEneid. 9. iratum Iouem, & ad ipsius intuitum quatientem terram introducit.

Virgilius. *Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum*

Hoc ipsum, quod de fabulosis numinibus hyperbolice antiqui dixere, verissime de Deo Propheta affirmat, vt nihil ipsi difficile esse significet. Quod cecinerat Dauid Psalm. 103. *Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant.* Et Ecclesiastic. cap. 16. v. 18. *Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus, et vniuersa terra, quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul et colles, et fundamenta terræ, et cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Hoc autẽ eo tempore, quo auspice Deo promissionis terram ingressi sunt Hebræi contigisse, perspicuè ex sacra pagina constat, sic Exod. cap. 15. v. 14 *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm: tũc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Qui enim in nostro Vate montes, hic Principes appellantur. Est ergo intelligentia, quod sicut olim infensis Deus oculis aspiciens Chananæorum dissoluit vires, eneruauit animos, sic etiam Iudæos respiciens, & vindice assumpto Chaldæorum Rege illos reddet inermes, confractos & exanimes; neque ad hoc peragendum machinis bellicis indigebit, sed sat erit oculorum offenso obtutu in eos intendere

Ecclesi. 16 v. 16.

Dxod. 15. v. 14 et 15.

Et contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi. Iter faciente Domino per montes, & colles contremuerunt, & apparuerunt curuati, vt solet in magnis terremotibus fieri. An vero hoc aliquando proprie contigerit, & re vera contriti ac incuruati montes & colles fuerint, non eadem est omnium sententia: opinor tamen sic realiter accidisse. Deumque re vera montes contriuisse, & incuruasse colles, vt Hebræi ab AEgyptijs insecuti iter haberent expeditum & planum. Quod efficaciter persuadent illa verba Psalm. 113. *Montes exultauerunt vt arietes, et colles sicut agni ouium,* & infra, *A facie Domini mota est terra.* Hic enim propriè, & non figuratè dicitur mare retro fugisse, & retrorsũ abijsse Iordanis, & petram in aquarum stagna conuersã. Similiterque intelligendum est, terram fuisse motam, & montes sicut arietes exultasse: quod non lętari hic, sed extra situm suum & sedem salire significat. Et sane Numer. 12. scopuli inclinati dicuntur. vt Israelitæ acquiescerent in Arnon, ibique terrã fuisse commotam habetur Iudic. 5. v. 4. *Domine cum exires de Seir, et trã-*

210

Psal. 113. v. 4.

Iudic. 5. v. 4.

sires per regiones Edon, terra mota est. Etenim hoc proprie esse intelligendũ id persuadet, quod ibidem dicitur, id montibus accidisse, quod olim mari Rubro. *Sicut fecit in mari Rubro: sic fa-ciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentiũ inclinati sunt.* &c. Vt ergo vere mare fuit diuisum, & via Israelitis ad trãsitum planatis sic diuisi ac inclinati montes clausam antea viam Hebræis aperuere. Sic sentit Abulens. ad cap. 5. Iudic. quæst. 2. In montibus autem Principes adumbrari, qui excelsum locum tenent, ipsa montium natura satis manifestat. Accipiuntur igitur hic montium atque collium nominibus Reges & Principes, & quicumque diuitijs, viribus, vel sapientia & consilio inter cęteros homines eminent: nam cum totam hominum turbam, atque adeo genus ipsum humanum terræ nomine sacra scriptura appellare, & significare sit solita, fit, vt mõtium atque collium vocabula excellentibus ac summatibus viris aptissima coaptatione competant, cum mõtes & colles in terra altiores sint, & in altum attollantur. Sæculi autem mõtes, & mundi colles vocat Propheta vetustissimos terræ promissionis indigenas, aut Dominos etiam, ac Principes, Potentiores denique à sæculo viros famosos, vt dixit Moyses Gen. 6. sæculum enim, aut æternum nonnunquam Hebræis longissimam durationem significant. Hic ergo propter generis antiquitatem, & diuturnã amplissimi tituli possessionem montes sæculi vocantur Principes & Dynastæ.

Abulens.

211 *Ab itineribus æternitatis eius.* Idest propter itinera æternitatis eius. Itinera inquam illa, quæ Deus populo aperuit à sæculo nunquam calcata, nulli peruia, modo à Deo calcantur, ipsique peruia facta sunt. Per itinera autem Domini eius opera sœpe accipiuntur, vt Prouerb. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Vnde montes appellantur æterni, quia in ipsa mundi constitutione primo fuerunt creati. AEternum autem dicitur primum illud creationis tempus: quare cum aliquid ab antiquitate laudatur, ante montes & colles factũ esse dicitur, vt Prouerb. 8. v. 26. *Ante omnes colles ego parturiebar.* Duo autẽ montium genera spectare possumus: alios æterni sẽsu explicato, quia mundo & sęculo sunt coęqui, & qui à principio mundi permanserunt, & permansuri videntur vsque ad finem immoti; alios casu, aut hominum industria factos, qui facile dissoluuntur: quales fuerunt, quos Nabuchodonosor erexit, de quib. Ioseph. lib. 10. c. 11. Et qui Romę Testaccus appellatur, & quos aggerant commoti ex arena fluctus, quos Syrtes appellamus, & de quorum numero, Solino teste, plurimi inueniuntur in Africa in locis etiam æstuosis & siccis, qui eodem vento cõgregantur, dissoluuntur, & transferũtur. De primis igitur, qui ab exordio mundi creati sunt, loquitur Vates.

Prouerb. 8 v. 12.

Vers. 26.

212 Allegoricus sensus peruius est, facilèque ad Christi tempora hæc inflectuntur. *Stetit, et mensus est terram.* Quia post resurrectionem Christus mortis diabolique victor stetit, terrãque mensus est eam diuidens, cum Discipulis suis dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes.* Ipsosque post Spiritus Sancti aduentum in diuersas prouincias misit partitos, & diuisit eis omnem terram. Quo spectat quod subiungitur: *Aspexit, et dissoluit gentes.* Quia Euangelica prædicatione delusas idololatrię erroribus Gentes aspexit, ipsarumque cęcitatẽ dissoluit per Apostolos suos, qui per vniuersum orbem Euangelicum lumẽ disseminarunt. Nec solum plebis errores dissolverunt, sed & Principes & Reges doctrinę energia contriuerunt. *Et contriti sunt montes sæculi.* Supremos Principes, qui à sęculo regnauerant, & inter cæteros sicut montes eminebant, Euangelij virtute sunt comminuti. Similiterque *Incuruati sunt colles mundi.* Idest, minores Dynastę, & omnes illi, qui quouis modo eminebant. Inter quos præcipue Philosophi & sapientes sunt intelligendi: vtrorumque enim victoriam cecinit

Matth. 28 v. 18.

Isaias

Isaias cap. 40. & repetiuit Ioann. Luc. cap. 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Ab itineribus æternitatis eius.* Ideſt, propter opera eius montes contriti ſunt, & colles curuati flexis genibus Chriſtũ adorauere, quia ipſe, qui æternus eſt, dignatus eſt ad homines venire, vt eos redimeret. Maxime ad hunc ſenſum allegoricum congruit Arabica lectio, quę ita vertit: *Aſpexit, et liquefactæ ſunt gentes, confregit eum ira montes, liquefacti ſunt colles æterni, pro labore viderunt ſemitas eius ſempiternas.* Itinera enim æternitatis lex fuit Euangelica, quæ labore Crucis mundum ſubiugauit, cultumque idolorum, quẽ Theofil. & Theodoret. in mõtibus & collibus intelligunt, quia in montibus altis extruebantur aræ, & immolabãtur victimæ, virtute Crucis confregit, omnemque ceruicem Gentiliũ inſolẽter eleuatam incuruauit.

Lucæ 3. v. 5.

Lectio Arabica.

Theofilat. Theodor.

ANNOT. XXXXVIII. MORALIS.

AVGVSTIOR VIRTVS A NOBILITATE eſt.

213 LABORAT natura, vt filij parentibus ſimiles euadant: nam media ſimilitudine conſeruantur ſpecies, & viuentia quælibet in ſuis fœtibus imaginem ſui imprimunt: hic enim nobilitatis pretium fundatur: nã omnes credunt, parentum virtutes ad poſteros transfundi, maiorumque ſtemmata, & glorioſa trophęa filiorũ animos vehementer inclinare ad eadem peragenda, ſanguinique ſque claritatem ad exemplarem virtutem imitandam plurimum excitare: quia parentum mores in generatione ebibit generoſa proles, vt optime dicebat Plutarch. [apud Stobæum ſerm. 20.] eos carpens, qui naturam nihil conducere ad virtutem affirmabant. *Abſurda eſt ſophiſtarum contra nobilitatem calumnia, quia vulgaria etiam, et omnibus notiſſima non conſiderant: nempe quod generandæ ſoboli gratia generoſi equi, et canes emuntur, item vitium, olearum et reliquarum arborum optima quæque ſemina: homini autem ad futuram ſucceſſionem generis nobilitatem nihil conferre putant; ſed tantumdem valere ſiue Barbaram ſiue Græcã originem. Neque credunt, latentia quædam principia et ſemina virtutis in generatione liberis cõmunicari, vt Telemacho Vliſis, de quo Homerus clariſſimo vocabulo vtẽs dixit: inſtillata patris virtus tibi: tanquã aſſereret, ad paucas ſeminum guttas paternæ virtutis bona confluere.* Virtus enim & vitium per generationis traduces à parentibus in filios deriuantur, & arcano quodã modo ſerpunt. Vnde Euripides apud eumdem Stobæum cap. 88. *Heu, heu, vtillud dixerim recte. probum patre ab improbo non poſſe naſci filium.* Diogeneſque Cynicus cum ebrium in foro vidiſſet: *Illius (inquit) ebrius pater fuit.* Martialiſque epig. ad Catull.

Plutarc.

Eurupid.

Diogenes.

Non miror, quod aquam potet tua Baſſa Catulle
Miror, quod Baſſi filia potet aquam.

Martial.

Et Bautiſt. Mantuan. eleganter cecinit.

Mãtuan.

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor,
Et patris in natos abeunt cum ſemine mores.

In idemque argumentum Nazianz. orat. 36. dixit: *Compendioſa faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt filius: omne enim, quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit.* Et Epiphanius hæreſ. 69. *Non ſolum omne, quod generat, ſimile quid generat: homo hominem generat; ſed etiam qualis eſt homo, qui generat, talis eſt, qui ab ipſo genitus eſt.* Tam vniuocè natura parentum mores ex primit in filijs, vt plerique Theologi cenſeant, ideo Verbum Diuinum Filium eſſe, non autem Spiritum Sanctum: quia Verbum procedit non ſolum vt ſimile Patri Diuino, ſed etiam vt ipſius imago. Vnde præclarè Valer. Max. *Dii boni, quas te nebras à quo fulmine paſſi eſtis.* Quaſi monſtroſum ſit, tenebras à ſplendentibus naſci fulminibus, & ab illuſtribus parentibus infames filios procreari.

Naziãz.

Epiphan.

Valer. Maxim.

Plane ſanctitas non eſt res humanæ 214

næ generationis, sed regenerationis Diuinæ, neque virtus est fœtus animæ generantis, sed gratiæ auxiliãtis opus; tamen plerumque à nobilibus & generosis parentibus illi oriuntur ad virtutem procliues; ab obscuris & abiectis ad vitia propensi: quod si non natura, certè id prouida pædagogia, & exemplaris virtus facit. Mulier illa AEgyptia Iosephi domina, luxuriæ vile mancipium aprehensa lacinia vestimenti iuuenem ad stuprum impudenter solicitat: Ioseph benè castus malè lasciuientem fœminam fugit, & pia obstinatione adulterium recusat, quasi foret impossibile, operique nefario sic contradicit: *Ecce dominus meus omnibus mihi tradidit, ignorat quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possim hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* Gen. 39. v. 8. Mirum plane est, quod vir sanctus (qualis erat Ioseph) non se virtute defendat, & obligatione, qua Deo adstringebatur, sed nobilitate, & gratitudinis generosa indole ad declinandam æstuantis fœminæ versutiam. Licet enim non sit ambigendũ, Iosephũ etiam à Dei timore fuisse cohibitum, ne malum perpetraret (quod Hebræus satis expressit: nam vbi Vulgatus habet, & peccabo in Deum meum, vertit ille: *peccabo Elohim* in datiui casu) adhuc non blandicias refutat Dei timore, sed gratitudine in beneficum dominum. Quid? Fortem in stadio virtutis athletam humani respectus retardant ad peccatũ, & gaudet potius gratus videri, quam Deo obsequẽs? Audi Caietan. *Postquam enim commemorauit beneficia sibi collata ab hero suo, et reuocauit ad memoriã mulieris, quod ipsa vxor esset tanti benefactoris, et intulerat horrendo: Quomodo faciam istud grande malum, tot deformitatibus plenum? Adiunxit, quòd non solum in hominem, in herum, et benefactorem, sed etiam in Deum supremum iudicem peccabit, vt omni ex parte retraheret mulierem ab huiusmodi concupiscentia.* Prius beneficia recenset, quam Dei offensam, vt indicaret, nobilitate animi ad id teneri, quod Deus præcipiebat: nec solum à peccato retrahi, ne Deum offenderet, quod virtus est; sed quia in benefactorem erat ingratus; quod nobilitatis est argumẽtum. Ex generosa animi constitutione ad sanctitatem & virtutem accingitur, & probum se exhibet, ne ingratitudinis næuo fœdaretur.

Genes. 39 v. 8. et 9.

Hebræus.

Caietan.

Totus est Tobias in instruendo filio [cum iam instaret mors] in omni genere virtutis, & pietatis opere, vt videre est in toto eius cap 4. At postquã eum de moribus instruxit, indicat illi debitum decem talentorum argenti, quæ Gabelo in Rages ciuitate Medorum dedit, cuius debiti chyrografum apud se habebat, & instat, vt eo pergat pro repetendo debito: sed prius sic illum affatur: *Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua.* Tobiæ 5. v. 4. Pergit filius quæsiturus comitem, inuenitque iuuenem procinctũ, quasi ad ambulandum paratum, & cum post colloquia se illum in domum Gabeli ducturum promitteret, lętus iuuenem in paternam statim adducit domum, quem cum senex Tobias coram se haberet, sic ipsum interrogat: *Indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui iuuenis: *Genus quæris mercenarij? An ipsum mercenarium, qui eum filio tuo eat?* Quid hoc Tobia? Vis ei spondere filiam, an ducendum cõmitere filium? Cursoris cur genus inquiris? Nõnne solum hoc filio commendasti. *Inquire tibi aliquem virum fidelem.* Id interroga, an sit fidelis? Ad quid nobilitatem generis requiris? Certe hoc ipsum periphrasi illa interrogauerat: nam vix nobilis est, qui fidelis non sit. Vlquedum iuuenis genus indicauit, filium non commisit Tobias: cum enim dixisset, se esse filium magni Azariæ, respondissetque solertissimus senex: *Ex magno genere es tu: sed peto ne irascaris, quod voluerim cognoscere genus tuum:* Tunc filium ipsi commendauit non intelligens, iuuenem esse Angelum (ait Lyra) *Sed quod esset homo filius cuiusdam viri notabilis*

215.

Iobiæ 5. v. 4.

V. 16. et 19

Vers. 19.

Lyra.

rabilis de tribubus Israel, qui sic vocaretur. Tunc enim credidit fidelem ad comitandum filium, quin aliquod ei malum faceret, nec morum eius, de quibus filium instruxerat, aliquid praui inhæsisset: sic enim cum nobilitate virtutem esse deuinctam, existimabat, quasi mores cum sanguine iure hereditario nascerentur. Sic vbi ipsi Tobiæ parentes insultabant, quasi à Deo esset declusus, & nullam pro bonis operibus mercedem reciperet, vt illos ab impia loquela retraheret, dicebat: *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* C.2.v.18 cap.2 v.18. Degeneres arguit animos, & proauorum sanctitate, quasi naturæ debito, parentes ad virtutem inducit: valde enim iuuat parentum probitas, & fere semper filij moribus exprimunt paternam sanctitatem, & ingenitæ nobilitatis virtutem.

216 Vt adorationē Deus à Moyse vendicaret, tres illos parentes, à quibus religiosè fuerat cultus, memorauit. *Exod. 3. v.6.* *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isac, et Deus Iacob.* Exod. 3. Quo audito præ reuerentia & timore *abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Ad quid Deus, qui in rubo maiestatem suam gloriosè ostentat, & se Deum manifeste exhibet mirabilia patrans, quę oculis cernūtur, memoriam parentum Moysi refricat, vt ipsum ad similem cultum adducat? Præclare Caiet. *Caietan.* *Vt se se illū Deum manifestet, qui tot promisit Abrahæ, Isaac, et Iacob, cui hereditario iure tenetur Moyses cultum exhibere imitādo parentes suos.* Expende *hereditario iure*: quasi creata sanctitas æternam & Diuinam imitetur, & communicetur cum sanguine virtus, præclarę prosapiæ pietatem obijcit, & plus quam sua præsentia, proauorum exemplo excitat ad virtutem: quia sicut nobilitas antiquitate decoratur, & stabilitur, sic & virtus, feliciorque & perfectior euadit, vbi progenitorum exēplum instat. Hinc tres pueri illi nobiles de semine regio (Daniel. 3. v. 18) quantumcumque viderint cæteros omnes homines statuam Nabuchodonosoris adorare, & flexo poplite cultum exhibere, ipsi fortes fide, impietatem recusarunt: quod Theodoretus sorat 3 in Daniel. ad ingenitam ipsorum nobilitatē tot virtutibus illustrem refert. *Theodor.* *Videbant omnes imperata facientes, qui et metu et voluptate seruire consueuerant; soli autem beatissimi illi adolescentes patria nobilitate incorrupta, in ipsa etiam seruitute retenta renuerunt adorare; vera enim nobilitas etiam in captiuitate captiuos detinet nobiles, ne à nobilitate in seruitutem degenerent, et religione deficiant.* Virtus, quæ à parentibus in posteros deriuatur, stabilior est, & quodammodo generosior, pia maiorum fides & religiosus cultus firmius propagantur. Sic vbi filij Israel tabernaculum testimonij sistere intendebant, illud in sorte Ephrain collocarunt. *Congregatique sunt omnes filij Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* *Iosue 18. v.1.* Iosue 18.v.1. Vbi Caiet. *Par fuit, vt in sorte Principis locaretur Diuinus cultus.* Sors hæc ad tribum Ephrain pertinebat, ex qua Princeps populi Iosue ducebat ortum: figatur ergo in Silo tabernaculum, vt innuatur, Principes & populi Proceres præ cęteris Diuino cultui, & religionis zelo esse obstrictos. Vbi sanguinis claritas splendet, decentius pietas excolitur, quia raro nobilitas religioni impiè renūciat. Illustris proauorū pietas ad filios trāsfunditur, sicut vitiū à parentibus obscuris, & prauis moribus deturpatis in filios serpit.

Gen.21. Cū vidisset Sara filiū Agar AEgyptiæ ludentem cum Isaac filio suo dixit ad Abraham: *Eiice ancillā hanc, et filium eius.* *Genes.21. v.10.* Quisnam esset ludus, qui Saram impulit, vt à domo sua ancillam & filium relegaret, non omnes conueniunt. *Varie* [inquit Hug. Card. *Hugo Cardin.* *Jsentiunt Glosæ de ludo isto: quædam dicunt, quod Ismael faceret luteas imagines, et cogebat Isaac adorare eas, propter quod indignata est Sara timēs, ne eum traheret ad cultum et ritum idololatriæ. Vel lasciuum esse docebat, sicut*

ipse

ipse erat. Sed dato quod Ismael dehonestare tentauerit Isaac prauis moribus; cur Sara potius contra matrem, quam contra filium iratscitur, & prius illius exilium postulat? *Ejice ancillam, et filiũ eius.* Quid enim mater in Isaacũ deliquerat, in quo offenderat, vt cum sonte filio relegaretur, de quo ipsa querebatur propter consortium & collusionem? Crediderim, quia pessimos mores, quos Sara in filio suo Isaaco cauere instituerat, & auertere satagebat, autumabat, Ismaelem deprauatum magistrum à matre hereditasse, & in lacte sugisse. Tam vehementer inclinant filij ad parentum mores, vt Ismael in religiosa domo educatus, & egregio ac pio Abrahæ exemplo eruditus maternas inclinationes sequeretur, & ignobilitate, quã à mater hausit, proclivis ad malum

Oleaster. cuaderet, vt dixit Oleast: *Discimus, vt plurimum filios ancillarum esse ad malum proclives.* Nisi gratia suffragante auiti mores vincantur, natura vitia parentum renouat, quia in omnibus similitudinem affectat. Hinc optimè annotauit Ambrosius, Noe maledictũ dixisse Chanan, antequam inscriptura proponatur natus: etenim post illã

Gen. 10. v. 1. maledictionem, quæ habetur Genes. 9 v. 25. statim cap. 10. v. 1. dicitur: *Hæ sunt generationes Noe Sem, Cham, et Iaphet, natique sunt ei filij post diluuiũ.* Præpropera videtur hęc maledictio, & amore ac pietate patris indigna. Cur nondum in lucem editus Chanan maledicitur, & vitę prima vsura fruiturus anathemate ab atauo deturpatus ingreditur? Ausculta Ambros. lib.

Ambros. de Noe & arca cap. 30. *Non poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui et naturæ et eruditionis degener extitisset.* Per exaggerationem dictum accipe: tam certum est, filios impia parentum vitia imitari, & veluti è paterno pectore sugere, vt interius inficiãtur: quod ex iniquitate patris Chanan Noe præsagiebat impietatem, & degenerem agnoscens à virtute naturam, similẽque paternę improbitati maledictione impetit Chanan, quasi patris deprauati mores prophetia essent impietatis filij. Sic vbi Matthæus generationem Salomonis narraturus accedit, matris vitium manifestat. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* cap. 1. *Matth. 1. v. 6.* Cur Euangelista matrem adulteram apposuit; cum satis esset dicere: Dauid Rex genuit Salomonem: sicut fere in omnibus generationibus egit, nullam mulierum mentionem faciens? Recte Signiensis Bruno hom. contra luxuriam. *Matrem nominat, vt assignet causam propensionis ad vitium carnis. Quasi dicat: A matre adultera traxit Salomon, adeo propensum esse ad luxuriam, vt propter mulieres à veri Dei cultu aliquando discesserit.* *Bruno.* Non adulterauit naturam, nam prauam operationem à matre hereditauit, & spurij merito elogio de honestatur, vt lasciuiæ radix indigitetur.

218 Cum Christus Dominus ad Discipulos post resurrectionem veniisset, & an aliquid pulmentarij haberent, interrogasset; *Ascendit Simon Petrus* [inquit textus] *Jet traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, et cum tanti essent, non est scissum rete.* *Ioan. 21. v. 11.* Ioan. 21. At de altera piscatione dicitur (Luc. 5.) quod cum ex verbo Christi laxassent rete, & copiosam multitudinem piscium cepissent, præ illorum numerositate scindebatur rete. *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum.* *Luc. 5. v. 6.* Si autem inquiras: cur magni pisces integrum rete seruent, & in minutissimorum captura rumpatur, cum potius ex ingenti mole deberet scindi? Ausculta D. August. adductum in Catena. *Non autem frustra dictum est: Erant magni; cum enim dixisset Dominus: Non veni soluere legem, sed implere; daturus spiritum vtique, per quem lex posset impleri, paucis verbi interpositis ait: Qui fecerit, et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. In prima autem piscatione rete propter significanda scbismata rumpebatur: hæc vero quoniam in illa summa pace sanctorum nulla erunt scbismata, pertinuit ad Euangelistam consequenter dicere: Et cum* *August.*

tanti

Psalm. 48 v. 1.

Hug. Cardinal.

Hieron.

219

tanti essent, id est, tam magni, non est scissum rete: tanquam illud respiceret, vbi scissum est, et in illius mali comparatione commendaret hoc bonum. Minuta plebs inquieta schismata in rebus publicis & religionibus seminat, eaque legis & instituti rete rumpit: magni pisces, pacifici & ingenui viri innocuũ seruant rete, & intra ipsius cancellos pacatè continentur. *Non frustra dictũ est: erant magni.* (Ait August.) Magni enim & nobiles non adeo frequenter rete rumpunt, nec à Maiorum institutis decidunt; multitudo autem plebis, & abiecti homines legem dilacerant, quia à sordida natura habent esse ad vitia proclines, & vilis generatio propagat patrẽtum indecoros mores in filios: sicut illustris ad virtutem honestatis imitamẽto facile adducitur. Sic vbi primum Deus in mundo homo factus apparuit, montes sæculi & colles mundi incuruãtur, & cœlesti doctrina ante alios imbuuntur, vt Vates noster hic pulchrè auguratur. *Contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* vers. 6. & Dauid antea prædixerat Psalm. 48. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem: quique terrigenæ et filij hominum.* Quorsum Reges & Principes specialiter inuitat ad audiendas Dei laudes? Hug. Card. *Vocat Reges et Principes ad laudem Dei: quia primi in dignitate primi debent esse in laudibus Dei.* Vt de Sole dixit Hieronym. ad illa verba Psalm. 148. *Laudate eum Sol et Luna. Quod maius in lumine est, prius laudat.*

Psalm. 48 v. 1.

Hug. Cardinal.

Hierony.

ANNOT. XXXIX. MORALIS.

IIS, QVI IN EXPVGNATIONE hostium fortiter dimicarunt, præmia largiatur Princeps.

219 POSTQVAM Deus Chananæorũ terram debellauit, stetit, victoriarumque cursum, licet non beneficiorum, continuit, & Hebræis, qui vna cum ipso pugnauere, regionem ad habitandum reliquit. *Stetit, et mensus est terram.* Hic v. 6. Id faciẽs, quod mortalis solet Imperator, qui vbi alienam aliquam regionem suo subiugauit imperio, inter suos milites aut sorte, aut pro cuiusque meritis fines distribuit, quorum ope facta est noua ad regnum accessio: quod millies fecere Romani. Stetit igitur Deus, & mensus est terram, cuius diuidendæ Iosue ac Moysi certã formã mensuramq; perscripsit, vt Principes instrueret ijs muniã conferre, qui in debellando hoste, & stabiliendo regno se viriliter gesserunt. Nam etsi virtutis prẽmium non aliunde sit, sed in ipsa lateat (vt dicebat Seneca lib. 1. de benefic. c. 1. *Honestarum rerũ pretium in ipsis est.*) Tamẽ vbi impræmiata manet, languet, & euigoratur: quia cũ naturaliter ipsam comitẽtur honores, si deficiant, dubitat, an placuerit, & ab incẽpto opere desistit. Quandocũq; Princeps ingratus est, nulla glorioſa gesta patrãtur: quia non remunerata inglorie ad posteros transmitti creduntur. Tam benemeritis debetur præmium, quam flagitiosis supplicium: quia in his duobus polis tota regni machina vertitur. Bonos brauio, malos autem afficere pœna, summa regiminis est: nam remunerationis generosa spes animum erigit ad honesta quæque tentanda; frigidus vero supplicij timor licentiam cohibet inhonestam. Quis vitia absque pœnæ timore abnueret? Quis pericula absque prẽmio non recusat? Debet igitur Princeps præmia metiri, non candidatorum ambitione, sed labore certantium, vt habetur leg. cont. public. cap. de re milit. leg. 2. tit. 27. *Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit peruenire.* Qui belli põdus & pericula audacter sustinuere, munera debẽt deferre, vt muneratis ipsis alij discrimina nõ formidẽt: nã ad cõspectũ retributionis accẽditur animus, & ad quæcũq; ardua superãda erigitur, vt dicebat Cassiodor. *Nutriũt enĩ præmiorũ exẽpla virtutes: neq; quisquã est, qui nõ ad morũ summã nitatur ascendere, quãdo irremuneratus nõ relinquitur.*

Seneca.

Cassiodor.

220 Vt sermonẽ paulo ante de sua Diuinitate habitũ Christus cõfirmaret, &

persequentium ora confunderet, atque opere ipso se non vana & mendacia dixisse comprobaret, miraculum à sęculo non auditum è templo egressus patrauit, quod sic narrat textus sacer. *Et præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, et interrogauerunt eũ Discipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS: neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Ioan 9. v. 9. Statimque ex sputo colirio effecto ipsius palpebras abstersit, & lumina restituit. *Expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et liniuit lutum super oculos eius* &c. Chrysost. (hom 55. in Ioan.) sedulo aduertit diligentius in cæcum oculos conuertisse Iesum, ita vt singulare quid in eo cogitare visus esset, quod quidem occasionem dedit Discipulis, vt interrogarent: quis peccauit, hic, aut parentes eius? *Et etiam considerandum* (ait Chrysostom.) *quod ipse vidit cæcum, nõ cæcus ad eum accessit.* Cur si cæcus ad eum non accedit, neq; salutẽ postulat, vt postularunt alij, illũ adeò diligenter Christus curat, qui cũ alijs simulabat, à quorũ clamoribus vexabatur, vt Chananæa & ille alter, qui clamabat: *Iesu fili Dauid* &c. & adeo importunus erat, vt qui comitabantur Christũ, os eius manibus obstruerent? Ad quid si nullum cęcus dat cupitæ salutis signũ, tã festinanter Christus flectitur, in terrã expuit, edit lutũ, & ex illo pharmacum, quo linit, & prębet oculos, efficit? Quã ægrotus non postulabat salutem, ad quid tot circũstantijs amoris reddit? Satis perspicuè textus sacer rationem innuit: *Neque hic peccauit, neque parẽtes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo* Aliorum infirmorum, qui propter peccata in ægritudines inciderũt (quod de plerisq; quibus aiebat Christus: *Iam amplius noli peccare*, credendum est) orationem expectat, vt ipsis accurrat: verum iste, qui propter obsequium & gloriam Dei oculis erat orbatus, non expectat, vt petat, sed tacẽti sedula cogitatione visum & salutem exhibet. Illa cęcitas propter exaltationem Christi ex miraculo resultantem fuit contracta; dignus ergo erat, qui propter gloriam sui Principis tot incommoda patiebatur, vt ab illo ingenti fauore afficeretur. Vt Reges instruantur, homines, qui ob propriam culpam paupertate & membrorum priuatione laborant, fauorẽ & beneuolentiam posse expectare; ast qui oculos & membra in bellicis conflictibus perdidere, qui in seruitium Principis sunt inueterati, & propter eius gloriam labores perpessi, non indigent importuna postulatione: quia his pręmia Prĩceps debet habere pręuẽta, & eis præãbula liberalitate occurrere. Qui strenue se gessit in bello, munificè à Principe debet remunerari

Ioann. 9. v. 1. 2. et 3.

Chrysost.

Moyses deuitans Pharaonis iras ob reatum interfecti hominis AEgyptij, profugus venit in terram Madian, ibique Magnates magno ipsum honore sunt prosecuti, maiorque Sacerdos Madian filiam suam Sephoram statim illi non petenti tradidit in vxorem. *Accepitque Sephoram filiam eius.* Exod. 2. Merito ambigunt Interpretes, quare ignoto pauperi, & profugo Moysi Ietro vel Madianitidis Rex, vel saltem vnus ex Magnatibus, & primæ nobilitatis viris filiam suam in matrimonium tradiderit? Et ferè omnes ad egregium Moysis opus, quod ibi patrauit, electionis motiuum referunt. Sic Lyra. *Videns enim eum Ietro virum valentem et industrium dedit filiam.* Sic Greg. Nisen. in vita Moysis. *Tanta fuit Sacerdos ipse ad pernoscenda ingenia hominũ, moresque comprehendendos prudẽtia præditus, vt vnica regesta, quam Moyses aduersus pastorum vim magno animo fecerat, adolescentis virtutem conspexerit: quod non proprio lucro, aut laude commotus pro iustitia pugnauerit: sed iustum ipsum per se ac natura sua honestum iudicãs, pastores, qui nihil in se ipsum peccauerunt, castigauit, eorumque iniuriam repulit.* Accessit Moyses ad puteum, vbi septem filię Madian greges patris adaquare cupiebant, ipsasque eijciebant pastores, & resurgens, defensisque ab iniuria puellis, oues earũ

221

Exod. 2. v. 21.

Lyra.

Greg. Nisenus.

ada-

adaquauit: quod eum patri referrẽt, ait: *Quare dimisistis hominẽ? Vocate eũ, comedat panẽ: accepitque Sephorã filiam eius vxorem.* Homo namq; qui pro honore Principis adeo strenuè pugnauit, vt eius filias à pastorũ iniurijs liberauerit, idque solum pro ratione & iustitia decertans, etsi ignotus, etsi aduena sit, non indiget, vt prẽmium efflagitet: quia sapiens Rex illi pulchram filiam pro prẽclaro seruitio in mercedem præbebit: attentus enim debet esse Princeps in munerũ distributione, & preces anteire merentis, ne eius ingratitudo & merita & virtutem sistat.

222 Filij Ruben & Gad primam hereditatem à Moyse postulabant, parati tamen in prima acie audacter prẽliari. *Nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel.* Num. 32. v. 17. Vt qui priorem portionem petierant hereditatis, priores se bellorum discrimini obiectarent; & tamen primum negat Moyses, & non nisi postea iustificata causa possessionem sub conditione concessit, vt ibidem dicitur. Ast mortuo Iosue consultum super vno aliquo duce, quiei succederet, belli que summam administraret [vt existimat Abulensis quæst. 2. & 4.] vel qui bello daret initium (vt verosimilius apparet Lyræ & Caietano) designauit Dominus Iudam, & ad populi regimen tribus illa fuit electa. *Dixitque Dominus: Iudas ascendet.* Iudic. 1. vers. 2. Cur Iudę non petenti honor conceditur, qui tribubus Ruben & Gad adstipulantibus denegatur? Cur qui periculo se primo obijcere erant parati, à munere relegantur, & tribus, quæ illud non ambibat præfertur? Auscultа Hieronym. causam ex Hebræo rimantem ad cap. Osee 11. *Hæc omnium tribuum prima* [Iuda nempe] *cæteris resistentibus, ac renuentibus mare Rubrum ingredi est ausa; vnde et meruit principatum.* Prẽclarum facinus in Dei honorem, & gentis Hebræorum vtilitatem tribus Iuda peregit, timorem, qui alias tribus tenebat, despiciens, & vndis marinis ad dexteram & lævam conglaciatis intrepidè fidens: ergo iustitia exigebat, vt ipsi honorem non ambienti exhiberetur honor alijs denegatus. Quia non tam liberalitatem, quam iustitiam exercet Princeps ijs, qui pro ipsius honore & sanguinem fuderunt, & nullum horruerunt periculum, munera tribuens, & prẽclara gesta debita merce de rependens.

223 Sed ò tempora. Ò mores. Quot sũt merita, quæ impræmiata conqueruntur, & Principes accusant, qui honoribus benemeritis debitis munerãt ambitiosos negotiatores, & eos, qui in voluptatibus deseruiunt. Infelicitas temporum. In quibus id experimur, quod Abrahamo exulanti accidit: cũ enim ad AEgyptum diuertisset, Saræ pulchritudine allectus Pharao illam subripuit, illumque propter vxorem pulchram muneribus ac diuitijs cumulauit. *Abraham vero benè vsi sunt propter illam, fuerumque ei oues et asini et serui et famulæ et asinæ et cameli.* Genes. 12. vers. 16. Hominem ad venam, peregrinum & à patria exulem benigno Princeps excepit hospitio, & forte ex vectigalibus, quæ soluebat populus ad gerenda bella, & remunerandos milites, Abraham nullo merito præter venustatem vxoris apud ipsum commendatũ locupletauit. *Quam bene Principes* (exclamat hic Oleast.) *operam soluunt illis, qui eis in suis cupiditatibus deseruiunt, et melius, quam ijs, qui communitati in bello, aut in alijs, quæ sunt communitatis:* Opportuneque locum adducit (Lucę 10.) vbi Martha solicita erga domesticam curam, vt Christo necessaria ministraret, quasi reprehenditur: Maria vero otiosa ad pedes Domini sedens plurimum commendatur. Cur quæ plus seruiebat, placebat minus, & officiosa Martha arguitur, otiosa vero Maria remuneratur? *Quoniam Martha* [inquit Oleaster] *seruiebat Domino in ijs, quibus ipse non delectabatur, nempe in cibo et potu; Maria vero in audiendis verbis illius, quod illi maximè cordi erat*

Exod. 2. v. 21.

Lyra.

Greg. Nisenus.

Num. 32. v. 17.

Abulens. Lyra. Caietan.

Iudic 1. v. 2.

Hierony.

Genes. 12 v. 16.

Oleaster.

Idem.

Si fas est dicere, sed non est fas Jetiã apud Christum non quę plus laborauerat, sed quæ magis gratum ipsi munus obibat, plus meruisse censetur, & quieta Mariæ fruitio labori Marthæ præfertur: quia hęc non delectationi Principis inseruiebat; illa autem ad ipsum gustum otiabatur: quod etsi iustè actum, querimoniã Marthæ excitauit. Quid nõ incusabunt Principis cõsilia, qui præmia ipsis debita ambitiosis adulatoribus, Principis voluptati blandientibus, & cæteris huius generis, miseram suam fortunam execrantes conferre conspiciunt?

ANNOTAT. I. MORALIS.

DIVINVM ET PLANE REGIVM est, pœnas non aspicere, sed præmium.

224 MEritò hic Deũ prędmia largiẽtẽ introducit Vates. *Stetit, et mensus est terrã.* Quin de supplicio Chananæis inflicto agat, vt ipsius naturã planè ad liberalitatẽ propendentẽ, & refugientẽ supplicia demõstret: quod & Diuinæ, & humanę potentię debet esse elogiũ: nã nihil tã naturale est Principi, quam benefica & profusa largitate subditos munerare, & à suplicijs abstinere, quasi esset res ab ipso aliena. Quia (vt dixit Tacitus) non minus Principẽ dedecent supplicia, quã funera Medicos. Nunquã Princeps debet cruentari, & cũ punire fuerit necesse, non per se ipsum id peragat, sed per ministros: nã, vt recte dixit Xenophon, *Princeps per se ipsum benefacere, per alios punire debet.* Erubescat qui benefacere nascitur, suorũ subditorũ sanguine cõmaculare manus, studeat suis semper proficere, vt illorũ sibi amorẽ conciliet, ne si in illos atrociter sæuiat, illũ timeãt, & prosequantur odio: nã noxiũ animal reliqua fugiunt, innoxiũ vero ac beneficũ ab omnibus amatur, illiusq; vitã vigilantibus excubijs tutãtur: quod pulchrè ad eruditionẽ Principis dicebat Senec. lib. 1. de clemẽtia c. 3. *Nullũ tamen clementia ex omnibus magis, quam Regẽ, aut Principẽ decet. Ita enim magnæ vires decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est: nã pestifera vis est valere ad nocendũ. Illius demum magnitudo stabilis, fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum, quotidie experiuntur: quo procedente non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt; sed tanquã aut clarũ ac beneficũ sidus certatim aduolant obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, et substernere corpora sua, si per stragem illi humanã iter ad salutem struẽdum sit.* Nesciat populus Principem officere posse: sat est ad sceleratorum licentiam cohibendam, si apud ministros vim punitiuam residere aspiciant. Subtrahat Princeps à vindicta oculos, ne indecorè crudelitate detur petur, & sedulò procuret seueritatis iustitiæ rigores occultare.

Xenoph.

Seneca.

Murmurauerant aduersus Moysem 225
fratres eius Aaron & Maria, aut quia mulierẽ Æthyopissam duxit, aut quia ob collocutionẽ cũ Dño propriæ vxoris torũ deserebat Iratscitur Deus cõtra ipsos, descenditque in columna nubis: cõmẽdat virtutẽ Moysis, illũq; laudibus extollit: & cũ fratres vehemẽter obiurgasset, ait text. facer. *Ira tusque contra eos abijt, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum: et ecce Maria apparuit candẽs lepra, quasi nix.* Nu. 12. v. 9. Statim post increpationẽ in eadẽ ipsa colũna, qua venit, disparuit: ait Caiet. ex Hebr. *Et iratus est furor Ieboua in eos, et abijt proculdubio in colũna, in qua descenderat.* Cur Deus abest, vt puniatur Maria, & nõ antea ipsa lepra candens apparuit, quã abiret Deus? Si adest in tabernaculo, vt honoret Moysem, qui detractione fratrum erat infamatus: cur non ipso præsente puniuntur detractores, vt & opinioni Moysis solerter prouideat, & coram populo iustus videatur? Quasi lepra ipsius absententiam expectaret, statim ac ipse disparuit, apparuit illa. *Abiit: et ecce Maria apparuit cãdẽs lepra.* Ita equidẽ: subtraxit Deus oculos ante

Num. 12. v. 9. et 10.

quam

quã lepra in Mariæ corpus serperet: nõ expectauit suppliciũ: quia non decebat Principem pœnam aspicere, sed premium. Ad cõmẽdandum Moysem adest, abest ad puniendam Mariam, vt per se ipsum præmium conferret, & ab alio pœna crederetur inflicta. Prodest Origen hom. 7. in Num. *Origines.* *Prius recessit nubes, quam Maria repleatur lepra, vt ostendatur, quia si est in aliquo gratia Sancti Spiritus, et obtrectat, et detrahit, recedit ab eo post obtrectationem, et lepra repletur anima eius.* Et paucis interiectis. *Donec aderat nubes, non erat leprosa: dum enim visitatio Dei in populo illo fuit, leprosus non fuit.* Quasi erubesceret Deus suæ iustitiæ executionem, nube se à populo subduxit, & postea Mariam plectit: ne palã appareat Deus, dũ suppliciũ exequitur, nube se celat, ne pœnam infligere videatur.

226 Iudicaturus mundum Christus Dominus, & damnaturus alios, alios remuneraturus, his quidem sic blande ac benevolè alloquitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth. 26. v. 34. Illis autem: *Discedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo et Angelis eius.* Cur sicut bene dictionẽ à Patre esse affirmat, maledictionẽ nõ ab illo esse testatur? Vtraq; enim apparatus iustitiæ est, & meritis ac demeritis dignissima, Deoq; non indigna: nã æquè est misericors, ac iustus: quia si nõ esset iustus meritas pœnas reprobis retribuẽs, nõ esset misericors, neq; Deus. Cur igitur electorũ præmiũ & benedictionẽ Patri attribuit, *Venite benedicti Patris mei:* Maledictionẽ vero impiorũ sine Auctore pronunciat: *Discedite à me maledicti in ignem æternũ:* Quasi illorũ supplicium à se abdicaret? Opinor, vt nullo modo supplicia inferre videretur. Electi qui ad cœlestẽ patriã vocantur, palã à Patre benedici perhibẽtur: at vero reprobi, qui probrosa audiũt verba, & gehẽnę atrocitati destinãtur, à Deo maledici, & torqueri non dicũtur: quasi refugiat Deus punitorẽ videri, & ambiat remuneratorẽ inspici. Tectius occultat iustitię acerbitatẽ, & sine Auctore maledictiones & supplicia infligũtur; vt quodãmodo mortalium oculis abscõdatur à Deo pœnas infligi, idq; ministris tribuatur; sibi autẽ beneficẽtia in benemeritos, vt dicebat D. Ambr. lib. 1. de Abrahã c. 6. *Vbi gratia largiẽda est, Christus adest: vbi exercẽda seueritas, soli ad sunt ministri.* Cũ beneficia iustis prẽstat, se palã ostendit, & gloriatur cognosci: at cũ supplicia infert, soleter se abscõdere satagit, & quasi absenti prẽsẽtia adesset, nõ se reprobos maledicere indicat, ne pœnę Auctor videatur. *D. Ambr.*

Pater ille familias, qui operarios cõ 127
duxit conuentione facta in vineã suã, cũ solvẽdę mercedis appropinquaret tẽpus œconomo suo prẽcepit, vt corã se debitũ redderet. *Cũ sero autẽ factũ esset, dixit Dominus vineæ procuratori: voca operarios, et redde illis mercedem.* Math 20. *Matth. 20 v. 8.* *Quid est voca operarios?* Qua forma sunt vocandi, vt mercedẽ accipiant? Anselm. Lugdunens. *Statue operarios ante tribunal tuũ.* Solẽniter ac publicè, ita vt neminẽ lateat: Mercedẽ solertissimus Pater vult largiri. Verũ quis ille erat œconomus, cui Pater mercedẽ solvere cõmendauerat? Caiet. autumat, huiusmodi verba fuisse à Patre Diuino Filio dicta: *Quia scilicet Pater operatur per Filium, et Filius per Spiritũ Sãctũ.* inquit Glos. & Caiet. *Glosa.* *Christus est hic procurator redditurus vniuersis mercedẽ in fine mundi.* Orig. adductus in Catena. *Procuratori* (inquit) *adest, alicui Angelorum, qui super mercedẽ tribuendã est positus.* D. Chrysost hom. sup. Matth. *Dicit Dñs vineæ procuratori suo: idest Filius Spiritui Sãcto.* Si ergo Pater Angelo, Filio, aut Spiritui Sancto mercedem laborantibus tribuere commisit: ad quid cum solutionis tempus adest, coram se ipsos vocat, vt denarium ex conuentione promissum solvat? Forte suspicatur aliquid mercedis à tam ingenuis Personis subripiendum: quod oculis cernere procurat debiti solutionem? Si ipse non solvebat denarios: cur corã se vocat & solvẽtes, & accipientes? Opinor, quia Deus sic præmia respicere

Caietan. *Origenes.* *Chrysost.*

gaudet, eaque benemeritis distribuere, vt nō Angelis, imo (si fas est dicere, sed nō est fas) neq; Filio soli, neq; Spiritui sācto id cōmittat; sed ipsemet Pater largitor adsit, vbi cōferūtur præmia; qui se ipsū abscondit, dū de supplicio agitur: vt Reges doceat non pœnas respicere, sed præmia, & illa per se ipsos, non per alios (etsi Angeli videātur) elargiri. Non infelicitatis suspicione, sed delectatione gaudij coram se Pater operarios vocat remunerādos, quodammodo largientis ministerio inuidens: quia iucundum, gratum & decens iudicauit, per seipsum merentibus præmia conferre.

ANNOTAT. L.I. MORALIS.

DIVES IMPVNE DELINQVIT: pauper inualidus pœnæ obnoxius est.

228 PVLCHRE Propheta Dei potentiam describit conterentem mōtes. *Aspexit, et dissoluit Gentes, et contriti sunt montes sæculi.* In quibus Proceres & Dynastę, qui præeminēt cæteris, adumbrantur: vt arcanè innuat, mundi potentes, quos locupletauit fortuna, à Deo tantum plecti, & in eorum punitione Dei potentiam plane demonstrari: quia ad ipsos nunquā pertigere mundi supplicia, etsi flagitia maxima commiserint: quia opes crimina absoluunt, & in tuto collocāt. Diuites ac potentes, rigidiorque iudex flagitioso diuite hebetatur: quod arcane præsagiebat Isaias cap. 51. *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium platearum, sicut oryx illaqueatus.* Iniustitiam, quæ in populo uigebat, lamentatur: proindeque procliue est, locum inuertere ad iudices, qui impunitos, & absque aliquo metu nōno deditos relinquunt scelerato diuites, qui muneribus ipsos illaqueant. Verum cur orygem diuiti comparat? Oryx (in cuius specie non omnes conueniunt) in Iuuenalis sententia (Satyr. 11.) auis est pinguissima, & quę sua crassitudine cultelum ipsam ferire intendentem hebetat, similisque [vt ait Berchorius in reductorio mor. lib. 10. cap. 74.] gallinæ Africanę, quæ pariter pinguedine sua acutiorem hebetat cultrum, quodque optime idem Berchorius ad diuitem refert, cuius pinguedine, & diuitiarum opulentia ferocior iudex hebetatur: quia nullus cum diuite refricat. *Ninguno mella con el rico:* Hispane dicitur. *Sic homo pinguis* [ait Berchorius] *per diuitias hebetat ferrum: quia vix aliquis iudex ferreus et durus est, cuius acies iustitiæ à diuite non hebetetur.* Qui potens est opibus, nunquam damnatur: quia opulentia pro impunitate est, pro innocentia diuitię: nemo audet ipsos vel leui offendere verbo. Quod pulchre ponderauit Ambros. ad illa verba, quæ falsi testes posuerunt in capite innocētissimi Naboth. *Benedixit Naboth Deum, et Regem.* 3. Reg. 21. Cum enim voluissent incusare, quod Deum ac Regem maledicebat, id verbis inuersis, & penitus oppositis significant, & verbum *benedicere* quo vtuntur, in contrario sensu ab illis accipitur, voluntque, vt pro verbo *maledicere* accipiatur: cuius satis ciuilem rationem reddit Ambrosius. *Ne vero diuitem maledicti vox offendat, et sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Tametsi impijssimus esset Achab, quia diues erat, nec leui vocis sono audet ipsius obsequio intendentes ipsum ferire: quia tam innoxiè potens delinquit, vt nemo audeat ipsum culpare, sitque ab omni lege, & ab omni pœna immunis.

Isaiæ 51. v. 20. *Iuuenal.* *Berchor.* *Ambros.* *3. Reg. 21. v. 13.*

229 Exod. 1. præcepit Pharao omni pōpulo suo dicens: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite: quidquid fœmenini, reseruate.* Quærūt Interpretes, an illa lex fuerit lata generaliter, ita vt tam Hebręorum, quā AEgyptiorū infantes comprehenderet: vel potius ad solos Hebræos se extenderet. Plures arbitrantur, præceptum non fuisse in communi datum, sed tantum pro Hebræis submergendis: quoniam AEgyptij vel cum vitæ periculo non illi obtemperarent, si proprios filios submergere præcipe-

Exod. 1. v. 22.

ren-

rentur. Caiet. autumat, secundum formam præceptum fuisse commune: tamen Regis ministros ab illo instructos in solos Hebreos sæuijsse. *Crediderim ego: quod quamuis præceptum coloratũ fuerit commune: exactores tamen adhibiti ad obseruationem præcepti fuerint instructi, vt non sæuirent, nisi in Hebræos.* Quamuis decretum sine discrimine fuit publicatum; tamen in Regis edicto diuites subintelliguntur excepti: quia sęculi leges non confinguntur ad puniẽdos potẽtes (quales erant AEgyptij) sed ad pauperculos, & inualidos, quales tunc reputabantur Hebrei. Quasi non hominis crimen, sed conditio damnetur, Proceres immunes à lege pœnali intelliguntur; inopia pauperis rea delicti est: potentiores enim non se inuicem lędũt, sed in pauperculam plebem cruentè inuehuntur. Sic vbi Abraham super sacrificiorum carnes volucres descẽdere vidit, ipsas à quadrupedum cadaueribus abigere satagebat. *Descenderuntque volucres super cadauera, et abigebat eas Abraham.* Genes. 15. Putat Ambrosius, voraces volucres super cadauera tantum quadrupedum interfectorum descendisse, nõ autem super auium cadauera: ex vtroque enim genere immolauerat Abraham. Verùm cur cœli volucres carnes non appetunt ipsis magis familiares propter similitudinem, & terrestrium animalium cadaueribus insident, ipsorumque carnes dilacerant, & ad ventris ingluuiem ipsis vtuntur? Auscultа Ambrosius. *Qua ratione dixit, quod aues descenderunt super diuisa corpora vitulæ, capræ, atque arietis? Videntur aues istæ cibi causa descendisse super corpora: naturaliter autem violentiores, potentiores quæ viribus super infirmiores irruunt, et quasi mortuis corporibus incumbunt ex improuiso frequentius irruentes, non super aues: quia potentiores non se lædunt.* Vel diuitem mortuum alij adoriri verentur, & in pauperculos ac inualidos irruentes potentioribus parcunt: nũquam enim personam, aut domum diuitis iustitia inuisit; humilis inopia vbique laceratur, damnatur vbique.

Caietan.

Genes. 15 v. 11.

Ambros.

Quæsiuit Adamus latibulum postquam peccauit: cumque vocem Dei clamantis audisset, nuditate sua se excusat, & propter eam non comparuisse dicebat. *Vocem tuam audiui in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.* Gen. 3. v. 10. Stulta plane & inepta responsio. Adest Deus omnium iudex, vt ipsius causam discutiat, & cum immane delictum perpetrauerit, non timet, quod tanti flagitij sit reus, sed eò quòd nudus sit, ob idque in abditiori loco se abscondit. Nemo est paupertatis reus, sed delicti. Vt quid igitur non propter nuditatem timet, & aufugit? Sane desipit Adamus, dum nuditatem sistere ad tribunal iudicantis recusat: at desipit, quia agit cũ Diuino Iudice; nam si cum humano ageret, eximie saperet: quia diues & potens non timet humanum iudicem; pauper & nudus iure timet, quasi iure esset reus, qui non habet vnde redimat paupertatis delictum. Ob nuditatem ergo timendus est humanus iudex: quia crimen nuditas est, propter quod solum punitur pauper. Subtiliter Isidorus in Glosa adductus suspicioni fauet. *Iam stulte respondet, quasi Deo nudus displiceret, quem nudum fecerat: sed quod cuique displicet, hoc Deo displicere arbitratur.* Rea criminis est inualida paupertas, offendit, quia displicet: propterea que non tam inobedientia, quam nuditate criminosum se reputauit Adamus, Deo suspicans id displicere, quod omnes offendit. At non sic, sicut homines, Deus, qui non personarum qualitatem, sed delicta punit; neque diuitibus apud ipsum prodest opulentia, vt arcane dixit Dauid Psalm. 31. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quodnam illud erit diluuium, in quo homines ad Deum nequeunt accedere? Card. Hugo. *In diluuio aquarum multarum: idest, temporalium bonorũ, quæ fluunt sicut aqua.* Quasi dicat: In diluuio & affluentia diuitiarum nullus peccator approximabit ad Deum, nullus apud eum iustificabitur, vel ingredietur ad ipsũ.

230

Genes. 3. v. 10.

Isidorus.

Psal. 31. v. 6.

Hug. Cardin.

Horrenda certe diuitibus sententia, etiam iterum intimata Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Non melius Dei iudicantis integritas potuit innotescere, quã diuitijs despectis. Secus est apud homines, apud quos nunquam pauper iustus inuenitur, nunquam criminosus diues: crimina in potente adorantur; virtutes in egeno crimina sunt, ab omnibusque irridetur pauper, difficileque se ab accusatione liberat, vt dicebat Iuuenalis Satyra 8.

Iuuenal.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Frustra se ab accusatione eripere tẽtat, qui à paupertate accusatur.

231 Magorum reditum expectauit Herodes, vt pueruli signa ediscerent: illis autem alia via reuersis, cunctatione offensus insanit Herodes, iraque percitus omnes pueros, qui erant in Bethlehen, iussit occidi. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehen, et in omnibus finibus eius.* Matth. 2. v. 16. Si Magi ipsum decipiunt: cur sæuit in infantes? Quid Magorum reatus cum puerorum innocentia habuit commune, quod illis delinquentibus contra istos insane furit? Optime rem põderauit Chrysostom. ad prædicta verba. *Tunc Herodes vidẽs, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde. Sed quid facit? Mittens occidit omnes pueros, et ille delusus à Magis iram suam super paruulos effundebat.* Sic sæpe furit Iudex, qui pauperculos plectit, & potentiorum delicta dissimulat. Magi Herodem offenderunt: sed quia potentes erant, sapientia illustres, & nobilitate inclyti, illis parcit, & aduersus infantes nullius criminis reos, nullius culpæ conscios inhumaniter sæuit, nulla alia culpa, nisi quia pauperes & inualidi sunt, quia paruuli & imbecilles. Infantium inculpata innocentia castigatur, & Magi qui Regem decipiunt, remanent impuniti: quia paruulorum inopia rea criminis habetur: Procerum autem potentia absolutio criminis est: quia fortuna personę, non persona ad tribunal iudicãtis adducitur: non culpa, sed paupertatis reatus plectitur.

Matth. 19. v. 24.

Matth. 2. v. 16.

Chrysost.

ANNOTAT. L. II. MORALIS.

MAGNATORVM EST VITIVM, sola auctoritate praua sua consilia defendere.

CAPITOSA nimis, nimisque peruicax Procerum solet esse prẽsumptio: quia indecorum arbitrantur, à semel assumpto consilio recedere. Exindeque in perniciosos dilabuntur errores, & continuato prauo consilio, ad vltimum discrimẽ deueniunt. & nocumentum, quod in principio mediocriter lędebat, perseuerante errore, per omnia pernicioſè serpit, & non retractatus inuincibilis postea efficitur. Fluuius tranari difficilis, in suo ortu facile transuadatur: at crescentibus vndique vndis, post longum decursum difficulter supera tur. *In principio enim* (dicebat Aristot. 2. politic. cap. 4) *peccatur: principium autem dicitur medium totius. Itaque paruum in principio erratum correspondens est ad alias partes.* Qui cosulere alios nolunt, sequique dedignantur, temeraria ac insolẽti prẽsumptione, ad vltimum errores protrahunt, aut quia illos non aduertunt, aut quia eos reuocare recusant, plus estimantes constantes videri, quam publicum reipublicę bonum: obstinateque sua placita defendunt, & pro suo libito, nulla habita conuenientiæ, aut veritatis ratione, res determinant. Quod belle notauit Basil. de Seleuc. orat. 3 *Hinc euenit, vt hoc diligat; illud, quod ita visum fuerit, repudiet: hoc auersetur; ad illud animum adijciat, et libera cum voluntate regnans abundet optionibus sententiarum.* Quasi auctoritas rationis esset cõsiliatrix, illa sua placita defe ndere conantur, i indignãturqu e maxime, si aliud præter ipsam requiratur testimonium.

232

Aristot.

Basilius Seleuc.

Pudicissima illa Susanna de lasciuo crimi-

233

crimine accusata, duobus falsis testibus in iudicio vrgetur, & propter adulterium impositum ad mortem condemnatur; verum ausculta seriem depositionis. *Dixerunt presbiteri: Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis, et clausit ostia pomarij, et dimisit à se puellas: venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, et concubuit cum ea.* Daniel. 13 v. 36. Cur in grauissima causa, vbi nobilem & castissimam fœminam ad mortem damnare student, se solos illam adulterantem vidisse affirmant? Apte Lyra: *Hoc dicunt: ne requiratur alius testis cum eis.* At cur non alius adhibendus est testis ad morti damnandam fœminam, de qua nunquam antea aliqua fuit excitata suspicio, vel apud domesticos & seruos, qui maximè dominorum omnia norunt, omnia speculantur, & malitiosè culpant? Quid fides testificationis præstat, quod soli annosi, & lasciuientes senes ipsam vidisse testentur, si seruorum testimonio, apud quos Susannæ virtus maxime erat commendata, eius pudicitia comprobatur? *Erubuerunt serui vehementer: quia numquam dictus fuerat sermo huiusmodi de Susanna.* Cur alios excludunt testes, & suo tantum testimonio fidem adhibere satagunt? Crediderim, quia Magnates populi erant, quorum innatum vitium est sola auctoritate praua consilia & corrupta testimonia defendere. *Hoc dicunt: ne requiratur alius testis.* Indecorum enim ipsis videbatur, vt præter eorum dicta aliud incusati criminis testimonium, indiciumve adhiberetur. Sibi ipsis blandientes, & de auctoritate gloriantes nullum aliũ præter ipsos crimen vidisse testantur: quia magna ipsis irrogaretur iniuria, si eorum dictis non integra adhiberetur fides, aliusque facti contestis quæreretur.

Daniel. 13 v. 36. et 37.

Lyra

Vers. 27.

234 Grauissima, eaque falsissima conuitia Christo Domino Pharisæi obijciũt asserentes Samaritanum esse, & dæmonium habere, aliaque similia, & mẽdacissima omnia. Sed qua obsecro probatione ea vera esse populo persuadere conantur? Adi textum sacrũ. *Nonne bene dicimus nos: quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Ioan. 8. v. 48. Non aliorum adducunt testimonia, vt sua placita fulciant; sed suę tãtum auctoritati nituntur. Quid? Non ne euidentissimum mendacij est signum, nullam aliam præter eorum dicta probationem habere? Vtique. Cur ergo tam arroganter sola eorum affirmatione rem falsissimam defendere intendunt? Acutè Caiet. *Nec aiunt: Nonne bene dicunt? Sed, Bene dicimus nos: manifestantes se esse illos, qui perseuerant dicendo hæc.* Quasi dicerent: Non hoc plebeij & despecti homines dicunt: sed nos, & sat est, à nobis verificari, vt verum reputetur: nostra enim auctoritas quamqumque aliam in attestante veritatem vincit. Vbi nostra testimonia intercedunt, non est opus alia probatione, nostra authoritas pro probatione satis est. Misera sors illius reipublicæ, vbi ministri, à quorum decretis pax, & tanquillitas dependet, omnia ventosissimè præsumunt, & tenaciter decernunt suis consilijs firmiter adhęrentes, & egregia auctoritate corrupta placita defendentes.

Ioan. 8. v. 48.

Caietan.

235 Ioan. 18. v. 28. adducũt Christũ Dominum Iudæi ad Pilatum vinctum, instantque, vt eum morti tradat: at ille (vt par erat) non illorum auctoritate ductus causam quærit, propter quam illum haberent morte dignum. *Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* Quasi dicat: Vos primo hominem istum vinctum ad Annam adduxistis, qui vinctum etiam Caiphæ Pontifici remisit: nunc adducitis ad prætorium, vt ego eum damnem: scire cupio, quid noui contra eum habetis allegandum: dicite ergo. quam accusationem affertis aduersus hominẽ hunc? Illi autem cum rationem adducere non valerent, de sua auctoritate plurimum superbiẽtes pro accusationis probatione auctoritatem reddiderunt dicentes: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* At quę hęc criminis contestatio, vt iudicem ad damnationem inclinent? Audi ibi Toletum. *Auctoritatem suam sufficiẽtem*

Ioan 18. v. 29.

Vers. 30.

Toletus.

tem probationem omnium affirmant. Suis dictis & existimationi, qua apud populum commendabantur, insistentes, quasi lacessiti Pilati interrogatione auctoritatem suam sufficientem esse probationem blaterant: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Quasi dicant: Nisi ita esset, homines nobiles, & qualitatis nostræ non ad te illum adducerent damnandum: sufficientissima enim criminis probatio est, vt viri auctoritate inclyti, & opinione conspicui id asserant, nec alij sunt adhibendi testes, vt morti tradatur. Hoc enim proprium genium potentium est, auctoritatis pondere sua consilia defendere, & probare mendacia Quod passim contingit: nã sola diuitis insimulantis auctoritate innocentes damnantur, quia sufficiens (etiam contra optimos viros) reputatur probatio, si à potentioribus accusentur, ita vt idem sit damnari, ac in potentum odium incidere.

236 Matth. 27. v. 1. mane facto consiliũ inierunt omnes Principes Sacerdotũ, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus.* &c. Plane Iudas male vidit: quia tunc Christus non erat dãnatus. Nondum Iudici causa discutiẽda traditur, & iam damnationis sententia auditur? Si tunc primo Præsidi, apud quem vitæ mortisque erat potestas, Christus traditur, & nondum neque sumarie neque plenarie de crimine constabat: quo pacto iam damnatus dicitur? Egregie Orig. Tractat. 25. in Matth. difficultatem versat. *Quomodo Iudas vidit, quia damnatus est? Nec enim adhuc condemnatus fuerat Iesus, neque a Pilato interrogatus. Forsitam autem dicet aliquis: vim patiens; quoniam consideratione mentis suæ vidit, quia condemnatus esset, ex eo quod traditum aspexit à Principibus Sacerdotum.* Quasi dicat: Rem factam & absolutam vidit Iudas, cum nouit Iesum traditum à Principibus & senioribus Iudæorum: nouerat enim, quam facile Iudices Magnatorum auctoritate aduersus innocentes mouentur. Vbi primo Iudici traditur, iam damnatus creditur, *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset:* Quia probè sciebat, Principes contumaciter in accusatione perseueraturos, & Iudicẽ illorum auctoritate absque alia criminis probatione fore damnaturum. Sic Maiorum auctoritas insolescit, vt pro suo nutu res determinent, & vbi ipsorum vana intercedit auctoritas, frustranea reputentur aliorum consilia, aliorumque suffragia impertinentia. Pulchre igitur Propheta hic Dei potentiam Principum colla subiugantẽ introducit, *Et contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mũdi.* Vt eorum in suis consilijs obstinatam perseuerantiam innuat: quandoquidem sola Dei mirifica virtus illam flectere, & mutare valet.

Matt. 27. v. 3. Origenes.

ANNOTAT. I. III. MORALIS.

SVBDITORVM SCELERA SVPERioribus imputantur.

237 EXEMPLARIS Superiorum vita potentissime in subditos serpit, & siue ad pietatem fouendam, siue ad inducendam morum corruptelam plurimum valet: exindeque inferiorum flagitia merito Superioribus imputantur, pro illisque pœnas luunt: quia illorũ pernicioso exemplo irretiti in talia facinora prolabuntur subditi: vt enim habetur in Græca paræmia: *Piscis à capite putrescit.* Ab improbo Præsule inficitur tota cõmunitas: & idcirco montes & colles, qui Superiores significant, tantum corripi vaticinatur Propheta. *Et contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mũdi.* Quasi ipsi soli peccassent: quia subditorum criminum sunt rei, siquidem ipsis ducentibus errauerunt illi. Nihil difficilius sanè est, quam violẽtas sibi quemquam manus inferre: at vbi Saul se malo agitante dæmone interfecit, eius quoque armiger in eamdẽ se insaniam præcipitauit. *Arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eũ.* 1. Reg. 31. v. 4. Quid ex Saulis demen-

tia

tia se ipsum interficientis secutum est? Adi textum *Quod cum vidisset armiger eius, irruit etiam ipse super gladiũ suum, et mortuus est cum eo.* Quasi Regis insania in eo sistere non posset, quin ad seruum pariter funderetur. Quo spectat illud D. Gregorij 1. part. Pastoral. c. 2. *Cũ Pastor per abrupta graditur, cõs. quẽs est, vt ad præcipitiũ grex feratur.* More ouium ducentẽ Præsulem sequuntur subditi, & vbi ille in præcipitiũ dilabitur, dilabũtur isti. Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Præfecti sine duce errant; subditi ducente Præsule delinquunt, & prauo imitamento ruunt: proindeque non solum ipsis, sed & ducentibus eorum errores imputantur.

Vers. 5.

D. Greg.

238 Sitiẽte populo in deserto, sic Moysi Deus affatur: *Sume tecum de senioribus Israel, et virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, et vade, percutiesque petram, et exibit ex ea aqua.* Exod. 17. v. 5. Nõ leuem difficultatem hæc verba ingerunt: quoniam non Moyses, sed Aaron fluuium AEgypti virga percussit, illiusque fluenta in sãguinem vertit, vt habetur Exod. 7 v. 19. *Dixit quoque Dominus ad Moysẽ: dic ad Aaron: tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas AEgypti, et super fluuios eorum, et riuos ac paludes et omnes lacus aquarum, et vertantur in sanguinem.* Si ergo non Moyses, sed Aaron flumen virga percusit; quo pacto Deus Moysi præcipit, vt illam eamdem virgam, qua percussit flumen, ad percutiendam petram assumat? D. August. quæst. 64 in Exod. dificultatem soluit. *An quod Aaron fecit, Moysi potius attribuendum est: quia per Moysem iubebat Deus, quæ faceret Aaron: et in hoc auctoritas; in illo ministerium?* Tantæ molis est alijs præesse, vt quęcumque inferiores agunt, Superiori tribuantur: percussio enim aquarum, etsi ab Aarone fuerit exercita, à Moyse tamen fuit precepta: quia per illum Deus populo faciẽda iniungebat: & idcirco quasi ipse feciſſet, ipsi imputatur: quia quidquid populus proficit, aut deficit, à pernicioso Superiorum exemplo venire censetur. Hinc vbi grauissimè peccauerunt filij Israel, dum à fœminis Moabitis prouocati in luxuriam, & idololatriam corruerunt, Principes tantum suspenduntur, & commissi flagitij pœnas luunt. *Tolle* (inquit Deus) *cunctos Principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Numer. 25. v. 4. Si populus crimen commisit: cur pœnę reatus tantum apud Principes est? Cur penduli soluunt Proceres, quod non peccarunt; & impunè delinquit populus? Reus absolvitur, & dãnatur innocens? Pulchre D. Petrus Damianus lib. 4. epist. 15. ad finem. *Quid est, quod populus in luxuriæ voraginem labitur, et in eorum Præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, et Principes in patibulis suspendantur? Alius est, qui peccat; alius ille, qui vapulat? Vnde hoc? Nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium, et quod ab omnibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur.* Quotiescumque populus in labem ruit, reus habetur Princeps, & meritò plectitur: quia illius aut prauo consilio, aut pernicioso exẽplo, aut negligenti otio subditi delinquunt.

Exod. 17. v. 5. et 6.

237

Cap. 7. v. 19.

D. August.

Num. 25. v. 4.

D. Petrus Damian.

239 AEgrè ferens populus cunctationẽ Moysis in monte Aaronem agitat, vt Deos duces ipsi efformet: ille autem acceptis gazis & xenijs, quæ populũ diuertere studens postulauerat, in ignem proiecit, vitulusque egressus est, quem & Moyses postea confregit, & combusit. Videnſque populum nudatum & spoliatum Aaronis consilio, iratus ipsi affatur: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Exod. 32. v. 21. Cur Moyses potissimum arguit Aaronem, qui metu mortis populum à fabricando vitulo non cohibuit; pro populo vero orat, vt noxam Deus illi condonet? Cur totum perpetratum flagitium Aaroni imputat? Cum ipse aurum postulauerit credens populum propter eius auaritiam ex petitione auri ab impetu retardandũ, vt Auctor est Lyra. Vel (vt alij sentiũt) aurũ proiecit in ignem, vt ibi absumeretur, ne idolum fieret:

Exod. 32. v. 21.

Lyra.

fieret: quod approbat Diu. Auguſt. (quæſt. 145. in Exodum) eo quod Moyſes, quem veritas facti non latebat ex collocutione cum Deo, fratrem ſe excuſantem de mendacio non redarguit? Cur igitur Aaroni tantũ crimen obiectat, & increpat, quod ipſius cauſa populus fuerit in idololatriam prolapſus? Auſculta D. Auguſt. quæſt. 146 in Exod. *Notandum, quemadmodum illud totum, quod fecit populus, Aaron tribuatur, quod eis conſẽſerit ad faciendũ, quod male petierant: magis enim dictũ eſt: Diſſipauit eos* (ſic legit Auguſt.) *Qui ceſſit eis, quam diſſipauerunt ſe ipſi, qui tantum malum flagitauerunt.* Etenim illa ceſſio Aaron, illa benignitas, & illicita conſenſio (quæ potius vulnus eſt, quam beneficium) cauſa fuit, vt magis ipſe illos diſſipaſſe dicatur; quam quod ipſi ſe diſſipauerunt: quandoquidem illicita Superioris actio (qualis illa Aaronis erat) tranſfunditur ad populum, & in ſubditos deriuatur, meritoque potius Superior, quam ſubditus, vbi ſubditus delinquit, arguitur: per malignos enim traduces & Superiorum praui mores deſcendunt ad ſubditos, & ſubditorum crimina aſcẽdunt ad Superiores.

240 Totus eſt Paulus in epiſt. ad Titum cap. 1 in inſtruendis fidelibus ad eligendum Prælatum, qui bene moratus ſit, & inter alia conſulit in Preſbyterũ ac Epiſcopum eligi, qui ſubditos habeat fideles, & ab omni accuſatione immunes. *Epiſt. ad Titũ c. 1. v. 6.* *Vnius vxoris vir filios habẽs fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos* Et ſtatim rationem reddens, cur illum præcipiat initiari, qui ſubditos habeat omni virtute præditos, addit: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Verum quid prodeſt ſubditorum ſanctitas, vt Prælatus ſine crimine ſit, quod ex illorum inculpata vita Prælati ſanctimoniam Paulus infert? Audi Hieronymi verba ſubtiliter exarata ad cap. 6 epiſt ad Epheſios *Quaſi vitia filiorum parentibus imputentur, coniunctionem cauſalem interſerens ait: Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe: non eſt ergo ſine crimine Epiſcopus, cuius filius non fuerit ſubditus.* *Hieronym.* Quaſi crimine carere non poſſit, qui filios habet criminoſos, virtutem Paulus exigit in ſubditis, vt exinde Prælatus ſine crimine ſit. Eandem ſẽtentiam ad Timotheum ſcribens non minus pulchre repetit: magnopere enim ipſi commendat, vt orationes iugiter fiant. *Pro Regibus* (inquit) *et omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* 1. ad Timoth cap. 2. Reddenſque huius, præcepti motiuum ſubijcit: *Vt quietã et tranquillam vitam agamus in omni pietate et caſtitate.* Non formalis videtur ratio, quam Paulus faciẽdarum obſecrationum reddit: primo enim debebat orationem iniungere pro Regibus & Superioribus, vt ipſi iuſtè ac pie viuerent, quam vt ſubditi bene morati ſint. Vt quid igitur pro Regibus & Præfectis preces fundere iubet, non vt ipſi pie & religioſe viuant; ſed vt ſubditi honeſtam & tranquillam vitam agant? Verum idem eſt pro Superiorum iuſtitia & religione exorare, ac pro ſubditorum ſpiritualibus incrementis: nam ab illis in populum deriuatur virtus, & ex illorum recto regimine ſubditi ad bonos mores inſtruuntur: vt enim dicebat Tacitus de Superioribus loquens: *Ita nati ſunt, vt bona malaque eorum ad rempublicam pertineant.* Tam ſunt propriæ ſubditorũ Præſulum virtutes, vt idem ſit Superioribus auxilia ad benè operandum impetrare, ac ſubditorum bonos mores ſancire. Quod Caiet. ad prædicta Pauli verba accuratiſſime ponderauit. *Id tamen aduertendum eſt, quod cum dixiſſet: Tũ pro omnibus hominibus, tum pro Regibus et Dominis, prius more ſuo declarat poſtremum: ſcilicet quare pro Regibus, et in celſitudine conſtitutis: vt quietam et tranquillam vitam agamus: ſiquidem ſermo Pauli formalis eſt, cum dicit pro Regibus, et tẽporalibus Dominis orandum: videlicet quatenus regunt, et dominantur, vt regimen eorum iuſtũ ſit: nã inde ſequitur iſte fructus, vt tranquillũ et quietam vitã agamus Chriſtiani.* Quidquid in Superioribus viget, ſiue bonũ ſit, ſiue malum, ad ſubditos deriuatur, qui illorum moribus imbuuntur.

Ad Timoth. 1. c. 2. v. 2.

Tacitus.

Caietan.

*** AN-

ANNOT. L.IV. MORALIS.

IMPVNITAS VITIA FOVET: supplicium auertit.

241 CLEMENTIA non est seueritatis expers, quin potius illam secum affert, vt dicebat Seneca lib 2. de clementia cap. 4. *Possumus effugere cauillationẽ, et ita finire, vt sit crudelitas inclinatio animi ad asperiora: hanc clemẽtia repellit longius a se: nã seueritatẽ illi cõuenire ad esse certũ est.* Pietas, quæ à seueritate recedit, à virtute declinat, & ad ignauiã trãsit, qua scelerati effrænes delinquũt, & ad flagitia quęque patranda excitãtur: quia, vt dicebat D. Ambros. serm. 8. in Psal. 118. *Facilitas veniæ incẽtiuũ tribuit delinquẽti.* Et Cicero pro Milone *Magna est illecebra peccãdi impunitatis spes.* Idẽque Tulius lib. 3. de offic. de ira Dei sermonẽ instituẽs *Bonorũ salutẽ custodit, qui malos punit.* Et Ennodius in vita Epiphanij pereleganter. *Vicia trãsmittit ad posteros, qui præsẽtibus culpis ignoscit: qui criminosos patitur impune trãsire, ad crimẽ hortatur insõtes.* Supplicio enim aditus ad vitia præcluditur; impunitate vero licẽtia peccãdi exhibetur, omnisque malitia viget: quia, vt dicebat D. August. lib. 4. de Ciuit. *Remota iustitia, quid sũt regna, nisi magna latrocinia?* Puniẽdi ergo sũt, qui delinquũt, vt paucis correptis frenẽtur plurimi, & vnius periculũ metũ omnibus incutiat. Quod rectè ad institutũ dixit Seneca. *Vt fulgura paucorũ periculo cadunt, omniũ metu: sic animaduersiones magnarũ Potestatum terrent latius, quã nocent.* Hac arte præcipuè in Africa fugantur leones, ne populis noceãt, eorũ pellibus & exuuijs in mænijs pẽdentibus: quod pulchre nescio quis cecinit.

Mænia diffugiunt, vbi pendent ecce leones
Exuuiæ lybicæ, nec ibi adire valent.
Tympana facta lupi proprijs ex pellibus horrent.
Quo pendet vulpes, et fugiunt aliæ.
Sontes sic Nemesis frænat rectissima virgo,
Et scelus abscindit, nõ nisi suppliciũ.

Quò apprimè spectat locus illæ Isaiæ 30. v. 17. *Mille homines à facie terroris vnius, et à facie terroris quinq; fugietis, donec relinquamini quasi malus nauis in vertice mõtis, et quasi signũ super collẽ.* Loquitur Vates de supplicio Iudæis infligẽdo Babyloniorũ tyrannide: de quo & Propheta noster in præsenti affatur. Verũ quid cũ malo nauis illud habuit cõmune suppliciũ? Scitè Pintus locũ cõmẽtatur. *Quãdo nauis* (inquit) *frãgitur in mari, et ad rupẽ in alto absconditã alliditur: tũc eleuatur malus nauis ab illis nautis, qui euaserũt ibi, in terra in aliquo mõte, vt eũ videntes ij, qui postea ea parte nauigauerint, intelligãt esse illic rupẽ in mari abscõditã, aut periculũ aliud, et caueãt.* Sic, inquã, læsis à Nabuchodonosor Iudæis, eorũ aliqui reseruãtur, velut signũ nauis fractæ, & populi euersi, vt deincẽps cęteri homines tale signũ supplicij aspiciẽtes Iudęorũ superbiã & inobediẽtiã declinẽt, in illorũq; punitione omnes periculũ faciãt. Debita ergo seueritate se Superior armare debet, vt subditorũ peccãdi licẽtia cõpescatur, & ita clemẽtiã exercere, vt nõ obliuiscatur seueritatis: quia vtraq; indiget, vt in Sentẽtijs dicebat D. Bernard. vbi pastorẽ virga & baculo præuentũ depinxit. *Habet etiã baculũ, quo feriat lupos. Virga oues: baculo lupos. Hoc est, mites et obedientes debet leuius corripere: duriores vero corde, et improbos acrius arguere.* Et in Declamationibus ad illud Psalm. 22. *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, ait: *Portat pastor virgam, et baculum: illam omnibus, illum lupo: omnia autem propter electos.*

242 Numer. 8. lucernarum & candelabri situm ac formam Deus Moysi tradidit; & inter alia hæc præcipit: *Loquere Aaron, et dices ad eum: Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur: hoc igitur præcipe, vt lucernæ contra Boreã è regione respiciãt ad mẽsam panũ propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.* Per candelabrum Glosa Moralis Christum Dominum intelligit, qui primus & optimus Pastor est, quemque omnes

passores æmulari, & imitari debent. Imo Rupertus (libr. de Trinitat. & operib. eius c. 19.) quoscumq; Præsules in candelabro adumbrari arbitratur. Iam igitur sciendũ est, cur Deus præcipiat candelabrũ erigi in australi parte, vt lucernæ contra Boreã respiciant, ibiq; perenniter luceant? Quomodo exiguę lucernæ Boreę impetũ rauidissimũ sustinere valebunt, quin extinguãtur? Ad quid, vbi vrget procella, accenduntur lumina, quæ vix tenuissimis auris possunt resistere? Præstaret lumina intra custodiã habere, ne aeris incursionibus passim ea accẽdere esset necesse. Verum vbi ingruit tẽpestas, vbi efferuntur venti, ibi lux, quæ Præsulẽ significat, ardere constãter debet: aduersus rebelles & indomitos maximè accendi superiores tenẽtur: vbi Boreæ impetus perflat, vbi subditorũ obstinatio resistit, ibi Præsulis ardor, & lux micãtior & validior appareat necesse est. Non delictorũ vi, nõ fauorum aura flectãtur; sed obstinatè ardeãt, vt vitia absumant, & delicta puniant: nulli labori parcant, vt leges seruentur; sed feruentis zeli flãmis, quidquid culpam redolet, comburant, & supplicijs emendent.

Rupertus

243 Dei præcepto ductus intimauit Samuel Sauli regni depositionem, quia Deũ, qui ipsum elegerat, habebat infensum. *Abiecit te Dominus, ne sis Rex* 1. Reg. 15. Quęrunt Interpretes, propter quã culpã Saul à regno fuerit depositus: multis enim flagitijs erat inquinatus, quę celerẽ vindictã exigebant. Nihilominus omnes cõueniunt, quod propter veniam, quam contulit Agag Regi Amalec, à regno fuit depositus. Pręceperat illi Deus, vt omnes Amalecitas interficeret: ille autem cõtra Dei iniunctum pręceptum Regi pepercit. Quis non miretur, quod piẽtissimus Deus hominis pietate offendatur, & à munere Regẽ indulgentem deponat? *Eum dãnauit* (inquit Theodoret. quæst. 33. in 1. lib. Reg.) *quia præter legẽ vsus est misericordia.* Deus cui proprium est misereri, misericordia offenditur? Ita equidẽ, & merito quidem. Regia dignitate iuste priuatur, qui debita seueritate nõ vtitur: quia cum regnum disciplina seruetur, aptus nõ est regno seruando, qui disciplinã relaxat, cum re vera nimia Superioris indulgentia multorũ esse soleat delictorũ fomes, & nutrimẽtum vitiorum. Vnde Eliseus à pueris cõuitijs impetitus, nec pueris quidẽ pepercit, dũ ex illis quadraginta duos vrsis tradidit, lacerandos 4. Reg. 2. Ad quẽ euentum Iustinus Martyr quæst. 80. ad Orthodoxos dixit: *Seueritas ijs, qui sunt inemendabiles, vtilior est, quam patientia.*

1. Reg. 15. v. 23.

Theodor.

Iustinus Martyr.

244 Mirum sanè est, quòd solus Seba filius Bochri totũ populum tumultuãtem auerterit. *Et separatus est* (inquit textus) *omnis Israel à Dauid, secutusq; est Seba filiũ Bochri.* 2. Reg. 20. v. 2. Cur obsecro, sic rebellis populus cõtra Regẽ à Deo cõstitutum cõspirat, maiestatis læsę crimen nõ abhorret, & vocẽ sequitur Sebę dicẽtis: *Non est Nobis pars in Dauid, neq; hereditas in filio Esai?* Cur vna dumtaxat tribu Iuda remanente cũ Dauid, cœterę tribus Israel priuatum hominẽ sunt secutæ, relicto earum Rege benemerito? Abulẽs. quęst. 4. in c. 20 lib. 2. Reg. inclinationẽ populi ad noua quęq; amplectẽda, & cæcã sequelã in tumultuarijs euentibus hic rectè agnoscit. *Omnis Israel secutus est Sebã. Scilicet, quod sicut ipse primus recessit, ita omnes post eũ recesserũt.* Quocumq; homine etiã de infima plebe turbato, totus populus post ipsũ vadit. Sed opinor iã tũc populum exosum habuisse Dauidẽ, quia nimis fauebat viris Iuda, & idcirco cupiebãt aliũ quẽcumq; Regẽ habere, potius quam Dauid, factaq; seditione omnes vocẽ Sebę sunt secuti: quia cũ populus exosum habet Regẽ, vbi vnus recedit, sequuntur omnes. Et vlterius ipsũ prosequebãtur odio, quia Dauid vir mitissimus erat: parcebat nãq; infensissimis hostibus, vt Semei, Ioab &c. Nec solũ proprias cõdonabat iniurias, sed quæ cõtra leges & iustitiã cõmittebãtur. Insuper populũ suaui musicæ melodia demulcebat. Quid expectat Princeps, qui omnia parcit, impunitaq; omnia relinquit, nisi phreneticos tumultus, & rebellionem cõtra ipsum? Quia ini-

2. Reg. 20 v. 2.

Vers. 1.

Abulens.

iniquorũ ea est conditio, vt crudelius in Principem sæuiant, dum suauius cũ illis agitur. Nõ solũ suo, sed & populi cõmodo ac quieti cõsulit Princeps sceleratos puniẽs, & disciplinã vndequaque relaxatã instaurãs: *Quia seueritas ijs, qui sũt inemẽdabiles, vilior est, quã patientia*, vt dicebat Iustinus Martyr.

ANNOTAT. L.V. MORALIS.

SEDITIOSVS CIVIS BELLVM IN Republica fouet, vt ex illo lucrum captet.

245 MINORES (dicebat Aristot. 2. politicor.) *vt fiant æquales seditionẽ faciunt: æquales vero vt fiant maiores.* Hic enim discordiarũ finis est. Vt lucrũ seditiosi capiant, rẽpublicã euertunt, & turbata publica pace, crescũt abiecti, decrescunt nobiles. Sic piscator aquã turbidam expectat, vt pisces capiat: sic paleæ, quę humi iacent, dũ furit aura, in summũ vehuntur: sic camelus aquam turbat, vt bibat. Ab his enim, qui nõ aliter proficiũt, nisi inuerso rationis ac meritorũ ordine, discordia fouetur, animatur, & adolescit: & vbi quiescunt res, deficiunt; veluti aquatilis salamandra, de qua Pierius in Collectaneis lib. 5 affirmat, nunquã nisi in magnis imbribus apparere, & in serenitate deficere. Quod dixit etiã Theophrast. *Degit in fluminibus et stagnorũ ripis, et per fulgura et tẽpestates caput exerit.* Eodẽ modo obscuri & seditiosi ciues, & quibus, si in pace domi viuendũ esset, nec panis quidẽ ad victũ suppeteret, per tumultus & bella emergũt, vt ad maximas opes deueniant: quia vt dixit Arist. 2. politicor. *Populares homines discordãt propter inæqualitatẽ possessionis: generosi autẽ propter inæqualitatẽ bonoris.* Ita vt non solũ verũ sit illud Sallustij. *Cõcordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur:* Sed etiã è cõuerso, discordia res paruæ crescunt, & maximę dilabũtur: quia semel turbato reipublicæ statu euertuntur nobiles, ignobiles crescunt. Vt enim grauiter & verè dixit Tertulian. lib. de prescription. c 41. *Nũquã facilius proficitur, quã in castris rebelliũ, vbi ipsũ esse illic, promereri est: itaq; alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nã et laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Sic turbulenter cõmota plebe, munera inuertũtur, & infimę fortunæ homines supra nobiles & benemeritos eleuantur, quibus aqua turbida grata est; quia ex illa lucrum sibi parant.

Aristot. Pierius. Theophr. Sallustius Tertulia.

Arroganti fastu, & toruo supercilio incedebat versus Dauidẽ superbissimus ille gigas Goliat venustum adolescentẽ despiciens. *Nunquid ego canis sũ, quod tu venis ad me cũ baculo?* 1. Reg. 17. Quasi id diceret, quod de lepore Martial. cũ leone cõparato Epigram. lib. 1. 246 1. Reg. 17. v. 43.

Martialis

Intres ampla licet torui lepus ora leonis.
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos?
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?
Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

Sic spurius blatero creditur allocutus, nec arma accipere aduersus Dauid volebat, sed ea ante ipsũ gerebat armiger, quasi erubesceret inermẽ iuuenẽ cũ armis adoriri. *Ibat autẽ Philisthæus incedẽs, et appropinquãs aduersum Dauid; et armiger eius ante eũ.* Vel vt habet Vatab. *Virq; ferens hastã præcedebat eũ.* Quisnã fuerit iste armiger, qui arma Goliat ad præliũ deferebat, difficile est agnoscere: quia neq; textus innuit, neq; Expositores de huiusmodi negotio curãt. Rupert. tamẽ lib. 2. de Trinit. & operibus eius c. 5 appositissimè ad nostrã thesim, & moralicalamo armigerũ egestatẽ esse arbitratur. *Quis est armiger eius? Nisi egestas semper præcedens faciẽ eius.* Verũ quid habet egestas cũ armis, cũ bello, cũ certamine, quod armata incedere creditur? At quid nõ habet? Profũde dictũ. Armiger, qui plurimos ad bella inducit, qui multos facit seditiosos fieri, egestas & abiectio est. Quas rixas, quas seditiones, quę bella non excitat desperata paupertas, famelicũ vulgus, vt

Verſ. 41.

Rupertus

fortunam mutet, & indigentię accurrat? Nihil planè cogitat, nihil molitur obscura plebs, quod in perniciem reipublicæ non redundet. Simultates fouet, discordiam seminat, vt mutato rerum ordine fortunam mutet.

247 Sub diuersis Dominorum famulatibus propter idolorum cultum Samariam seruire minatur Deus Osee 10. v. 7. *Transire fecit Samaria Regem suũ, quasi spumam super faciem aquæ.* Regem, ideſt, Reges, per synedochem dictum puta. [Sic Sanchez, Ribera, & alij] vt mutua vicissitudine diuersorũ Regum dominia, qui Samarię imperitarunt, significentur. At cur Regũ multiplicitas spumæ super faciem aquæ comparatur? Quæ infelicitas populo fuit, Reges velut feruentes spumas habuisse? Perelegantер Rupertus ad præ dicta verba. *Emerui* (inquit) *Samaria, vt Rex eius transiret, et regnum eius solueretur, sicut spuma super faciẽ aquæ. Sicut enim olla feruente, superiores aquæ in spumas bullasque erumpunt, ipsæque bullæ subsilientes colliduntur et alijs emergentibus, aliæ erumpunt, et dissiliunt: ita Samaria vel decem tribus iugi feruentes igne discordiæ Reges alios super alios creauerunt, et vsque ad decem vices percussis Regibus alij Reges superfederunt.* Quasi dicat: Non solũ sicut spumę se mutuo collidentes dissipati sunt, non solum illud regnum intestinis factionibus se mutuo discerpens concidit: sed quod miserabilius est, ita vt ignobiles & abiecti ad regnum veherentur. Sicut in olla feruenti fæces & crassitudines ad summum conscendunt: pie intumescenti bus seditionibus, pauperculæ plebis fæces, infimę sortis homunculi ad munera publica ascendunt, prævalentq; seditionum fautores, & propter sua commoda rixas & discordias in republica nutriunt: quod maxima calamitas & vltimum exitium est. Non sic nobiles & ingenui, qui pacem stabilire, & amico fœdere rempublicam cõseruare semper procurant.

248 Dauid de charitate & pace locutus aiebat Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Cur charitatẽ, pacem, & sociale fędus à capite & ad barbã vsque descendere Vates affirmat; cũ dicat Paulus: *Charitas diffusa est in cordibus nostris.* Et ipse Dauid Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis?* Quid per barbã innuitur, quod non vltra oleũ pacis diffunditur? Auscultа ibi Auguſt. *Barba significat fortes, strenuos, impigros, alacres: ergo illud primum vnguentũ descendit in illos.* Pax à capite, quod Principẽ denotat, in barbã, quæ reipublicę Proceres, nobilitate inclytos, sapiẽtia illustres significat, descẽdit; sed nõ vltra diffunditur, nõ in reliquas corporis partes, quę communem vulgus significant, dilabitur: quia in his non pax, non concordia, sed inordinati motus, seditiosi tumultus, & pernitiosæ dissensiones fouẽtur: quia turbata publica pace lucra adipiscuntur, & maligno seditionis fauore illuc ascendunt, vbi nunquam suis meritis pertingerent. Et idcirco vbi Deus carne assumpta apparuit, vt debellaret dęmonũ potestatẽ, quæ totũ mundũ deceperat, & ad execrabilẽ falsorum numinũ cultũ adduxerat, primo nobiles & Principes ad ipsius obedientiã inducuntur, & tranquilla pace mundũ venientem redimere excipiũt. *Et cõtristi sunt mõtes sæculi, incuruati sũt colles mũdi.* Hic v. 6. Quod de plebeijs, & infimę cõditionis hominibus nõ dicitur.

Psal. 132. v. 2.

Ribera.

Rupertus

Osee. 10. v. 7.

Sanchez

Ad Rom. 5. v. 5.

Psalm. 44 v. 3.

Auguſtin.

Idem.

Plutharc.

250

Exod. 33 v. 3.

Lyra.

Seneca.

ANNOT. L. VI. MORALIS.

VENIAM MERITO DEMERETVR, qui post accepta beneficia delinquit.

249 QVAM sæpe homines decipiuntur arbitrantes aliquos beneficijs habere deuinctos, quos tamẽ infensissimos hostes habẽt. Nihil deterius potest accidere, quã beneficia largitori insidiari, & propriis sumptibus cauteloſum armare inimicũ, dicebat Senec. lib. 3. de benef. c. 1. *Nõre ferre beneficijs gratiã est turpe, et apud omnes habetur ABuci liberalis. Ideo de ingratis etiã ingrati querũtur: cum interim hoc omnibus hæreat, quod omnibus displiceat: adeoq; in cõtrariũ itur, vt quosdam habeamus infestissimos non*

post

post beneficia tantum, sed propter beneficia. Acceptum donum vertunt in virus, & amicitiæ vinculum in odiũ, vt dicebat ipse Senec. epist. 19. *Nullum habet maius malum occupatus homo et bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non est: quod beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandos amicos, cum quidam, quò plus debẽt, magis oderint.* Hoc inquam maligno ingenio malitiam suam perficit ingratus, quia nulla alia execrabilior est, quam post accepta beneficia aduersus largitorem insurgere, & veluti tigris, qui (vt ait Plutharc. lib. de superstit.) suaui musicæ armonia irritatur, & contra cantorẽ ipsum demulcentem rauidè irascitur, benefactorem offendere tentat, ipsumque prouocat ad vindictam, omnemque aditum precludit ad veniam.

Idem.

Plutharc.

250 Postquam Hebræus populus in grauissimam labem fuit prolapsus, recusat Deus itineris se ducem præbere, ne ex huiusmodi consortio vltima ipsi strages adueniat, Augeloque committit ipsius deductionem. *Non enim ascendam tecum* (ait Moysi) *quia populus duræ ceruicis es: ne forte dispердam te in via.* Exod. 33. v. 3. Veretur Deus rebellem populũ sub ipsius ductu periclitari, & Angelicæ tutelæ ipsum cõmẽdat. Quid? Tutior ne est Angelica, quam Diuina custodia? Pronior ne Angelus ad miserendũ, quã Deus, quod fidit sub Angeli patrocinio populum seruari innoxium; sub Diuino autem arbitratu fore perdendum? Apage. Locuples Interpres Lyra sic ad prædicta verba excribit: *Non est per hoc intelligendum, quod Angelus de quo dixerat, quod esset eis ductor, esset misericordior ipso Deo: sed quod si adesset Dei præsentia modo prædicto [hoc est peculiaribus beneficijs exhibita] ex hoc rebellio populi esset grauior, et per consequens grauius punienda.* Maximè ingraue scit delictum post collata beneficia patratum, vrgetque ad supplicium. Ne igitur male responsa beneficia, quę Deus iugiter populo conferebat, ipsum ad celerem vindictam prouocarent (si adesset) abesse maluit, & comitem Angelum mittere decreuit, vt ab ingrato populo supplicium auerteret: quod non poterat non exequi, si infensis oculis ingratitudinem aspiceret iustitia exigente & instigante.

Exod. 33. v. 3.

Lyra.

Mortuo Naas Rege filiorum Ammon misit Dauid nuncios ad consolandum filiũ super morte patris, qui regnabat pro eo, piè & vrbanè cum Principe vicino agens: Ammonitæ autem legatos, quos habuere suspectos, rasos capite, præcisos tunicis, & vndequaque deformatos ad Dauidem miserunt. *Igitur Ammon pueros Dauid decaluauit, et rasit, et præcidit tunicas eorum à natibus vsque ad pedes, et dimisit eos.* 1. Paralip. 19. v. 4 Ambigit Abulens. cur Ammonitę, qui postmodum malè contra ius Gentium agnouerunt fuisse operatos, veniam commissi criminis non petiere, vt strages & bella, quæ postmodum sunt experti, euitarent: quandoquidem offensi Regis clementia ipsos non latebat, & quam facile precibus pœnitentium acquiesceret. Auscultа Abulensis solutionem. *Respondendum, quod Ammonitæ non petierunt veniam à Dauid, quia videbatur eis quasi contra naturam esse hoc remittere: nam si Ammonitæ fecissent iniuriam Dauid quolibet alio modo, erat remissibilis aliqualiter: quod tamẽ Dauid vellet benefacere eis, et pro beneficio ei contumeliam inferrẽt, erat irremissibile. Sic peccatũ in Spiritũ Sanctum dicitur irremissibile, quia illud solum est contra bonitatem, quæ attribuitur Spiritui Sancto; alia autem peccata sunt contra potestatem, quæ attribuitur Patri; vel contra sapientiam, quæ attribuitur Filio, et sunt remissibilia.* Mala pro beneficijs acceptis rependere spem aufert indulgentiæ, in beneficum largitorem peccare ipsum armat, & impellit ad vindictam. Non fatuè Ammonitæ infensum Dauidem non audent deprecari, quia frustra id fieret: nam pia officia male accepta, & peius responsa ipsum cogebant ad vindictam. Huc spectat quod ipse Dauid in Saulem, qui cædem ipsi moliebatur, nec manum

251 *1. Paralip. 19. v. 4.*

Abulens.

quidem ausus est extendere: ast in Nabalem, qui verbo tantum ipsum impetebat, ensem distrixit, & occidere efficaciter tentauit. *Et nuntiauerũt ei omnia, quæ dixerat. Tunc ait Dauid pueris suis: accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusque est Dauid ense suo, et secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri.* 1. Reg 25. v. 13. Valde miratur Theodoret (quæst. 54 in lib. Reg.) iracundiam Dauidis, & quod qui patientiam habuit ad sufferenda Saulis machinamenta, ad verba inurbani hominis sic irascatur, vt ipsum armata manu adoriri conetur. *Quamobrem ts qui in Saulem tantam ostendit lenitatem et patientiam, Nabalem tentat occidere?* Sibique ipsi satisfacit. *Reddidit* (inquit) *Dauid mihi malum pro bono: recordatus ergo Dauid horum beneficiorum, et auditis conuitijs magno impetu venit armatus.* Qui placato animo Saulis immeritas iras fuit perpessus, criminosè insurgit contra Nabalẽ, quia grauius illum offenderant Nabalis ingrata conuitia, quam Saulis lethales insidiæ, & qui tyranno pepercerat, ingratum venia dignum non putauit.

1. Reg. 15. v. 13.

Theodor.

252 Hinc lucem capit difficilis Origenis locus ad illa verba Matth. 26. *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* Quę passionis nocte blateranti Petro, & de sua constantia plurimum se iactanti prædixit Christus Dominus. Vbi acute obseruauit Origines (tract. 35. in Matth) arcane admodum dixisse Dominum, Petrum antequam gallus cantum edidisset, illum negaturũ: in quo voluit ostendere in eo ipsius negationem salutis remedium forę habituram, quoniam Deum negari à peccatore, antequã cœli lux ei affulgeat [quæ sub galli cantu hic intelligitur, qui antequam Sol oriatur solet edi] indicium est, quod postea Diuino Sole in anima oriente, & intellectum tenebris lethalis sceleris offusum illustrãte, peccator ad ipsum reuertetur, vt contigit Petro. Ast quando peccator recepit cœli lumen, illustrationemque internam, postquam gallus cantum edidit, & ingratus tanto beneficio contra Deum rebellat, misericordiæ & veniæ indignus efficitur. *Forsitam autem* [inquit Origenes] *et omnes homines quando denegant Iesum, ita vt peccatum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur, nondum eis nato Sole iustitiæ, neque appropinquante eis ortu ipsius: si autem post ortum huiusmodi Solis ad animam volentes peccauerimus, iam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile iudicium.* Noluit Origenes peccatorum relapsum locum non habere pœnitẽtiæ (hoc namque contra fidem est, quia semper potest peccator resipiscere, & veniam apud clementissimũ Iudicem inuenire) sed voluit asserere, tunc peccatum grauius esse ex circũstantia, & dignum, vt à Deo acerbius puniatur: cum peccata contra personam benefactricem, & quę magna cõtulit beneficia, deteriora ac grauiora sint. Vel irremissibilem putat noxam sensu, quo loquitur Abulensis, idest, ex se venia indignam, nisi magna Dei interueniat misericordia.

Origenes.

Math. 26. v. 34.

253 Hoc sane significauit Christus Dominus in parabola ingrati serui, qui cum à Domino magnam misericordiam accepisset, paruam etiam conseruo suo denegauit: quapropter excandescens Dominus *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Matth. 18. v. 34. Quod nam est illud vniuersum debitum, quod Dominus immisericordi seruo reddere præcepit? Num Dominus debita, quæ semel remiserat, iterum repetit? Absit: licet enim Theologi 3. p. quæst. 89. meritorum reuiuiscentiam concedant; tamen quæst. 88. reuiuiscentiam peccatorum meritò non admittunt. Cur igitur cogitur iniquus seruus summam debitorum soluere? Optimè Isidorus Clarus difficultatẽ attigit. *Intelligite vniuersum debitũ peccatum illud, quo ingratus tantæ Dominj beneficentiæ nec exiguum debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam graue fuit, vt illud prius decem millium talentorum debitum æquauerit.*

Math. 18. v. 34.

Isidorus Clar.

Et licet opus non fuerit, quod hoc posterius peccatum priori illi seruo imputatum omnino æquaretur [vt S. Thom. quæst. 88. citat. inculcat] illud saltem efficitur, vt peccatum ex obiecto non ita graui, & circunstantia beneficij accepti grauissimum euadat, & pro illo peccator grauiori pœna puniatur. Sic Iudæa tam magnis beneficijs male respondens, confusa ignominia, ad captiuitatem Babylonicam ducta fuit, & præcipuè ipsius Proceres à Deo fuerunt contriti propter flagitia contra ipsum perpetrata. *Stetit, et mensus est terram, aspexit, et dissoluit Gentes, et contriti sunt montes sæculi.* Hic v. 6.

S. Thom.

ANNOTAT. LVII. MORALIS.

MAGNITVDINE RES decrescunt.

254 SOEPE nocet maxima fortuna, prodest moderata; hæc vtilis est, illa nimis periculosa: nam sicut segetem prosternit vbertas magna, proprioque fructuum pondere franguntur rami, sic animus nimia prosperitate rumpitur. *Non peruenit* (dicebat Seneca epist. 39.) *ad maturitatem nimia fœcunditas. Magni animi est magna contemnere, et mediocria malle, quã nimia.* Etenim res mundi cum procedere vlterius non possunt, naturaliter recedũt, fluminibusque sunt similes, quæ cum vlterius progredi nequeũt, retrocedunt. Vnde Lactantius: *Plus* [inquit] *habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora:* Nam cum ad culmen peruenitur, mox descendere necesse est: quia docente Seneca lib. de consolat. ad Marciam. *Nulli fere et magna bona et diuturna contingunt: non durat, neque ad vltimum exit nisi lenta felicitas.* His equidem qui ad culmina sunt euecti fortuna minatur, periculosiorique lapsu ruunt: nã vt ait Horatius.

253

Seneca.

Math. 18. v. 34.

Lactant.

Seneca.

Isidorus Clar.

Horatius

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ grauiori casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Quidquid enim ad summum peruenit, ad exitum properat, ad eum modum, quo vt dicebat D Cyrillus lib. 2. apolog. 29. *Vltimus gradus salut sprimus est morbi.* Cui consonat D. Agust. *Salus vitrea, cum magis splendescit, tũc frangitur.* Sic punctus vltimus pleni lunij primus est defectionis, & vbi lux sistitur, ac magis splendescit, ibi vmbra incipit. Hinc enim dicebat Dauid Psalm. 118 v. 23. *Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum.* Quę verba de Christo Seruatore, cum ad mortem duceretur, omnes accipiunt. At cur nõ sicut vmbra in quocumque statu, sed sicut vmbra iam inclinata (sic enim Hebræus vertit) Christus dicitur ad mortem duci? Quæ proportio inter vespertinam vmbram, quæ semper protrahitur, & mortem Christi, quod ad ipsam pari modo ducitur? Ausculta Caietani ingeniosam commentationem. *Christus quando apparuit valde grandis, tunc occisus est: ante quinque dies mortis eius clamauit populus: Benedictus qui venit in nomine Domini, et deinceps quotidie mane ibat populus ad prædicationem eius: sic ductus fuit ad mortem, sicut vmbra inclinata, quæ cum maxima est, tunc deficit.* Nullo tempore sic magna & extensa vmbra appareat, ac in vespere, corpora enim exigua vmbras distendunt lõgissimas: sic vbi Christus Dominus vita & miraculis maximus apparuit, properauit ad mortem, sua se magnitudine interemit: quia non patitur fortuna subsistere, quod ipsa accrescere non valet, & ad sua principia reducit, quæ supra modum augentur.

D. Cyrill.

D. Agust.

Hebræus

Caietan.

255 De velocissimo illo Asael dicitur 2. Reg. 2. v. 23. *Qui audire contempsit, et noluit declinare: percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, et trãsfodit, et mortuus est in eodem loco.* Merito miratur Paschasius (lib. 3. in Threnos) quod victoria Abner in assecutione Asaelis consisteret, nam ille cursu erat velocissimus, & qui aerem in ocyssimo cursu lacessire tentabat Quo ergo pacto qui pennas pro pedibus habebat, inimicam & armatam manum õ valuit effugere, nec vitam tueri? Audi

2. Reg. 2. v. 23.

Paschas. Paschasium. *Asael cursu erat velocissimus tanquam vna ex capris, quæ morantur in syluis, nescientes velocem animi motum patientia et grauitate temperare: vnde dum velocius sequitur hostē, ictus vulnere deperijt.* Velocitatis magnitudine, qua Asael pollebat, mortem adeptus est, & quod præsidium putabatur ad tutandam vitam, ipsum ad interitum duxit: res namq; vt egritudine, magnitudine pereunt, & ingentior felicitas prophetia est vlterioris casus. Hinc Herodes vbi ortum infantis audiuit, timore concutitur. *Audiens Herodes Rex turbatus est.* Matth. 2. v. 3. Cur inualidum infantem timet, qui in possessione regni erat, nec phalanges videbat armatos, sed inermis pueri inter paleas vagientis natiuitatē audiebat? Imperfecti operis Auctor hom. 2. in Matth. eleganter huius turbationis causam detegit. *Imperf.* *Sēper grandis potestas timori subiecta est: sicut cacumina arborum ex excelso positarum, etiam si leuis aura flauerit, mouentur. Sic sublimes homines in culmine dignitatum existentes etiam leuis nuntij fama conturbat: humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate consistunt.* Magnitudo enim periclitatur in seipsa, nec indiget externo hoste, vt ruat: ipsa etenim magna prosperitas se ipsam impellit ad ruinam ita vt ex summo imum augurari liceat.

256 Ducitur Ionas præcepto Dei contradicens ad Niniuem, quę quidem Metropolis erat, emporiumque amplissimæ ditionis, populosa, pulchra & magna nimis, ita vt minori tempore, quam trium dierum spatio, non posset transgredi *Et Niniue* (inquit text) *erat ciuitas magna itinere trium dierum.* Ionæ 3. v. 3. Ingreditur ergo Ionas ciuitatem, & illius subuersionē palam prędicat. *Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur.* Ibi v 4. Pleri que cum Origene legunt: *Adhuc tres dies, et Niniue subuertetur.* Sed vnde id prędagiebat Propheta? Nam talem comminationem à Deo non acceperat, & periculo mentiendi se certo exponebat, qui absque reuelatione Diuina id affirmabat, quod postea non erat euenturum. Vnde tam magnæ ciuitatis breuissimam durationem suspicabatur, quod absque hęsitatione audet dicere, intra tres dies fore diripiendam? Crediderim, ex ipsa ciuitatis opulentia & magnitudine ipsius ruinam fuisse rimatum: sciebat enim, quam in proximo sint, vt pereant, quæ fastigium felicitatis tenuere: & vbi amplissimam ciuitatem vidit tot superbis ędificijs & opibus refertam, nō prophetiæ spiritu, sed naturali ductu ipsam proxime ruituram auguratur. Prodest Origenes hom. 16. in Numer. *Ionæ 3. v. 3.* *Origenes.* *Obserua igitur, quod non inuenitur in sermonibus Dei, quibus ad Prophetam locutus est, quia adhuc tres dies, et Niniue subuertetur: sed Ionas cum ingrederetur ciuitatem quasi iter trium dierum, ipse dixit: quia adhuc tres dies, et Niniue subuertetur.* Sententiam Origenis non approbo; sed ad nostram thesim placet illam perpendere: nulla enim Dei habita notitia, sed magnitudinis terminis inhærens prædixit Ionas Niniuem intra tres dies euertēdam, quia quę ad prosperitatis culmen deuenerat, ad exitium properabat: magnitudo enim non rebus æstimatione m parit, sed ruinam: quandoquidem nimiæ felicitatis natura est, sibi ipsi nocere, & quò altius surrexit, pronius vergere in occasum.

257 Achab & Iosaphat, illo Israel, hoc Iudęę Rege ad bellum procedentibus contra Regem Syriæ, pseudoprophetarum vaticinio deceptis, Achab consuluit Iosaphat, vt regalibus vestibus indutus ingrederetur bellum, dum ipse habitum denudabat. *Dixit itaque Rex Israel ad Iosaphat: sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis: porro rex Israel mutauit habitum suum, et ingressus est bellum.* 3. Reg. 22. v. 30. Cur autem se à regalibus vestibus Achab denudauerit, & Iosaphat regi Iuda suggesserit, quod Regijs trabeis indueretur, non omnes conueniunt. Aliqui huiusmodi factum referūt ad vrbanitatem Regis Israel, qua vententem auxilio Iosaphat ita voluerit honorare, vt nemo præter ipsum

3. Reg. 22 v. 30. 258

Rex

rex appareret, quapropter ipse regalia indumēta deposuit, ita Caiet. Hugo, Lyra, & Abulens. quæst. 19. quod maxime contextui congruit. Verosimilius tamen eisdem Auctoribus videtur, Achab mutato habitu prælium inijsse, vt mortis periculum subterfugeret; seu vt sentit Lyra: *Vt pondus belli verteretur super Iosaphat.* Vel quia (vt ait Caiet) *Cogitauit sibi minus imminere periculum, si non agnitus protegeretur vehiculo currus.* Ne ergo tanquam in Regem inimicorum iacula in ipsum collimarent, regalibus se vestibus exuit percupiens, quod non in se, sed in Iosaphat Syriaci militis impetus incumberet, quasi in Regem & Principem belli, quem purpura indutum oculis hostis exhibebat, & seipsum à periculo subducere, quem alienus habitus occultabat, probe sciens fortunæ iacula in magnam potestatem semper inijci, maximamque potentiā vltimo periculo esse obnoxiam, atque omnium ictibus expositam. Sic vbi primo Deus Chananæorum gentes aspexit, eorum Proceres, & Dynastas dissoluit, primumque furoris impetū non valles, sed montes & colles excipiunt. *Et contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Hic. v. 6.

Lyra.

Caietan.

VERS. 7 *PRO INIQVITATE vidi tentoria AEthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.*

ANNOTATIO L. VIII.

EXPOSITIO LITTERAE.

258 CLARIVS Batab. & alij plures Interpretes ex Hebræo pro *Ethiopia* vertunt *Chusan*, quia Chus significare EAthyopiā credūt, Chusā vero quemdam regem Syriæ ita vocatum, quem Othoniel dux Hebræorū prelio fudit, sicut & Gedeon fudit Madianitas: tenentque hunc nostrum texrum ad illas duas historias respicere, quibus non dissentio: reor tamē hanc commodam esse superiorum explicationem, quia ex inde constat, aspectu Domini tantum dissolutas esse gentes, & montes sęculi cōtritos: quod probatur AEthyopum exemplo, qui etiam Madianitæ nominantur. Madianitas autem AEthyopes esse docet Sephora Moysis vxor, quę filia fuit Iethro Madianitę, & tamē Ethyopisa dicitur Numer. 12. & Psalm. 71. AEthyopes autē Arabes & Sabęi quasi sibi vicini commorātur, & Iethro Madianita, cuius oues pascebat Moyses, prope Sinai Arabiæ montem habitabat, vbi AEthyopes, qui oriētales sunt, & Syrijs & Palęsthinis sunt vicini, vt habetur lib. 2. Paralip. cap. 21. *Suscitavit Dominus contra Ioram spiritum Philistbinorū, qui confines sunt AEthyopibus.* Quare sermo hic habetur de illis AEthyopibus, seu Madianitis, quorum Deus vires aliquando fregit non tam Hebræorum armis, quam aspectu suo: facile siquidem atque miraculoso successu, vt docet Gedeonis casus, qui exigua militum manu numerosam militum profligauit multitudinem, ne exercituum robore, aut humanis consilijs nobilem de Madianitis victoriam adscriberet; miraculo sum enim fuit totum illud opus, vt constat Iudic 7. v. 22. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant.* Quod autem ipsi sint Madianitæ & AEtyopes docet D. August. q. 20. super Num. *De vxore* (inquit) *Moysi AEthyopissa quæri solet, vtrum ipsa esset filia Iethro, an alteram duxerit, vel superinduxerit? Sed ipsam esse credibile est, de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralip. AEthyopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat: nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israel, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Sarraceni appellantur. Sed nunc eos AEthyopes nemo fere appellat, sicut solent locorum et gentium nomina plerumque vetustate mutari.*

2 Paralip. 21. v. 16.

Iudic 7. v. 22.

D. August.

259 Plerique apud Gueuaram loco iniquitatis, quę in nostra editione habetur *pro nihilo* interpretati sunt: quibus adstipulatur Batab. *Pro nihilo*, ait, *id est esse irrita et destructa sub aduentu Gedeonis.* Sed & sic ego cum Gueuara

Bathabl.

Gueuara.

ra exponi posse putarem: Vidi pro nihilo seu pro vanitate, idest inani concussa terriculo, & (vt aiunt) peluis fulgore turbari tentoria AEthyopiæ, pelles videlicet Madian: quippe quæ à trecentis tantummodo viris solo lucernarum splendore, & sonitu buccinarum instructis fugata, & profligata perierunt. Ponuntur autem tentoria & pelles per sinedochem pro omnibus castris. dicitur enim Iudic 7. v. 21. vociferantibus Israelitis, complodentibusque lagenas omnia castra fuisse turbata, tota enim gens Madianita in tentorijs ex pellibus confectis habitabat.

260 Sanchez. Placet autem, quod Sanchez annotauit, scilicet in primo hemisthychio tempus fuisse positum præteritum *Vidi*: in secundo vero futurum *Turbabuntur*: cum tamen vtrobique eadem sit sententia, vt sic præteritorum meminerit, vt tamen futurum aliquid respiciat, cuius in præteritis vmbra præcesserit, nempe Chaldæorũ appulsũ in terram promissionis, quibus affuit Deus contra Iudæorum rebellem atque infidelem populum. Quod ad tempus Babylonicum extremamque Iudæorum cladem facile accommodari potest: nihil enim amplius hic quærendum est, quam Dei hostes, in quos nimirum oculos coniecerit infensos, quales in illa rerum serie Iudæi erant, facilimè fore profligandos, sicut de facto accidit: Iudæos etenim quondam in bello fortes sic horrore perculit, vt constrictos tradiderit, & vrbem illam munitissimam natura & arte, nulla hostium contentione, aut industria expugnabilem sic excidit, quomodo tabernacula pastorum, quæ ex pellibus, aut cespite contexuntur, dissipari solent. Quod si asseramus strages illas Madianitarũ & AEthyopum aliarumque prouinciarum orientalium tempore Chaldæorum accidisse, nõ aberrabimus: nam hos etiã populos, quos subiugauerant Israelitæ, postea expugnauere Chaldæi, vt tenet Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 11. *Quinto post excidium Solimitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cũ magnis copijs inuasit Calesyriam, qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas, et Moabitas.* Quod etiam manifeste habetur Ieremiæ cap. 25. vbi prouincias annumerat, quas Nabuchodonosor subiugauit, & inter eas Arabia, Dedan, Theman, & Buz, quę vicinæ sunt Iudææ, ad Madianitas pertinebant.

Iosepous.

ANNOTAT. L.IX. MORALIS

CHRISTVS DOMINVS IN EVcharistia non solum inuisibiles, sed et visibiles hostes expugnat.

261 QVONIAM in expositione literæ loco *iniquitatis*, quæ in Vulgato habetur, cum Batab pro *nihilo* interpretati sumus, quia sub aduentu Gedeonis tentoria AEthyopiæ, pelles videlicet Madian à trecentis tãtummodo viris complodentibus lagenas, solo lucernatum splendore profligata periere, atque expugnata fuerunt castra; locum accipimus de Christo Domino in almo Eucharistiæ sacramento latente, cuius typus extitit Gedeon, vt Auctor est Rupertus lib. 2. ad cap. 3. nostri Vatis. *Gedeon* (inquit) *Christi pertulit typum secundũ sui nominis interpretationem, Gedeon namque interpretatur circumiens vterum.* Quemadmodum enim testacea hydria fuit infracta, vt vinceretur Madian: sic Christi corpus terrenum confractum, lacerumque apparuit in cruce, vt diabolicus hostis profligaretur; quod quidem prius sub lagena accidentium in sacro altaris mysterio occultauit: omnia enim fausta, quæ populo Hebræo contigerunt, venturi mysterij realitatem adumbrabant, & quæ sacramentali velo erant tecta, postea in veris sacramentis apparuere. Quod subtili eloquentia dixerat Celius Sedul. Paschalis oper. 1. cap. 8. *Per media marinis fluctibus profunda liquentia reuolutis in geminum latus vndis pedestris et aquorea diuinitus edificatione suspensis turba transiuit. Stetit vndique pontus vt murus, et coagulati gurgitis spolieta velamine tellus per-*

Rupertus.

Seneca

Cel. Sedul.

permansit nuda, donec populus pelago gradiens absente, per pelagus vestigijs hospitam peregrinis aquosæ viam carpenet siccitatis. Mutauit natura semitã iussa paululum relaxare constantiam, et innumera lubrici salis campos multitudo transgressa, rude Baptismatis mysterium nesciendo gerebat; quæ per aquarum freta salubria, duce Christo, transiuerat. Igitur aliqua augustissimæ Eucharistiæ in ardẽte face sub lagena testacea inclusę, & in subcinericio Gedeonis pane figuratæ attributa hic inserere sub diuersis titulis ambio, vt quæ ad vnum mysterium pertinent, in vnum redigantur locum. Christus ergo in almo Eucharistiæ sacramento quasi suum vterum circumiens facile & pro nihilo potentissimos hostes expugnat, & territat, suorumque depellit timorem: & eo modo quo volens Deus ab Gedeonis animo omnem timorem hostis excutere, disposuit, vt ad Madianitarum tentoria accedens offenderet insomnes milites, & quendam commilitoni referentem audiret, quod subcinericium panem viderat se volutantem, & castra Madian percutientem, tabernaculaque solo coæquantem, vnde futuram Madian stragem præsagiebat: sic sacro Eucharistiæ edulio, pro Christianorum exercituum indemnitate excubãte, nõ est, cur populus perhorrescat Catholicus: quia vt dicebat Seneca lib. 1. de clem. cap. 3. *Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tã supra se esse, quam pro se sciunt; cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum quotidie experiũtur: quo procedẽte, non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili prosilierit, difugiunt; sed tanquam aut clarum ac beneficum sidus certatim ad volant, obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, et substernere corpora sua, si per stragem illi humanã iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubijs muniunt: latera obiecti circunfusique defendunt: incurrentibus periculis se opponunt.* Sic vbi Isaias cap. 25. v. 6. sermonem instituit de sacro Eucharistiæ conuiuio, conuiuatorem exercituum Dominum appellat. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuiũ pinguium.* Quem locum luculenter exponit Salmeron de hoc mysterio tom. 9. tract. 2. Sed cur vbi huius conuiuij mentionem fecit, Deum, qui illud exhibet, Dominum vocat exercituum? Quid magis disitum inter se, quã conuiuium & exercitus? In hoc armorum clamor perstrepit, horret & turbatur animus: in illo omnia sunt hilaria, pacata & tranquilla. Auscultą præcitatum Auctorem. *Dicitur hoc conuiuium instructum à Domino exercituum: quia pro exercitibus Ecclesiæ militantis corroborandis, et contra malignorum spirituum exercitus confirmãdis institutum est: nam ante Eucharistiam facile vincebamur; post illam terreri nescimus.* Sed quoniam aduersus inuisibiles exercitus obuia non pauca extant loca, libet sermonem instituere aduersus hostes visibiles, quos faciliter Eucharistia expugnat.

Illud Isaiæ cap. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres* plurimi dictum putant, non quia post Christi aduentum futura non essent arma bellica, & hostilis gladius: sed quia per alios fortiores acquirendus, & propagandus erat populus Christianus; nimirum per huius Gedeonis gladium. *Ad acquirendum, propagandum ac conseruãdum [inquit Caietanus] Christianum populum instituit Sacramentum cum sua perpetua præsentia. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Vnde illud August. libr. 1. ad Ianuarium. *Sacramento corporis Domini subiugatus est mundus.* Chatolica enim arma sub huius Sacramenti munimine roborantur, & triumphum de inimicis reportant, neque alio indigent auxilio. Sic antequam manna in deserto plueret Israelitis, ipsis quiescentibus Angeli præliabantur, & antecedebant eos; at postquam illud Deus eis præstitit, præliabantur ipsi, & neq; Angelus præcedebat, neque pugnabat pro illis. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos.* Exod. 14. v. 19. Cur post manna exhi-

Isaiæ 25. v. 6.

Salmeron

262

Isaiæ 2. v. 4.

Caietan.

D. August.

Exod. 14. v. 19.

exhibitum Angelicæ tutelę per deser-
tum incedens populus, & inimicorum
incursionibus passim expositus non
commendatur? Præclare Origenes
Origenes. hom. 6. in Iudic. *Antequã panis cælestis consequamur annonam, et carnibus agni immaculati satiemur, tanquam paruuli sub procuratoribus agimus et actoribus Angelis: vbi iam militiæ cælestis Sacramenta gustauimus, et pane vitæ refecti, audi quomodo per Apostolicam tubam suscitamur ad prælium.* Cęlestis epuli virtute roborati nullo alio egebant creato adiutorio, manna refecti inimicorum phalanges viriliter despiciebant: ideoque cum cęleste pabulum è cælo cecidit, castra He-
Exod. 16. v. 13. bræorum circumuallauit. *Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra, manequoque ros iacuit per circuitum castrorum.* Exod. 16. v. 13. Cur non intra castra descẽdit manna, ne militaris ordo, qui in castris seruatur, inuertatur quotidie, cum vnusquisque necesse habuerit exire, vt cibum sustentationi necessarium colligeret? Ingeniose Stephanus Cantua-
S. Tephan. Cantuar. rensis in alleg. Tilm. *Nota, quod manna iacuit per circuitũ castrorum: quia panis de cælo descendens gratia vndique nos munit, imo castris loco castrorum est.* Congrue per circuitum castrorum descendit manna, vt certò habeamus, hoc Sacramentum nobis loco castrorum esse, atque ipsorum castrorum munimen, omniaque auxilia infirma, militumque copias imbelles, nisi hoc pane roborentur. Vnde
S. Cyprian. S. Cyprian. Epist. 54 dicebat: *Nũc fortibus et viuentibus communicatio à vobis danda est, et quos excitamus, et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus: et cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Qui digne hunc cibum cõmunicant, ijs vires suppetunt ad quoscumque inimicos profligandes.

Vbi Vulgatus noster habet Zacha-
263 rię. 9. v. 17. *Quid enim bonum eius est? Et quid pulchrum eius? Nisi frumentum electorum, et vinum germinans Virgines?* Plerique apud Rairolem nostrum legunt: *Frumentum iuuenum.* At cur adolescentium frumentum hic panis vocatur, cum potius senes, qui iam euigorantur, & languent, illo egeant, vt reparentur? Audi Rairolem quæst. 5. num. 6. *Dici potest frumentum iuuenum, quia iuuenilem auget fortitudinẽ, qua contra hostes euadant fortiores: cõtra hostes, inquam, tum visibiles, tum inuisibiles.* Quisquis ad istam mensam debita puritate accedit, reiuuenescit, viresque iuuentutis reassumit: quapropter pabulum ibi præstitum frumentum iuuenum semper numcupatur. Quo spectat illud Gregorij Nazianzen. orat. 19. in patris funere. *Cum esset senex et decrepitus, sola sancta Liturgia nutriebatur, et robur accipiebat etiam corporale.* Quod & nos de B. N. Parente Francisco de Paula verius dicere possemus, qui sola Eucharistia sumpta, & absque alio terreno pabulo in tã longæua ætate quadraginta diebus enutritus est: ab illa enim vires hausit iuueniles, quibus infernum profligauit. Et illa armati bella gerere aduersus quoscumque hostes omnes audent, nam hæc præcipua sunt bella, de quibus loquitur Isaias cap. 30. v. 32. *In bellis præcipuis expugnauit eos.* He-
Isaiæ. 30. v. 32. bræus vertit: *In bellis oblationum, seu eleuationis.* Id est hostię, quæ eleuatur: ita vt bella eleuationis sint illa, quæ sacrificijs fiunt, non armis, vt explicat doctissimus Forerius. Quemadmodum enim Iudæi non armis, non instrumẽtis bellicis, sed occisione victimarum, quas sursum leuabant, victoriam adepti sunt: ita Dei populus sacrificijs Eucharisticis hostes depellit, & tanto mysterio roboratus propria manu propulsat, vt dicebat Procopius. *Quantisper homo infirmior est, ne-*
Procopius. *quit per se depellere hostem; sed Deus multis plagis et vulneribus contundit hostem, vt infirmiorẽ tueatur. Vbi vero exemptus fuerit tyrannica seruitute, et per Baptismum impleuerit typum maris rubri, nec non hauserit aquam ligni dulcedine temperatam, requieueritque sub pal-*

Zachar. 9. v. 17.

Rairolis

D. Greg. Nacianc.

palmarum opacitate, pastus cælesti alimento, et cognito petræ mysterio: is, inquam, non aliena virtute deinceps, sed propria manu propulsat, et fundit hostē.

264 Vbi Cantic. 1. habentur illa verba *Osculetur me osculo oris sui.* Quę Ambros. lib. 5. de Sacrament. ad Eucharistiam refert, ex Hebræo legitur: *Armet me osculo oris sui.* Sicut illa verba Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam* plures PP apud Lorinum, qui de hoc sacro mysterio ea accipiunt, ex Hebræo vertunt: *Adorate, seu osculamini frumentum.* Vel frumento armamini: est enim eadem vox, quę in predictis Cantic. verbis. Qui igitur Christum in Eucharistia osculatur, obarmatur ad bella. Vnde Cyprian. citatus *Ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela: quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Diuinæ saturitatis armemus.* Igitur Eucharistia Diuinum quoddam armamentarium est, vbi Christiani milites arma induuntur, nempe Christum, quem D. Paulus (ad Ephes. 6.) armaturam Dei vocat; seu omnia Dei arma, & fortitudinem, vt explicat D. Hieronym. Vnde D. Chrysost. ad illa verba psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mēsam aduersus omnes, qui tribulant nos. Quis est iste,* inquit, *inimicos tam facilè vincens, vt prandens trophæum erigat?* Christoque in hoc Sacramento huiusmodi victoriam adscribit. Et vbi Isaiæ cap. 65. v. 11. habetur: *Qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam.* 70. legūt: *Dæmonio.* Et Hebręus vertit: *Gat* (idest) *Marti:* sic enim vocabant sidus, à quo putabant Gētes pendere rei bellicę fortunam, vt explicat Forerius. Quod quis non videat, quanto aptius quadret in mysticam illam, & spiritualē mensam. *Quam* (vt ait D. Cyrillus chatheces 4. mystagog.) *Deus nobis proposuit aduersariā illi, quæ nobis antea parabatur à dæmonijs faciliori Marte debellādis, quā panis Gedeō Madianitarū castra subuertit.* Hoc igitur Marte auspice cū inimico manus cōserere nemo abnuat. Quis nō stupeat, Ierichuntinos muros, qui intra se fortissimos habebāt hostes, ad sacerdotaliū sonitū corrui tubarū? Nō illos pulsauit aries, nō expugnauit machina: muri aduersus ferrū inexpugnabiles sacra tubarū voce collisi sunt. Quis non miretur saxa sono diruta, fundamenta clangore quassata, & ita collapsa, vt cū victores nihil manu lęderēt, apud aduersarios nihil stabile remaneret? *Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Iosue 6. v. 20. Sed hęc in figura facta esse non dubium est [inquit August. serm. 106. de temp.] qui licet ad Euangelicos prædicatores referat, ego ad institutum nostrum non ineptè referri posse credo: etenim vbi Christus Dominus ad præsentiam arcæ, quę Eucharistiæ typus est, ad mænia accedit, illico funditus euertuntur: ipse namque est, qui fortiores hostes imbecilles reddit, qui innumerabiles terret, & expugnat exercitus. Iuuat Adamus homil. 7. in Iosue. *In aduentu Iesu muri Iericho subuersi sūt: in aduentu Christi vincitur mundus.*

Cantic. 1. v. 1. — Hebræus. — Psalm. 2. v. 12. — Lorinus. — Cyprian. — D. Chrys. — Psalm. 22 v. 5. — Isaiæ 65. v. 11. — Septuag. — Hebræus. — Forerius. — D. Cyrill. — Iosue 6. v. 20. — Adamus.

ANNOTAT. L.X. MORALIS.

FIDES DIVINA IN SACRAMENTO Altaris adeo triumphat, vt non solum intellectum, sed et sensus quodammodo in captiuitatem redigat.

265 CVM D. Thom. sermonem instituisset alto spiritu imbutus de venerabili sacramento Altaris, & accidentia ibi sine subiecto existere, vt fides exerceatur, asseruisset, subdit, id etiā esse factū: *Vt sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis.* In quibus verbis duo sunt, quæ difficultatem ingerunt: primum, iudicij actum sensibus attribui à sapientissimo & illuminato Doctore; cum tamen solum intellectui possit competere, cuius priuatiuè operatio est. Secundum, transubstantiatione, qua substantia panis in substantiam corporis Christi conuertitur, & accidentia proprio spoliantur

D. Thom.

subiecto, sensus à deceptione immunes reddi: cum tamen hinc oriatur eorum deceptio: nam naturali instinctu ducti illic substantiam panis adesse, vbi eius accidentia apparẽt, necesse est iudicent. Nisi teneamus, Angelicũ Doctorem nos voluisse erudire, sensus in hoc sacramento aliquomodo à fide Diuina eleuari, vt iudicium ferant veritatis, quæ in illo continetur, ac per consequens ideo non decipi, quia fidei assensu iudicant; nisi enim iudicarent, ibi non panis, sed Christi substantiam adesse, verè deciperentur: non enim alio pacto à deceptione immunes possunt reddi, nisi aliquomodo iudicẽt, ibi non esse substantiam panis: quare fides non solum intellectum, sed & sensus videtur in captiuitatem redigere, & ad credendum coaptare eorum imperfectionem expurgans. Quo alluisse videtur Gregor. Nazianz. orat. 42. id obseruans, quod in comestione agni paschalis olim præcipiebatur: nempe quinque diebus asseruari, antequam ederetur, qui quinque sensus referebant prius ab imperfectionibus emaculandos. *Asseruatur porro in quintum diem, fortasse quia victima mea id habet, vt sensus expurget.* Quod etiam in hominis plasmatione Deus præparauit, vt obseruauit Ambros. libr 6. epistol. 44. *Hinc intelligo, qua de causa Dominus Deus insufflauit in faciem hominis. Ibi enim sensus omnis, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore, vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret.* Solicitè Deus puritatem & robur externorum sensuum ex tunc procurat, vt postea habilitentur ad hoc sacrum mysterium ferendum.

S. Gregor. Naziãz.

D. Ambr.

266 Relegatus in deserto Elias diram persecutionem aufugiens, quia populum & Dynastas reprehendebat zelo inardescens, cœlum habuit dispensatorem, quod magna cura eum alebat, coruos enim quotidie semel & iterum mittebat, qui propriæ ac naturalis voracitatis obliti mane & vespere carnis epulas, & panes floridos ipsi administrabant. *Corui quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vespere.* 3. Reg. 17. vers. 6. Semel & iterum in die fruitur Propheta delitijs, & sine pensione curę alimento potitur cœlesti. Cœterum etsi ea largitate cœlum Eliam sit pasturum, vnus coruus sufficere videbatur, qui cibum administraret. Vt quid igitur multiplicantur ministri, & duo hac functione occupantur, cum sufficeret vnus? Non ita, ait Paschasius, nam cum huiusmodi epulæ, quibus delitiatur Propheta, vmbręsint sacramenti Altaris, quod ex carne constat, & ex pane conficitur, in duobus rostris ad minus debent esse dispersę, vnum carni, pani alterum: quia in ista Altaris mensa, sensus qui carnem defert, impossibile est quod panem portet: si enim sensus rostra sunt, quæ hunc cibum pungunt, & deferunt, ipsi fateantur, substantiam carnis Christi, & substantiam panis non posse simul deferri: & cum gustus in hoc Sacramento maiorem iurisdictionem habeat, quia ad ipsum pertinet de cibis iudicare, fateatur, se pane carituram, cum carnem defert, non solum subiectus huic mysterio, sed vota fidei ac, crescens. Subijcio verba Paschasij libr. de corp. & sang. Domini ad præcitata 3. Reg. *Cibus iste Eucharistiæ à sensibus refertur, per quem sua infirmitas releuatur.* Quorum energia eo tendit, vt hunc cibum aliquomodo eleuare, & corroborare nostros sensus affirment, vt improportio & debilitas ipsorum suppleatur ad deferendum hoc Sacramentum, & ipsius veritatem saltem imperfecta credulitate attingendã: intellectus enim hoc modo mysteria fidei supernaturalia credit eleuatus habitu fidei, & hunc aliquomodo vult Paschasius ad sensus trãsfũdi, vt eo modo quo sũt capaces, obiectum supernaturale attingant.

3. Reg. 17 v. 6.

Plinius

Ghisler.

D. Paschas.

Psalm. 6 v. 1.

Non absimilem sententiam continent verba illa Cantic. 1 v. 14. Vbi cũ de pulchritudine alterius vterque amãs cõtẽderet, ait Spõs: *Botrus cypri dile-*

267

dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Quasi diceret: Non secus ac venustus racemus tu mihi es, qui cum oculis sit gratissimus, gustui iucundissimus inuenitur. Sine dubio Sponsa non solũ de perfectionibus animi loquitur, sed etiam de corporis pulchritudine, qua sensus recreantur, ob idque Sponsum comparat fructui oculis pulchro, & palato dulci; huiusmodi enim qualitates primæ deceptionis causa extitere, siquidem ad illas oculos & gustum prima Parens adiecit. Sed sunt nonnulli, qui ex Hebræa voce *Copher* per cyprum, non vitem significari autumant, sed liguſtrum: quibus adstipulãtur Plinius lib. 12. cap. 24. à Ghisleno in hunc locum adductus. *Cyprus in AEgypto est arbor ziziphi fobÿs, semine coriandri, flore candido odorato. Coquitur hic in oleo, præmiturque postea, quod cyprus vocatur. Optimum habetur è Ecanopica in ripis Nili nata, secundum Ascalone Iudææ, tertium Cypro insula odoris suauitate: hanc esse dicunt, quæ in Italia liguſtrum vocatur.* Liguſtrum autem non solum prædictis modis conficitur, sed etiam messibus, cum iam matureſcunt, & grana indurare incipiunt, solet accidere: scita enim res est, & apud omnes comperta, quod si super triticum, postquam in spicas cœpit erumpere, pluat, & statim calor immoderatus superueniat, liguſtrũ patitur. Hispanice vocatur *Albeñarſe.* Quod nihil est aliud, quam spicam euaneſcere, & tantum cortices, aut aristas granorum remanere, quin substantia panis, sed tantum apparentia extet. Sic igitur Sponsa Christum consideraut, præcipuè in noctè cœnæ, tũc scilicet, quando sacramentum Eucharistiæ instituit. Pluit super ipsum illa ingens multitudo aquarum, tormentorum [inquam] & ærumnarum: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Psalm. 68. Superuenit statim ille immoderatus calor suæ charitatis, quæ in fine plus inardeſcebat, ille canicularis amoris ardor, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ioan 6. Vnde factum est, vt panis Angelorũ, quem tunc in mensa suis Discipulis distribuit, liguſtrum pateretur; *Jealbeñarſe*: Nam cum suum corpus consecrasset, panis substantia euanuit, siquidem in carnem, & sanguinem Christi transiuit, & apparentia tantum panis remansit, cortex quidem accidentium, sicut in spica, quæ liguſtrum patitur, accidit. Hoc enim demiratur Sponsa, & vt iudicium tãti Sacramenti ferat, non solum virtutes animę vocat, sed corporis sensus, qui illo cibo recreantur, & elenantur. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Ac si dicat: Fasciculus spicarum (sunt qui teneant hunc fuisse fructum à primis Parentibus concupitum, & qui ipsorum oculos allexit) Sponsus mihi videtur: vbi sensus contra suam debilitatem saporem detegunt, & suauitatem inenarrabilem: nam cum triticum sit liguſtro confectum, loco propriæ substantię alia infiniti saporis succeſſit; licet enim gustus aliud sentire videatur, ad fidei obedientiam reductus cœlestibus fruitur saporibus. Neque hoc quid nouum in Sponsa videatur, cum multories spirituales animæ in hoc Sacramento dulcedine sensibili saporentur, vbi testimonium ab oculis, qui Christum viderunt, & à labijs, quæ eius dulcedinem deguſtarunt, desumi poterit.

Hoc ipsum arcanè dixit Dauid [Psalm. 9. vers. 15.] beneficio huius Sacramenti, quod oculis propheticis cernebat, à sensuum imperfectionibus abstractus. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Per portas mortis August. sensus externos intellexit, per quos mors intrauit in mundum: nam cum primi Parentes & vidissent, & guſtassent fructum prohibitum, mors & eos, & omnes posteros est aggressa, ab illo enim esu reatus mortis emanauit. At quo pacto fieri potuit, vt his sensibus, qui morti portas aperuere, Dauid ab huiusmodi mortis exaltetur portis? Crediderim, hoc contrario ac vitali cibo Eucharistico,

quo sensus à mortis debito,& naturalibus obiectis abstrahuntur, vt ad supernaturalia eleuentur. Quod innuit idem regius Psaltes,cum subijcit;*Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Quasi dicat: Non tãtum mente mirabilia , quæ in almo sacramento Ecclesiæ (hæc enim est Sion)continentur,prædicabo, sed & sensibus eleuatis ea narrabo,& extollam. Accipe August. sic pensitantem.

D. Augus. *Aut forte portæ mortis sunt corporales sensus et oculi,qui aperti sunt homini, cum de ligno vetito gustasset, à quibus exaltantur, quibus dicitur, vt quærant non quæ vident, sed quæ non vident: quia quæ vident temporalia sunt; quæ autem non vident,æterna sunt: et portæ sunt filiæ Sion sacramenta et initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur, vt perueniatur ad occulta Filij.* Quid luculentius? Ne infidelitas in huiusmodi ostia irrumpat,fide custodiuntur,vt ad occultaFilij,quæ sub accidẽtibus latent, via qua possunt , possint peruenire.

ANNOTAT. LXI. MORALIS

CHARITAS ET AMOR, VT homines ditent,Deum in Eucharistia depradantur.

269 QVASI non sufficeret Christum in augustissimis Eucharistię epulis,vt homines recrearet, & reficeret, totũ suum esse tradidisse, Diuinitatem nempe, animam & corpus, quo vltra magnificentia nequibat procedere ; delitiosas huius pretiosi conuiuij da pes sapore vltimo voluit condire,ne aliquid,quod gustum alliceret,desideraretur.Et cum plerúque fructus ab alieno horto subrepti, & quod ab extranea possessione subtrahitur,habeant nescio quid saporis, & æstimationis,quod desideriũ vehementius prouocet,vnde ille alius.

Felicior seges est alieno semper in agro,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Voluit hunc cibum & thesauros in eo absconditos rapina possideri, atque amore cœlesti latrocinio Deum bonis omnibus spoliari, vt hanc mensam cõdiret,& ditaret Nec miteris,amorem latronem appellari: nam S.Laurentius Iustinian.Christum inspiciens in nocte cœnę pallium deponere, vt pedes Discipulorum lauet. (*Ponit vestimẽta sua* Ioan.6.) admirabundus dixit:hoc tantũ amori deficere,grassatoris personam induere,& pallia subripere, vt inter cętera spolia suo in curro depẽdeant.Sic igitur Deum amor spoliauit omnibus,quæ possidebat , pręcipue corpore , quod verborũ vi in hoc Sacramento existit,& pallium Ostiẽs. Drogo nominauit.*Palliũ tuum est corpus tuum,quod in altari sumimus*,vt hominẽ saginaret corpore, ingurgitaret sãguine,& huiusmodi epulas ad ipsius palatũ omni voluptate refertas condiret. *Ioann.*13 *Drago.*

Nouitatem Chrysol.intulit, quod Christus Dñs in deserto, vt pene infinitã multitudinẽ eum sequentẽ aleret,illis quinq;panibus, quos forte puer vulus aduexerat, vteretur, & super illos illam stupendã & extemporatiam multiplicationẽ efficeret.*Est puer vnus hic,qui habet quinq; panes hordeaceos.* Ioan.6.v.9. Nõ immorabor , vt probẽ in hoc conuiuio Eucharisticũ figurari, cũ in ea sententia omnes conueniant. QuodChrysologi animũ pulsat,idest, quodChristus adiuuamẽ quæsierit in illo pane, quẽ puer secũ deferebat,& quod ab eius manibus eũ abstulerit,vt in proprijs multiplicaret,ex nihilo enĩ scit Deus absq;alieno adiutorio totã molẽ creaturatũ extra here. Cur igitur modo illis vtitur , vt eas nutriat? Prętерquã quod si multiplicatio aerẽ in panẽ conuertendo efficiebatur,superflua videtur materia quinque panum ad saginandum quinque millia hominum. Sed mysterium deprehendo: voluit namque Christus materiã, quæ miraculo deseruiebat,quasi furtiuam esse,& à proprio domino abstractam,vt prefiguraret,panem Angelorum , quẽ in sui amoris pignus hominibus erat largiturus , rapinis fore possidendum , & ex aliena messe

270 *Ioann. 6. v.9.*

hunc

hunc cibum efficiendum: nã sic amor Deũ depauperauit, vt hanc mensam condiret, vt ad quòd oculos conuerteret, non relinqueret. *Panes quinque* (ait Chrysologus serm. 160.) *fragmẽto prostuo, et furtiuo incremẽto ad quinque millia hominum dilatauit saginam.* Nisi furti nomen in tam largo conuiuio audiatur, non satis splendidum iudicatur: orbetur igitur puer quinque panibus, & miraculi sit materia, quod à domino proprio auferetur, vt pium altaris latrocinium probetur.

271 Nunc autem rationẽ percipiemus & causam, cur Christus Dominus tot verbis conquereretur de ministris ad hortum accedentibus, vt eum comprehenderent. *Tanquam ad latronem exijstis cum gladijs et fustibus comprehendere me?* Matth. 26. vers. 55 Non carcerem renuit, sed causam: non manus satellitum, sed prætextum, & accusationem. At cur ita dolet, quod quasi latro apprehendatur, vt in querimonias prorumpat? Si non dolet, cum eum tanquam seditiosum, deceptorem, & cum mulieribus peccatricibus alloquentem accusant: quare cum quasi latro tractatur, ita exasperatur, vt ad os viua signa intimi doloris perueniant? Sed tempus obseruemus, quo tanquam latro apprehenditur, & causam tanti doloris agnoscemus: fecerat enim paulo ante quam ad hortum deueniisset, illa eadem nocte illud stupendum & admirandum conuiuium, in quo suaui tyrannia, & pia rapina eum amor spoliauerat omnibus thesauris, quos vt homo possidebat, & vt Deus hereditauit à Patre: paulo post satellites vidit, qui eum tanquam latronem comprehendere tentãt, cum omnibus bonis se vidit orbatum, & de illorum crudelitate atque stultitia conqueritur. *Tanquam ad latronem exijstis cum gladijs et fustibus comprehendere me?* Quasi dicat: Mira & deprauata insipientia. Qua lege & ratione comprehenditur vt latro, qui à manibus alterius latronis, qui ab eo omnia, quę possidebat, abstulit, quin aliquid in compassionis signum relinquat, vix egreditur? Si ministri iustitiæ eum vt latronem apprehendissent, qui ab itinere ad ciuitatem reuertitur, vt de furto sibi illato conqueratur; nonne delirium & iniustitia videretur, ipseque spoliatus causam haberet conquerendi, & improperandi abusionem? Hanc ipsam Christus habuit, cum eum tanquam latronem comprehendunt eo tempore, quo sacramentum Eucharistiæ instituere vix desiuerat. *Tanquam ad latronem* &c. Vt latronem apprehenditis, qui hac ipsa nocte omnibus, quæ possidebat, bonis fuit spoliatus?

Magna pietate id ipsum cogitauit S. Vincentius: Christum enim considerans, dum à manibus Sacerdotis in hostia consecrata eleuatur, & ibi representari, sicut fuit exaltatus in cruce inter duos latrones, pie suspicatur: duas Sacerdotis manus, quibus eleuatur, duos latrones adumbrare, inter quos fuit crucifixus, quia videlicet eorum artem exercent, dum Deum deprędantur, & omnes eius thesauros subripiunt. *Sicut Christus [inquit] fuit eleuatus, et crucifixus inter duos latrones: ita hostia consecrata leuatur duabus manibus dextera et sinistra, quæ significant latrones.* Nihil est aliud Christum ad manus Sacerdotis deuenire, quam in latronis manus incidere: nam sacro latrocinio, & pia rapina omnia eius bona furatur, & illum depauperat: & cum ipse latronis fidelis officio fungatur, diues efficitur, atque arte furandi diuinitus solerter abutitur, & Deum cogit eleemosynam petere. Nec videatur impropria locutio: bona enim, quæ amor in hoc Sacramento expendit, vt homini supersint, talia sunt, vt Deus ea repetere ab hominibus indigeat. Dauid de hoc venerabili Sacramento in manna figurato locutus dicebat: *Pluit illis manna ad manducandum, et ianuas cœli aperuit.* Psalm. 77. Hebræis in deserto degentibus manna pluit cœleste in tanta copia & abundantia, vt omnes cœli portæ

272

ad ipsius effusionem aperirentur: cũ tamen Deus homines redẽpturus ad uenit, non portas cœlũ aperuit, sed se ipsum inclinauit, vt descenderet. *Inclinauit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus eius.* Psalm. 17. Cur vt manna pluat, cœlestes reserantur portę, & maiori ad hoc Deus vtitur largitate, quã ad descensum Filij naturam assumẽtis humanam? Opinor: vt innuatur, Christum amplius beneficium contulisse in sacramento Altaris, quam in Incarnationis mysterio: cum in hoc vni tantũm naturę vniatur; in illo autem plurimis communicetur. Et vlterius vt significetur, tot susptus in hoc Sacramento Deum fecisse, vt quasi ad portas eum deijciat: quod illi, qui omnia insumpsit, & exinde eleemosynã ostiatim petit, solet accidere. Sic enim de eo, qui omnia bona sua in aliquo opere consumpsit, solemus Hispanicere: *Esto echò por puertas à fulano.* Hoc, inquam, Sacramentum in manna adumbratum Deum reduxit ad portas: nam amor, vt omnibus diuitijs illud cumularet, Deo omnia bona subripuit arte furandi pulchrè abutens

Psalm. 17 v. 10.

ANNOTAT. LXII. MORALIS

IN ALMO EVCHARISTIAE Sacramẽto duplex Christi vita specialis, et gloriæ, et redemptionis suscipientibus quodammodo confertur.

273 CVM specialis Christi Domini vita talis sit conditionis & excellentiæ, vt ab instanti suæ cõceptionis visione beata frueretur, pretiumque nostræ redemptionis sit operata, & eius liberalitas sit summè ac infinitè benefica; non satis videretur satiata, nisi modum inueniret, quo se omnibus vijs hominibus communicaret, quin aliquid relinqueret non participatum. Et licet glorioſa vita, & redemptionis opus ita excedant quam cumque creatam & creabilem naturam, vt ab hominibus videantur omnino aliena: tamen eius amor & sapientia ita disposuere, vt vtraque vita & beata & redemptionis actiuę, quæ iure naturali Christo Domino tantum competebant, hominibus in sacramẽto Altaris aliqualiter communicarentur, vt non solum gratiæ vita homines felices redderet, sed eam quam ratione vnionis hypostaticæ habebat, aliquomodo ipsis largiretur. In præsenti Annotatione de vita beata agemus; & in futura de redemptione actiua recidet sermo.

De hoc venerabili Sacramẽto agẽs Christus Dominus in nocte cenæ antequam traderetur, vt Discipulos ad recordationem tanti beneficij prouocaret, illiusque excellentiam agnoscerent, sic affatur. *Sicut misit me viuens Pater, et ego viuo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse viuet propter me.* Ioan. 6. Quasi dicat: Sicut ego propterea sum missus à Patre, quia ab eo processi, & totum suum esse per communicationem accepi: sic similiter qui meam carnem recipit, meam vitam accipiet, eaque ipsa viuet. Vbi non est sermo de vita gratiæ habitualis, quia Christus Dominus non ab ea, sed à gratia vnionis sanctitatem habuit substantialem, & visionem beatam; nam licet (vt notauit Augustinus) ly. *Sicut* ly *Et* comparatum non arguat æqualitatis consequentiam (*Neque eamdem suam et nostram æqualitatem significauit*) Tamen aliud, præter gratię habitualis vitam, significare necesse est; cum in generatione æterna habitualis gratia non communicetur Verbo, & in temporali gratia vnionis precipuè conferatur. Loquitur ergo Christus Dominus de propria & singulari vita, qua à primo instanti suæ conceptionis fruitur, quaque beatus redditur, cum Deum intueatur. Vt igitur [ait Cyrillus] suos Discipulos erudiret in sacramento Altaris, de quo loquitur, omnimodam sui communicationem facere, & eos vitæ, qua fruebatur, participes fieri, vitæ, quam à Patre accepit, mentionẽ fecit. *Viuo propter patrem* (inquit Cyrillus) *id est genitoris naturam ad vnguem conseruo: sic qui carnis meæ manducatione me recipit,*

Luc. v. 3

Matth. v. 31.

274

Ioann. 6. v. 57.

D. Augus.

D. Christ.

D. Cyrill.

pit,

pit, viuet profecto totus à me reformatus. Nisi enim Christus Dñs in hoc Sacramento vitam, quã accepit à Patre, nobis cõmunicaret, non totaliter ad ipsius imaginem essemus reformati.

275 Docuit Christus Dominus Luc. 11. Discipulos suos Patrem orare, & inter alia consulit, vt panem quotidianum petant. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nõ de pane materiali loquitur Christus (ait Chrysolog.) nam qui paulo antea dixerat: *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Vt quid desideria modo ad vsuales cibos dirigeret Loquitur ergo de pane illo Angelorum, quem in sacra altaris mẽsa erat largiturus. Sed libet expẽdere, quod cum hũc panẽ vocauerit *Quotidianũ*, panẽ etiã hodiernũ vocet, *Da nobis hodie.* Superfluũ enim videtur hodiernũ panẽ nominare, quẽ antea quotidianũ dixerat: nam quod quotidianum est, necesse est, hodiernum sit. Verum sub his verbis magnum latet sacramentum: nam illud *Quotidianum* pręsentẽ vitam disignat, vbi plurimi sunt dies, qui à Solis cursibus mensi sunt, lux enim & tenebrę alternantur, & vicissitudinibus præcedunt, & subsequuntur: illud autem *Hodie* ęternitatem indigitat, & vitam beatam, vbi dies est indeficiens, lux, quæ nunquã occidit, & illud *Nunc* ęternitatis, quod Theologi vocant. Cum ergo (inquit Christus Dominus Discipulis suis) Sacramentalem panem petieritis, non solũ tanquam huius vitæ, in qua sunt plurimi dies, & totidem noctes, panem petatis: tanquam panem hodiernum petite, quia in illo æternam gloriam, & immortalitatem vitæ beatæ estis adepturi. *Quotidianum et in diem vult nos Sacramento sui corporis panis viaticum postulare: quia per hoc ad perpetuam diem, et ipsam Christi perueniamus ad mensam.* Licet enim negari non possit in hoc Sacramento Solem opertum nubibus accidetium existere, vmbrę sunt gloriosæ: nam in illo beatitudinis lux, & ęternitatis dies irradiare incipiunt.

Luc. 11. v. 3

Matth. 6. v. 31.

D. Chris.

276 Olim Deus præcipiebat Hebræis, vt paschalem agnum ad vesperam immolassent, cum sol ad occasum pergit, & noctis crepusculus incipit. *Immolabitque hædum multitudo filiorũ Israel ad vesperam.* Exod. 12. v. 6. Si autem attẽte inspiciatur mysteriũ, quod ibi latebat, opportunius videbatur ad huiusmodi sacrificium meridianum tempus, vt in eo, quod in lege gratiæ erat euenturum, aptius figuraretur: nam sicut sol in meridie corpora vndequaque illuminat, omnesque vmbras verrit, & eliminat: sic Christus Dominus à meridie sacramenti Altaris (quod solis locum tenet: nã sicut sol inter septem planetas quartum locum occupat, sic hoc Sacramentum inter septem Ecclesiæ in quarto loco collocatur) omnes ritus, & sacrificia antiquę legis, quę vmbra huius Sacramenti extiterunt, erat eliminaturus Cur igitur cruentum illud sacrificium in crepusculo dubię lucis tempore fieri pręcipitur? Ob id enim, ait Macharius: nam crepusculum intermedium tempus tenet inter lucem & tenebras, & vtrisque constat, ideoque paschalis agnus in illo erat offerendus: nam tenebrę ad hanc vitam mortalem spectant, & quia laboriosa est, & quia fides Diuina, qua viuimus, non valet tenebras abstergere, & vmbras quibus obnubilamur, excutere: lux autem beatę vitę est imago, vbi non per velamina, sed Deum facie ad faciẽ videbimus. Igitur oferatur agnus in crepusculo, tempore, quod vtrumque extremum participat, & lucis, & tenebrarum; vt manifestum maneat, in sacramento Altaris prefigurato, in illa victima, vtriusque vitę participes fieri, temporalis, & ęternę: & in illo primos beatitudinis radios nobis oriri, atque huius vitę mortalis vmbras tẽperari, & euanescere. Subijcio verba Macharij. *Ad vesperam eleuatur: hora autem vespertina media est inter lucem et tenebras, et intercedit assistente luce Diuina, quæ nõ finit tenebras insurgere, et eam absorbere.* Hanc arbitror fuisse causam illius euentus, qui solemni traditione, & perpetua fama in Iudæa refertur, vt narrat Illescas in descrip-

Exod. 12. v. 6.

Machar.

Illescas.

tione terrę Sanctæ, occursum scilicet Melchisedec cum Abrahamo eo tempore, quo sacrificium panis & vini confecit, ad radices Thaboris accidisse: tã stricte enim connectitur hoc Sacramentum cum visione beata, vt in monte, quem Deus voluit honorare à cacumine vsque ad pedem, in cacumine suam gloriam ostenderit, & in radice vmbram huius Sacramenti præcedere decreuerit significans, iam iã beatum reputari, & cœli incolam, qui hoc cœlesti pabulo nutritur.

277 Volens Moyses populum in deserto reficere, oraculo à Deo accepto, dixit ad filios Israel: *Vespere scietis, quod Dominus eduxit vos de terra AEgypti, et mane videbitis gloriã Domini.* Exod. 6. v. 7. Promiserat Deus in vespere carnes mittere, & mane cęleste mãna pabulum. Sed ò Moyses, cur cũ caro in maiori pretio habeatur, quam panis, non ais: vespere Deum suam gloriam ostensurum? Cur in matutinum tempus, quando manna colligebatur, gloriam differs, & populo beatitudinem polliceris? Audi quid Rupertus loquatur. *Per carnes vetera sacrificia, per manna nouum sacrificium accipimus: illa Dominus sacrificia permisit fieri; hoc autem nouum corporis et sanguinis sui sacrificium per semetipsum tradidit.* Ne igitur mireris, quod Moyses populo gloriam Dei polliceatur non vespere, sed mane: quia nõ in illis veteribus sacrificijs, sed in hoc nouiter & mirabiliter ab eo confecto supernæ beatitudinis visio cõmunicatur. Consonat D. Greg. Nisen. hom. 10. in Cantic. vbi cum de isto cœlesti pabulo, quo Dauid aliquando fuit inebriatus, loqueretur, ait: *Cum à se excessisset, vidit pulchritudinẽ, quæ non cadit sub aspectum.* Huc respicit, quod manna (vt multi codices legunt) in colore assimilaretur margaritę, de qua B. Ephren serm de ea sic loquitur: *Margarita pretiosa è mari est magnæ æstimationis; non tamen cibum præbet, sed gloriam: neque potus oblectamentum, sed claritatẽ habet.* Sicut enim margarita gloriam præbet, & nominis claritatem: sic cœlestis cibus non pręcipue fuit institutus, vt corpus nutriat, & saginet, sed vt gloria illud induat. Vnde S. Ignat. Mart. fideles hortabatur. *Festinate ergo frequenter accedere ad Eucharistiam, et gloriam Dei.* Non enim minus beatus videtur, qui hoc Sacramento fruitur in Ecclesia, ac ille, qui in culmine gloriæ Deum intuetur.

Exod. 16. v. 7.

Rupertus.

D. Greg. Nisenus.

B. Ephren.

S. Ignat. Martyr.

278 Et si fas est dicere, aliquid amplius accipiunt, qui ad altare decenter accedunt, quam beati, qui hoc ipsum desiderant: nam in animabus beatis desideria Theologi concedunt, & inclinationem ad resurrectionem corporum, & ipsorum reunionem, quamuis Deo fruantur, in quo omnia continentur. Vnde ausus est dicere Bernard. (cum loqueretur de illis verbis D. Pauli, in quibus dixit, Christum fuisse passum, vt suam Sponsam, quæ anima iusti est, condecoraret. *Non habentem maculam, neque rugam*) quod animæ Beatorum in cœlo, quamuis sint sine macula vetustatis, non tamẽ sine rugis contractionis: tale enim est desiderium reunionis, & resurrectionis corporum, vt videantur aliquomodo non totum suum affectum in Deum tenere, sed contrahi, & rugari hoc desiderio. Quod quidem in multis, qui in sacramento Altaris Deum digne suscipiunt, deest: nam effectus huius Sacramenti non solum animam impinguant, sed etiam ad corpus descendunt: multa enim corpora luce sunt uisa perfusa eorum, quia ea, qua decet, puritate ad altare accedũt. Exindeque neque macula, neque ruga eorum facies deuenustare audet: cum hic id ipsum contingat, quod in naturalibus, nam faciei maculę (vt dixit Aristoteles) ex defectu sanguinis causantur, rugę vero ex defectu carnis. Et vtrique periculo prouidit Christus in hoc Sacramento: carnẽ enim & sanguinem contulit, ne Sponsa maculam turpitudinis, aut rugam desiderij incurreret, cum hic fruatur delitijs à beatis concupitis, vt vltimam gloriam compleant.

D. Bern.

***

ANNOT. LXIII MORALIS.

PRETIVM LIBERTATIS ET redemptricem vitam quodammodo Christus in Eucharistia largitur.

279 ETSI vita beata, quam probauimus aliqualiter nobis in sacramento Altaris communicari, ita sit propria Christi Domini, vt iure naturali nulli mortalium præter ipsum debeatur: tamen ex gratia & priuilegio illa posse homines frui, dum ad huc viatores sunt, non est dubium; cũ de facto Maria sanctissima ea potiretur, & de alijs Sanctis probabiliter asseratur. Quare etsi Christus Dominus eam in sacramento Altaris communicaret, neque naturę eleuatę capacitatem, neque Dei potentiam transcenderet. Hoc tamẽ impossibile apparet, quod in nostra thesi proponitur: nẽpe redemptricem vitam, qua Christus specialiter vixit, nobis in hoc Sacramento aliqualiter communicari: nam cum opus redemptionis ita sit proprium Personæ Diuinæ, vt puræ creaturę nequeat competere (quia nulla, quantumuis perfecta potest ad ęqualitatem pro peccato satisfacere) non videtur possibile, Christum hanc excellentiam hominibus communicare potuisse. Communicauit tamen eo pacto, vt cum homines ex se non haberent, vnde redderent pretium suæ libertatis, ab hoc Sacramento quod gratis eis confertur, haurirent: sicut qui pecunia indiget, vt se à captiuitate redimat, & eam ab alio accipit gratis donatam, ea iam vt propria vti poterit, & se redimere, quin alieno adiutorio egeat. Hinc doctus Lorinus ad Psalm. 110. hunc cęlestem panem *numisma triticeum* nominauit, quod in cęlestibus regnis valorem habet, vt à peccati captiuitate redimat. Eadem mente prędituS Chrysolog. (sermone 169.) parabolam illam expendens (Lucę 15.) mulieris solicite quęrentis deperditam drachmam, ipsam Christum representare autumat in lege veteri deperditam, & gratię tempore inuentam, qua nostra libertas emitur, & à seruitute liberatur. *Christus* (inquit) *est plenum Deitatis numisma, Christus est drachma nostræ redemptionis et pretij.* *Lorinus.* *Chrysol.*

Regius Vates Psalm. 110. prænuncians augustissimi sacramenti Altaris futuras felicitates, cum præmisisset: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se:* statim subiungit: *Redẽptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum.* Et quam quęso redemptionem populo suo misit, & beneficio testamenti firmauit, vt iure hereditario possideatur? Eucharisticum nempe cibum: ait Iacobus de Valencia Episcopus Christopolitanus. *Tunc misit redemptionem, et mandauit in æternum testamentum suum, quando antequam pateretur, instituit sacramentum Eucharistiæ.* En redẽptionis vita in sacra Altaris mensa collata, & testamento obtenta, quo qui in iura succedit testatoris, omnes illius facultates quomodocumque ad illum pertineant, possidet. Quod autem non de passiua vita redemptionis, sed de actiua, quæ nobis in hoc conuiuio comunicatur, loquatur Propheta, aureis verbis tradit Ambros. lib. 2. offic. cap. 28. *Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis inpressisse virtutem redemptionis munere.* Quid expressius? Quasi dicat: Quiad mensam Eucharisticam decenter accedit, fodinam auri detegit, quo libertatem emere, & à captiuitate liberari valet. Nec solum aurũ ibi latens illuminare deprehẽdet. *Verũ etiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere.* 280 *Psalm. 110 v. 4.* *Vers. 9.* *Iacob. Valentia* *D. Ambr.*

Huius cuętus perillustris fuit præfiguratio in Patriarcha Ioseph: nam cum exulasset in AEgypto, & ad apicem imperij deuenisset, suis fratribus illuc propter famem abeuntibus non solum offensam, quam sibi intulerunt, condonauit, sed etiam sacculos, quos ad reportandum triticum secum deferebant, tritico inpleri iussit, & vltrorius 281

rius pretium pro ipso exhibitum in tritico reponi præcepit. Peruium est in hoc tritico Eucharisticum figurari, cum Ioseph, qui illud largiebatur, typum gesserit Christi: ast non vacat mysterio, quod non modo triticum, sed eius pretium fratribus contulerit. Et cur qui tot delitijs fratres recreauerat qui annonam asportandã præbuit, argentum etiam ad ipsos deuolui procurat, & ea industria, vt in sacculis lateat? Præstaret enim illud in ipsorum manus reponere, vt gratiores se ostenderent, & maiori exultatione recederent. Verum Hispalens. Archiepiscop. Isidor. profundè rem meditatus ita accidisse credit, vt innotesceret, quod in Angelorum pane nobis exhibendo pretium nostræ redemptionis erat occultandum, atque in illo latenter existere argentum, & valorẽ operum Christi Domini, quo facultas nobis confertur, vt à dira peccati captiuitate liberemur. *Christus autẽ* (inquit) *in sacramento Altaris et frumentum, et argentum dedit.* Subscribit Cellens. Abbas cap. 1. de panibus his verbis. *Liberalitatis opus cum sagacitate benedictionis fratribus suis Ioseph exhibet: sed libet in mensa cœnæ Domini, et in conuiuio Ioseph lucem et vmbram præ oculis ponere: larga manu Ioseph, quorum ventres impleuerat bonis, saccos nihilominus quantum possunt capere, frumento replet, et pecuniam propriã in ore sacculorum ligat latenter.* Quid illustrius? Non tantum in hoc cœlesti pabulo compendium omnium deliciarum nobis Christus exhibuit; verũ etiam eximium nostræ redemptionis pretium: & quisquis ad has dapes accedit, diuitem venam aperit, & thesaurum inæstimabilem, quo à captiuitate resurgat.

D. Isidor. Cellens Abbas

282 Vrbem Iericho obsidens strenuus dux Iosue, vt eius munitionem considerarent, exploratores misit latenter: qui cum ad domum cuiusdam mulieprostitutæ diuertissent, & illa humano hospitio, & cauta sagacitate à ministris eos requirentibus liberaret, ipsi pio officio ingrati mulieri pollicentur, illam domum, in qua eos excepit, in deuastatione ciuitatis incolumem seruandam: & vt ab illius inuasione milites abstinerent, consulunt, vt funiculum coccineum in fenestra ostẽdat: quod ita accidit, & appositio signo domus permansit indemnis, & à captiuitate redempta. *Si ingredientibus nobis terram, signum nõ fuerit funiculus iste coccineus* &c Iosue 2. Vtraque Glosa per funiculum coccineum sanguinem Christi intelligit. *Signum redẽptionis sanguis Christi* (Ait Interlin.) Neque aliter effectus & virtus sacramenti Altaris viuacius potuit depingi: nam sicut Raab funiculo coccineo sanguinem Christi referente à captiuitate & se & suam domum liberauit, eodemmodo, qui funiculum sanguinis Christi secum portat, se omniaque sua à dæmonis seruitute, & peccati captiuitate redimit. Vnde dixit S. Algerus libr. de corp. & sang. cap. 11. de hoc mysterio loquens. *Sacramentum passionis illius ore ad redemptionẽ sumitur.* Qui fenestram oris hoc sanguine notat, procul abigit omnes hostes, ad nulliusque dominium peruenit. Fere eisdem verbis loquitur August. lib. cur Deus homo cap. 5. hominibus suggerens, vt ad hanc mensam non tanquam serui, sed tanquam ingenui accedant. *Pater dicit: Accipe vnigenitum meum, et da prote. Et ipse Filius dicit: Ille me, et redime te.* Quasi dicat: Apud te est tuę redemptionis pretium, tuum est, quod in Altari accipis, eo vtere, vt à captiuitate liberetuadas.

Ioſue. 2. v. 18.

S. Algerus

Augustin.

Consonat Chrysolog. ad ea verba orationis Dominicę, *Et dimitte nobis debita nostra*: Putat enim Christum Apostolis consulere, non vt panem materialem petant, sed vt supersubstantialem ambiant. Quo supposito verborum consequentiam perpendit: nam cum petitionem præmisisset. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; immediate ait: *Et dimite nobis debita nostra.* Quasi hic panis vrgeat ad debitorum remissionem, & ad solutionem pretium largiatur. Et cur ex panis receptione tam confidenter debitorum remissionem extorquemus?

283 *Matth. 6. v. 12.*

Quia

Quia in hoc pane (ait Chrysolog.) pretium datet ad nostra debita soluenda, & eo debitè recepto expediti à debitorum nexibus exultamus. *Homo, penes te est potestas veniæ, in te est indulgentiæ ius, tu tibi remissionis auctor es constitutus.* Quid pulchrius? Panem sacratũ petis (ait Chrysolog.) igitur in tua voluntate indulgentiæ potestatem reponis, penes te est potestas veniæ, apud te remissionis facultas, & indulgẽtię ius, tui ipsius hoc pane redemptor es effectus, *Tu tibi remissionis auctor es constitutus.* Huc Paschasij mens spectat in comment. super Matth. lib. 12. Quærit cur Christus Dominus sacramentum Eucharistię instituerit, antequam pateretur, neque post resurrectionem distulit, vt impassibile corpus consecraret; ita enim præstare videbatur? Tamen ante mortem illud instituit, vt nos cum ipso, & ipse nobiscum vnum essemus corpus strictissimo huius Sacramenti nexu, vt antequam se daret in pretium, illo vniremur. Verũ ad quid hęc vnitas? Vt illo omnes (ait Paschasius) & crucifigeremur, & resurgeremus à morte, atque virtute huius Sacramenti redemptricis mortis essemus participes: nam ipso mortui, consepulti & resurrecti, quasi nos ipsos redimimus virtute Sacramentalis vnionis: quod & Paulus innuit ad Roman. 6. *Omnes fuimus in Christo crucifixi, et mortui, et consepulti, conresurrecti* &c. Illo igitur Sacramenti vinculo ante mortem vnimur, vt ad partem nostræ redemptionis ingrediamur, & redẽptricem vitam participemus.

Chrysol.

Ad Rom. 6. v. 4.

284 Requisitus Christus Dominus (Matth. 17.) à ministris Cæsaris, vt tributũ solueret: licet ab huiusmodi solutione immunis esset, ne adstantes scandalizaret, ait Petro: *Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius inuenies staterem; illum assumens da eis pro me et te.* Quod Petrus, sicut pręceperat Magister, fuit executus. Ambros. lib. 5. in Examer. cap. 6. super his verbis inusitata semita incedit: per pisces enim homines intelligit (secundum illud Matth. 13. *Simile est regnum cœlorũ sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti*, & Habacuc. 1. *Qui facis homines velut pisces maris*) In statere autem in ore piscis adinuẽto Christum adumbrari arbitratur, cuius virtute & valore pretium nostræ redemptionis soluitur, illoque velut ponte, amarum peccatorum mare trãsitur, vt litus gratiæ teneatur, & census pro peccato debitus ęterno Patri solvatur. Vt igitur Christus hoc pretio nos vti doceret, Petrum mittit, cui tanquam primo sacerdoti loco Christi suffecto numisma corporis eius cœteris porrigere, vt debitum soluant, competebat. *Bonum piscem* [ait Ambros.] *neque retia inuoluunt; sed eleuant; neque hamus internecat, atque interficit; sed pretiosi vulneris perfundit sanguine, in cuius oris confessione bonum pretium reperitur. Noli igitur, ò bone piscis, Petri hamum timere: non occidit; sed consecrat.* Nemo ad hamum Petri cibo Eucharistico inescatum accedere formidet: nam dum eũ accipit, & mundo corde suscipit, in proprio ore staterem inueniet, quo tributum peccati solvat, & à captiuitate liberetur.

Matth. 17. v. 27.

Cap. 13. v. 47.

D. Ambr.

285 Magnum negotium facessit omnibus Interpretibus illa locutionis forma, qua Christus Dominus morti proximus Patrem affatur. *Vt credat mũdus, quia tu me misisti, et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnũ sicut et nos vnum sumus.* Ioann. 17. Cum non constet, de qua claritate & gloria hic loquatur; an de ea, quam vt Filius naturalis Dei habet, & generatione ęterna hereditauit: an de gloria, quam operibus redemptionis promeruit: de hac Cyrillus Alexand. & Leontius in libr. de diuino honore prædicta verba ad litteram exponũt, ita vt de gloria quę ipsi ex redemptione resultauit, loquatur. Verum magna hinc exurgit difficultas, vbi, aut quomodo suis hanc gloriam Christus communicauerit, ita vt participes eius fierent, & ad vnitatem huius excellentiæ vocati. Liquet ex contextu, Christum prædicta verba protulisse

Ioan. 17. v. 22.

Cyrill. Alexand. Leontius

ea

ea ipsa nocte', qua se in cibum dedit: nam prædictis verbis statim adiungit Euangelista. *Egressus est trans torrentē Cedron, vbi erat hortus.* Igitur pro omnibus loquatur Cyrill. asserens hanc redemptionis gloriam Christū Discipulis suis communicasse *In sacramento Eucharistiæ per corporis sui cōmunicationem.* Hic enim Christus suæ liberalitatis thesauros nobis cōtulit, & ad vnitatem redemptricis vitæ vocauit, quatenus pretium nostræ redemptionis suis operibus promeritū nobis largitur.

Ioan. 18. v. 1.

ANNOT. LXIX MORALIS.

NON SOLVM ANIMA, SED ET sensus Eucharistiæ suauitate beantur.

286 DIXIMVS in superioribus Christum Dominum in sacramento Altaris animas quodāmodo beare: & ne quid minus sensus accipiant, illos aliquomodo beatificare hic probare ambio. Origen. huic cogitationi ansam præbuit, qui hom. 1. in 1. Reg. sic affatur: *Singulis sensibus animæ singula quæque Christus efficitur: idcirco et verum lumen dicitur, vt habeant oculi animæ quo illuminentur: idcirco et verbum, vt habeant aures, quod audiant: idcirco et panis vitæ, vt habeat gustus, quod degustet: idcirco et vnguentum et nardus appellatur, vt habeat odoratus animæ fragrantiam: idcirco et palpabilis, et manu tractabilis.* Nullus est sensus, qui non impleatur in hoc Diuinissimo conuiuio, quia vt reficiantur omnes, Christus fit omnia singulis. Sed premenda sūt illa verba *Idcirco et panis vitæ, vt habeat gustus quod degustet:* Nam non videtur quomodo & satietur, & delectetur gustus hoc Diuino pane, dū in Ecclesia porrigitur: quare ad altiorem cogitationem nos vocat Origenes. Pro qua notandum est, quod sensus externi post resurrectionem corporum habere debent suas operationes in beatis: est communis doctrina cum D. Thoma in 4. dist 44. quæst. 7. art. 1. licet Caiet. 3. part. quæst. 57. quem nonnulli, sequuntur, existimet, hanc quęstionem adeo esse difficilem, vt resolutio ad scientiam futuri sęculi referenda sit. Pręcipua tamen difficultas versatur in vsu gustus: partem negantem tenent Bonauent. Ouand. & Abulens. apud Egidium tom. 4. lib. 4. quæst. 9. art. 1. affirmatiuam tamen ipse amplectitur cū communi Theolog. & rectè probat tum ratione, quia id in maiorem gloriam corporis cedit, quare cum hæc perfectio corpori glorioso non repugnet [vt patet in Christo Domino post resurrectionem comedente] non est cur corporibus beatorum denegetur: tum auctoritate Laurentij Iustiniani de disciplina & perfectione conuersationis monasticę cap 43. *Nec enim fas est, vt in illa cœlorum gloria quicquam vacet à Dei laude: quin potius iustum est, vt omnia corporis membra suum proprio modo efferant Conditorem, sicut ab illo sumpsere principium, vt sit Deus in omnibus.*

Origenes

D. Thom.

Caietan.

Egidius.

Laurent. Iustinian.

287 Sed inquirendum restat quomodo fiat in patria gustatio? Ratio difficultatis est, quia constat inter omnes PP. & Theologos ibi non esse futurum alimenti cibum, & subinde neque vlum cibi, vt contra Sarracenos, & Iudæos late probat S. Thom. in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 3. vbi communis Theologorum. Et ad hunc sensum P P explicant corporum glorioſorum vitam, quia scilicet cibo & potu iam non indigebunt. Difficile autem est explicare, quomodo in patria dari possit obiectum gustus, ipseque gustus ponatur in actu gustationis. Communis resolutio est, in lingua cuiusque beati futurum esse humorem quemdam incorruptibilem saporis suauissimi omnes huius vitę sapores longissime superātem, quo gustus beati absque vlla indignitate perpetuo afficiatur. Sic S. Thom. in 4. dist. 44 quæst. 2. art. 1. & alij quam plurimi. Sed adhuc restat difficultas, vnde proueniat iste humor? Asserit Scotus, quod ex optimo qualitatum primarum temperamēto: sed non est audiendus, quia non om-

S. Thom.

Scotus.

nes

nes beati idem habebunt tẽperamentũ. Alij existimant, illam qualitatem realiter causari à beatitudine animę, quod non displicet Richardo: tamen ipse, Suarez, Egidius & alij autumãt, à Deo causari, refertq; Egidius, plures affirmare, istum humoren futurum esse aliud manna, habiturumque omnis saporis suauitatem, ita vt ad id cuique sapiat, quod voluerit: sic Maior & Viguerius ab eodem citati, qui volunt ob hanc excellentiam appellari posse nectar Ambrosium, quo Dij iuxta Poetarum fabulas in cœlo vtebantur: additque Maior manna in deserto figuram fuisse huius humoris cœlestis Egidius tamen putat inmaiorem illius excellentiam cedere, si vnicum ac cibi connaturalis habeat saporem omnium suauissimũ, & cœlo dignum: nã manna non habebat omnium rerum naturalem saporem, sed miraculosè Deo naturam propriæ qualitatis mutante (vt ait Abulens. in cap. 13. Genes. quæst. 24.) Iam vero immutabilitati patriæ repugnat illius humoris ad cuiusque libitum mutatio. Quare (inquit Egidius) illa cœlestis humiditas ex sua natura futura est saporis præstantissimi, & ad hunc sensum omnem saporem virtute continebit, vt dicatur nectar Ambrosiũ.

Richard. Suarez. *Maior. Viguerius* *Abulens.*

288 Neque obstat, si dicas cum Bonauent. in patria neque dari mediũ gustus, neque obiectum, nempe saporẽ, quia ibi non datur esca & potus. Nam respõdetur negando antecedẽs: quia cum gustus sit quidã tactus ex Arist. de sensu & sensili cap 4. habet medium intentionis nempe carnẽ linguę, vt advertit S. Thom. citatus. Insuper in patria dabitur cœlistis illa humiditas: nec opus est, quod omnis res sapida sit cibus & potus, vt male in argumento supponitur. Nec rursus obstabit, si dicas: gustatio fieri nequit sine reali mutatione & alteratione organi gustus, scilicet linguę: sed hæc alteratio repugnat corpori glorioso, ergo. Nã similiter respõdetur primò negãdo antecedẽs: nã falsum est gustationẽ nõ posse fieri, nisi à sapore realiter immutetur lingua; cum Christus Dñs post resurrectionẽ cũ Discipulis comẽdẽs cibos verissimè gustauerit, & tamẽ lingua eius iã gloriosa alterari nõ potuerit repugnante impassibilitatis dote. 2. respõdetur admittẽdo antecedẽs: quia lingua beati humore illo cœlesti realiter erit alterata, nõ quidem de nouo, sed statim à primo instanti gloriæ corporis, cum quo eadem numero alteratio perpetuo inmutabilis permanebit. Sic S. Thom. in 4 dist. 44 q. 2. art. 1. in fine corpor. dũ docet. *Gustũ in beatis futurũ esse in actu per immutationẽ linguæ ab humiditate adiuncta.*

D. Bonau. *D. Thom.*

289 In re autẽ tã recõdita, & quę tot patitur opiniones, liceat suspicari, hunc saporẽ, quo beatorũ gustus reficiũtur in patria, ab almo Eucharistiæ sacramẽto prouenire: aut quia in futurũ sęculũ reseruabitur, quod nullã video repugnantiã inuoluere; aut quia humor ille cœlestis, qui licet non sit cibus, cibo tamen affinis est, hoc epulũ omni suauitate repletum refert. Si enĩ cum Maiori & Viguerio teneamus, manna in deserto saporem illum cœlestẽ adumbrasse, quis abnuat mãna non aliud nisi cibum Eucharisticũ, in quo omnis sapor generosus, & delitię continentur, indigitare & exprimere. Si autem cum alterius opinionis Auctoribus teneamus, illam cœlestem humiditatem, qua recreabuntur beati, cõnaturalẽ ac præstantissimũ habituram saporem; quis alius præter istũ cibũ saporẽ habet inenarrabilis suauitatis? Consulantur spirituales animæ, quæ crebro & sensibiliter eius suauitate & dulcedine fuerũt repletę. Prętereà quod hoc quidem munus reficiendi & beandi sensus externos humanitati Christi Domini proprie cõpetit: ipsa enim oculos beatorũ glorificabit in cœlo, ipsa defectum obiectorum illos delectantium supplebit. *Serà la suple falta de los sentidos.* Si enĩ beati post consummationem sæculi (quę tunc fiet, quando Sancti glorioso triumpho cũ Christo corporaliter ascendent in cœlum) nullũ habebũt desideriũ siue efficax, siue inefficax suos sensus exercendi, neque reunionis ad corpus, quia omnis appetitus

desiderij sic erit satiatus, & cõpletus, vt nihil amplius desiderent: & ad hoc vt omnes æquè satientur, & perpetua felicitate fruantur, quinq; plagas Dñs in suo corpore reliquerit quinq; sensibus correspõdentes, vt argutè dixit Petrus Damianus opusc. 5. c. 2. *Foramina petræ vulnera sunt Redẽptoris, quæ profecto nõ casu quinque sunt, lãceæ scilicet et cluuorũ; sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti.* Quid mirum, quod hoc idem corpus cui huiusmodi plagę fuerunt inflictę, sacramentaliter susci pi à beatis vellit, vt hos eosdem sensus reficiat, & lætificet. Ideoque forsam quinque verbis *Hoc est enim corpus meum* suum corpus, & totidem sanguinem Christus consecrauit, atq; hoc Sacramentũ innotuit, vt quinque sensus per illud glorificari innueret. Neq; ex dictis erit operosum obiectionibus in contrarium satisfacere.

D. P. Damian.

Matth. 26 v. 26.

290 Alludit ad hanc cogitationem, quod Christus Dominus cum Iudæis erga suam Diuinitatem & filiationem, quam accepit à Patre, differens dixit, vt fideles ad spem gloriæ erigeret. *Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inueniet.* Ioann. 10. Locus commentationibus fatigatus: nam non constat apud omnes, de quo ingressu & egressu hic Christus loquatur. Mitto aliorũ opiniones, & Lyrę commentationi adhęreo. *Ingredietur* (inquit) *hic ad fidem, et egredietur ex hoc mundo ad gloriam.* Sed adhuc vrget difficultas: nam quo pacto qui ad gloriam ingreditur, eundem cibum, eadem pascua, ac Ecclesiam ingrediens inueniet? Idem ipse Christus, qui modo sub speciebus panis & vini exhibetur fidelibus manducandus, postea sub cibi specie beatis tradetur? Ita videtur sentire Glosa. *Ingredietur in Ecclesiam, vt hic viuat per fidem; vnde post dicit, vt vitam habeant: et egredietur de ista vita, vt in æternum viuat; vnde post, et abundantius habeat vitam: et pascua inueniet ingrediens et egrediens.* Siue ergo fideles ingrediantur in Ecclesiam, siue ab illa egrediantur, vt in beatitudine collocentur, idem pabulũm vtrobique habebunt: nam Humanitas Christi Domini vtrobiq; eos reficiet. Si autem ex identitate cibi licet identitatem conditionis arguere; idem Sacramentum, quod modo fideles beat, postea beatos glorificabit, & reficiet. Huc etiam spectat, quod sedens Christus Dñs ad mensã in nocte cœnæ cũ Discipulis suis se in cibum præbens, ne ipsis, quod exhibebat, cœleste alimentum defecturũ putarent, dixit: *Et ego dispono vobis sicut dispositit mihi Pater meus regnum, vt edatis, et bibatis super mẽsam meam in regno meo.* Luc. 22. Ferè omnes Expositores cõueniũt de regno cœlestis beatitudinis Christũ hic fuisse locutũ: sic Interlin. *Mensa quæ omnibus Sãctis est ad fruẽdũ proposita, est cœlestis vitæ gloria.* Tamen Nicolaus de Lyra vtrumque regnũ & militare & glorioſũ hic æquè posse intelligi existimat, & in vtroq; fideles in sacra Eucharistię mẽsa satiari innuit. *Hoc similiter dupliciter intelligitur: vno modo de sacramẽto Eucharistiæ, cuius consecrationẽ, acceptionem et dispensationem Christus tradidit Apostolis; alio modo de fruitione gloriæ, ad quã Apostoli erant prædestinati.* Siue ergo in Ecclesia, siue in patria regnent iusti, eadem mensa vtrobique paratur, Eucharistiæ nempe, vbi non tantum viatores, sed & comprehensores refici videntur: atque cum clara Dei visio intellectum & reliquas animæ facultates solum glorificet: vt gustus, & cœteri sensus recreentur, videtur hic cibus in patriam reseruari.

Luc. 22. v. 29.

Interlin.

Lyra.

Lyra.

Gloſa.

ANNOT. L.XV. MORALIS.

IN EVCHARISTIA VERBVM caro efficitur.

291 VErborũ vi Altaris sacramentũ cõfici dogma fidei est: sicut sub accidẽtibus Christus latet, sic sub verborũ, quibus cõsecratur, corticę virtus abscõditur, qua panis substãtia in carnẽ Christi cõuertitur. Hic exi

mia

Ioann. v. 14.

D. Cyp

Ioann. v. 69.

mia proprietate Verbum caro efficitur, quia verbis efficitur caro, & incarnationis mysteriũ repetitur, atque adumbratur Fortassẽ hùc directè respiciunt verba, quibus Ioãnes sacramẽtũ incarnationis expressit. *Verbũ caro factum est, et habitabit in nobis.* Ioan. 1. Quę nõ minus cõgruenter ad hoc mysteriũ possunt inflecti, quia vt incarnationis mysteriũ proderet, aptius videbatur Filiũ nominare, quã Verbũ, cũ de generatione ageret, quæ potius Filio quã Verbo cõpetit. Verũ cũ de cohabitatione Christi apud nos in futurũ loquatur (*Et habitauit in nobis*, quod in hoc Sacramẽto adimpletur, quia iugiter in Ecclesia remanet) satis innuit, de vtroq; mysterio sermonẽ instituere: atque in incarnatione Filiũ carnẽ fieri, in Eucharistia Verbũ similiter verborũ vi carnẽ effici, quod nullibi nisi in hoc Sacramento cõtingit. Vnde Cyprianus serm. de cœna Domini. *Ex quo à Domino dictũ est: Hæc est caro mea, hic est sanguis meus; quotiescũque his verbis et hac fide actũ est, panis iste substantialis, et calix benedictione cœlesti sacratus ad totius hominis vitã salutẽq; proficit: et mox ipse panis et caro et sãguis, ipse cibus et substantia factus est Ecclesiæ.* Igitur quotiescumque cum intentione Sacerdos illa verba profert *Hoc est corpus meum*, corpus Christi efficit, & Verbũ caro factum est: quia illa verba operatiua sunt, & id efficiunt, quod significã. Vnde çũ Christus Dominus [Ioan. 6.] latissimè disseruisset de hoc mysterio, neque multi ex eius discipulis ferre potuissent, & super cibo isto incredulitate nausearent, abirentq; retro, eos qui remanebãt interrogans, an forte etiã abire vellent, Petrus animosa fide respõdit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* At quis crederet, quod Petrus verbis Christi moueretur ad eius sequelã, & nõ factis? Maximè cũ facta verbis correspondissent, totq; mirabilia esset expertus: verba enim bona facilime proferuntur; at opera ipsis significata nõ ita facile adimplẽtur: garrire enim hominũ est, operari Dei. Cur igitur Petrus Christi verbis allicitur; nõ factis? Quia de Eucharistiæ sacrificio agebatur, in quo verba sũt facta, quia verbo caro efficitur, & Verbũ efficitur caro: nã verborũ vi Christus producitur, & ad Sacerdotis verba sub accidẽtibus adest.

Ioann. 1. v. 14.

D. Cypr.

Ioann. 6. v. 69.

Præsiti æstuabat populus in deserto Cades, & acerbius obmurmurabat, versusque in seditionem vexabat Moysem, vt populum reficeret: ille autem ingressus tabernaculum, pronus in terra Deum deprecatur, vt populo aquã pręstare dignetur: annuẽsque Dominus suis precibus ait: *Tolle virgam, et congrega populum tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas.* Numer. 20. vers. 8. Fecitque Moyses, sicut pręceperat ei Dominus, & egressæ sunt aquæ largissimæ. Extra dubiũ est, petram illam, è cuius saxeis visceribus aqua scaturiuit, Christũ adumbrasse, dicente Apostolo: *Petra autem erat Christus.* Ipsumque in sacri corporis mensa vitalem aquam affluentissime propinantem, ad quam fidelẽ vrget accedere, Ambrosius recognouit. *Et tu bibe, vt te Christus sequatur.* Verum non parum mentem pungit, quod ad patrandum illud mirabile opus Moyses consortio Aaronis, & locutione ad petram indiguerit. *Tu et Aaron frater tuus loquimini ad petram.* Et cur qui tot miracula se ipso solo effecerat absque Aaronis adiutorio (nam Iordanis fluenta in sanguinem conuerterat, virgam in serpentem transmutauerat, scinipes suscitauerat de terra, & alia quã plurima ediderat prodigia) modo Aaronem comitem habere præcipitur, vlteriusque petram alloqui? Nonne sufficeret ipsam virga tangere? Lapis ne est auricularus, vt voces audiat loquentis ad ipsum? Qui obturatas & saxeas habebat aures, ad verba Moysis & Aaronis obedibit? Ast magnum hic latet sacramentum: nam mysterium agebatur Altaris, vbi necesse est loqui, & Sacerdotis loquela vti, vt conficiatur. Igitur dum hoc mysterium præfiguratur, nõ Moyses solus loquatur ad petram; accedat Aaron, qui Sacerdos est, & dum

Num. 20 v. 8.

1. Ad Corinth. 10. v. 4.

D. Ambr.

affluentem aquarum venã haurire satagit petræ, deſt Chriſto, illa verba loquatur. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei.* Veritatẽ præcedat vmbra, & ſacrificiũ poſtea verbis conficiendũ verbis in figura efficiatur. Sacerdos accedat ad petrã nõ tacens, nec percutiẽs ſolũ, ſed loquẽs, vt Sacerdotũ poſtea ad altare accedentiũ, & affluẽtiſſimã ſanguinis Chriſti venã exhaurientium conſecrationis verbis munus obeat, & verborum vis extunc agnoſcatur.

293 Huc reſpiciebat Dauid, cũ exultãs huius myſterij præuiſione aiebat *Pſalm. 26 v. 6.* Pſalm. 26. v. 6. *Circuiui, et immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo, et Pſalmum dicam Domino.* Merito hic ambigitur ab Expoſitoribus, quid per hoſtiam vociferationis Dauid intelligat: nam hoſtiæ & ſacrificia non verbis conſtabant, ſed rebus, neque voces vnquam offerebantur. Acutè ſatis Incognitus hic almũ Euchariſtiæ ſacramentum rimatur, quod magna proprietate vociferationis hoſtia dicitur: quia validiſſimis verbis non in ſono, ſed in virtute & efficacia peragitur. *Incognit.* *Hoſtia vociferationis dicitur Sacramentum corporis Chriſti, qui ſolus hoſtia ſufficiens pro noſtra redemptione fuit.* Et paulo infra. *Vocatur autem iſta hoſtia vociferationis: nam vociferor, vociferaris idem eſt quod vocem fortem emittere.* Chriſtus igitur, qui in hoc Sacramento immolatur, vociferationis hoſtia eſt, quia ad hanc fortiſſimam & efficaciſſimã vocem *Matth. 26 v. 26.* *Hoc eſt enim corpus meum* præſto adeſt, ipſaque totum Sacramentũ conficitur: verborum hoſtia eſt, quia verba in illa efficiuntur caro.

294 Largiturus Sponſus Sponſæ quædam nuptialia munera, ſic ea pollicebatur. *Cantic. 1. v. 11.* *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cãtic. 1. v. 11. Non conuenit inter Expoſitores, de quo ornamento hic loquatur Spõſus, magnumque diſſidium inter ipſos eſt. *D. Hier. Beda.* Hieronym. Beda & alij de ornamento colli verba accipiunt, & torquem ſignificari fabrili arte compoſitum exiſtimant. *D. Bern.* Bernard. ſerm. 41. in Cant. Anſelm. & alij quamplurimi non de colli, ſed de aurium ornamento ea intelligũt: quod mihi veroſimilius videtur. Sed adhuc ambigo, quid per ornamentum murenularũ ad aures ſpectans intelligatur. Caſſiod. Beda & Rupert. relati in hũc locũ à Ghislerio, putant, inaures Sponſæ murenulas dici, quia ad ſimilitudinẽ murenæ piſcis maris fabrefactæ erant. *Caſſiodor. Rupertus. Ghiſlerius* *Idcirco iſtius modi ornamentum dictum murenulas, quod ſit factum ad ſimilitudinem murenæ piſcis marini, quæ plicat ſe in orbem.* *D. Ambr.* Quid denique myſticè hoc ornamento ſignificetur, ingens eſt difficultas. Ambroſius comment. in Pſalm. 118. ſatis innuit, ſacramentum Euchariſtię hic arcanè depingi. *In quo non ſolum ipſius Dei bonitas* [verba ſunt Sotomaior ad hunc locum] *ſed etiam ſapientia et ars, ſeu ingenium et inuentio, aut ratio aliqua ſingularis apparet; vt cernere eſt in beneficio humanæ Redemptionis, atque etiam Euchariſtia myſterio, quaſi murenulæ quædam ſunt aureæ vermiculatæ, id eſt variegatæ argento propter eximiam excellentiam, perfectionem, et circumſtantiarum ac rerum varietatem.* *Sotomai.* Sed quod murenę, & non alterius rei ſimilitudine vtatur Sponſus, dum de ornamento aurium Sponſę agit, vt Euchariſtię ſacramẽti tradat imaginẽ, myſterio non vacat: & ad ipſius intelligentiam neceſſe eſt Ambroſium conſulere, qui lib. 5. in Examer. cap. 7. de piſce murena agens, talis ait eſſe conditionis, vt cum vipera multoties miſceatur, ad cuius cõgreſſum cum vipera ad maris littus acceſſerit, ſibilo murenam vocat, & ad præſentiã ſuam, & maritales amplexus inuitat, depoſito prius veneno: vixque murena ſibilũ audit, cũ præſto adeſt vocibus viperę obtẽperans. *Vipera* (inquit Ambr.) *abſentem murenã requirit, abſentẽ vocat, et blando proclamat ſibilo, atque vbi aduentare comparem ſenſerit, venenũ euomit, reuerentiã marito deferens, verecundata nuptialem gratiam.* Sic illo appoſitiſſimè ad rem noſtram. Nunc autem myſterium, quod latebat, appareat: ideo enim murenæ ſimilitudine Euchariſtiam pro ornamento aurium

Eccle

Ecclesia habet: quia vix Sacerdotis sibilus illa verba proferentis *Hoc est corpus meum* ad aures Christi absentis peruenit, cum ab empyrio mari Paternæ dexteræ ad terram accedit: Sacerdos enim dum ea verba profert, absentem Christum inuitat in murena
D. Ambr. adumbratum, de qua idem Ambros. lib. 5. in Examer. cap. 2. ait: *Murena quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosior est.* Hic enim cœlestis cibus omnibus est præstantior; ast noxiũ quid habet ad ipsum nõ deposito culpæ veneno accedentibus. Igitur cum Sacerdos deposito culpæ veneno (etsi nõ deponat) ad littus sacri Altaris accedit, & sibilat consecrationis verbis, statim murena Christus adest, & verborum vi in amplexus vocantis ruit. Expedit enim Sacerdotibus à vipera exemplum sumere, & venenum euomere, antequam ad murenæ cõgressum accedant, ne præstantissimus cibus noxius illis sit; verum etsi venenũ non euomant, dum sibilo absentem murenam vocant, præsto adest, obediente Deo voci hominis. Nam sicut ad Gedeonis vocem stetit Sol in tabernaculo suo, ad Sacerdotis verba sistitur Christus in Altari. Apte ergo cum vocibus hoc Sacramentum conficiatur, in aurium ornamẽto exprimitur: nam auribus verbum percipitur, illisque insidet, atque cum ad Christi aures peruenerit, caro efficitur.

ANNOT. LXVI MORALIS.

CHRISTVS DOMINVS IN Eucharistia realiter adest.

295 VT opimos gratię fructus tulisset homines, non sat videbatur, vni tantum naturæ Deũ vniri, nisi etiam omnibus realiter cõmunicaretur: ad hoc enim sacramentũ Eucharistię instituit: quod magna auiPsal. 142. ditate, & vehementi desiderio exoptabat Dauid Psalm. 142. *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ad quę verba Innocẽt. *Ideo inquit manus meas ad cœlum in oratione expandi, quia anima mea, sicut terra sine aqua tibi.* At quid sitientis ariditate terræ voluit Dauid exprimere, vt tã vehementer aquam suspiret? Cur non potius alterius elementi indigentia suum desiderũ expressit? Nam omnibus terra indiget, vt fructus ferat opimos, ignis calore, aeris frigiditate, sicut aqua vegetabilia omnia crescunt. Egregie Cassiodorus prędicta verba exponit: *Pulchra ergo comparatio, cũ dicit, animam suã sic desiderare Deum, quemadmodum solet sicca terra copiosas pluuias sustinere.* Cassiodor. Dei realem præsentiam & participationẽ Propheta desiderat, vt abunde eius anima satietur: idcirco per modũ aquæ Deum concupiscit, non per modum alterius elementi: nam terra vt fructificet, vt saginetur, cœterorũ elementorum tantummodo accidẽtibus indiget, aeris nempe qualitate, calore ignis; ast non satis est, vt fructificet, qualitas aquæ, sed opus est, quod ipsa met aquę substãtia illi vniatur, & realiter communicetur. Ita equidem vt anima vere satietur, veroque reficiatur cibo, vero corpore Christi realiter ipsi vnito indiget: quocumque alio cibo, quocumque alio bono non solum non nutritur, sed fame perit, & languet. Ideo subtiliter aduertit Cassiodorus, Dauid sitim ad Deum referre, vt innueret, non nisi ipso Deo satiari posse. *Dixit autem: tibi nõ alteri, ne istud desiderium malis voluptatibus applicares.* Cœteri enim cibi non solũ animam non impinguant, sed necdum eius sitim temperare valent.

Hoc ipso desiderio flagrans ad Deũ 296
iterum preces fundebat Dauid. *Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Psal. 118. Hebræus vertit: *Erraui sicut agnus perditus.* Quę verba ita exponit Genebrard. *Precatur Psaltes, vt Christus veniat, et homines apud dæmones errantes saluet.* Verum cur sicut agnus perditus errat, Dauid se errasse confitetur, non sicut ouis, aut aliud noxium animal, ad quod cõgruẽtius peccator erat referẽdus? Optime Caietanus eo, quo solet, acumine difficultatẽ versat. *Agno perdito*

Psal. 118. v. 1176. Hebræus. Genebr.

Caietan.

se comparat ad significandum periculum: quoniam expositus est periculis, non solum luporum, sed etiam periculo inediæ propter absentiam à suctione lactis. Non dicit se errasse, sicut ouis perdita, aut aliud animal solet errare: quoniam & illa, & hæc herbis & alijs pascuis possunt satiari; sed sicut agnus perditus, qui non nisi lacte reficitur: perit ergo humani generis nominè cibum Eucharisticum, qui lactis nomine exprimitur: *Quasi modo geniti infãtes rationabiles sine dolo lac concupiscite.* epist. 1. Petri cap. 2. & propterea se agno erranti comparat, quia agnus non nisi lactis succo saginatur, cum pabulari non possit pascua: *Expositus etiam periculo inediæ propter absentiam à suctione lactis.* Hoc vnum lac suspirat Propheta, quod solum potest eius animam cibare; cętera pabula tanquam olera herbarum linquit ouibus, sibi dulcissimum hoc epulum, suauissimum lac tanquam agno sugendum anhelat.

1. Petri cap. 2. v. 2

297 Hoc ipsum denotant præcitata verba D. Petri epist. 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Quæ clemens Alexand. lib. 1. pedagog cap. 6. sic legit. *Tanquam nuper nati infantes verbale lac concupiscite: idest lac Verbi.* Et pulchre subdit: *Nutrimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli: ipse itaque, qui est dilectus et altor noster, Verbum effudit pro nobis suum sanguinem, per quem qui in Deum credimus ad mammillam Patris, quæ curarum oblitionem inducit, nempe Verbum, confugimus.* Enimuero verbum iure optimo mammilla Patris appellatur, quãdoquidem per ipsum hominibus cõmunicata est Diuinitas, quasi lac è corde, quod Patris est symbolum, atque è mammilla & per mammillam, quæ est symbolum Verbi, lac istud deriuat in homines vna cum sanguine, nam & lac sanguis est, sed cum perfectiori cõcoctione, cum puritate & candore. Quid stupore dignius, quam videre Patrem materno affectu quasi nutricem infantulos lactantem mammilla sua, scilicet Verbo? Sed prę̃menda sũt illa verba *Quo solo aluntur infantuli.* Quasi hoc solo cibo, & lacte diuinissimo infantuli nuper nati, vtpote rationales saturentur. Idcirco enim monet sanguinem concupiscere sub lactis specie: quia esto essentialiter idẽ sint lac & sanguis, sanguis proprium alit corpus, lac alienum, vtpote super fluum alimentum, vt in matrum vberibus apparet. Hinc per modum lactis sanguis Christi exhibetur, vt innuatur, non nisi illo homines posse viuere, sicut nec infantulus nuper natus sine lacte: & vt denotetur, hoc alimentum fuisse confectum, vt homines tantum saginentur; Christus enim Dominus se ipsum communicans nullum specialem effectum in se recepit, vt Theologi docent: hoc enim emolumentum nobis solum superst. Idcirco ex modo proficiendi alijs, non sibi, cõpellatur *Verbale lac*, quod iuxta Clementẽ Alexand. eius est sanguis, *Verbum effudit suum sanguinem.* Hoc ipsum ipse Christus tradidit Cantic. 5. v. 1. *Comedi fauum meum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.* Ex quibus verbis optimè probat Ghislerius, Christum se ipsum communicasse, atque realem præsentiam in hoc Sacramento adstruisse: ideo enim mel in hoc fauo contentum, & lac sub specibus vini delitescens sua vocat, quia ex proprijs carne & sanguine hoc pabulum confecit. *Præclare autem* [ait Ghislerius] *ad dulcedinem, et voluptatem illam significandam, quæ in tali comestione percipitur, ait: Comedi fauum cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. Non mel dumtaxat, sed fauum cum melle meo, indicans simul quid comedendum in tali exhibuerit cõuiuio; nempe carnem suam purissimam vna cum Diuinitate item sua, quæ illi vnita est carni.* Fauum porro nuncupat carnem: quia sicut fauus fit quidẽ ab ape, sed è materia florum (vt ait Arist. lib. 5. de histor. Animal. cap. 22.) ita & caro Christi à supercœlesti illa ape nempe Spiritu. S. fabrefacta est è purissimis & floridis virgineisque Mariæ sanguinibus: & sicut in fauo

Clemens Alexand.

Cantic. 5. v. 1.

Ghisl. rius

Arist otel.

conti-

continetur mel, ita & in Christo Diuinitas. Hoc igitur mel & Diuinitatis lac tanquam è mammilla Patris nobis tanquam infantulis, & nullo alio cibo nutriendis Christus in hoc Sacramento communicauit.

298 Singulis filijs Iacob benedicturus ad Aser deueniens ait: *Pinguis est panis eius, et præbebit delitias regibus.* Genes. 49 v. 20 Quæ verba ad sacrum Eucharistiæ conuiuium, in quo præstantissimæ dapes, & regiæ delitiæ continentur, inflectit Ecclesia. Sed rimari licet vocum proprietatem: nam epitectum illud *pinguis* non est propriũ panis, sed carnis; panem pinguem nemo verborum proprietate dissertus dixit. Caiet. punctus hac difficultate per panem hic & carnem & reliqua alimenta intelligi existimat. *Sententia clara est intelligendo per panem vniuersum alimentum: laudatur enim et à bonitate et à delitijs sors terræ eius.* Quæ expositio non parum instituto nostro, & veritati arridet: nam vt innuatur, sub speciebus panis, quę in hoc Sacramento oculis exponuntur, carnem Christi latere, non panis, sed carnis proprium epitectum apponitur, vt animam hoc cibo cœlesti, carnis pinguedine saturari credatur, cum quidquid bonum & delitiosum est sub illis speciebus contineatur. Vnde dixit Zacharias ca. 9. v. 17. *Quid enim bonum eius est? Et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans Virgines?* Germanus sensus est apud nostrum Rairolem: non mirum quod tantam Gentium conuersionem fecerint Apostoli, neque quod Deus eos seruauerit vna cum grege populi sui; cum quidquid bonum, & pulchrũ est, eis asseruauerit sub symbolis vini & frumenti, hoc est sub speciebus Eucharistici sacramẽti. At quę est natura veri boni, & quomodo Eucharistia illud continet, vt homines ad se trahat? Bonum (inquit idem Auctor) est esse appetibile, vtpote congruum voluntatis obiectũ, quo tãquã hamo piscis, hominis appetitus trahitur. Quia ergo Deus, vt Deus est, naturaliter nõ appetitur, non enim datur appetitus naturalis ad beatitudinem, vt cũ S. Thom. tenet maior pars Theologorum] Diuinitas, quę hamus à Ruperto nuncupatur, sub speciebus Eucharisticis realiter delitescit, vt sic naturali appetitu quodammodo à nobis appetatur, & velut pisces Diuinitate & Humanitate Christi inescatos nos ad se trahat.

Genes. 49 v. 20.

Caietan.

Zachariæ 9. v. 17.

ANNOT. L.XVII. MORALIS.

QVI AD MENSAM EVCHARISticam sine ea, quæ tantum Sacramentum decet, puritate accedit, insanire videtur.

INSANVS sane est, qui inermis hostem ensem districtum habentem aggreditur, atque illo transfigitur, & vulneratur. Quis nisi demẽs, phreneticus, aut mentecaptus inimicum fortissimũ adoritur destitutus armis, quibus se protegat, & defẽdat? Amẽter desipit, qui ad mensam tremendam, & mille armis offensiuis munitã sacramenti Altaris sine armis gratiæ & puritatis audet accedere, & ensẽ ibi sub accidentium vagina inclusum prouocare. Inebriatur quidem haud vtiliter in hac mensa, qui ad ipsam indebita præparatione sedet, ea ebrietate, de qua dixit Seneca epist. 83. *Nihil esse ebrietatem præter voluntariam insaniam.* Hac igitur dementiæ nota inurit Paulus, qui sacram sinaxim indigne comedunt: Corinthios enim instruens, vt cautos reddat & meticulosos, ait: *Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi mãducat, et bibit.* 1. Corinth. 11. Idest sententiã mortis consentit, & damnationem sibi acquirit. Sic communiter exponunt P P. Sed hęreo verborũ cortici iuxta dialecton Hispanam, qua qui turpiter aberrat, iudicium absorbuisse dicitur, *Se sorbio el juicio.* Eodem ergo modo, & pari proprietate loquitur Paulus asserens hunc cibum indigne communicantes iudicium bibere, & comedere, quo demẽtes ostendũtur, & creduntur insanire: neque alia est hæc sententia ac præcedens: nam qui

299

Seneca.

1. Corinth 11. v. 29.

sententiam mortis sibi illatam per se ipsum exequitur, & propria manu se interimit, insanus est, absortumque habet iudicium. Olim Athenis ad mortem damnati ipsam ebsorbebãt, quia eos ad poculum toxicatum & veneno confectum bibendum compellebant; at qui vitro id faceret dementiæ notam non effugeret: sic profecto qui Altaris calicem reus bibit, mortem deglutit, absortumque habet iudicium.

300 Multoties Christus Dominus Iudæos alloquens, vt eorum cæcitatem auferret, & duritiã cordis emolliret, varijs metaphoris se Deum, & in lege promissum ostendit: quod etsi ægre tulissent propter inuidiam & odium, ferebant tamen: at cum ipsum metaphora Pastoris oues suas pascentis de se ipso loquentem audiũt. (*Ego sũ ostium: per me si quis introierit saluabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inueniet. Ego sũ Pastor bonus.* &c. Ioan. 10.) ira perciti lapides arripiunt, vt in eum iactent. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Caiet. Lyra, & alij quamplurimi existimant, Christum sub verbo *pascua* vtrumque cibum significare & cælestem, quo fruuntur, & satiãtur beati, & Eucharisticum, quo viatores reficiuntur in Ecclesia. Siue enim fidelis ingrediatur in ecclesiam, siue egrediatur ad patriam, pascua semper inueniet. *Secũdarius fructus describitur* (ait Caiet.) *spectans ad præsentem vitam: primus namque spectat ad futuram.* Sed mirũ est, quod cum Christus & cibum & Pastorem se præbet, Iudęi ita efferantur, vt lapides ad eum lapidandum arripiant. Multoties contra ipsum sunt machinati, & nocumenta ipsi inferre moliebantur diuersa: sed nunquam eum lapidibus obruere tentauerant. Cur igitur modo lapides contra ipsum accipiunt; nisi vt insanos & dementes se ostendant? Præmiserat enim Christus Dominus sermonem de Eucharistia: ipsum vt offendant, adoriuntur, & non alijs armis, nisi lapidibus eum impetere conantur, vt insani, & phrenetici videantur, qui furentes lapides iactant: hoc enim proprium vitium dementium est lapides in adstantes iactare. Qui igitur alijs offensis Christum insectabantur, & vt canes rabiosi ipsum de alijs mysterijs loquentem inuadebant; cum de cœlesti Eucharistię cibo loquitur, impetuose lapides arripiunt, vt eum obruant, & extra se ipsos agere fateantur: nam quisquis Christum in hoc Sacramento offendit, furit, lapides iactat, & dementiæ intemperantia laborat. Hanc energiam textus subindicat, dum ait: *Sustulerũt ergo lapides.* Ly *ergo* vim habet illationis & consequentię: quasi diceret Euangelista: Apprehenderunt arma, vt Christum interficerent; ergo lapides, qui arma dementium sunt: ac si idem sit Christum in hoc sacro cibo offendere, & lapides iactare, quod summę dementiæ argumentum est.

301 Huiusmodi insaniam iudiciose meditabatur Carthusianus in Ozæ morte. Delegit Dauid triginta millia hominum, qui in comitatu adessent arcæ, cum eam de domo Abinadab transferebat: imposuerunt eam in plaustro nouo, & cum boues calcitrarent, & arca inclinari cępisset, extendens manũ Oza tenuit eam, & statim pœnam audaciæ luit, & repente mortuus est. *Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* 2. Reg. 6. v. 7 Omitto culpam inquirere, propter quam plectitur Oza, & quæcumque illa sit, miror, quod de temeritate arguatur: nam qui temerarius habetur, insanire creditur: temeritas enim & dementia tam sunt affines, vt communiter demens temerarius dicatur. Cur igitur Ozę irreuerentia temeritatis nota inuritur? Maximè cum hoc epitectum non alibi in sacra pagina inueniatur, vt perspicue inspicienti patebit: & vbi pene infinita alia scelera referuntur, quæ temerariam audaciam, & insanissimam dementiam prę se ferũt, hoc solum temere actum reputatur; cum tamen Ozę factum hominis cordati videatur, cum pia prouidentia

Ioan. 10. v. 9.

Vers. 31.

Caietan.

2. Reg. 6. v. 7.

arcam

arcam sustentare procurat, ne quæ incipiebat cadere, omnino rueret? Cur ergo temeritatis arguitur, & insanè deliquisse perhibetur? Quia (ait Carthusianus) arcę Eucharistiam adumbrāti fiebat, ad quam nemo audet indignus accedere, qui temerarius non sit, & insanire iudicetur, vnde tanquam demens multatur, & sententiam Pauli exequitur. *Carthus.* *Eece ista percussus est, qui bono zelo quamuis non satis discreto arcam Domini, rem inanimatam et lignem sustentauit: quanta damnationē merentur, et sustinebunt, qui corpus et sanguinem saluatoris maculata conscientia consecrare, tractare, aut sumere non formidant? Cum tamen dicat Apostolus: Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Non alij cēsurę debuit subiacere, qui ad hoc Sacramentum impurus accedit, nisi temeritatis & dementiæ: in cæteris enim peccatis stultitiæ homo & insipientiæ arguitur, at in hoc scelere delirat, & furit.

302 Sub metaphora Regis ad nuptias inuitātis se Christus præbuit Matth. 22. Qui cū prandium haberet paratum, ac semel & iterum inuitatos quæreret, intrauit, vt videret ad mēsam discumbentes: cumque hominē notaret nuptiali veste carentem, & ipsius indecentiam increpasset, præcepit ministris, vt manibus & pedibus ligatis in custodiā eum detruderēt. *Matth. 22 v. 13.* *Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus et pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Miror, quod tam graui pęna plectatur, qui leuem videbatur culpam commisisse. Nam quid quod vestes non essent admodum comptæ, & ornatus perpolitus, vt ipsum alligari præcipiat, & incarcerari? Cur non alia pęna incuriosus ille punitur? Nonne sufficeret in carcerem mitti, vt ad conuiuium redire non posset, neque oculos inuitantis iterū offendere? Vt quid manibus & pedibus ligatis eum deferri iubet? Crediderim, vt innuatur reū dementię esse: pæna enim qua insani & furiosi corripiuntur, ea est, quod ligentur & in custodia detineantur: igitur qui vt demens delinquit, vt demens punitur. Accessus ille ad regale conuiuiū sine decenti ornatu indignos ad mensam Eucharisticam accedentes præfigurabat: hi autem non qualicumque pęna multantur, sed illa qua puniuntur insani, alligationis nempe & incarcerationis. Alligari eum iussit, vt pæna speciem culpę demōstret. Fortasse huc respicit Gregor. Magn. *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Ligantur nunc pedes et manus per districtionem sentētiæ, et tunc ligat pœna, quos modo à bonis operibus ligauit culpa.* Pœna enim delicto correspondet, & eius naturam manifestat: atque ligatus punitur, qui insanè ad mensam Eucharisticam accedit, amens enim & alligari dignus indignus est. *D. Greg. Magn.*

Eundem gustum habere videtur 303 parabola illa, quam Christus Dominus Discipulis suis proposuit (Matth. 13.) regnum cælorum assimilans homini seminanti optimum semen in agro, quod inimicus vitiare tentauit superseminans zizania in medio tritici: quę cum serui extirpare obtulissent, ea vsque ad messis tempus crescere sinit, & eo accedente ait messoribus: *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendū: triticum autem congregate in horreum meum.* Quod zizania comburantur, & tanquā inutilia reducātur in fauillas, bene est: cęterum quod comburēda alligentur in fasciculos, supertuaneum videtur. Quid enim interest, quod alligata comburantur, aut dispersa? Forte Agricola seruos habebat otiosos, quod eis insudare præcipit in re tam inutili? Sed si in tritico cœlestem panem adumbrari suspicemur, in zizania vero, qui ad hoc triticum accedunt, & illo se immiscent, & incorporantur indignè, congruenter actum inueniemus: nam hi qui indebita dispositione hoc cęlesti pane incorporantur, non soluti sed alligati in ignem mittūtur: quia cum summa dementia sit, hunc panem comedere zizanijs peccati affectos, non quā- *Matth. 13 v. 30.*

quacumque pœna multantur, sed dementiæ debita & vsitata, alligationis nempe, sic iustitia exigente, quæ pœnam vnicuique delicto debitam tribuit. Procliue est huc inflectere Rabbanum in Catena adductum. *Et notandum, quod vbi dicit: Seminauit bonũ semen, notat bonam voluntatem, quæ in electis est. Vbi vero dicit: Inimicus venit, cautelam habendam intimare voluit, de qua crescentibus zizanijs quasi patienter ferens ait: Inimicus homo hoc fecit; patientiam nobis commẽdauit. Vbi vero ait: Ne forte colligentes zizania, donauit nobis discretionis exemplum. Quando autem subiungit: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, commendauit loganimitatem. Ad vltimum iustitiam, cum dixit: Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Pende hęc vltima verba *ad vltimum iustitiam* &c. Quasi iure debeatur zizanio tritico accedenti alligationis pœna, qua dementes puniuntur, vt his suæ insaniæ reatibus in ignem mittantur, & pœnas dementię debitas luant. *Rabban.*

ANNOT. LXVIII. MORALIS.

CHRISTI AMOR IN EVCHARISTIA sic delicatus est, vt vel tenuissima aura lædatur.

304 AMOR quò fortior, eo tenerior: quo vehementior, eo delicatior: quò intensior, eo sensibilior. Nõ patitur vel leuem attactum: aspectu minimo offenditur: læditur oculorũ nutu: tenuissima aura lãguet, & marcescit: delicioſus nimis cum sit, omnes blanditias ambit, & neque ipsis delicijs satiſſit: quasi ipsa suauitate offẽditur, & tenerrimus ita est, vt vel ipsa suspicione lædatur. Ardentissimè doler, qui amantissimè amat, nisi ardentissimè redametur. Nullibi autem hæc amoris teneritudo sic deprehenditur, sicut in sacramento Altaris: nã cum illud opus amoris sit, & vehemẽtissimæ dilectionis, delicatissimum est, & in illo Christus aere transeunte offenditur. Hinc cũ Magdalena post resurrectionem Christum quereret, & post lacrymas & suspiria ipsũ adesse cognoscens, ad eius pedes deuoluta eos tangere & osculari desideraret, Christus illam à se repellit illis verbis *Noli me tangere*. Et quid quod eum modo tangat, quã multoties tangere & contrectare permiserat? Quam peccatricem ad tactum receperat, perfectissime amantem excludit? Nimis delicatus Christus videtur Magdalenæ contactum refugiens. Ita enim est: nam postquam sacramentum Eucharistiæ instituit, sic tener eius amor ostenditur, vt vel leuissimo attactu offendatur, & ita delicatè se gerit, vt Magdalenam repellat illo delicatissimo scrupulo *Noli me tangere*, quod in prouerbium transiuit, & personam nimis sensibilem, quę aeris transeuntis attactu læditur, *Noli me tangere* nominamus. A sacramento ergo Altaris hanc teneritudinem, & delicatam conditionem Christus hausit: nã qui ante eius institutionem omnibus se præbuit contrectandum, ea vel tactũ leuissimum recusat. *Ioan. 20. v. 17.*

305 Hebræis olim per desertum peregrinantibus, & fame tabescentibus manna pluit in abundantia, mirabiliũ Dei compendium, & augustissimã sacramenti Altaris vmbrã; eo tamen studio, vt nullę ad illum approximarent sordes: nam primo antequam descenderet, ventus validus præcedebat, qui terram verrens, & expurgans à minutissima quaque puluerís particula emundabat. *Primo* (inquit Abulensis quæst. 6. ad cap. 16. Exod.) *educebat Deus ventum, quo purgabat superficiem terræ, ita vt nullæ sordes manerent, quæ manna descendentem maculare possent.* Postea (ait Lyra) pruina cadebat terram operiens, quæ ros liquidus & stillicidia referẽs erat, postea manna, ac tandem insuper ros cõgellatus, quo tegebatur, & coopertum erat, vsquedum colligebatur; nã tunc discoopertum apparebat: idque refert ex Rabbi Salomon, cuius sẽtentiam non improbat, sed tanquam subtilem laudat. *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum: cumque* *Abulens.* *Lyra.* *Exod. 16. v. 14.*

ope-

operuisset ros superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum Exod. 16. ad quę verba ait Lyra. *Rabbi Salomon exponit hunc locum subtilius dicens, quod primò cadebat pruina superterrã, et postea ros aliquantulum congellatus desuper: itaque manna iacuit inter duo illa, tanquam mundè seruatum. Vnde in Hebræo habetur: Mane quoque fuit operimentum roris in circuitu castrorũ, et ascendit operimentum roris: et Ecce in solitudine minutum discoopertũ* Quidquid sit de veritate huius sententiæ, quæ communiter reijcitur; liceat hac vice ei assentire, & mirari, quot vmbraculis cœlum manna munierit, vt nec leui offendiculo esset expositus: sufficere enim videbatur terram mũdare, ac pruinam super ipsam sternere, ne pulueris attactu pollueretur. Ad quid roris congellati cooperimentũ additur, cum non sit, à quo iniuriam patiatur? Nam Iudæi illud conculcare vererentur, cęlumque custodiret, ne superueniente opprimeretur grandine. Cur igitur velamine roris congellati tegitur? Opinor, ne ab oculis Hebræorum illud intuentium, aut ab aere transeunte offenderetur: nam nullus alius hostis remanebat. Dælicatissimus ille cibus, cum opipari ac delicioſissimi sacramenti Altaris typum gesserit, vel ab oculorum nutu & tenuissima aura veretur offendi; ideo que velamine clauditur arctissimo, ne aer illud tangere, aut oculus aspicere possint. Sic mollis & delicatus cibus Eucharisticus est, vt leui aura pungatur. Caue igitur tenerrimum Altaris panem offendere, & cum ad eum accedis, terram pectoris munda, aerem, quo mortalia & terrena suspiras, cõprime, ne respiratione lædatur: periculosissimum enim nimis est, cũ persona delicatę conditionis conuersari, nam quolibet verbo inadvertenter dicto, & incautè prolato lędit, & sæuit. Time oculis immundis manna aspicere, & pollutis labijs illud tangere, ne exasperetur, & qui delicatissimus est, robustissimum experiaris hostem.

306 Cõgruit huic cogitationi Philonis mens lib. 2. Allegor. nam vbi noster Vulgatus habet: *Apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum.* Exod. 16. v. 14. legit ille: *Simile pupillæ oculi.* Quod cum ipsa Manna natura difficulter componitur: nam nihil est pupilla oculi delicatius; manna autem robustissimum erat, siquidem mola terebatur, vt ex eo panis conficeretur. Sed vtrũque in hoc cibo inuenitur: pupilla enim oculi ad quam manna refertur, tenerrimi est ac delicatissimi sensus: nam vt vehementer doleat, non est necesse, vt vulneretur telo, aut percutiatur flagro; sed sat est, si delicatissime ac leuiter tangatur, si in illã incidat vel atomus leuissimus, vel minutissimus apiculus, nam quolibet attactu intensissimi doloris sensus excitatur, lacrymas fundit, & totus oculus ægrescit, ac cruore suffunditur. Merito ergo manna oculi pupillę cõparatur: nam Christus Dominus in illo figuratus, qui tot in passione sua pertulit tormenta, eaque patienter sustinuit; si in sacro Altaris edulio leuiter offendatur, ad vehementissimũ stimulatur dolorem: nisi nimia puritate accipiatur, acerbissime torquetur. Vnde monebat Dionysius Areopag. cap. 3. de Eccleſiast Hierarch. *Eos, qui ad Sacramenta cœlestia conficienda accedunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque extremas imagines purgatas habeant.* Nam in eos, qui minimo offendiculo eum tangunt, mirum est, quam præsto insurgat, & ad vindictã prouocetur. *Philo.* *D. Dion.*

307 Sponsus Cantc. 7. Sponsę partes docto penicillo depingens, eius ventrem perdifficili transtatione describit: *Vẽter tuus aceruus tritici vallatus liliis.* Mitto acerui similitudinem cum ventre, quæ aceruum difficultatum parit, & liliorum circumuallationem demiror: vallare enim in toto rigore munire est armis, aut muris, vt ciues ab hostium incursionibus defendantur, & inimicis telis resistant: vnde dixit Lucanus lib 4. *Nullis vallarent oppida muris*: & Valerius Flac. 1. Argonaut. *Medioque in crimine patrem liquerit, ac inopem nullis vallauerit armis.* *Cantic. 7. v. 2.* *Lucanus* *Valer. Flac.*

armis. Cur igitur Sponſus cum aliàs in re militari v deatur inſtructus, dũ muro & antemurali Sponſam cingit, modo ventrem lilijs vallatum dilaudat, & ſpecioſum habet? *Debilibus* ſane muris venter vallatur, & qui non armis indiget, vt ruant, ſed aſpectu tantum. Quæ liliorum fortitudo, vt ventrem in modum arcis cingant, & muniant? Cur dum Sponſam munitã, & à quacumque inuaſione incolumẽ decribit, eam non fortiſſimis muris circumuallatam exponit, ſed floribus tantum cinctam, qui aere marceſcũt, & languent? Verum ſi eam partem Sponſæ, quam depingit ſcrutemur, odorabimus liliorum fragrantiam. Etenim dum Eccleſiæ ventrem aceruo tritici confert, Euchariſticum, & ſuperſubſtantialem panem, quo Sponſã alit, ſine dubio indigitat: hunc igitur floribus vallatum oſtẽdit, quia inter res creatas nulla eſt floribus delicatior & ſenſibilior, nam leuiſſima aura languet, & aere ipſo marceſcit, atque oculorum aſpectu lęditur, breuiſſimam viuit vitam, quia ob teneritudinem mille periculis exponitur. Vnde Sponſus, qui ſeipſũ ſub ſpeciebus panis conſecrauerat, lilijs vallatũ, & floribus cinctum ſe perhibet, vt delicatiſſimam ſuam conditionem exprimeret, quippe quæ floris inſtar tenuiſſima aura læditur, nec maiorẽ, quam flos, habet munitionem, vt ſe defendat. Merito panis iſte munitionis dicitur, ſiquidem vallatus perhibetur: verum panis floridus etiam eſt lilijs vallatus, quia aeris afflatu marceſcit, & fragrantia, atque teneritudine flores redolet: quin & ſentibus, quibus inuriantes vulneret, armatur. Caue igitur ſpinam, dum florem offẽdis, nam ſub flore baſiliſcus latet lethalis, ſua fragrantia eum, qui pollutus peccato illum tangit, internecat: ſicut AElianus de ſcarabeo lib. de varia hiſt. ſcribit: qui fœtidis oloribus alitur, & ſtatim ac fragrantiam roſæ odoratur, deperit; vnde Gręcum prouerbium *Scarabeus roſam.* Aceruus iſte triticeus acerbiſſimus ſolet eſſe ipſum indigne tractantibus, & delicatam ac mollem cõditionem in acerbam ſolet commutare: tenerrimus cũ ſit ad offenſam, duriſſimus eſt ad vindictam.

Gedeoni in occurſum caſtrorum Madian venienti cum exercitu ſuo apparuit Deus, & in re militari ſolerter illum inſtruit, vt inimicum profligare valeat, non militum multitudine & robore, ſed arte & induſtria: cum enim Gedeon quadam nocte latenter ſua caſtra inuiſeret, inſomnem militem offendit, & ſomnium, quod habuerat, ſuo commilitoni narrantẽ. *Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, et in caſtra Madiã deſcendere: cumque peruenĩſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, et terræ funditus coæquauit. Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis.* Iudic 7. v. 13. Gedeon hoc victoriæ prænuncio munitus in caſtra irruit Madian, & hoſtiũ vna parte propria manu interempta, altera in fugam verſa, inimicum profligauit, ac penitus euertit. Tritum eſt in hoc pane Euchariſticum agnoſcere: illud autem myſterioſum videtur, quod in pane lateret gladius valens potentiſſimum hoſtem profligare: quę namque cohęrentia inter gladiũ, & cinerem, vnde ille panis erat confectus? Ille bellicus, fortis & durus eſt; hic lenis, debilis & ita imbecillis ac inconſtans, vt à tenuiſſima aura ſpargatur, & deferatur huc atque illuc. In cinere, qui mortis reſiduum eſt, vitalis cibus adumbratur, & ab illo gladius euaginatur formidabilis? Ita enim accidit, & nullum Euchariſtiæ hyeroglificum aptius potuit excogitari: nam panis iſte cęleſtis cinerem præ ſe fert, qui tenuiſsimus cum ſit, quacumque aura excitatur, & vix attingitur, cum offenditur: delicatiſsimę conditionis eſt, vel tenui reſpiratione ſpargitur, & quaſi exaſperatus ipſum excitantem adoritur, ac leuis attactus impatiens contra ſpargentem inſurgit, ipſique inſidet, atque repercutere ſatagit, quaſi gladium cõtra ipſum diſtringat. Sic igitur panis Euchariſticus eſt tenerrimæ & delica

308 *Iudic. 7. v. 13. et 14.*

309

Eraſmus.

3. Reg. 19 v. 7.

Gloſ. Moral.

tæ

308

Iudic.7. v.13.et14.

tæ conditionis leuissima aura lacessitur, leni attactu stimulatur ad vindictam, & qui cineris lenitatem & delicatam conditionem præ se fert, dum patitur; cum aduersus offensorem insurgit, gladius durissimus, & ex vtraque parte acutus sentitur: cinis est à vento agitatus, sed in gladium versus formidabilem, qui numerosos exercitus valet prosternere.

ANNOT. LXIX. MORALIS.

QVI POST EVCHARISTICAM cœnam somno torpet, interitum sibi parat.

309 Insomnis, qui à sacra Eucharistiæ mensa surgit, debet recedere, nam post cœnam periculosissimus somnus est, ideoq; à Medicis prohibitus. Lethifer est sopor, qui post hoc conuiuium irrepit, & altè dormiens post huiusmodi epulas mortẽ sibi infert, & *Bene dormit* (vt aliorsũ dicebat Erasmus in Adagijs) *qui nõ sentit, quã male dormit.* Præstat enim somnum excutere ei, qui huiusmodi cœna saginatur, ne peccati sopore correptus in somnium incidat interitus. Elias in deserto degens vacuus ventre abundè ab Angelo reficitur, somnũque post esum capit, & statim vocẽ ipsius Angeli ipsum excitantẽ audit. *Surge, et comede, grandis enim tibi restat via.* 3. Reg. 19. Qui Prophetã saginare aduenerat, cur benè cœnatum requiescere non sinit, sed dormire vetat: vixque oculis claudentem percutit, & ad fugam arripiendam hortatur? Quia cibus ille Eucharisticum referebat (ait Glosa moralis) *Surge, et comede: id est, Eucharistiam.* Igitur non patiatur Angelus Prohetam post cœnam quiescere, & somno sopiri, ne cœna ei lethaliter noceat: post cœnam enim multum ambulare expedit, & à somno vacare, ne morbum & interitũ inferat. Hinc in veteri lege (vt refert Rabbi Moyses de agno Paschali perech. 8. & & alij post illum) qui somno correptus, & iam dormitans carnem agni semel edebat, rursus ex eodem agno comedere non poterat, cauente lege ne in somnijs aliquis ad agnum comedendum accederet, & mortem sibi somno compararet. Vnde actum est, vt ea ipsa nox, quæ Hebræis & vitam, & libertatem peperit, AEgyptijs mortem attulerit: nam in illa agnum immolare Hebræis præcipitur, & Domini Angelus AEgyptiorum primogenitos interfecit, *Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omnem primogenitum in terra AEgypti à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat vsque ad primogenitum captiui, quæ erat in carcere.* Exod. 12. vers. 29. Aſt vnde AEgyptijs tam cruenta strages, tam capitale supplicium; & Hebræis tam secura quies? Quia dum Hebræi agnum manducaturi inuigilabant; AEgyptij alto sopore dormiebant (ait Paschasius libr. de corp. & sang. Domini cap 22.) *Comedetis illum festinantes; est enim Phase, id est transitus Domini. Alioquin desidia torpentes, et hic in sæculi actibus remorantes non digne comedunt pascha, videlicet carnes agni. Et ideo satis timendum est talibus, ne cum AEgyptijs nocte perimantur, dum sopore peccati premuntur.* Dum de cœna Eucharistica agitur, nemo somno peccati torpeat, nullus sopore sepeliatur, ne morbum lethalem incurrat: nam dormientibus imminet exitium, & summo discrimini exponitur, qui somno in hac mensa corripiatur, & sopitur alto socordiæ torpore. Nullus igitur desidia indormiat, ne AEgyptiorum sors illi contingat, & sæcularium cura sopitus laqueum sibi & interitum paret.

Eraſmus. 3. Reg. 19 v. 7. Gloſ. Moral. Exod. 12. v. 29. Paſchaſ.

310 Cœna facta uenit IESVS cum Discipulis suis ad hortũ, & assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, paululũ ab eis recessit, obnixèq; ad Patrẽ orabat: cũq; eos inuiseret, & somno correptos inueniret, eorum socordiam increpat his verbis: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. Verba omni energia plena: non enim absolute conqueritur de illorũ somno & inertia; sed quod cum ipso non [illegible] vigila- Matth. 26 v. 40.

vigilarent: repreheudit, quod illo insomne, somno corripiantur ipsi. At cur dolet, quod ipsum non comitentur in oratione, & quod sopore possideantur, dum ipse orat? Fateor consortium orationis Christi multum interesse, vt illorum oratio esset acceptabilis. Verum qui tantum de solitudine orationis angitur, ac si ipsorum consortio indigeret, vt exaudiretur, magnum negotium facessit; at si attentè inspiciamus, non pro se dolet Christus, sed pro ipsis, & de ipsorum salute solicitus, quam somno periclitari videbat, illos à somno excitare satagit: communicauerat enim se paulo antea in cœna Discipulis suis, nondum ab eorum pectoribus abierat; & dum adhuc ipsum in pectore habent, eos dormientes vidit, eorum periculosam stultitiam reprehendit. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Quasi dicat: *Mecum* in pectore; & somno correpti? Cauete, ne cœna vobis noceat: nam in magno discrimine est, qui post cœnam dormit, & somno sopitur. Vigilate & orate, ne in tentationem & mortem intretis. Forte torpore huiusmodi somno contracto Petrus ipsa nocte Magistrum negauit, & vsque ad somnum lethalis mortis peruenit. Quod profunde innuit Caiet. *Considera, et treme vir iuste: Petrus paulo ante ipso Iesu attestante mundus, atque per hoc in charitate existens, Sacramentis corporis et sanguinis Christi digne communicans, præmonitus de futura hac tentatione, paratus potius mori, quam negare Christum, ad vnius ancillæ vocem illum negauit, et successiuè addit periurium.* Qui munitus Eucharistia nullum hostem formidabat, immo aduersus ipsam mortem insurgebat, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; dum cœna accepta somno corripitur, sic languet, & euigoratur, vt ad vocem ancillæ susurrantis tremat, & stomachatus cibo vsque ad mortem ægrotet, & in tentationem vnius mulierculę voce labatur.

Caietan.

Cantic. 5. commensalibus aiebat Sponsus: *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.* Cui statim Spō sa, vt dignam se pręberet tanto cōuiuio: *Ego dormio, et cor meū vigilat.* Gregor. Niseu. hom. 10. aptissime ad cōuiuiū in sacramento Eucharistiæ exhibitum hęc verba refert, vbi id quod hic dicitur *Comedite, et bibite* existimat idē esse cū eo, quod idē Sponsus in institutione huius Sacramēti dixit. *Accipite, et comedite: Quod hic Sponsus adhortatur [inquit Niseu.] hoc tūc quoque factum est per Diuinum illum cibū ac potum.* Sed premenda sunt illa Spō sæ verba, *Ego dormio, et cor meu vigilat*: quę cum precedentibus connexa esse arbitratur Niseu. Nam quo pacto dormiente Sponsa, cor eius inuigilat? Credunt nonnulli apud Ghisler. vigiliā cordis, dum cętera mēbra quiescūt, ad imaginatiuā referri, quæ cordis vocabulo significatur, quia carū rerū phātasias represētat insōno, quę in corde ipso antea extiterunt. Sed tamen dictum existimo per translationem ad naturalia: quia nemo est, qui sensibili somno dormiat, & corde nō vigilet: omnia enim viuentia dum somno dormiunt corporeo, eorum corda vigilant, quia iugi motu mouentur, quem ex pulsu & respiratione discernimus, & vt Medici asserunt, tunc præcipuè vigilat cor: quia cum sit quidam fons caloris naturalis, in quo vita insita est, dormiente animali, & omnibus illius membris quiescentibus, tunc maxime cor vigilat conferens vniuersis calorem: quia cū cœteri sensus sua munera relinquāt, necesse est, vt cor suppleat eorum defectum. Igitur vt Sponsa nullatenus somno sopita videatur, dum ad mensam sacrę cœnæ recumbit, & inuitatur, per translationem ad corporalē somnū, corde inuigilare ait, quia sunt complures somno spirituali dormientes, quorum nequaquam corda inuigilant, quia calore charitatis non sunt præditi, sed frigiditate peccati languentes. Vnde mortem incurrunt: quia cum somnus imago sit mortis, & tantum vigilia cordis dormientem

Cant. c. 5. v. 2. Vers. 2.

D. Greg. Niseu.

Carthus.

à mor-

à mortuo discriminet, deficiente illa, vndequaque mortuus existit, qui absque calore charitatis & gratiæ ad hanc mensam accedit, & hoc cœlesti cibo nō ad vitam, sed ad mortem reficitur.

312 Cum Paulus copiosè egisset de hoc Sacramento, tandem Corinthios hortatur, vt decenter parati ad ipsum accedant, ne in iudicium, & laqueum incidant diaboli, atque vt
1. Corinth. 11. v. 30. eos deterreat, concludit: *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* 1. Corinth. 11. Quid somni metaphora Apostolus voluit exprimere, vt ab indebita communicatione corporis, & sanguinis Domini arceret Corinthios? Reatum etenim indignæ sumptionis, qui nihil est aliud, nisi mortis somnus: qui enim ad hanc cœnam impurus accedit, statim somno corripitur lethali, & alto sopore dormit; vnde infirmitates, & mortes non solum spirituales, sed &
Carthus. corporales etiam oriuntur: sic Carthusianus ad hunc locum. *Ideo, idest, propter irreuerentem Sacramenti sumptionem sunt inter vos multi infirmi corporali languore: et imbecilles, idest, penè consumpti longa inualetudine: et dormiunt multi, idest, corporaliter moriuntur in pœnam huius culpæ.* Insomnes igitur ad hanc mensam recumbere expedit, ne somno correptis cœna morbosam habitudinem inducat, & ducat ad interitum.

ANNOT. LXX. MORALIS.

AD EVCHARISTIAM NON NISI in gratia accedendum.

313 VEL noxia animalia nos docent, qua puritate Sacrum, vt prosit, communicare debemus: serpens enim, vt è fonte bibat, & ne haustus aquæ illi noceat, tetra venena prius deponit. Quam naturalem solertiam obseruauit Ambros. (serm. 1. post Dominicā 1. quadrag.) & huiusmodi exemplo nos vrget ad deponendum peccati toxicum, priusquam recumbamus ad sacram Altaris mensam. *Serpens (inquit) cum venit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem euomit venenum suum, et postea bibit: ita et nos quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum, hoc est inuidiam, odium &c. et sic ad altare Domini corpore et sanguine eius satiemur.* Quod & Christus monebat Matth. 10. v. 16. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Puritate enim, qua maior excogitari non possit, præstat hunc cibum comedere. Quod optime ponderauit Augustin. serm. 252 de temp. circa illa verba Discipulorū *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Luc. 22. Ad quæ ambigit, cur Christus Dñs signatè Petro & Ioanni præcepisset locum parare ad hoc conuiuium celebrandum; non autem alijs ex Discipulis? Sibique satisfacit. *Petrum misit, cui postea claues cœli tradidit, et Ioānem, qui interpretatur gratia: nimirū, quia homines ad comedendum hoc Pascha Petrus Dei clauiger, idest confessarius, claues cœli habens parat, et Ioannes, idest gratia, vita animæ.* Mundo corde, impullutis labijs hoc cœleste pabulum est recipiendum, & nisi gratia habitationem præueniat, nequaquam communicandum.

D. Ambr.

Matth. 10 v. 16.

D. Augus.

314 Bis ad Dauid accessit Miphiboseth filius Ionathæ, primòque abeo summo amore susceptus est, & inuitatus ad mensam Regis accubuit. *Ne timeas* [sait Dauid] *quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, et restituam tibi agros Saulis patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper.* 2. Reg. 9. Cum vero ad eum secundò accessit, neque illum affabiliter excepit, neque mensam obtulit, neque hereditatē patris integre restituit, siquidem omnia bona sua cū Siba eius seruo diuidere præcipit. *Tu et Siba diuidite possessionem.* Quę causa huius mutationis fuit? Nā quod Siba susurrauerat de conspiratione, fuisse mendaciū habebat cōpertū, & beneficia, quę à patre acceperat, vrgebant Dauid, vt in filiū se gratum ostenderet. Cur ergo non modo non

2. Reg. 9. v. 7.

Cap. 19. v. 29.

humanè & vrbanè se gessit, sed & bona ab ipso abstulit, & neque ad mensam inuitauit, sicut antea fecerat? Auscultа textum. *Verſ. 24.* *Miſibophet quoque filius Ionathæ deſcendit in occurſum regis illotis pedibus, et intonſa barba, veſteſque ſuas non lauerat à die, qua egreſſus fuerat Rex, uſque ad diem reuerſionis eius in pace.* Cap. 19. Etenim non erat dignus regali mensa, Principis conuiuio, & Regis amicitia, qui apud eum illotus, & obsoletus apparebat. Si ergo Dauid illotum hominem à sua mensa arcet, quomodo ad mensam Dei erit admittendus, qui incompositus ad ipsam audet accedere? Quidquid enim sordes terrenas sapit, & affectibus mundanis polluitur, prorsus ab hoc conuiuio est eliminandum. Ad quod optime ponderauit Gregor. illa verba Prouerb 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, et poſuit menſam, excidit columnas ſeptem:* *D. Greg.* Quæ huic conuiuio accomodat Ecclesia, id aduertens, quod huius mensæ domus non supra solidos & fortissimos parietes extruatur, sed supra columnas, nam etsi hę præstent ad pulchritudinem; illi tamen ad fortitudinem sunt præstantiores. Verum ædificium solidis parietibus constructum terræ insidet, ipsiq; vndequaque adhęret, & in terra radicatur; domus autem columnis extructa potius aeris, aut cœli videtur habitatio, quam terræ, quæ exiguam partem basibus columnarũ pręstat, vt erigatur: domus enim Dei hospitans, & excipiens non debet esse ædificium terrenum, sed cœleste, vix terram tangere ipsi licet: anima hoc supremo pabulo saginata omnes cogitationes & desideria debet habere cœlestia; nihil terrenum ambiat, nihil curet, ab omnibus sit abstracta affectibus & voluptatibus.

315 Hoc enim vehementer exoptabat Dauid. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Psalm. 127. *Pſal. 127. v. 3.* Cur filios sicut oliuarum virgulta ad hanc mensam accumbere, & propagari optat; cum sint aliæ pulchriores & proceriores plantę, in quarum fructibus & incrementis illos potuit figurare? Quia oliuas tradunt rerum naturalium Scriptores [& colligitur ex Hebræo] nullomodo insertionem alterius arboris admittere, vnde neque prolem, neque naturam adulterare possunt. Sint vtinam (ait Vates Ecclesiæ fausta prænuncians) filij tui ad sacram mensam sedentes, sicut oliuarum nouellæ, non admittentes alterius cibi saporem, nescientes alterius desiderij insertionem: nihil cogitent, nihil concupiscant præter istum cœlestem cibum; quid quid terrenam voluptatem redolet, à se relegent, & expurgent. Addubitant P P. an Sanctissima Virgo mensæ adesset, vbi Christus in nocte cœnæ se in cibum prębuit? Sunt qui negent varijs ducti rationibus, quorum sententia mihi arridet: noluit enim Christus matrem huius Sacramenti institutioni assistere, ne in carnis & sanguinis conuiuio aliquis carnis & sanguinis affectus admitteretur. Nam qui ad hanc mensam inuitatur, omnibus carnis affectibus depositis debet accedere; & ne propter cognationem cum matre & consanguinitatem eam videretur admittere, ipsam excluſit, ne aliquis carnis affectus intercederet: nihil enim quod terram & sanguinem sapiat, hic est admiscendum; sed puro corde & spirituali dispositione suscipiendum: nam si fas est dicere, purior, quam ad gloriam, dispositio ad istam mensam exigitur. Vt Christus Dominus commensalibus se ipsum Discipulis communicaret, pręcessit illa solemnis pedum ablutio, qua innuebat, omnino mundos, & extremis ac minimis sordibus expurgatos debere hunc cibum comedere; at vt se ipsum ostenderet in Thabore glorioſum, & Discipulis ostenderetur, nescimus quod hęc aut alia pręcesserit prępараtio. Enimuero idem ipse, qui in cœna se præbuit cõsecratum, in Thabore gloria videbatur indutus. Vt quid igitur nõ nisi lotis pedibus ad mẽsam admittit Discipulos, & ad Thaboris beatitudinem

de

de ipsorum puritate non sic appareret studiosus? Fortasse quia accuratior dispositio requiritur ad ipsum in sacramento Altaris communicandum, quam in tota gloriæ maiestate intuendum: hoc enim monito & ad ipsum reuerentem ac debitum apparatum, & nostram vtilitatem docui; nam qui aliter ipsum manducat, in ipso vitæ fonte mortem ebibit, & supplicium.

316 Postquam exundanti alluuione naufragabat mundus *Multiplicatæ sunt aquæ, et eleuauerunt arcã è sublimi à terra.* Genes. 7. eisdem quippe aquis, quibus arca eleuatur, & collocantur in tuto viuentia in ipsa inclusa, quæ extra arcam remanebant, suffocãtur: illis aqua vitam attulit; his interitum. Quod optime obseruauit Oleast. *Eisdem aquis impÿ suffocantur, ac demerguntur, quibus piorum nauis eleuatur; vt quod impÿs est in ruinam, bonis sit in subleuationem.* Non secus qui Eucharistiam suscipiunt decenter, ad meliorem vitam & dona euehuntur suprema: ast qui indignè recipiunt in barathrum detrudũtur. Idem cibus vtrumque præstat effectum. *Quemadmodum* [vt inquit Diu. Gregorius] *eodem igne palea fumant, et aurum rutilat.* Haud aliter de nube illa, quæ filios Israel ducebat in deserto [ait text. Exod. 14.] *Erat tenebrosa, et illuminans noctem.* Nonne tenebræ, & lux opponuntur? Quomodo ergo potuit esse & tenebrosa, & illuminans? Abulens. quæst. 4. *Erat tenebrosa contra partem exercitus AEgyptiorum; illuminans vero noctem contra partem filiorum Israel.* Non aliter Eucharistia bonos illuminat, & incrementat; malos autem excęcat, & interimit: est enim sicut Sol, quo arbores virides & benè dispositæ mirum in modum vigent; quę vero indispositæ sunt arescunt, iuxta illud Aristotelicum: *Actus actiuorum sunt in patiente dispositio:* & paremiam Medicorum *Corpora non sana, quo magis nutris, magis ladis.* Sed scire oportet vnumquẽque indignum hic sibi mortem inferre, & ex medelis toxicum conficere, non ipsius cibi malitia, sed sumentis indispositione: non enim iste cibus ex se mortẽ infert, cũ sit ipsa vita; indignè suscipiens sui ipsius venenũ est, & periclitatur in seipso. At vnde hoc? Quia cũ omnes simus membra huius corporis mystici, cuius caput Christus est, vt dixit Paulus, omnes illi vnimur, ac subinde qui Christi corpus in altari sumit, se ipsum manducat mysticè Christo vnitum, quod si decenter, sibi prodest; verũ si impurus comedat, cũ ipse corporis, quod sumit, mẽbrũ sit vlceroſum, & venenatũ, se ipsum interimit, & mortis toxicum sibi propinat; non enim Christus mortem indignis infert; ipsi se ipsos deglutiendo, ensem ad pectus conuertunt, quo vulnerantur.

Oleaster. Aristotel. D. Grego. Exod. 14. v. 20. Abulens. Gloss. Moral. Chaldæus

ANNOT. LXXI. MORALIS.

PERFIDIA IVDAICA NON NISI ignis flagratione punienda.

PRO *iniquitate vidi tentoria* 317
AEthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. Glosa Moral. supplicium Iudæorum propter suam perfidiam in his verbis prędictum agnoscit. *Hic ponitur*, inquit, *punitio Iudæorum pro morte Christi, cum dicitur: Pro iniquitate Iudæorum vidi tentoria AEthiopiæ, ideſt pteſtatis Romanæ, quæ dicitur AEthiopia, eo quod idololatriÿs omnium gentium erat denigrata. Turbabuntur pelles terræ Madian. Ideſt Iudæa, quia Madian interpretatur contentio: Iudæa namquè pro Christi morte permissa est à Deo rebellare Romanis, ex qua secuta est eius destructio.* Addendum ipsos Iudæos posse dici recte AEthiopes: nam ad illa verba Cantic. 4. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem* sic habet Chaldęus: *Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum, sicut AEthiopes, qui habitant in Cedar; et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum eis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus Angelorum.*

At cur pelles Madian vocantur? Non ne quia tentoria ex pellibus extruebant? Sic fere omnes. Sed ne nuda sit repetitio, scito ex pellibus armatos AEthiopes, prodi apud Herod. lib. 7. quī pelles genij mīlitares sunt, in quibus qui militiæ inaugurātur, dormire dicūtur iuxta illud Claud. 1. *Quoties sub pellibus egit AEdonas hyemes.* Multum enim Marti fuerunt dediti Madianitę, ideoque forsam pelles Madian dicuntur: pellitos ergo Madianitas dicas ob belli studium asperumque vitæ genus, sicut *pellitum Principem* dixit Sidonius in panegyrico, & Gothi pelliti dicuntur. Pro pellibus *cortinæ* solet legi: forsam, quoniam qui in pellibus dormiunt, nullo ædificio contecti, sub cortina, ideſt aere, non inuenustè potest dici dormire. Varro quidem cortinam de aere intelligit apud AEnium.

Claudia.

Sidonius.

Varro. *Quæque freto caua cæruleo cortina receptat.*

Verum cortina hic velum est, aulęum que ex pellibus non idiotice dixerim, vt scias quam venuste per pelles & cortinas Madian Iudæi vsurpentur, qui sub ouina pelle intus sunt lupi, & sub cortina Christi intus Moyses adoratur: hos ergo quondam in bello acres viros pellitos sic horrore perculit Deus, vt pene constrictos tradiderit, & vrbem illam celeberrimam, ac munitissimam, quæ nullo robore expugnari posse videbatur, sic diruit, quomodo dissipata sunt castra AEthiopiæ & tentoria terræ Madian, lucernarum quippe splendore lagenis confractis & explosis, innuens Vates noster hac pœna Iudæorum perfidiam ob iniquitatem Christi crucifixi esse puniendam, expurgandamque flammis Ecclesiam. Recte D. Ambros ad cap 9. Lucę de illis loquitur. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Merito ergo foueas habent quia domum, quam habuerunt perdiderunt. Hoc animal (nempe vulpes) neque mansuescit vnquam, et ideo Sanson Iudic. 15. vulpium caudis faces ligari iussit, significans debitum hæreticorum finem esse incendium.*

D. Ambr.

Conuentione facta cum Principibus Sacerdotum accessit Iudas ad hortum, vt Magistrum traderet in manus Iudæorum. *Cum accepisset cohortem, et à pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus et armis.* Ioan. 18. Cur ad comprehendendum Dominum cum laternis & facibus veniunt? Prestaret enim latenter accedere, & noctis obscuritate occuli, ne ipsos præsentirent, & aufugerent. D. Cyrillus Alexand. libr. 11. cap. 32. faces & laternas adductas existimat; *Ne in via in lapides impingerent, aut in foueam caderent.* Addit Toletus, vt in via non aberrarent, & si forte, quem quærebant, latere in obscuritate vellet, inuenirent. Sed egregiè D. Ambros. ad Psalm. 37. ad pœnam Iudæis postea infligendam hæc inflectit. *Denique facibus mortuorum cadauera ardere consueuerunt: sibi ergo Iudæi iam inferebant incendia, qui salutis persequebantur Auctorem.* Illa enim lucernarum adductio prophetia fuit flammarum, quibus postea infidelitas Iudęorum erat plectenda: vlcerosa enim corporis pars igne est medenda, vt reliqua membra innoxia viuant.

318

Ioann. 18 v. 3.

D. Cyrill. Alexand.

D. Ambr.

Describitur 3. Reg. cap. 18. descensus ignis de cœlo ad declarationem Diuinæ veritatis, & falsitatis idololatrię, vt sic populus Israel ad Deum conuerteretur, & beneficium pluuię, qua maxime indigebat, obtineret. Sed notatione dignum est, quod in illo euentu egit Elias: nam postquā pseudoprophetæ non potuerunt facere, vt ignis descenderet, ascendere fecit Elias, & accedente ad se populo. *Curauit [inquit textus] altare Domini, quod destructum fuerat, et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini.* 3. Reg. 18 Altare illud (vt tenet Lyra & Abulens. quæst. 27. sup. c. 18. 3. Reg.) fuit, quod fecerat Saul in monte Carmelo, quādo veniebat de terra Amalech capta præda, in quo victimas immolauit, vt constat 1. Reg cap. 15. Quod quidem altare mandato Iezabel fuit destructum,

319

3. Reg. 18 v. 30.

ctum, eo quod pro sacrificijs Domini erat consecratum, & ipsa cæremonias Dei veri habebat exosas, atque cæremonias Baal diligebat, cui prophetæ falsi iugiter immolabant. Verum nulla verborum proprietate altare dicitur restitutum: nam quid curationis ars cum constructione, vt dicatur, quod Elias curauit altare? Caiet. vocis energiam optimè ad rem nostrã expendit. *Curauit altare Domini, hoc est, instar curantis medici repa rauit altare summi Dei, quod ibi erat dirutum.* Sicut ergo medicus sanat infirmum putridum sanguinem effundendo, vel carnem vlceratam cauterio secando: sic Ecclesia curare debet altare Dei, medio igne infidelium venenum extinguendo, vt Quæsitores faciunt, vt totum Ecclesiæ corpus curetur, & perfida nequitia absumatur: haud aliter enim morbi contagiosi sanãtur.

Caietan.

320 Israelitis à Madian oppressis Gedeõ multis signis auxilio designatur, & inter alia, vellere in arca posito, ad ipsum omnis ros accessit, aridaque terra apparuit iuxta id quod petierat. *Dixitque rursus ad Dominum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero signum quærẽs in vellere: Oro vt solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.* Iudic. 6. v. 39. Multa congerunt Interpretes, vt, quæ sub hac vmbra delitescunt, mysteria detegant. D. Irenæus lib. 3. cap. 9. vult per velleris siccitatem, quã denique postulauit Gedeon, prætendi futurã Iudæorum ariditatem, ob quam fidei rore destituti flammis tradendi erãt, & comburendi. *Quapropter* (ait fugillans eos) *necessarius nobis est ros fidei, vt non comburamur, neque infructuosè afficiamur.* Iudęis quidem dum fidei ros inerat, & cœlestis doctrinę succus, flamma parcebat, vt pueris Babylonicis, quibus Angelus Domini fecit medium fornacis quasi ventũ roris flantem Daniel. 3. vt rubo illi, per quem spinosi Iudæi significabãtur (Exod. 3.) qui ardebat, non tamen comburebatur, quia fidei rore virebat. Nunc vero illo carentes rore, quid mirum, si flamma comburat: atque ideo eos Christus Dominus aridum vocat lignum, aptissimam flammę nutriendæ materiam. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Lucæ 23 vbi Titus Bostrẽsis. *Quid ergo aliud restat, quam vt vos tanquam aridum et inutile lignum comburant.* Vnde iratus Dominus hac Iudæorum peruicacia minatur ipsis tanquam inutilem materiam, & flammis dignam à se reijcere: *Sic conteram populum istum et ciuitatem istam, sicut cõteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* Ieremię 19 v. 11. vbi, vt notat Chrysostom hom. ad baptizandos. *Non dixit Propheta: sicut vasa fictilia; sed sicut vas figuli: nam illa nulla emendatione corriguntur semel figura per flammam sortita: hoc vero facile ad figuram pristinam reformatur industria.* Quod Iudæis accidit: nam dum per pœnitentiam redibant ad Dominum, quasi argilla Diuinis manibus tractabantur, & refingebantur statim in pristinã gloriã: vbi vero à Deo & Christo eius recesserunt, penitus confracti sunt, sicut vasa fictilia, & sine honore, quia ornamentum suum amiserunt. Quod innuit Propheta: nam *Cortinæ*, quas pro pellibus aliqui legunt, vasa sunt, in quibus coquuntur pigmenta Vnde fortasse cortina accipitur pro tripode Apollinis, vt AEneid. 3. tripus autẽ vas erat, vt constat Gifanio in collectan. ad Lucrecium. Hinc apparet, quare cortinę pro tentorijs, seu pellibus ponantur: verbum enim græcum, quod tentorium significat, aliquando pro vase accipitur, si fidas Budæo, qui Polibij verba sic vertit: *Tentoria soluunt, seu vasa soluunt.* Confringenda ergo hęc vasa sunt, hę cortinę à fide aperiendæ, detegendæ harum vulpium pelles, & sicut fecit Sanson facibus comburendę, & omnino exterminandę.

Iudic. 6. v. 39.

D. Iren.

Ieremiæ. 19. v. 11.

D. Chrisost.

Budæus

321 Hanc Iudæorum reprobationem pulchrè annotauit Eusebius Emisenus. hom. 3. de Paschate, vbi expendit quomodo duplicem portionem manna Iudęi sexta die colligebãt, eoquod septima, idest sabbato, nihil ipsius manna colligerent. *Sex diebus colligi-*

Exod. 16. v. 26. te: *in die autem septima sabbatum est Domino; ideirco non inuenietur.* Exod. 16. Confert ergo Emisenus panem illum figuratiuum cum pane vero & figurato, cuius inediam passuri erant Hebræi. *Panis ille, qui tunc latuit prefiguratus in manna, sit tibi manifestatus in gratia hic panis, dicente Propheta: sexta die duplum colliges, dum à primo id. est Dominico die, in lege tribuitur, et in solo sabbato denegatur: iam tunc Christus ab Ecclesia, cui Dominicum diem Resurrectionis consecrauit, recipiendus ostenditur, et synagoga, ad quam cultus sabbati pertinebat, negandum esse prædicitur, dum dies iste septimus cælestis panis fraude multatur.* Merito sabbatum, ad quod synagogę ritus & cultus pertinebant, caret hoc vitali cibo, in cuius figura non colligebatur sabbato manna, vt ex tunc Iudęorum mors, & reprobatio ostenderetur, nullāque ex antiquis legibus ab aduentu Christi fore remansuram, & synagogam funditus fore euertendam.

Euseb. Emisen.

322 Ad summum Thaboris verticem cum Apostolorū Summatibus Christus ascendit, ibique transfiguratur, empyria animæ gloria vbertim in corpus exundāte: inflammantur Discipulorum animi, & delibutus Petrus tantæ felicitatis gaudio dicebat ad Iesum: *Domine bonum est nos hic esse; si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, et Eliæ vnum.* Matth. 17. sed nondum sermonem finierat, cum gloria, qua omnes erant perfusi, disparuit, & ab eorum oculis se subduxit. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Glorioſæ fruitionis priuatione, ac ignorantiæ nota multatur Petrus, & vbi beatæ visionis durationē gliscit, illico euanuit. Nescio cuius criminis Petrus pœnas luat, nam gloriæ cupiditas generosi affectus erat argumentū, Moysis & Elię habere consortium in ostēsa felicitate, feruentis charitatis erat indicium. At illius (inquam) illius culpæ pœnam experitur, quod Moysi tabernaculum voluerit ædificare: agebatur enim in monte de triumphali gloria, ad quam Christus captiuos homines erat adducturus, de abrogādis Mosaycę legis ritibus & præceptis, & Euangelij lege stabilienda: & vbi Christus synagogam euertere venerat, Petrus ipsam, quę domus est Moysis, ædificare procurat, Moysis tabernaculum vult instaurare *Moysi vnum*; merito ergo adhuc de tabernaculo Moysi ędificando loquente gloria euanescit, & obnubilatur, ipseque Petrus & glorię exors, & ignorantię consors inuenitur: quia post Christi aduentum, per Moysis legem neque ad gloriam, neque ad veritatem & sapientiam itur: nec vlterius curandum erat de synagoga, sed penitus & illa, & illius sequaces euertenda.

Matth. 17 v. 4.

Vers. 5.

ANNOT. L.XXII. MORALIS.

IVDAICA PERFIDIA MORtem deuorat.

323 QVi à vita perfide discedit, mortem inuenire opus est. Quid Iudęorum procacitas Auctorem vitę interficiens potuit nisi mortem acquirere? Post ingentem illam & generalem alluuionem, quę mundum naufragare fecit, Noe posteritati & futurę propagationi in arca reseruatus coruum per fenestram & columbam emisit, vt imminutionis aquarum signum aliquod referrent. Columba autem secundo egrediens ramum portauit oliuę virentibus folijs: at coruus non vltra ad arcam reuertitur. Mirabitur quispiam vtriusque oppositam naturam. Si columba nunciare iam terram discoopertam redit; cur coruus infidelis ac ingratus hospes ad arcam non reuertitur, vt quę ipsum recepit hospitio, libera à naufragio ipsius nūciatura exultet? Credit Rupert. coruum extra aquam fuisse remoratum: quia cum cadauera aquis supernatātia inuenisset, quibus pasceretur, illis insidens & inhiās arcę fuit oblitus, & quam redemptricem vitę habuerat, cadauerosо pabulo commutauit. Coruus ille Iudęorū figurabat naturam, genium & miserā

con-

conditionem, quia cadaueribus alitur infidus ille populus,& nihil aliud deuorat nisi mortem: nam dum mortuę legi Mosaicæ adhæret, illamque obseruat, cadaueroso vtitur pabulo,& mortem deglutit in sua cęcitate obstinatus, atque dum ad Ecclesiam, quę arca viuifica est, reuertere abnuit, mortuis lege & cæremonijs alitur, interitumque sibi parat. Pulchre Rupert. lib. 4. in Genes. corui naturam ad Iudæorum genium inflectit. *Corvus emissus est, et iam non reuertitur: quia infidelis Iudæorum populus de Ecclesia Patriarcharum, et Prophetarum eiectus foris vagatur, et veterum sacrificiorum cadaueribus inhians de antiquorum Patrũ carnali prosapia vana loquacitate gloriatur: At vero Sancta Apostolica Ecclesia Spiritu Sancto accepto missa reuertitur, iuxta quod de sanctis Euangelij Prædicatoribus per admirantem Prophetam dicitur: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, et quasi colũbæ ad fenestras suas?* Igitur dũ Iudęorum populus legibus & cæremonijs antiquis atque iam emortuis cibatur, non solũ exulat ab Ecclesia, sed mortem quasi coruus deuorat, & de morticinijs sacrificijs victitat.

Rupertus

324 *Ierem. 7. v. 11.*

Inuehitur Deus (Ieremiæ. 7. v. 11) in perfidam Hebræorum gentem, & præcipue in Sacerdotes, qui dogmata falsa docebant, & templum prophanis polluebant cultibus. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?* Recte illos latrones nuncupat: quia non per fidem Christi, qui ostium est, sed aliunde intrant in ouile. Chrysostom. autem hom. 13. in Marc. appositissimè legit: *Nũquid spelunca hyenæ facta est domus mea?* At cur ad hyenæ foueam domum suam refert, quam prophanis ritibus, & infido cultu polluebant Hebræi? Ausculta ipsum Chrysostom. *Hyena bestia est sanguinora, bestia, quæ corporibus delectatur, bestia, quæ semper in nocte, nunquam in die est: non delectatur nisi cadaueribus mortuorum: hoc autem dicitur de Sacerdotibus Iudæorũ.* Haud aliter quam hyena, qui falsos Iudęorum errores sequuntur, non pabulantur nisi mortẽ: nam prętereaquod noxia sicut hyena sunt animalia, & quæ plurimum nocent, cadauera pro cibo habent, mortis exubijs saturantur, quia emortuam legem, & cadaueroſas cęremonias sectantur: quidquid deuorant tanquã carniuora animalia, lethale & mortiferum est. Ideo eos Baptista Ioannes apud Matth. cap. 3. viperis comparauit. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Quid vipereum in Iudęis denotauit, vt eos viperarum castigaret conuitio? Profecto hæc verba protulit post illa Euangelistæ *Videns autem multos Phariſæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum.* &c. Baptismus ille quædam erat vmbra, & pręludiũ erga Christi baptismum, in quo à Deo quasi maritato cum aquis noua proles erupit. Ergo ad baptismum accedentes, vt ingratitudinis venenum effunderent, viperarum progeniem Baptista nuncupat, quippe qui matrem sinum discissuri erant, filiumque patris crucifigentes Diuinum Patrem conatibus sacrilegis laceraturi. Quod optime meditatus est Pelusiota epist. 3. *Viperarum* (inquit) *progenitẽ Ioannes Iudæos appellauit: aiunt enim hanc feram maternum ventrem, cum in lucem editur, corrodere. Quoniam igitur Deum, qui eos genuit dereliquerunt, merito venenatis animantibus eos confert per ingratitudinem accepta beneficia obliterantibus, ne dicam, corrodentibus.* Non editur, nisi morte, in vitam vipera: ideoque ipsi Iudæi comparantur, vt scias peruicaciam & infidelitatem Iudæorum secum portare mortem, & ex veteris legis obseruatione non nisi interitum sibi parare.

Matth. 3. v. 7.

Pelusiota

D. Chrys.

325

Narrat Euang. Lucas cap. 7. cuiusdam Centurionis serui miraculosam salutem, quam Christus ipsi contulit iam morituro: *Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus.* &c. Et primis quidem nuntijs auditis non eum statim sanauit; cum vero secundos legatos misit, & indignum

Luc. 7. v. 2.

num se confitetur, quod Christus suã ingrederetur domum, statim ægrotũ à morte liberat: quem euentum sic
Vers. 3. narrat Euangelista. *Misit ad eum seniores Iudæorum rogans vt veniret, et saluaret seruum eius: at illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè dicentes eiusquia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificauit nobis.* Quibus auditis nihil Christus respondit, neque de salute futura spem dedit. Centurio autem in fide perseuerans secundo misit amicos, qui eius nomine dicerent
Vers. 7. ad Iesum: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, et sanabitur puer meus.* Quo audito miratus valde Iesus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tã-
Vers. 10 tam fidem inueni. *Et reuersi, qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.* Ponderatione dignum est, quod primis auditis nuntijs, neque respondeat Christus, neque ad miraculum moueatur; & statim ac secundos audiuit, seruum à morte iam imminente liberet, & sanitati restituat. Quid in prima supplicatione displicuit, vt sic tacuerit; quid gratum habuit in secunda, vt tam pręceps duceretur ad miraculum? Eadem enim Centurionis fides in vtroque euentu miraculũ exigebat. Cur igitur primis precibus non mouetur, qui tam pronus est ad miserendum, nec optata solet differre? Opinor, quia primi nuntij meritum Centurionis extollebant, eo quod syna-
Vers. 5. gogam ædificauerit ipsis: *Et synagogã ipse ædificauit nobis.* Synagogæ constructio Christo iam in carne existẽti placere non potuit, neque ad mortis serui liberationem inducere; cum potius post Christi aduentum synagogę ædificatio ad mortem, & interitum illius ducat sequaces. At in secunda supplicatione fides Centurionis, quã de Christo habebat, in eo resplenduit, quod suam domum ad ipsius hospitium iudicauit indignam, ideoque il-
Vers. 10 lam Christus exaltauit, *Non inueni tantam fidem in Israel.* Quia altẽ credidit Centurio, Christum nouam domum ędificare aduenisse, nempe Ecclesiam, extra quam Christus in nullã aliam introiret, præsertim in immundam ritibus & cæremonijs veteris legis, quæ suo aduentu erat euersa. Ideoque dum primi nuntij synagogã Centurionem ædificasse aiunt, vt ex hoc merito seruus eius eriperetur à morte, non exaudiuntur: quia quod putabant meritum ad vitã, erat iter ad mortem: siquidem qui synagogam ædificant, mortem sibi parant, cum nihil ibi præter cadauera legis antiquæ adsit.

Cum Christus Dominus de vno ad alterum tribunal duceretur, instabat Paschę solẽnitas, in qua reum vnum dimittere mos erat Hębreis. Quare Pilatus Barabbam insignem latronẽ, atque homicidam, & Christum mira sanctitate nitentem illis proposuit, vt quem voluissent, eligerent dimittendum. Pręferunt innocentiæ Iesu Barabbæ iniquitatem, & hunc dimitti inclamant; *Non hunc, sed Barabbam* Ioan. 18. Innocentem damnant, soluunt nocentem, & crimina criminibus aggrauant: de quo valde miratur Chrysostom serm. 3. de passione. Cur (quęrit) optio, quę Iudęis datur, ad Christum & Barabbam tantummodo reducitur, cum verisimile sit, in carceribus ingentis Metropolis plurimos aliorum criminum reos reperiri? Cur non alius, sed latro & homicida cum Christo populo proponitur, idque à Pilato, qui Christum liberare satagebat? Sed hoc nõ casu accidit, sed diuina ordinatione, vt dum Iudęi Christũ, qui vita erat, ad mortem damnant, & Barabbam homicidam & reum mortis absoluunt, ipsi rei mortis remaneant, cum Barrabbę homicidia sua faciant: nam qui reum morte dignũ à morte liberat, reus mortis efficitur, & ad se homicidia impunita transfert: sic dum perfidia Iudaica Christum condemnat, & Barabbam absoluit, sibi parat interitum debitum tantis flagitijs. Sic expendebat Chrysostom. Iudęam alloquens. *In vtroque rea teneris,*

326

Ioan. 18. v. 40.

D. Chris.

teneris, et exitio innocentis, et absolutione latronis, et quanquam sacrilegium impactæ Crucis omne nefas excedat: tamen et illi aduersum te iudicium, ideſt, diem vltionis expectant, quorum Barabbas latro sanguinem fuderat: quia participasse est scelus homicidij, veniam meruisse latroni. Barabbam Iudæi eligunt, & absoluunt, dum Christum insimulant, & condemnant, vt homicidia Barabbæ ad se transferant, quæ non nisi morte multantur, & dum à vita discedunt, mortem deuorare propria manu cogantur.

ANNOT. L. XXIII. MORALIS.

NVLLVM NON VILE AGIT Ambitio.

327 DIVVS Hieronym. ad prædicta Vatis nostri verba, *Pro iniquitate vidi tentoria AEthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Iniquitatem omne genus dignitatis, aut diuitiarum intelligit, quod negotiatione mundi acquiritur: per AEthiopiam autem cum omnibus eius habitatoribus cœcos homines, qui cœli luce carent, quos ambitio & cupiditas terrenarum rerum seruos, & captiuos faciunt. Quasi dicat Propheta: Quot homines in mundo video, qui propter propriam excellentiam, ambitiosum fastum, & inanem gloriã id faciunt, quod serui & mancipia non efficerent; accipe Hieronym. in expositione huius loci. *AEthiopes tetri, et amantes tenebras, et ab omni luce alieni, qui draconis carne vescuntur, de quo scriptum est psalm. 73. Dedisti eum escam populis AEthiopum, dæmones intelliguntur, quorum fit tabernaculum quicumque in hoc sæculo propter honores et diuitias laborauerit. Quod significanter sub vno verbo iniquitatis ostenditur: omnis enim diues, aut iniquus, aut heres iniqui est. Vide homines maria transire, ante potentum excubare fores, pati omnia, quæ seruorum conditio vix patitur, vt diuitias congregent, vt aliquam accipiant dignitatem.* Non minus eleganter Tertulian. lib. de pœnit. cap. 11. in huiusmodi ambitium indignitatem inuehitur. *Sed illos enim qui ambitu obeunt cap ſſndi Magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis: quam non ignobilitatem vestium affectant? Quæ non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursũ maioris cuiusque personæ decrescẽtes, nullis conuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis et lætitiæ felicitate: idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Ideſt propter annuam præfecturam. Quod alibi etiam reprehendit *Ad vnius anni curriculum defatigamini?* Ecce tibi quam ęstuat homo hoc principandi fomite, quam vehementer stimulis pũgitur ambitionis, quod, vt conscendat ad honorem sublimitatis, omnia seruitutis genera, & abiectionũ molestiã subit, vt dignus honore, & munere, quod prætendit, videatur. Adeo ad honorem in nobis inhiat ignitus ambitionis igniculus, vt nihil indecorum refugiat, vt ad omnia seruitutis obsequia inflectatur, vt aiebat Ambros. libr. 3. in Lucam. *Hoc ipso pernitiosior ambitio, quod blanda est consolatricula dignitatum, et sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos: habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, et vt dominetur aliis, prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur, et dũ vult esse sublimior, fit remissior.*

Tertulia.

D. Amb.

D. Hier.

328 Consecrato in summum Sacerdotem Eleazaro moritur Aaron pater ipsius, ad cuius mortem Deus filium assistere præcipit. *Tolle Aaron, et filiũ eius cum eo, et duces eos in montem Hor: cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius; Aarõ colligetur, et morietur ibi.* Numer. 20. v. 25. Quærunt Interpretes, cur Deus præceperit Eleazarum parentis morti adesse? Et Lyra ad consolationem morientis mã datum refert, vt decessurus pater filium conspiceret sui honoris heredem; *Vt antequam moriatur, videat filium suũ sui honoris successorem.*

Numer. 20. v. 25.

Lyra

sorē. Sed magis placet Augustini sententia, qui vt pia officia in patris funere exerceret, autumat Eleazarum adesse. *Hoc factum fuit, vt Pontifex nouus præberet officium sepulturæ defuncti.* Quod non improbat Lyra, & addit hoc Eleazaro specialiter fuisse concessum, quod sepeliret patrem suum, propter excellentiam Aaronis; soluitque obiectum ex Leuitic. 21. vbi prohibetur summo Sacerdoti aliquē sepelire: quia ibi etiam prohibetur sepulturę præsentialiter adesse; & tamen oportet cōcedere, quod Eleazarus præsens fuit in morte patris, tā ex textu, quam ex omnium Expositorum tam Hebræorum, quā Catholicorum sententia. Sed iam exurgit difficultas. Cur Moyses non sepeliuit fratrem, in quo nulla erat prohibitio; vel si propter authoritatē huiusmodi munus non exercebat, quia vile reputabatur, aliquem è populo ad sepeliēdum Pontificem non adducebat, ne summus Sacerdos illa indignitate dehonestaretur? Cur officium, quod recusat, quia dedecus & ignominiam afferebat, summo Sacerdoti commēdat? Nodum qui attingeret, vidi neminem: sed, vt reor, ea fuit ratio, quoniam Eleazarus in dignitate patris erat præficiendus; non Moyses, neque vllus alius de populo, *Indues ea Eleazarum filium eius.* Nullum ergo adeo demissum & vile officium ingratum ei existimatur, qui stimulatus ambitionis œstro alterius locum & dignitatem gestit occuparre. Sepeliat ergo Eleazarus patrem, si eius dignitatem ambit: hoc enim non erit ipsi indecorum, dummodo ad optatam sublimitatem perringat. Recte enim dixit Philo, lib. de Ioseph, ambitiosum in Ioseph delineatum fuisse: quia vt ad apicem imperij in AEgypto deueniisset, prius necesse fuit, vt venundaretur seruus & captiuus, quoniam per hæc abiecta & ignobilia semper ad dignitatē huius sęculi itur. *Recte dicitur* (inquit Philo) *vendi hunc hominem: nam qui superiorem locum ascendit, venalitius fit ex ingenuo, addicens se innumeris dominis.* De his optime aiebat D. Cyprian. *Quantis sordibus emunt, vt fulgeant?*

D. Augus. Philo.

Dauid, vt ambitionis indecorum conatum reprehendat, Psalm. 109. aiebat: *Effusa est contentio*, vel (vt alij legunt) *contemptio super Principes*; aut (vt vult Augustin.) *effusus est contemptus super Principes.* Quasi idem sit de dignitate & principatu contendere, & ad contemptum & indecora officia descendere: nam rationem reddens Augustin. cur Dauid dixerit, mundi contemptiores sublimiores esse, ait: *Quia Principes esse voluerunt, ideo contempti sunt.* Qui ad dignitatem conscendere volunt, contemptiores sunt, & quos flocci pendūt alij, apud quos dignitatem viliter & indecore prætendunt. Pulchre ponderauit Caiet. verba illa 1. ad Corinth. cap. 13. *Charitas non est ambitiosa. Quid est* (inquit) *charitas non est ambitiosa?* Sibique satisfacit, *Non agit inhonestè, seu turpe; erubescentiæ omnis materiam excludit charitas, dum tam quoad opus, quod facit, quam quoad modum agendi nunquam agit, vnde tunc, vel postea erubescat: erubescimus enim de turpibus, de inhonestè aut indecorè gestis.* Ecce acutissimus Doctor charitatem non esse ambitiosam pro eodem reputat, ac non inhonestè & turpiter agere; quasi idem sit ambitiosum esse, ac turpiter & indecore agere. Grauiter hoc deplorat Diuus Cyprianus serm. de ieiunio & tentatione, & vehementer dolet, quantum hoc vitium serpat in Ecclesia, ad illa verba dęmonis adorationem Christo Domino suggerentis. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Malum hoc* [inquit] *in vniuersa Ecclesia vagatur, et communis pestilentia innumerabiles occupat, vt pro gloria huius mundi, qui liberi erant, se vendant in seruos, et per vitia ad seruitia deputentur, et obligati pacto chyrographum subiectionis conscribāt diabolo.* Haud aliter Seneca lib. 2. de ira cap. 3. ambitionis abiectionem describit. *Ambitio quæ te ad dignitatem nisi per indigna non ducit.*

Caietan. D. Cypra. Matth. 4. v. 9. Seneca.

Non solum se pro huiusmodi dominandi ambitione, sed velut AEthio-

pes

pes filios [nolim filias & vxores] vendunt. Memoria dignum est id, quod refert sacer textus Iosue 6. nam cum dux ex precepto Dei ciuitatem Iericho succenderet, & omnia, quæ in ipsa erant, sic imprecatus est:

Iosue 6. v.26. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, et ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, et in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Non potuit tamen hęc maledictio efficere, vt ab hoc opere homines desisterent, siquidem

3. Reg. 16. v. 34. 3. Reg. cap. 16. legitur: *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitiuo suo fundauit eam, et in Segub nouissimo suo posuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.* Si mortui erant omnes filij Hiel, primogenitus Abiran, quando cœpit ædificare, & omnes alij, dum continuaretur ædificium, vltimus vero Segub mortuus est cõpleta ciuitate, quando ponebantur portæ: admiratione dignũ est, quod ille homo non cessauerit ædificare Iericho propter mortẽ primogeniti, vel saltẽ aliorũ filiorũ: pulchre quæstionẽ mouet, & solvit Abulens. q. 23. sup. c. 19. 3. Reg.

Abulens. *Vel potest dici, quod Hiel à principio ædificationis non credidit complendam esse maledictionem Iosue: postea tamen videns mori primogenitum credidit complendam esse: tanto tamen ardore afficiebatur ad ædificandam terram illam, vt ipse esset dominus eius, quod præponebat illam filijs suis, sicut multis auarissimis accidit, qui sponte filios tradiderunt pro magna copia auri.* Licet certo sciret Hiel, ex reædificatione Iericho mortem primogeniti certo fuisse futurã, dominationis ambitus vitę filiorum fuit præpositus: ambitiosi enim vt sua desideria adimpleant, filios vendere non recusant, quod vitium AEthiopibus commune est: ad quam enim, etsi misera sit, non redigentur seruitutem, qui dignitatem suspirant, quandoquidem ex filijs mancipia faciunt. Sed viles hi ambitiosi non solum filios, verumetiam Deum ipsum pro dominatione vendere non verentur. Hinc enim statim ac Christus Dominus dixit: *Vnus vestrum me traditurus est.* Luc. 22. quæstio fuit orta inter Discipulos, quis eorum videretur esse maior: quia ex ambitione maioritatis proditorem agnoscere certo auspicabantur, vt acute obseruauit Augustin. serm. 29. ad fratres in eremo. *Quis eorum videretur esse maior? Sed quare hoc? Nisi quia arbitrati sunt, quod homo ille qui maior est, vt dominari possit, Magistrum prodere procurat.* Quasi proditio ambitionis esset sequela, quia nihil nõ vile, & indignũ agere solet. Hinc D. Bernardus (sup. Psalm. *Qui habitat*) adnotauit, tertiam tentationem, qua dæmon Christũ Dñm aggressus est, *Hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me.* Matth. 4. fuisse ambitionẽ, additque, *Vide quod ambitionis via adoratio diaboli est.* Idẽ est ãbire, ac cultũ diabolo præstare, omne vile & ignominiosũ agere

D. Augus.

VERS. 8. *NVMQVID IN FLVMINIBVS IRATVS ES DOMINE? AVT IN FLVMINIBVS FVROR TVVS? VEL IN MARI INDIGNATIO TVA? QVI ASCENDES SVPER EQVOS TVOS, ET QUADRIGÆ TVÆ SALVATIO.*

VERS. 9. *SVSCITANS SVSCITABIS ARCVM TVVM, IURAMENTA TRIBVBVS QUÆ LOCVIVS ES: FLVVIOS SCINDES TERRÆ.*

VERS. 10. *VIDERVNT TE, ET DOLVERVNT MONTES: GVRGES AQVARVM TRANSIIT. DEDIT ABYSSVS VOCEM SVAM: ALTITVDO MANVS SVAS LEVAVIT.*

ANNOTATIO LXXIV.

EXPOSITIO LITTERAE.

331 PROSEQVITVR populus mirabilibus Dei exultans, & videns Iordanem diuisum, & siccam viam exhibentem, videns etiam mare rubrum duodecim semitis apertum, clamat præ lætitia dicens. *Numquid in fluminibus iratus es Domine?* &c. Quasi diceret: Quando, ò Domine, siccasti Iordanem, & prius mare rubrum, ita vt sicco vestigio

per apertum mare egrederetur populus ex AEgypto, & per diuisũ Iordanem in terram promissionis ingrederetur? An ne, Domine, id feciſti, eo quod aliquando flumina ipſa, vel mare te iniuria aliqua laceſſiſſent? Offẽſus ne ab illis, & ob aliquam culpam illis infenſus tã eis magna inferebas ſupplicia? Certè, Domine, nullũ tibi fuerat cũ aquis ipſis negotium, quia à ſuæ conditionis exordio obſequẽtiſſimè tibi paruerunt. Verum ſuſcitans atque renouans, implenſque iuramẽta & promiſſa Patribus noſtris, & eorum poſteritati depacta, exercebas potentiam tuam, & arcum tuum denudabas, aſcendebas quadrigas & equos tuos: ideſt omnigenis atq; fortiſſimis pugnæ inſtrumentis validiſſime decertabas, non vtiq; aliã ob cauſam, quam vt populo tuo fieres ſaluatio, & vt firma rataque fieret facta ad Patres de hereditate promiſſio.

332 *Qui aſcendes ſuper equos tuos, et quadrigæ tuæ ſaluatio.* Ideo illi Propheta tribuit equos, atque quadrigas, quia dicitur ſalvatio, quia ſalutẽ, atque incolumitatem, & glorioſam victoriam attulit ijs, quorum cauſa pręliabatur. Dicitur autẽ equos aſcẽdere, & inſidere quadrigis, non quia his indigeat, aut vtatur Deus; ſed quia quia non aliter cõmodè explicari poterat Imperatoris, aut ſtrenui ducis allegoria. Dicũtur autẽ nubes equi, & quadrigę Dei; vnde cũ dimicaturus, & debellaturus AEgyptios ingreſſus eſt, aſcẽdiſſe dicitur ſuper nubẽ leuẽ Iſaię 19 & Pſalm. 104. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.*

333 *Fluuios ſcindes terræ, viderunt te, et doluerunt montes* &c. Hac ſanè ratione non aquarum odio fluuios terrę ſcidiſti, & velut iratus & indignabundus eos deſiccaſti, ſenſerunt: quippe fluuij præſentiã tuam, vidit Iordanis arcam teſtamenti ac fœderis tui cum filijs Iſrael, in qua velut in ſolio quodam regio, vel curru triumphali vehebaris. Mox vt Sacerdotes, qui illam portabant, albeum eius ingreſſi ſunt, quaſi tremebundus ac dolens ob increpationem tuam, partim in excelſos velut montes, & cumulos aquarũ intumuit, dum in arcam tuam & in populum tuum tranſmeantem incurrere veretur: partim vero pręcipiti fuga, ingentiq; fragore decurrens, quaſi locũ cederet Iſraeli, in ſalſiſſimũ mare defluxit. Inferior etenim aquarum abyſſus, profundiſsimiq; vndarũ gurgites magno clamore & ſtrepitu in mare ſolitudinis ſe dederunt præcipites: altior vero, ſuperiorq; fluuij pars vndarum decurſus coercuit, longaſque illas & extentas fluctuum manus & brachia, quibus ripas & antra attrectabat, ac veluti complectebatur, tunc intumeſcentes etiam, & exundantes in cœlum tanquam Deo ſupplices extulit, & venerabunda leuauit. Hæc ipſa, vt placet Gueuaræ, eſt Vatis noſtri in hoc loco ſententia.

Notandum autem quod hic ſecundo ponitur *Semper*, quæ vox in Hebręo dicitur *Sela:* cuius ſignificatio diu torſit magnorum Interpretũ ingenia, vt ſupra diximus; neque quid in præſenti dicamus, aliquid certum habemus: probabile tamen videtur, quod *Amen* ſeu *Fiat* ſignificet. Solum reperitur in Pſalmis, & in hoc Cantico: & quidam nihil putant addere ad orationis ſenſum; ſed tantum ſignum propoſitum Cantoribus, vt vel eo loco mutent numeros muſicos, contendant, remittant, aut intermittant vocem; vel denique vt aliquid adhibeatur à continuata modulatione diuerſum: quod mutationem ſententiæ denotat, & ſatis in Cantico magnam eſſe mutationem indicatur: pręceſſerunt etenim hactenus triſtitia; nunc lætiora ſuccedũt, illa videlicet, quę ad Chaldæorũ interitum, & populi libertatẽ ſpectant. Iam ergo hic aperitur ſecunda pars Cantici: vbi enim iã actum eſt de illorũ ſupplicio, qui violentia aut fraude inopes & iuſtos oppreſſerunt, quos Chaldęi, agente Dño, aut confixerunt ferro, aut Babylonẽ abegere captiuos; agere aggreditur de Chaldęorũ interitu; ex quo etiã pãdit captiuorum libertatẽ: de Chaldæorum nãque barbara crudelitate cõqueſtus fue-

334

fuerat ante Propheta, & illius dolorē, proposito Chaldęorum interitu, consolatus est Deus Orat igitur, vt assumat arcum, quē in Israelitici nominis hostes olim tetenderat, quem iam dudum abiecisse videbatur, & impleat illa, quæ populo iuramento promisit: promisit autem Deus tribubus terrā, ex qua depulsę fuerunt à Babylonijs.

335 *Fluuios scindes terræ.* Gueuara per ablatiuum vertit fluuios scindes terra, vt sit sensus: ita fluuios scidisti, & disiccasti, vt vbi antea erat aqua, terra appareret arida, & in medio fluminis via sine impedimento, vt dicitur Psalm. 19. Alioquin enim ait, & is fluuios scindere dicitur, qui vada, vel nauigio amnem traijcit, aut alio quouis modo transmittit; ergo explicationis causa, & non verborum redundantia, ait: *Fluuios scindes terra*, vt scisionis modum monstraret: nempe sic fluuios scidisse, vt solum atque terra pateret, iterque terrestre proderet: & sic putat vertisse 70. Sed non licet à nostra Vulgata recedere. Vnde magis placet, quod addit idem Gueuara, sensum Vulgatę lectionis esse, si ly *terræ* non progenitiuo, sed prodatiuo accipiatur, ita vt sensus sit: scidisti fluuios in vsū terræ, in apparitionem telluris, in alvei & fundi denudationem.

336 *Viderunt te, et doluerūt mōtes.* Verbū Hebraicū, quod hic habetur, quiescere significat, morari, expectari, manere, residere, vt sensus sit: Viderunt te Dñe fluuij, ideſt Iordanis, quē dissiccasti: ideſt, tanquam te viderent, & prę sentirent, partim in montes excelsos congestis & aggeratis fluctibus conquieuerunt; partim conglomeratis gurgitibus, seque inuicem detrudentibus, ac procellentibus vndis, magno impetu, & perstrepente sonitu se se in mare præcipitauerunt. Vnde montes aquarum significat, non terræ, vt vult Sanchez, quia non apparet vbi hic montes terræ dissecti sint.

337 *Dedit abyssus vocem suam.* Inferiorem partem Iordanis defluxisse significat: vox enim aquarum in sacra Scriptura illarum mobilitatem & fluxibilitatem solet indicare, quæ plerūque cum sonitu cōiuncta est: sic Psal. 92. *Eleuauerunt flumina vocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos à voce aquarum multarum, altitudo manus suas leuauit.* Manus autem aquarum termini laterales ripas pulsantes, vel littora dicūtur: quoniam ijs tanquam brachijs, aut manibus terram attrectant, & complectuntur. Hac vtitur translatione Dauid Psalm. 103. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus,* ideſt capacissimum atque latissimū, quodque omnia complectitur, totūq; velut manibus ambit, ac continet terrarum orbem: manus quippe propriū est munus, contrectare, capere & comprehendere. Superior igitur Iordanis influxus & altior Sacerdotibus ingredientibus stetit, & perfluere desiijt, ac progredi: scilicet statim ac Sacerdotes, qui arcam Domini baiulabant, in aquis Iordanis pedum suorū vestigia posuerunt, steterunt aquæ descendentes in locū vnum, & instar montiū intumescentium (vnde Habacuc eas montes appellat) apparebant procul ab vrbe, quę vocatur Edō vsq; ad locū Sarthan; quę autē inferiores erant in mare solitudinis descenderunt, vsquequo omnino deficerent, vt narrat historia libr. de Iosue cap. 3. & 13.

Psalm. 92 v. 3.

Psal. 103. v. 25.

ANNOT. L.XXV. MORALIS.

DELICIAS OPESQVE DEVS submouet, vt obstinatum in peccando licentiam coerceat.

338 NON siccauit, aut corrupit aquas Dominus, quia illis offert indignatus: aut in illis aliquā deprehenderet culpā, quam puniret. *Nunquid in fluminibus iratus es Dñe? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua?* Sed vt populo suo benefaceret, & eos, qui aduersa ipsi molliebātur, corriperet, vt verba indicant sequētia. *Qui ascēdis super equos tuos, et quadrigæ tuæ saluatio.* Ideo enī Deo Propheta equos & quadrigas accōmodat, in quibus saluatio est, quia salutē

glorioſamq; incolumitatē illis afferunt, quorū cauſa aſſumuntur: nullū enim opus Dei otioſū eſt, ſed aliquid ſemper ſpectat, quod ad ſuā gloriam & hominū ſalutē pertineat. Pluit ſuper deſertum & mare, vt noſcat homo, cū agri ſitiunt, & extrema ingruit fames, non deeſſe Deo copioſa aquarū fluenta, quibus riget & exhilaret ſegetes; ſed eſſe in ipſis peccata, quæ aut æreos reddunt cœlos, ne pluuiam concipiāt, aut imbre grauidas nubes abigūt, quæ in mare ac ſolitudinē, vbi nulli hominū proficiunt, large pluuiā diſpergant. Ilices & ſylueſtres arbores è cœlo fulminat, vt intelligat peccator, non eſſe Dei iuſtitiam ab armis nudam, quæ vt in corpora inanimata inflectit, ſic etiā bibrare poteſt in peccatorū caput. Et vt ad diuiſum mare rubrū, & apertum Iordanis alueū veniamus; nihil comeruit vtrūq; vt grauē illam plagā acciperet: at interfuit plurimum ſiccatum eſſe fluuium, & mare diuiſum; aliter enim neque ex AEgyptia poteſtate emergerent Hebræi, neq; in tertā promiſſionis eſſent ingreſſi. Siccari ergo aquas, aut fluuiū diuidi nihil eſt aliud (ſi ad rem moralem referas) quā voluptates molliores, & diuitias, quę illarū alimēta ſūt, aut interrūpi, aut tolli: continēs enim voluptatū & luxuriantis fortunæ curſum confidentiā Deus alit, & obſtinatam peccandi licentiā frænat: etenim tanquam ſapiens & miſericors Medicus ſic nos curat, vt voluptates opeſque ſubmoueat, quæ luxuriā illam & impudentiam fouent, & ſuſtentant: ſic Sanchez prędicta verba capit. Sic Dei ingeniū noſtrę vtilitati intendēs agnoſcebat Dauid: *Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Pſalm. 40. Ad quæ verba *D.* Greg. libr. 23. Moral. cap. 23. ſic excribit: *Omne quod parauit ad requiem, hoc ei mutaſti occulto iudicio ad perturbationem: quod pio Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur.* Etenim ſi in hac vita eſſet requies ſine perturbatione, exiſtimaret homo aliud non eſſe maius bonum, neque de vita futura cogitaret aliquid: idcirco Deus requiē turbat, labores & ærumnas immittit, ne viam pro patria diligamus. Solēt viatores cum amena prata in via offendunt, ibi detineri, nec vltra progredi, & in tantum remorari, in quantum florum pulchritudo & amenitas illos allicit: propterea viam Deus ſternit prædeſtinatis laborioſam, & ſentibus plenam, vt nihil inueniant delicioſum, quod eos alliciat, & patriæ memoriam obliteret. *Sed cum quiſq;* [proſequitur Gregor.] *curis ſecularibus fatigatus deſerere per diuinam gratiam huiuſmodi itinera laborioſa compungitur, cogitare ſolet, quomodo præſentis vitæ deſideria fugiat, et ab eius laboribus requieſcat; ſibique mox deſideratæ quietis ordinem quærit, et velut quoddā ſtratum ſicut à cunctis laboribus ceſſationis locum inuenire concupiſcit.*

De Diuini Sponſi amiſſione cōqueſta Sponſa dicebat Cantic. 3. *In lectulo meo per noctes quæſiui quē diligit anima mea, quæſiui illū, et non inueni.* Hac nimia anxietate plurimū fuit fatigata: at poſtquam retulit aduerſitates omnes, omniaque incōmoda, quæ in illius inquiſitione fuit perpeſſa, *Vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum:* tandem concludit: *Inueni quem diligit anima mea.* Communior iſtius loci expoſitio tradita ab Anſelmo, Beda, & alijs eſt, ita accidiſſe, vt innuatur, Deū minime inueniri, dū in voluptatū lectulo quęritur; reperiri autē in afflictionibus & preſſuris: ideoq; Spōſam inter lectuli delicias ipſū amiſiſſe; in tribulatione autē ſuiſſe adinuentum. Quod acutè annotauit Sygniēſ. Bruno prędicta verba expēdens. *Qui in lectulo quærit, in lectulo ſe amiſiſſe cognouit: nemo enim quærit vbi non amiſiſſe intelligit. Amittitur Deus in mollibus, in delicijs, et in noxijs blādimētis; et inuenitur in aduerſis.* Cōfert hūc locū cū alio Pſ. 76. vbi pia quædā anima ſe Deū quę ſiuiſſe in nocte, ſicut Sponſa, ait, & ſtatim inueniſſe. *Voce mea ad Dominū clamaui, voce mea ad, Deum et intendit mihi: in die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis, nocte contra eū,*

Idem. 339

Cantic. 3. v. 1.

Verſ. 4.

Bruno.

Pſalm. 76 v. 2.

et

Pſalm. 40 v. 4.

D. Grego.

et nō ſum deceptus. Qui ergo fieri potuit, vt iſta tā facile inueniret; illa autē, quę etiā nocte quæ fierat, & ardēter amabat, nō inueniret? Accipe à Carpophoro ſubtilē dubij ſolutionē, & locorū concordiā: *Quia iſta (*inquit*) etſi manibus, et voce quoq; in lectulo tamē quæſiuit, et in lectulo ſuo ſingulari quietē agens: illa autē de tribulatione clamauit, et de anguſtia.* Inuenitur itaq; Deus in aduerſis; in proſperis amittitur, & in lætis: labore enim & afflictione vrgente, ad Deū confugimus; recedēte, ipſius obliuiſcimur. Cū fortuna arridet, & ſecundè ſuccedunt res, nemo eſt, qui Dei recordetur, & in crimina nō labatur: quod egregie ponderauit Chryſoſt. ad illa verba Chriſti Dñi, quibus Patrē orare Diſcipulis iniūgit, *Panē noſtrū quotidianū da nobis hodie, et dimitte nobis debita noſtra.* Matth. 16. Panem hoc loco noſtrū & quotidianū omnem neceſſarium ad vitam cibum appellari autumant Interpretes. Verū ſi panis omnia ad ſuſtentandam vitā ſignificat, quomodo vtraq; orationis pars aptè concatenanda eſt? Cur ad petionē panis venia ſubſequitur delicti? Quia habitis ad vitam neceſſarijs, qua ſi neceſſarium eſt ad crimina ruere. *Poſt ſubſidiū cibi (*ait Chryſoſtom*) petitur et venia delicti.* Quaſi dicat: Congrue poſtquam homo panē à Deo petit, & iam habet, ideſt omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, ſtatim poſtulat delictorum veniam: nam ei qui omnia habet, quibus ad vitam indiget, tam procliue eſt in delicta labi, vt vbi primum id petitur, & obtinetur, illico poſtulāda ſit venia delicti, quaſi poſſeſſio rerū neceſſariarū vel advnū diē, die illa occaſio ſit delīquēdi, culpæ licētia, & certitudo criminis. Hinc enim Deus, quæ ad vitam ſuppetunt, ſolet ſubtrahere, vt quod abundantia nocet, curet inopia, & per labores ad ipſum trahantur, qui in proſpera fortuna ab eo recedunt.

340 Apparuit Deus Moyſi, ipſique pollicetur Hebræorum populum à dira ſeruitute liberare, illique largiturum ſpatioſam terram lacte & melle fluētem: *Deſcendi, vt liberem eum de manibus AEgyptiorum, et educam de terra illa in terrā bonā et ſpatioſam, in terrā quæ fluit lacte et melle.* Exod. 3. Exaggeratio hæc quædā eſt ad ſignificandā terrę promiſſionis vbertatē. Verū inquæſtionē vertitur, cur eā potius lacte & melle fluentē dixit, quam vino, oleo & tritico, quæ vberiorē terrā ſignificāt; mel enim & lac non adeo neceſſaria ſunt homini, neq; pinguedinē terrę exigunt, vt abūdent? Sed in hoc myſteriū latere nō eſt dubiū, cū omnia in figuris cōtingerēt Hebræis: erat enī terra illa promiſſionis cœleſtis patrię quędā obumbratio, cuius fertilitatē & abundantiā lacti ac melli Dñs cōparauit: quia ſicut lac prius ſub ſanguinis forma eſt, antequā albū ſit & ſuaue; & ſicut mel antequā ſit dulce & ſapidū, ſub ſpina, & apis aculeo generatur: ita etiā antequā dulciſſimæ fruitionis poſſeſſione ſuauitatem Dei percipiamus, oportet nos per martyrij ſanguinē, ſi opus fuerit, & per ſpinas aculeoſq; tribulationis pertrāſire, ſicut Apoſtolus dicebat Actor. 14. *Quoniā per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei.* Niſi enim laborum ſtimulis pungamur, nunquam Dei recordatio in nobis erit. Vnde Dauid Pſalm. 77. aiebat: *Cum occideret eos, quærebant eum, et reuertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* Vbi egregiè D. Greg. lib. 25. Moral. cap 9. *Nunquam culpam ſuam reprobi niſi in pœna cognoſcunt: et quia pœna differtur, culpa deſpicitur.* Magnū ergo beneficium ſunt preſſurę & labores, quibus Deus noſtra crimina plectit, vt in pœna ipſa agnoſcatur culpa: eſt enī Deus nobis velut palliū, quo aduerſus imbres vtimur, cuius nō recordamur, niſi dū pluit: haud aliter Dei ſumus immemores, niſi laborū imbrē immittat. Huc adducit Ioānes Geminian. lib. 5. c. 217. illud Pſal. 82. v. 17. *Imple facies eorū ignominia, et quærēt nomē tuū Dñe.* *Ceruus,* inquit, *dū nimis vrgetur à canibus, ad hominē ſpōte fugit.* Quaſi canes perſequētes ſūt perſecutiones vel tribulationes imminentes, quæ dum peccatores fortiter percutiunt, ad Dominum redire compellunt.

Luc. 11. v. 3. *Carpoph.* *Chryſoſt.* *Exod. 3. v. 8.* *Pſalm 77. v. 34.* *D. Grego.* *Ioan. Geminian. Pſalm. 82 v. 17.*

341 Isaiæ 25. v. 15. *Et erit in die illa: in obliuione erit à Tyre septuaginta annis, sicut dies Regis vnius: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.* Sensus ad litteram est: sicut meretrix neglecta à primis amatoribus, quia cum alijs se miscuit, desiderat ad se trahere eos, à quibus fuerat prius dilecta: sic Tyre, quia Chaldæis adhæsisti, qui te captiuam duxerunt, fuisti à negotiatoribus, qui te prius amore prosequebantur, contempta, nunc vero libera à Chaldæis, canticis amatorijs & illecebris pristinos amatores reconcilia. Oleaster ad mores hunc euentum inflectit. *Expende* [inquit] *Dei clementiam: quia videt meretricem non obliuisci amatorum suorum, voluit, vt ab eis obliuioni traderetur. Quoties quia videt nos nostra sponte non relinquere peccata, disponit peccata deserere nos, vt sic saltem resipiscamus. Sequitur meretrix amatores suos, sed non apprehendit eos, et dicit: Reuertar ad virum meum priorem.* Non aliter Deus, vt nostram vincat obstinationem, peccata nos deserere facit, opes, quibus fouentur, & ad illa ferũtur homines, auferens, & præcidens occasiones, quæ nos ad crimina vrgent.

Isaiæ 23. v. 15.

Oleaster.

ANNOT. L. XXVI. MORALIS.

FACILIS ET PLANA IAM NOBIS VIA AD CŒLUM EST.

342 ARX velut quædam ante aduentum Christi cœlum erat, quam nullus hominum ascenderat, neque illuc peruenire poterat, tantis custodibus munita, vt omnes facile humanas vires superaret; itaque iã nullus illuc ascendere satagebat: quo factum est, vt via illa arcta & difficilis esset, vtpote inculta, per quam nullus iter faceret. Venit ergo Dominus in carne mortali, vt talem sibi hominum exercitum præpararet, quo & viam inferre mænibus illis cælestibus posset, & viam ab spinis, quibus obsita erat, ita purgare, ac mundare, vt omnibus facilis appareret. Ad hanc ergo hominum multitudinem congregandam Baptista tanquam tuba vsus est, *Ego vox* &c. & hoc fortasse est, quod dicitur Matth. 11. *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quod & in Vate nostro delineatum inuenies, dum Deus & mare rubrum, & Iordanem diuidit, vt populum ad terram promissam per viam planam, & sine impedimento transportaret, & amnem traijceret gens Hebræa sicco & inoffenso pede. *Fluuios scindes terræ* &c. Iam ergo nullum in via Dei apparet offendiculum, quod nos ab incessu re tardet: facili negotio ad cœlum homo potest peruenire; dummodo ad huiusmodi iter se velit accingere, & in cœlum oculos infixos semper habere, vt huius vitæ pelagus tutè & faciliter possit traijcere, quod pulchrè monebat Billius.

Matth. 11. v. 12.

AEquora qui fragili sulcat male fida carina
Quid cursum vt teneat, nocte dieque facit?
Peruigil ad cœlum tendit sua lumina, sidus
Spectat, et in Boreo iuge quod axe micat,
Quisquis iter vitæ sequeris, vitæq; perennis,
Ne tua sint terræ lumina fixa, cane,
Semper ad AEthereas sublimi vertice sedes
Conspice: sic totum lætus habebis iter.

Billius.

Virtutis via, quæ ad cœlum ducit, si cœlum inspiciamus, & polare ac supernum sidus, sine difficultate curritur, sine offendiculo calcatur.

343 Isaiæ 58. v. 6. *Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus disrumpe.* Et statim: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciẽ tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te.* D. Hieronym. per colligationes, quas Vates consulit dissoluere, catenas peccatorũ, quæ nos constringunt, & ad incedendum per virtutis semi-

Isaiæ 58. v. 6.

Vers. 8.

semitas impediunt, intelligit, iuxta illud Psalm. 18 *Funes peccatorum circumpl exi sunt me*: Quibus disruptis facile ad beatitudinem properamus (inquit Interlinealis) nã orto polari sidere, nempe Christo, cælorum semitas
D Hiero. facilè aggredimur. *Si hoc feceris, orietur tibi Christus, qui te ad beatitudinem adducet.* Sed optime Chrysostom. homil. 58. in cap. 17. Matth. prædicta verba Isaiæ expendit. *Vide quanta*
D. Chrisost. *sapientia loquitur Propheta: abstulit difficiliora, et à facilibus saluari iubet, vt cognoscas non laborem, sed obedientiam à Deo exposci: deinde ostendens virtutis facilitatem, et grauissimum vitio statis onus, nudisque nominibus id comprobans, vincula et fasciculos vitium, virtutem vero horum omnium dissolutionẽ appellat.* Præpediunt, & onerant peccata, laboriosamque occupationem afferunt; exonerat virtus, soluitque catenas, quibus adstringimur, vt expedite & alacriter per cœlestem viam possimus incedere: Quidquid in virtute nos terret, ab insueta apprehensione venit, nam semel gustata omnia facilima redduntur. *Quid est, quod tenes in manu tua?* aiebat Dominus ad
Exod, 4. v. 2. Moysem Exod. 4. cũque Moyses respondisset, virgam esse, præcepit Deus, vt eam mitteret in terram, & statim in serpentem versa est, quæ sic Moysẽ metu perculit, vt à facie eius tremebundus aufugeret. Per virgam Oleast. in hunc locum virtutem accipit, qua homo in patriam pergit. At quid cum serpente virtus, vt in illa effigietur?
Oleaster. Audi Oleast. *Iustitia inconsiderati terreni hominis videtur serpens: timẽt ignota opera facere iustitiæ, ac si serpẽs esset: ea vero in manu, seu in opere, virga lenis et mitis est.* Antequam homines amplectantur virtutem, abhorrent, & diffugiunt ab illa, quasi serpẽs esset truculentus: sed postquam illã manibus attrectant, postquam ad ipsius opera manus inferunt, non horridam, sed mitem ac suauem esse experientia edocentur. Postquam Christus exarmauit infernum, & ducem se præbuit ad cœlum, nullus est lapis, in quem incedentes impingant; vnde Ioan. cap. 1. de illo loquens ait: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cur venientem ait, cum satis esset dicere: *Omnem hominem?* Optime D. Paulinus epist. 4. *Illuminatur autem anima tali cæcitate, qua despicit mundum, et conspicit Deũ: cum scilicet, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: idest, hominis mẽtem venientem.* Quasi dicat: Homo qui ad Deum expedito pede venire statuit, qui virtutis curriculum aggreditur, Christum verum lumen inueniet, qui omnem caliginẽ eliminet, & ea, quę in virtutis via nocte & cæcitate horrida apparebant, lucis suę radijs euanescent, vt sine metu ac timore virtutis conficiatur iter, & quam facile sit per illud ambulare, luce clarius ostendatur.

Ioann. 1. v. 9.

D. Paulin

Recte agnoscunt Patres hanc virtutis facilitatem, & quam planum ad cœlum sternatur iter, in illis verbis, quibus Christus Dominus reprobos in vltima iudicij die in tartareas sedes detrudet. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis eius: esuriui enim, et non dedistis mihi manducare: situi et non dedistis mihi potum.* Matth. 25. Sed, ò Domine, cur non plura, eaq; grauissima scelera refers, vt ęternis cruciatibus miseri mãcipẽtur? Cur maioribus omissis criminibus, pro minoribus, qualia sũt potũ & cibũ egẽtibus denegare, in tartara asseris detrudendos? Prę staret hic fœdissima eorũ facinora palam prodere, ne misericordiæ deficere videreris. Leuis transgressio perẽni est punienda gehenna, & grauissima flagitia necdum ad confusionem recensenda? Cur ita? Auscultа D. Augusti. lib. 1. cont aduersarios legis & Prophetarum. *Quæris causam tanti supplicij? Cur pro esca non ablata, sed non oblata ita puniat Dominus? Recte sane: parum enim est, quod in eleemosyna datur, sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur: quia vero parum est quod datur, magna impietate negatur: tantæ ergo sterilitati arbori merito ignis æternus præparatur.* E facilitate obseruandæ virtutis tran

Matth. 25 v. 35.

D. Augus.

greſſio ingraueſcit ad pœnam. Idem habet D. Chryſoſtom. hom. 8 ſuper Matth. *Cum Dominus* (inquit) *non magna expoſcat, ſed id tantum, viſitare infirmum, venire ad incarceratum, imo et dare panem mendico exiguum; nec enim lautam ate Dominus menſam requirit: igitur impios condemnat petitionis facilitas.* Non alia grauiora crimina Deus inſimulat, ſed quæ virtutibus opponuntur facili negotio adimplendis, vt ſcias, quod non tã delictorum grauitas, quam virtutis facilitas reprobos damnat, & non te præceptorum arduitate ab illorum obſeruantia excuſari prætendas: nam quidquid difficile & laborioſũ in virtute eſt, àte fingitur, & ideatur, vt dicebat Dauid Pſalm. 93. *Qui fingis laborẽ in præcepto.* Chimerica virtus eſt, quæ laborẽ inducit; nam quam Chriſtus conſulit, nõ niſi facilitatem habet.

Pſalm. 93 v. 20.

345 Matth. 7. v. 13. et 14

Neque his contraria ſũt, quę Chriſtus Dominus dixit Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, et ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, et multi ſunt, qui intrant per eã. Quam anguſta porta et arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, et pauci ſunt qui inueniunt eam.* Nam non Deus, ſed homo viam virtutis arctam, perditionis vero latam facit. Arctum compendium & breuis ſemita, ſi per eam plures ambulent, lata & ſpatioſa via fit; ſi pauci viam calcent, ſpatioſum iter ſpinis obſitum in breue & arctum redditur compendium Latam ad cœlum Deus ſternit viam; ſed quia pauciſſimi per eam incedunt, arcta efficitur. Prodeſt D. Hieronym. *Illa via lata per conſuetudinem velut mollior videtur: hæc inſueto calle virtutis triſtis et horribilior, quia ab iis tantum eligitur, quibus non tam via cordi eſt, quam viæ finis et manſio. Sed ſi in conſuetudinem vitã virtutis verteremus, via leuis et blanda videretur, vt Prouerb. 4 dicitur, Via iuſti leuis.* Idem habet D. Auguſt lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 23 præcitata verba explicãs, *Quã anguſta porta, et arcta via eſt, quæ ducit ad vitã. Non ideo* (inquit) *hoc dicit, quia iugum Chriſti ſit ab ſpiritu et ſarcina graui; ſed quia labores finire pauci volunt minus credentes ei, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiã vos.* Nihil ergo in virtute eſt arduum, niſi quod hominis inertia in ea fingit: nihil in cœli itinere, & porta, quam Chriſtus vocat anguſtam, aſperum & inſuaue difficileque ſuperari; omnia ſunt peruia, omnia ſine offendiculo patẽt. Hinc eſt quod Euãgeliſta Ioan. in duodecim portas apertum cœlum viderit, *Et oſtendit mihi ciuitatem ſãctam Ieruſalem habentem portas duodecim: ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Auſtro portæ tres, et ab Occaſu portæ tres.* Apocalyp. 21. Poſtea autem tribus enumerans, quæ per prædictas portas erãt ingreſſuræ, vndecim tantum numerauit, (vt habetur cap. 7.) tribum Dan ſilẽtio prętereiens. Si ergo portæ ſunt duodecim, & totidem tribus, vt quid vnam tribum ſubticuit, portamque vnam in cœlo ſupereſſe monſtrauit? Si enim portarum numero tribus reſpondẽt, aut duodecim tribus ingredientes inducat, aut vndecim tantum portas in cœlo aſſignet. Ad quid porta duodecima, quę nulli ingredienti eſt inſeruitura? Vt ſcias, quod in cœlo portæ ſuperſunt illis, qui gradiuntur ad ipſum; nec ipſius defectu aliquos foras remanere, ſed illorum negligentia: nam omnibus cęlum patet, omnibus obuium eſt, nec per illud ſtat, cum portæ in ipſo ſuperfluant, quod homines non ingrediantur.

Apocalyp. 21. v. 13.

D. Hier.

D. Auguſt.

ANNOT. LXXVII. MORALIS.

SVBDITORVM MOSP, RAESVles impetere, qui eos recte viuere compellunt.

346 VIDIT Iordanis arcam teſtamenti, ac mox vt Sacerdotes, qui illam portabant, alueum eius fuerunt ingreſſi, quaſi tremebũdus & dolens partim in excelſos mõtes aquarum intumuit, ita vt ſuperior Iordanis influxus ſiſteretur, hoc enim ſignificãt illa noſtri Vatis verba *Altitudo*

tudo manus suas lauauit: Pars vero aquarum inferior pręcipiti fuga, ingentique murmure decurrens in mare defluxit, quasi superiores aquas fugeret, & murmure se in mare dederit, eo quod à superioribus aquis ad leuandam arcam cogeretur. Quod (cum tam solemne sit aquas populos significare, *Aquæ multæ populi multi*. Apocalyp. 14) subditos, vt arbitror, significat, qui Superiores obmurmurant, illisque iugiter detrahunt, à quibus per virtutis iter ambulare coguntur. Fauent Superioribus, qui ipsis indulgent, & sine disciplina viuere permittunt (nam vt dixit Arist. lib. 6. cap. 4 *Item viuere vt quisque velit permissio, quoniam sic magna erit tali reipublicæ fauentium multitudo: nam vulgo dissoluta gratior est, quam temperata vita*) illos autem, à quibus ad rectam legum obseruantiam cōprimuntur, conuitijs impetunt, & detractionibus lacerant: & quod deterius est, etiam cum optimo Præsule haud contentus est subditus. Quod arcane dixit D. Petrus in 1. Canonic. cap. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregē Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*: Sed cur Prælatos formā vocat Apostolus? Lyra & Caiet. *Exemplaria* legunt. Hugo Card. *Perfectio*: additque, *Nō substantialis, sed accidentalis: et talis separata à subiecto nihil est*. Sic ergo Pręlatus separatus à grege sibi commisso, & à munere sibi iniuncto nihil debet reputari. Sed opinor, idcirco Apostolum formā vocasse Pręlatos, vt innueret, subditos esse materiam, quę nunquam forma, quam habet, satiatur. Esto forma substantialis & rationalis sit, semper materia appetit nouas formas, etiā imperfectiores, vt cum D. Thom. 1. part. quæst. 75 art. 2. tenent Philosophi: quò respiciēs Arist. dixit: *Ipsam* (materiam nempe) *esse veneficam, seu insidiatricem*. Quod subditorum proprium est ingenium: etenim nullo Superiore quantumcūque perfecto satiantur, insidiantur omnibus, machinantur aduersus illos: & quemadmodum materia fœdam & spurcam formam cadaueris non horret, imo percupit, dummodo à rationali secernatur, à qua virtutem cooperari adigitur: sic Superiores prosequuntur odio, qui illos per virtutis orbitam ambulare compellunt, & alios inferioris sortis, & sœpe indignissimos vehementer cupiunt.

Apocalyp. 1. v. 13.

Aristot.

1. Petri. 5. v. 3.

Lyra. Caietan. Hugo. Card.

D. Thom. Aristot.

347

Quadrigà illa celebris sic ab Ezechiele describitur cap. 1. *Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris, et vna similitudo ipsarū quatuor, et aspectus earum et opera quasi sit rota in medio rotæ*: & statim, *Et totum corpus oculis plenum*. Hector Pintus per rotas populos intelligit, per earum dorsa & excelsas partes eminētes Principes et Præsules, qui supra se pondera portare debent: vbi nāque Vulgatus legit *Et totum corpus oculis plenum*, dictio *Gab* habetur in Hebræo, quę significat excelsum, dorsum, seu altitudinem: & idcirco vertit Pintus, *Et dorsa eorum plena oculis*. Quasi Pręsules & Principes populi ac subditorum pleni sint oculis, quia omnes in ipsos oculos habent intentos, vt minimos obseruēt defectus. At cur subditi cum visione maris conferuntur? *Et opus earum quasi visio maris*. Arbitror, quoniam sicut mare dum à littore frenatur, ne suos terminos transiliat, littora cōchylijs, algis & idgenus spurcitijs coinquinat: sic subditi, dū à Superioribus cohibentur, ne virtutis tramites transiliant, ipsos conuitiorum algis, spurcis verbis, & ignominiosis murmurationibus commaculare contendunt. Vnde Sponsus cōsulebat Sponsæ: *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum*. Cantic. 1. v. 8. Cur gregem pascendo se medulitus agnoscet, quæ gregem non pascens se penitus ignorabat? Num pręfectura perspicacia est, qua ignota rimentur? Forte Sponsus arcanè hic subditorum genium carpit: quasi Sponsæ diceret: Etsi pulchra virtute sis, si tamē te ignoras, & cōscientiā

Ezechiel. 1 v. 16.

Vers. 28.

Hebræus

Pintus.

Cantic. 1. v. 8.

cientiam tuam tui defectus latēt, exi ad regimen potestatis pasce subditos iuxta tabernacula Pastorum, iuxta monita, & Maiorum regulas, & te penitus agnosces: nam subditorū perspicaciras, loquax & garrula murmuratio statim vel latentes, imo nec latentes defectus publicabit: nam subditorum mos est, virulentis verbis, cōtumelioſis conuitijs Prælatos impetere, qui eos Maiorū monita obseruare cogunt.

348 Agnouerat hoc Eliseus, dum Eliam
4. Reg. 2. v. 12. in cœlos abeuntem sic affatur: *Pater mi, currus Israel, et auriga eius.* 4. Reg. 2 Auriga est, qui docet, & viam ostēdit; currus, qui supra se pondera suscipit, & portat. Quid ergo commune inter se habēt ducere, & portare, vt Eliseus pro commendatione Eliæ illum vocet currum, & aurigam? Præclare ad institutum Drog. de sacram. Dominic. passion. *Pater mi: O vox aff: Tuo ſa: Currus Israel, et auriga eius: portas, et regis, sustinens, et gubernans.* Quasi dicat: Optimus gubernator erat Elias, siquidem quia auriga erat subditi populi, illum vt currus supportabat: qui enim vt auriga boues currum vehentes pungit, & recto itinere adire cogit, necessū est, vt pravos motus currus portet, quorum boues recalcitrātes causa sunt; non sic, qui currus tātum sunt, boues relinquentes abire quoquo volunt. Elias ergo quoniam Israelem recto virtutis tramite ire compellebat, eius pondera conuitiorum, & iniuriarum portare cogebatur: vbi namque Præsul muneri suo, vt par est, incumbit, subditosque per Dei viam ducere conatur, necesse est, vt velut currus ad portanda conuitiorum pondera se præparet, *Portas, et regis, sustinens, et gubernans.* Hinc apparet, cur cum omnis Canticorum liber amoribus & verbis delicioſis sit plenus, in illo tam frequenter vtatur Salomon similitudinibus deductis ex armis, militia & exercitu, vt est illa, *Cantic. 4. v. 4.* *Sicut turris eburnea collum tuum cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* cap. 7. & cap. 3 loquēs de Salomonis lectu ait: *Sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.* Quę ergo ratio est, vt cum amor pacificus sit & quietus (iuxta illud Propercij *Cap. 3. v. 7.*

Pacis Amor deus est, pacem venerātur amantes) *Properc.*

inter eius pacem & tranquillitatem armorum fragor perstrepat, sonitus audiatur, gladij rutilent? Quid proportionis cum ensibus amor habet? Insuper si de pastoribus agit Salomon, cur gladiorum meminit & armorum? Pastor enim non ense accingitur, neque clypeo munitur, sed baculo vtitur in ducendis gregibus? Deberet ergo Salomon modum obseruare, qui apud pastores viget, nec armis vti, quę longe à re pastorali distant. Sed reor, Spiritum Sanctum sic textum conserere, vt innuat, Pastores, qui ad regnū cœlorū viā demōstrāt (qualis Spōsus in his pastoritijs introducitur) armis indigere, vt se à subditorū bellis tueātur: etenim mille clypei & omnis armatura fortium requiruntur, vt se Pastor à subditorum ictibus defēdat: qui tanquā pastor gregē suum amat, & illum per virtutis semitam ducere conatur, se debet munire, vt inimicis telis resistat, vt conuitia in ipsum iactata sustineat.

Drogo.

Mittitur Ezechiel ad Hebræos in 349
Chaldæa ob illorum perfidiam & pertinaciam detentos, vt eos reprehendat, instruat, & ad virtutem cohortetur, ne velint Dei nomen maculare, sed dent operam, vt sint omnia eorum studia ad illum magnifice exaltandū destinata: præcipitque ei Deus ne impios timeat, quanquam eum vulnerent maledictis, in illumque irruant, & impetum faciant; sed erecto & inuicto animo suo munere fungatur. *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniā increduli et subuersores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.* Ezechiel. cap. 2. in Hebręo pro incredulis & subuersoribus est verbum *Vesaltonim*, quæ dictio spinam, seu vrticam etiā signi- *Ezechiel. 2. v. 6.* *Hebræus*

significat, vt apud eundem Ezechiel.
Ezechiel. cap 28. *Et non erit vltra domui Israel*
28. v. 24. *spina dolorem inferens.* Sunt enim improbi spinæ seu vrticæ, quibus iusti punguntur; ideo vertit Pagnin. *Et spinæ tecum sũt.* Deinde scorpiones possunt hic accipi (Auctore Pinto) pro herbis quibusdam, est enim scorpio, siue scorpius herba quædam semen habens instar scorpionis, de qua Plinius libr. 22. & quoniam herbæ istæ
Plinius. spinas habent, quibus calcantes feriunt, ideo cum eis Iudęi merito cõparantur. Pagnin. vertit, *Et cũ tribulis*
Pagninus *habitas.* Est autẽ tribulus herba duris spinis plena, vnde stimuli ferrei, & virgæ, quibus solebant quondam nocentes homines flagellari, tribuli vocantur & scorpiones: sic intelligitur id, quod habetur lib. 3 Reg. cap. 12.
3. Reg 12. v. 11. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* At cur Deus suggerit Ezechieli, ne timeat Hebręos, ad quos eum mittebat, quia subuersores sunt & scorpiones, spinæ & vrticæ; quando quidem propter illorũ nociuam naturam timendi erãt, & euitandi? Forte id præcipit, quia non iniqui, sed virtute pręditi timorẽ incutiunt? Sic opinatur Theodoret.
Theodor. sect. 1. in Ezechielem. *Causa idonea est ad contemptum eorum, qui insidiari aggrediuntur, improbitas: legis enim violatores et à diuina ope vacui sunt. Non sunt itaque huiusmodi viri metuendi (inquit) quamuis more scorpionum lædant, quamuis temeraria verba proferant, quamuis rabie, multaque insania efferantur.* Lyra sic commentatur: *Hic consequenter ponitur confirmatio Domini contra malitiam eorum, quibus debebat loqui: quia minus iacula feriunt, quæ præuidentur, vt dicit Gregorius.* Illis enim calamitas grauior est, qui imparati inueniuntur. Mittebat Deus Ezechielem, vt Iudęos instrueret ad virtutem sectandam, & ne molestiæ eum imparatum adoriantur, prædicit ab eis tanquam ab spinis & scorpionibus esse pungendum: nam necesse est, illum stimulis agitari, & iniurijs iugiter impeti, qui subditos habet, quos corrigat, & emẽdet. Quod quidem latet in lectione, quę vertit, *Vrticæ et spinæ tecum sunt.* Si enim vrticas è radice vsque ad verticem manibus contrectes, non feriunt: at si ex vertice vsque ad radicem, pungũt, & sauciant, quoniam spinas omnes versus verticem habent erectas. Hoc ergo tibi continget cum rebelli populo, nãgens illa quasi vrtica est: si manum feras iuxta vitiorum dorsa, si mulceas manum trahens supra dorsũ (*tratendoles la mano sobre el lomo* Nostri dicunt) ne timeas quod malum inferant: at si te illis opponas, & cõtra prauorum morũ cursum pergas, velut vrticę te pungent, ferient, & discerpent.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias dicebat Sponsus Cãtic 2. quasi fieret comparatio Sponsę filiarum corona circumdatę ad liliũ, quod vallatur spinarum sepe. At cur sponsam lilio confert nõ iam discerpto, sed spinis circumdato? D. Ambros. lib. institut. Virg. cap. 14 existimat, de se ipso Sponsum loqui, atque lilio ab inimicis vulnerato cõparari. *Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorum.* Dum in illos morum spiramenta fragantia dabat, & ad virtutis orbitam mouebat, ab eis, velut ab spinis, pungebatur, & virulentis verbis, atque feralibus impetebatur tormentis: *Nonne hic est filius fabri?* Et alibi *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Et tandem non quieuerunt, vsquedum in cruce lacerum & confractũ inspexerunt. D. Bernard. serm. 48. in Cantic. prædicta verba Sponsi ad Sponsam dicta fatetur, & sic præclarè ad nostrum institutum versat. *Non bonæ filiæ, quæ pungunt: attende pessimum germen eius, cui maledictum est terræ nostræ: Cum (inquit Genes. 3.) colueris eam, spinas et tribulos germinabit tibi. Donec ergo in carne est anima, inter spinas profecto versatur, et necesse est, vt patiatur inquietudines tẽtationũ, tribulationisque aculeos. Spina falsus frater.* &c. Quasi dicat: Hoc proprium filiarum & subditorum est, vt cum eis benefeceris, cum in virtute instru-

350
Cantic. 2. v. 2.

D. Ambr.

Matth. 13 v. 55.

D. Bernd.

instruxeris, te pungant, & veluti terra, quę dum eam agricola magis colit, acutiores tribulos germinat, dum magis ad illorum profectū insudaueris, acrius contra te insurgent. Et paucis interiectis prosequitur: *Non mediocris titulus profectus virtutis est inter prauos viuere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem, et morum lenitatem: magis autem si ijs, qui oderunt pacem, pacificum, et amicum ipsis te exhibeas inimicis, id plane tibi similitudinem datam de lilio iure quodā proprietatis specialiter vēdicabit, quod ipsas vtique pungentes se spinas candore proprio illustrare, et venustare non cessit.* Maxime Superiorē illustrat, si pacem inter inimicos seruet, si instar lilij cū subditis sehabeat, quod spinas ipsas, quæ illum pungūt, & lacerant, illustrat, venustat, atque fragrare, & odorare facit. Sciat ergo Superior inter spinas versari: nam tametsi illas illustret, foueat, & venustare faciat illis præclaris dotibus, quarum etiam subditi sunt participes, non propterea illi parcent, si velut liliū illos virtutibus fragrare cōpellat.

Idem.

351 Pluries Hebręi de Deo murmurauerant, qui illos salutis viam docebat: at vno idolo fabricato, illud summis honoribus & laudibus extollūt, & quod peius est, beneficia, quæ illis Deus impenderat, conflato vitulo attribuunt. *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* Exod 32. Sūma dementia est Deum detestari, qui tot ipsis præstiterat beneficia, & falsum idolum honoribus prosequi. At quæ huius insaniæ causa? Ausculta textū, *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Ludus hic (vt non tauit Oleast.) non sumitur pro idolorum cultu (vt falso dixit Rabbi Salomon) sed pro tripudiare, & ad modum puerorum ludere, vt patet ex loco Genes. 21. *Et vidit Sara filium Agar ludētem cum Isaac.* Solebant enim Gentes in festis idolorum suorum comedere de immolatis victimis suis, & in eorū honorem ludere, saltare, festosque ducere choros. Fecerunt ergo Iudæi quemadmodum facere in AEgypto viderant, & propterea deum laudāt, qui ludos ipsis permittit: at verum Deum, qui præceptis ad virtutem sequendam illos adigit, detestantur. Accipe Oleast. in annotat. morali huius loci. *Detestantur homines Deum adstringentem, et prohibentem, sequuntur liberiorem, qui gaudia et ludos permittat, hisque delicietur. Vnde summe detestandi sunt dij, aut homines, qui habenas vitiorum suis cultoribus laxant.*

Exod. 32. v. 4.

Vers. 6.

Genes. 21. v. 9.

Oleaster.

ANNOT. L.XXVIII. MORALIS.

DILIGENDA VXOR, SED ILLI graue negotium non pandendum.

352 *VARIVM et mutabile genus semper fœmina* [aiebat Maro] animal enim garrulum est, in linguas tota composita, secreti prodiga, nescia silentij, importuna ad arcana reseranda, & quę auidè combibit, auidius refundit. Quo circa de tribus [teste Plutharc.] dolebat Cato: primo, quod in hac vita tā incerta vel vna die intestatus mansisset: secūdo, quod eo mari & nauigio profectus esset, quo poterat ire per terram, & pedes: tertio, quod secretū suū reuelasset mulieri. Idē Plutharc. de garrulitate illius, qui secretū vxori reserauit, & postea ab Imperatore accepit notum esse, loquens aiebat: *Resciuit Cæsar non sfluisse mea arcana: ideo mori mihi decretum est.* Cui statim vxor: *Iure: quoniā tandiu mecū habitans, viuēsq; nec noueris, nec caueris intemperātiā meæ linguæ.* Vnde Antiphanes apud Stobęum. *Quid ais? Cum latere velis aliquod negotium, mulieri ipsum aperis? At quid interest sfiue mulieri, sfiue omnibus in foro præconibus narrare?* Hinc cordati viri etsi vxores (vt par est) diligant, seria negotia illis non reserant, ne in omnes effusa reperiant. Ideo consulebat Vates: *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi clausfra oris tui.* Michææ. 7. v. 5. Vbi non solum effrænē linguam, & inconsideratam loquelam prohibet vxori ostendere, sed quod

Plutharc.

Antiphan.

Michææ. 7. v. 5.

mire-

mireris, oris claustra, ne labiorum nutu cordis intima penetret, quod acutè ponderauit Sanchez in huius loci expositione. *Est autem hic obseruandus loquendi modus, in quo aliquid nobis ostenditur in celando animorum arcano singulare: non enim dicit custodiēdam simpliciter ab vxore linguam, sed oris claustra: vsque adeo enim periculosum est vxori cordis impertiri secreta, vt non illa solum ab ore et lingua, sed ab illorum claustris arceri debeat, id est, ab obserato ore, et à frenata lingua.* Ne, quod in animo latet, vel coniecturis reueletur, non modo lingua, sed ipsius claustra cautè mouenda sunt, & custodienda à facilitate fœminea.

Sanchez.

353 Genes. 22. tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi.* Censent Nisenus in oratione de funere Pulcheriæ, & S. Augustin. serm. 73. de tempore Abraham hoc negotium sibi cōmissū coniugi reseraſſe: negāt tamen Chrysostom. hom. de S. Iob, & Abraham S. Ephren de Abraham & Isaac, Abulēs. sup. cap. 22. Genes. Pererius disp. 1. & elegantissime S. Basilius de Seleuc. orat. 7. *Facinus tam audax* (inquit) *Saram celat, neque ad matrem effert mandata. Quamobrem? Illa quidem* (inquit) *amans Dei est, ego quidem eius animum suspicio; at ingenium vereor: Dei amans est mulier, sed mater est: vereor, ne pueri furtū materiam subtrahat obsequendi Deo iubenti.* Verum cur neque Deus probauit Saram, neque Abrahamus dilectissimę vxori tā graue negotium reuelauit, vt in volūtaria oblatione consensum præstaret, ne ingenti merito, quod inde resultabat, defraudaretur? Iam Seleucianus Episcopus obiectioni satisfacit: sed accipe Procopium à Glos. in hunc locum adductum. *Sunt qui tradunt, Saram ignorasse, quæ mandata marito dederit Deus: videlicet, ne materna comploratione totum negotium interueteret: nec Eua bene consuluit Adamo: et idem forte et hic euenisset.* Ideo Abrahamus sanctissimæ ac dilectissimæ vxori secretum non aperuit, ne vocibus & complorationibus notum fieret, & totum negotium euerteret. Raro fœmina, etsi prudens sit, retinere queit silentium, & prudentiori vix digitos in os immittas, cum nauseat, & quidquid in corde habet, euomit. Viri imprudentiæ deputatur de re alicuius momenti cum vxore agere. Honestis salibus, amenioribus verbis, festiuo risu ipsi placeat: at seria negotia non ipsi committat, vt grauiter dixit Guillermus Hamerus ludum versans, quo Isaac iocabatur cum Rebecca in Geraris. *Nec illud ab Isaac risu erga Rebeccam alienum erit, si intelligamus, virum non debere cum vxore seria et ardua tractare: nec enim satis tutum erit, si mulier conscia erit omnium viri sui secretorum: sed illa communicanda sunt vxori, quæ amæna sunt, et voluptatem afferre possunt. Est enim mulier non admodum secretorum tenax, et plena rimarum: huc ac illuc perfluit.*

Procopius

Guillerm. Hamer.

Iosue 2. misit Imperator exploratores, qui Ierichuntinam vrbem circunspicerent: pergunt illi, à Raab excipiuntur, & ne à Rege, qui eos quærebat, occiderentur, abscondūtur. Cumque ab eis exposceret Raab, vt cum ea & domo sua in expugnatione ciuitatis misericordiam facerent, hoc illi mirabile responsum præbuerunt: *Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem.* Et paulo infra, *Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiurasti nos.* In Hebræo habetur, *Et si prodideris verbum nostrum hoc:* id est (Interprete Caiet.) *quod latitamus in montibus*, erimus mundi & liberi ab hoc iuramento, quo nos astrinxisti. At quā ob causam de fœmina diffidunt, quæ illos humano excepit hospitio, & à Regis ministris occultauit? Vnde auspicātur fore illos proditurā, quę tot pia & per humana officia

354

Iosue 2. v. 14.

Vers. 20.

Caietan.

ipsis præstitit? Quam tam fidelem in ipsos erant experti, cur suspicantur inimicam? Audi Caiet. *Timent enim mulieris instabilitatem, et propterea silentij curam in ea augere nituntur.* Licet mulieris silentium vsque tunc essent experti, licet ab eis muliet magna expectaret beneficia, prudentet tamen de ipsius stabilitate diffidunt, & timent iuramentum violaturam: quia omnia frangit fœmina, omnia contemnit, ne silere cogatur: quare vt res manifesta fiat, illam ipsi commendare sat erit. Hinc somnus immittitur Pilati vxori, vt à morte Christum liberet, & fructus ab illa prouenies impediatur: sic enim ipsa marito retulit: *Nihil tibi, et iusto illi: multa enim passa sum hodie per visionem propter eum.* Matth. 27. Communiter Interpretes hanc visionem à dęmone immissam existimant, timuit enim ali quantulum, & ideo excitauit per somnium vxorem Pilati, tentans liberare Iesum. Sed cur non potius Pilatum excitauit, & exterruit, vt à sententia exequenda illum reuocaret? Cur vxori suggerit, vt marito consulat ab illa causa abstinere, nec se in morte iusti immiscere? Pulchre Chrysost. in Caten. respondit: *Vel quia illa magis digna erat, vel quia si Pilatus vidisset, non aqualiter sibi creditum esset, vel forte neque dixisset: propter hoc dispensatur à Deo, quod mulier vidit, vt manifestum omnibus fieret.* Secretum, quod Deus diuulgari decreuerat, vt innocentia pateret Iesu, non viro, sed mulieri commendauit, quę cũ linguata sit, & rimarum plena, nihil retinet occultum, omnia statim manifestat, & diffundit.

Matth. 27 v. 19.

Chrysost.

355

Dauidem senio penè iam confectum vxor eius adit Bersabee, vt sciret Adoniam regnum præoccupasse suo Salomoni à Rege iam promissum, adit etiam Nathan Propheta eadem Regi nunciaturus: proponit Adoniæ insaniam, & Salomonis ius: *Et respondit Rex* (inquit text. 3. Reg. 1. vers. 28.) *vocate ad me Bersabee: quæ cum fuisset ingressa coram Rege, et stetisset ante eum* &c. Quomodo eam vocari iubet, si eam ibi adesse textus inquit? Sic enim habetur vers. 22. eiusdem cap. *Adhuc illa loquente cum Rege, Nathan Propheta venit.* Si ergo aderat, cur Rex eam vocari pręcepit? Aut culta Ioseph libr. 6. antiquit. cap. 11. *His auditis Rex iubet accersiri Bersabem, excesserat enim cubiculo Propheta veniente.* Vt ventum est ad Monarchiæ negotia, & gubernationis consilia, dilectissimam vxorem extra cubiculum fieri iussit prudens Rex, vt maritos instrueret ardua secreta vxoribus non pandere, si non volunt ea habere nota, & in petniciem regni redũdare. Nam vt dixit Sapiens Prouerb. 15. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium.* Chaldęus vertit, *Frangũtur cogitationes, vbi non est secretum.* Vbi mulieres rimantur cordis intima, maxima reginiinis euertuntur. Passim antiqui recentisque œui exempla incurres. Nunquam commissi arcani custodia violanda est, nec fidenda vxori. Nec hoc dilectionis defectus, sed prudentiæ prouidentia reputetur: quandoquidem fœminas grauiora negotia scire non refert, neque ipsis inest ob fragilitatem sexus silentij capacitas; cum nihil retineant, sed omnia facilimè diffundãt. Mirum, quod tradit Isidor. AEgyptius libr. 1. epistol. 90. de Apostolica solicitudine erga silentium mulierum in Ecclesia, quas cum vix cohiberi posse iudicarent natiua sua garrulitate, indultum est illis vt canerent, ac si aliter abstinere nequirent. *Importunas in Ecclesis loquacitates Domini Apostoli comprimere studentes, modestiæ atque grauitatis Magistros se se nobis præbentes, vt mulieres in ipsis canerent, sapienti consilio permiserunt.* Non ergo amoris defectui, sed sapientiæ consilio imputanda est secretorum obseruatio, nam cauere ab incapacitate doctrina Christi Domini est: sic enim aliquando loquebatur Discipulis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15 Ambiges, quomodo hęc vera esse possint, cũ ipse c. 16. dicat: *Multa habeo vobis dicere,*

3. Reg. 1. v. 28.

Vers. 22.

Iosephus.

Prouerb. 15. v. 22.

Chaldæus

Isidor. AEgyptius.

Ioann. 15. v. 15.

dicerem; sed non potestis portare modo? Quo pacto quęcumque à Patre audiuit, eis nota fecit, si multa adhuc habet eis dicenda? Chrysostom. homil. 76. *Dixi vobis omnia, quæ vos audire conueniebat,* & Euthym. *Dixit omnia, quorum tunc capaces erant.* Non enim amicus non est, qui ea non reuelat, quæ ad amicum non attinent, maximè si eorum non sit capax.

Chrysost. Euthym.

ANNOT. L.XXIX. MORALIS.

SVPERIORVM MVNVS DVRA seruitus.

356 VOX est Antigoni ad filium Principem & successorem suum apud Stobęum. *Scias imperium nostrum esse splendidam seruitutem.* Cui consonat Seneca libr. de Consolat. ad Polib. alibi datus: *Cæsar ex quo se orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit, et siderum modo, quæ irrequieta semper suos cursus explicant, nunquam illis licet neque subsistere, neque quidquam suum facere.* De quo argumento plura habes apud Ludouicum Cresol. Mystag. libr. 3. cap. 14. Præcipuè ex Diu. Augustin. qui de Sancto Ambrosio narrat se oculis suis rem notasse: *Adeo illius tantam fuisse occupationem, tamque molestam, atque perpetuam, vt vix aditum habere vnquam ad illum potuerit ad æstus animi sui explicandos.* Et de se ipso varijs curis & solicitudinibus præpedito dicebat epist. 135. *Ob diuersas curas, quas nostræ seruitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas alijs rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor.* Premę illud *seruitutis necessitas:* quasi præfectura non solum seruitus, sed necessarius sit famulatus, a quo nemo se expedire queit. Et epist. 185. grauiori etiam verbo se & similes Pontifices angariatos nominat: *Vix,* inquit, *paululum spatij datur inter acerbas occupationes, quibus nos alienæ vel cupiditates, vel necessitates angariatos habęt.* Quid miserius, quam ad laborem cō-

Antigon. *Senrca.* *Ludouic. Cresol. ex D. Augus.* *Idem.*

duci sine receptione stipendij? Eleganti enim vocabulo explicuit August. seruilem Superiorum conditionem, eos angariatos appellans: nā ad laborem conductis non licet aliquod tempus quiescere, ne postea mercede fraudentur, neq; ad instans sine inquietudine esse. Quod sub purpura delitescit onus tectis hyeroglificis significarunt AEgyptij, qui, vt tradit Horus, per plicatū anguē, & in orbē collectū caudā suam mordentē, Regē intelligebant, & quia minima quęq; curare debet, & quia multæ regiū animū angunt curę, multęq; mordent solicitudines. Rex quoq; Antiochus apud Stobæū serm. 47. de regio indumento locutus dicebat: *O pannum miserū, qui curas tot et pericula procreas: plures enim tineas Regia purpura habes: multæ curæ sub Maiestatis veste latent.* *Antioch.*

357 Nudatus apparuit Noe in taberna culo suo, inebriatus uino, quod biberat inscius temulentię futurę: ipsum sic indecorè nudum ridebat Chā filius eius, cui postea vigilans propter irreuerentiam maledictionem impetriuit, & filio suo Chanan atque posteris eius etiam maledixit: *Maledictus Chanan: seruus seruorum erit fratibus suis.* Si autē successorū seriē scruteris, inuenies, quod Nēbrot illius nepos inter homines primus regnare cœpit. Iā ergo exurgit difficultas. Vbi est illa seruitus, quā pro maledictione patet filio impio & impudenti est imprecatus? Dominari video in posteris Chā, nō seruire; dominū, & Regē, nō seruū: quo ergo pacto sanctissimi Patriarchæ maledictio nō adimpletur? Vel si adimpletur; cū dominatione nepotis cōponitur seruitus? Optimè Chrysost. de Nēbrot locutus *Hic proauū suū imitatus, et abusus naturæ priuilegijs, aliū seruitutis modū adinuenit, et Princeps atq; Rex fieri attentauit.* In nullo tā plenè Noe fuit maledictio adīpleta, quā in Nembrot, qui regnare cœpit: nam tūc miser seruus factus est, cū se Principē fecit. Qui ex priuata vita ad culmen potestatis ascendit, ex ingenuo efficitur seruus; licet enim ista magis videatur esse libertas, in ordine

Chrysost. Hom. 29. in Genes.

libertatis vile mancipium, & grauissima seruitus est. Suæ cupiditatis est seruus, qui aliorum commodo incumbit, & tyrannicæ dominationi mancipatur, qui propter manem principandi gloriam tot dominos habet, quot subditos, innumerisque curis, & laboribus exponitur.

358 Moysi oues Ietro cognati sui Sacerdotis Madiam pascenti apparuit Dominus, ipsumque delegit, vt Pharaoni iniungeret, quatenus populum libere emisisset, ipsumque populum ex AEgypto in terram duceret promissionis. *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de AEgypto.* Exod. 3. Diu Expositores fatigauit, quod hominē valbum oratorem, ineloquentem, & in rebus aulicis inexpertum ad Regē Deus destinauerit, & pastorem pecudum ducem populi cōstituerit: mira enim & incōgrua commutatio est pastoris in Regem, & populi ducem: nec dissimilis, quam Christus fecit in constituendis Ecclesiæ Proceribus, nam piscatores rudos & ignorantes homines in Præsules constituit. Cur non ad huiusmodi munera homines in illis versatos vocauit, vel saltem illos, qui aliquam affinitatem haberent cum ipsis? Cur pastores, & piscatores delegit? Recognosce omne artificum genus, & deprehēdes, inter omnes pastores & nautas in maximo vitæ discrimine versari, nullumque tam laboriosam vitam agere, quam ipsos: pastor enim non dormit, sed fere continuo vigilat, noctes integras transigit insomnes, vix vestitur, maleque vescitur: sic & piscatores nudi laborant, in vigilijs, & continuis solicitudinibus semper sunt, temporis inclementiam patiuntur, milleque alijs incommodis sunt expositi. Audi ergo iam Oleast. causam reddentem cur Deus huiusmodi munera exercentes ad prelaturas elegerit: *Vt ergo tam Reges quam Pontifices scirent, se non ad quietem, nō ad diuitias, aut delitias assumptos, sed ad labores sudores et vigilias, hos inter cæteros deligere curauit.* Laboribus assueti euehuntur, vt à laboribus non vacare sint eruditi, cum non desinant, sed commutentur incommoda. Hinc cum Dauid fugiens Saulis persecutionem ad Regem Moab in Masphat se recepisset, vbi parentes suos reposuit, non multo post à Propheta Domini admonetur: *Proficiscere, et vade in terram Iuda. Et Profectus est, et venit in saltum.* 1. Reg. 22. Vt quid iubetur abire, si nondum Saulis iræ erant placatæ? Si adhuc imminebat periculum, & nondum animus Regis erat sedatus, vt quid à refugio quod elegerat, extrahitur? Optime Carthusian. ibi: *Iubetur adire, vt persecutiones sustineat, et vt in terra sua, id est, in Iuda laboribus exerceatur.* Dauid regnaturus erat in Israel: igitur prius discat labores sustinere, assuescat persecutiones pati, vt probatus ad regnū accedat: & sciant maximè prælati non tam ad honorem euectos, quam ad perferendos labores.

Exod. 3. v. 10.

Oleaster.

1. Reg. 22. v. 5.

Carthus.

Caiet.

De hoc enim cōquerebatur Spōsa, 359 nā semel ad prælaturā electa nō vltra sibi indulsit, neq; à continuis curis & laboribus expediri potuit: *Nolite me cōsiderare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol, posuerunt me custodem in vineis.* Cantic. 1. Mox vt prelaturam accepi, nitorem venustum perdidi, & nihil nisi incommoda experior, mihi enim subripui, omnemque solicitudinem erga meam pulchritudinem abieci: *Propter officium meum* (inquit Origen.) *neque pulchritudinis meæ curam habui, cuius amantissimæ debent esse adolescentulæ, neque etiam mearum rerum.* Superior, qui suo muneri incumbit, pulchritudinem amittit, diuitias, & commoditates: nam qui opulentas opes comparant, & proprias domos augent, non de officio, sed de se ipsis curam habent: præfectura enim omnia incōmoda habet annexa: nec solū requies in ea periclitatur, sed etiā honor, nā pauci sunt etsi recte agant, qui non fusci appareant: *Quod fusca sim. Setiznā* Nostri dicūt, & veluti vile mancipium denigrata facie ad seruitutem destinantur: quia omnium subditorum labores debent sustinere patienter, & omnes plagas

Cantic. 1. v. 6.

Origenes.

in

in se ipsis excipere. Hinc præcepit Deus Moysi Exod. 9. vt talem Pharaoni commination em intimaret. *In hac vice mittam plagas meas super cor tuum, et iterum extendens manum percutiam te et populum tuum peste.* Cur Moyses hæc comminatur Pharaoni, cum ipsius corde in sua duritia permanente has plagas nus piam immissas legamus? Nam nunquam fuit peste percussus. Si igitur illud supplicium non erat subiturus, cur immittendum prædicitur? Quia certo fuit immissum (ait ingeniose Caietan) Nã cum impius Rex adhuc in corde gestaret subditos, plagæ, quas Dominus populo inferebat, super cor Pharaonis mitti videbantur: prior ipse quam subditi diuinæ iustitiæ iacula excipiebat, & percusso peste populo, cor Regis, vt qui suos in corde habebat, sine doloris vulnere non abijt. *Non dicit* [ait Caietan] *ad personam tuam, sed ad cor tuum: quoniam nunquam læsit personam Pharaonis, nisi quando demum submersit eum in mari, et tunc etiam mortem illam misit prius ad cor eius, vidit enim Pharao omnes decem plagas, et vidit se et suos submergi in mari, et singula afflixerunt cor eius tristitia.* Vt vel ab impio Rege discant omnes pij Reges & præsules, quam debeant esse obnoxij subditorum laboribus & incommodis, cum id etiam Pharao omni humanitate viduus visus sit præstitisse. Hinc enim violentia inspecta, quam Iordanis aquæ patiebantur ad arcę præsentiam, illarum pars superior doluit, *Viderunt te, et doluerunt montes.* Hic vers. 10. quasi inferiori partè compatiens, quę subdita erat ipsi.

Exod. 9. v. 14.

Caietan.

ANNOT. L.XXX. MORALIS.

VTROQVE PEDE CLAVDICAT, qui ad neutram manum inclinat.

QVASI Diuinitatem malitiosè homo æmuletur, vnus natura cum sit, multiplex in personis satagit apparere, & vt multis placeat, multorum personas induit. Ambiguum animal est: neutralitatem affectat, vt nemini displiceat, & omnium fauorem sibi conciliet: ad neutram partem inclinat, vt vtramque habeat: at dum personatum duplicem ambit, nullum lucratur: neutri enim, & qui media via incedunt, quin ad dexteram, vel ad sinistram inclinent, exosi in republica sunt, & ab omnibus despiciuntur. Vnde Solon Athenienſium Legislator (apud Pluthar c.) lege inuiolabili sanciuit, quod neutrales & indifferentes ab honoribus reipublicæ arcerentur. *Qui facta seditione in republica neutram sequitur partem, priuetur honoribus.* Nullius fauorem habeat, qui omnium gratiam fraudulenter affectat: siquidem nullius est, qui nulli adhæret. Vnde Seneca charissimo suo Lucilo dicebat epistol. 48. *Nemo potest quispiam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit: alteri viuas oportet, si vis tibi viuere.* Nullibi enim pedem figere, vbique claudicare est. Præcepit Achab [3. Reg. 18. Jomnes Prophetas falsos Baal cõgregari, & in AEliæ conspectu comparere, ad quem cum venissent, sic ipsis alloquitur Vates: *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dõs est, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Cupiebant enim pseudoprophetæ Deo & Achab pariter placere, duobus dominis inseruire, & vtriusque gratiam lucrari. Vt autem Elias illorum socordiam, & dolosam proficiendi artem reprehenderet, vtroque pede claudicare dicit, quia in neutram partem omnino inclinabant, *Quia erant pusilli, nutantes et ambigentes* [ait Carthusianus articul. 27.] *Vsquequo claudicatis vtroque pede? Deest, vultis duobus dominis seruire.* Non enim audebant in aliquam partem inclinare, ne aliam infensam haberent, vtrisque blandiri

3 60

Pluthar c.

Seneca

3. Reg. 18. v. 21.

Carthus.

diri cupiebant: at hoc non ambulare recte erat, sed vtroque claudicare pede, & dum Deum & Achab gratos habere procurabant, ambobus efficiebãtur odibiles.

361 Rerum omnium conditionem narrat Moyses Genes. 1. & facta cœli, terrę cœterarumque creaturarum mentione, aeris non recordatur, neque in earum serie illum recensęt. *In principio creauit Deus cœlum et terram.* &c. Et cur elementum aeris elemento terrę, & alijs quampluribus rebus nobilius in silentio prętermittit? Nam si velis dicere, quod per ea verba *Spiritus Domini ferebatur super aquas* aer intelligatur expressus, fere omnes Doctores contradicunt. Quare igitur à consortio cœterarum creaturarum aer excluditur, & in ipsarum cathegoria non inuenitur? Difficultatem attigit Nisenus hom. in Exameron, & acutè ad nostrum institutum soluit.

Genes. 1. v. 1.

Vers. 2.

Nisenus. *Ideo prætermittitur, quia fortasse natura molli ac facile cedenti præditus res omnes in se suscipit, easdemque præ se fert, cum neque colorem proprium, neque figuram habeat, et ad omnium rerum, quas suscipit, motus se accommodat.* Quasi dicat: Aer dum omnium creaturarum est, earumque figuras induit, nullius censetur: non enim ex se colorem proprium habet, sed omnium rerum coloribus se accommodat: neuter cum sit, omnibus placere ambit, & ad neutram omnino inclinat: vnde merito ab omnium numero excluditur, quia non meretur inter cœteras computari, qui omnibus æqualiter blandiri studet. Nihil assentatoribus similius aere, qui neque colorem proprium, neque figuram habent, sed omnium figuras suscipiunt, & ad omnũ palatum sua placita accommodant; at nullius sunt, dum omnium esse ambiunt.

362 Postquam creuerat Moyses in AEgypto, AEgyptium vidit quemdam percutientem de fratribus suis, irruęsque in eum interfecit illum, eumque sabulo abscondit: *Cumque circunspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum AEgyptium abscondit sabulo.* Exod. 2. Magna hic excitatur quæstio, an scilicet Moyses in hoc facto deliquerit? Et licet Ambrosius eum excuset; Augustinus tamẽ, & alij quam plurimi illum criminis nota inurunt. Cœterum non omnes eodem motiuo. Oleast. acutè culpam rimatur non in morte, sed in circunstantijs, eo videlicet, quia ad eam inferendam huc atque illuc respexit. *Considera quam caute malũ operatus sit, vt prius huc atque illuc respexerit, quam occideret.* Ac si diceret: Ideo mors AEgyptij Moysi imputatur ad culpam, quia vt eam patraret, ad vtramque manum respexit; & dum vnam & alteram partem aspicit, nulli adhærere videtur. Volebat enim (ait Caiet.) & Deo placere, dum pro illius honore certabat, & AEgyptijs non displicere: ideoque ad vtrumque latus respexit, cauens ne AEgyptius aliquis intueretur. *Apparet ex textu quod inexcusabilis sit: nã ex eo quod nõ defensionis necessitate, sed vltionis gratia occidit AEgyptium (vt testatur circunspectio, an aliquis esset testis) officium iudicis vsurpauit Moyses, et propterea nisi diuina auctoritate excusetur [contra quam militat huiusmodi circunspectio, nam signum est humanæ cautelæ, non diuinæ inspirationis] nullam video excusationem certam.* Argute dictum. Pende illud *Nam signum est humanæ cautelæ*, quasi in hoc facto cautelosè se gesserit Moyses, dum nulli displicere procurat, & Deum atque AEgyptios ambit habere gratos: at dum huc atque illuc respicit, & in vtramque partem inclinat, neutram habet obligatam; quin potius infensam vtramque habet, atque Deum, & AEgyptios offendit: qui enim ad nullam manum omnino inclinat, & neuter vult videri, vtroq; pede claudicat.

Exod. 2. v. 12.

Oleaster.

Caietan.

363 Virgines illæ fatuæ, quæ expeditã & solertem spem ad Sponsi aduentũ inerti commutarunt somno, dum no uissimè veniunt, & portas inueniunt clausas, eas pulsantes validissimè inclamant *Domine Domine aperi nobis.* Matth. 25. quibus Sponsus: *Nescio vos.* Non miror acerbam Sponsi repulsam,

Matth 25 v. 11.

pulsam, sed verbi *Nescio* nouitatem. Deus ne reprobos nescit, & damnatos ignorat? Si nescit, iniustè damnat; si scit, quo pacto vere dicere potuit *Nescio*? At eiusmodi quasi ignorantia, non personę excluſæ, sed vocum, quibus eum deprecantur, est: dum enim in ore & voce duplicem dominum portant: *Domine, Domine*, neutrum habent, nam qui duobus dominis vul placere, à nullo agnoscitur, & vtriusque gratiam amittit: qui duorum vult esse, nullius est: vnde merito iudex ad nuptias virgines fatuas neque admittit, neque recognoscit, quia de illatum dominio dedignatur: qui enim omnibus vult placere, omnibus exosus est, omnibus ignotus, quia nemo suum esse agnoscit. Quiddã simile habetur Matth. 7. vbi cũ de finali iudicio agatur, ait Christus Dominus: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? Et in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos.* Eadem redit difficultas. Si eos damnat, & à regno excludit, quo pacto eos non agnouit: ergo sine causa excludit, qui eos ignorat? Aſt quæ maior causa, vt eos non sciat scientia approbationis, quam illa geminatio dominationis? *Domine Domine.* Studio & desiderio plurimis dominis placendi eos ingeminant: at dum multos dominos habere ambiunt, à nullo agnoscuntur serui, *Nunquam noui eos.*

Matth. 7. v. 21.

Currus ille celebris, quo Dei gloria ferebatur, à quatuor animalibus sub uectus Ezechieli apparuit. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis à dextris ipsorum quatuor, facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ezechiel cap. 1. Et paulo infra de eorum motu loquens, *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Idest, *Impulsus venti*, ait Carthusianus. Non pauca passim tradunt Interpretes de re morali super huiusce currus significatione: & sane expensione dignissimum est, quod cum quatuor animalia currum portantia alas haberent, quibus ocyssimè volarent, *Quatuor pennæ vni*, & similiter pedes, quibus ad nutum suum ambularent, *Et plãta pedis eorum quasi plãta pedis vituli*; non quo volebant volabant, sed aeris impulsu ferebantur. Et cur qui pennas & pedes habent, non eis liberè vtuntur, sed feruntur aere? Præstaret enim aut pennas & pedes non habere, aut eis voluntariè ambulare. Cur igitur pedum remigio, & alarum velis non mouentur? Opinor, quia multas habebant facies: nam qui geminatas facies habent, vt omnibus blandiantur, & arrideant, aerem currentem semper sequuntur, & quo fauorabilis ventus afflat, illuc mouẽtur, illisque adulantur, qui vẽtum habent secundum. Verum etsi tales assentatores facies hominum habeant, propter duplicitatem facierum tanquã animalia bruta ab omnibus despiciuntur: nam qui suæ commoditati tantum incumbit, & graditur currẽte aere, omnibus est odibilis, nullique grata præstat officia. Ideo Deus suscitare dicitur arcum suum, qui cum versicolor sit, variam & infidam Iudęorum naturam, qui modo idolis, modo Deo adhærebant, & vtrisque placere satagebant, referebat. *Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.* Hic vers. 9.

364

Ezechiel. 1. v. 10.

Carthus.

ANNOT. L. XXXI. MORALIS.

DIGNITAS BENE MERITO, etiam si inimicus sit, conferenda.

365

Tacitus

MAGNA solertia, & diligenti studio, qui munera distribuit, debet candidatorum merita trutinare, vt dicebat Tacitus lib. 4. historiæ. *Princeps dispiciat diligenter cuiusque merita, et tarde cõcedat, quod datum non adimitur, præsertim cum de maxima aliqua et rara dignitate conferenda agitur.* Non voluntas discernat, quę ad dignitatem rectè gerendam

dam conducunt, sed ratio: non eligentis affectus, sed electi præclara virtus: nam si electoris non sit amicus, non ideo redditur indignus. *Libius.* *Dignitas in certamine relicta* (aiebat Libius decad. 1. lib. 6.) *potentioris erit:* at si certamen rationis fuerit, dignioris, quãquam hostis sit: nam etsi gratus & amicus iucundiorem faciat donantis largitatem, ingenuam ingratus, si dignus sit, facit, vt dixit Plinius in panegyrico ad suum Traianum. *Plinius.* *Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit.* Præterquãquod Princeps benemeriti virtutes remunerans, non liberalitatem, sed iustitiam exercet, quę in vehementiori impetu flumini assimilatur: fluuius enim ridet obices, obiectas dissoluit machinas: si coneris compescere, plus crescit, & prærumpit obstantia. Haud aliter iustitia (vbi obstat candidati aduersa voluntas, vigent tamẽ præclara merita) valido impetu moles perrumpit, vt benefaciat, & cõquerentia seruitia remuneret. Riui est exigui obiecto lapillo cedere, viã mutare, aut alueum diuidere: verum iustitiæ torrens recto tramite cursum agit; nec obstans benemeriti maleuolentia ipsam retardat, vt quod iure debetur, tribuat. Vnde Cassiodorus in suo Principe maxime laudauit, quod inimicissimum hominem, qui eius hostes maximè iuuit, quia benemeritus erat, remuneraret. *Vnde sic factum est* (dicebat lib. 1. Variar. Epist. 16.) *vt ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter iuuit inimicum: quia casu patrocinante contrario, tanto nobis reddebatur acceptus, quanto nunc cognosci poterat indeuotus.*

366 Apostolis post resurrectionẽ Christus apparet, pacẽ illis optat, & ostẽsis manibus ac latere dat eis Spiritũ Sanctum, vt peccata remittant, ac retineant. *Hæc cum dixisset, insufflauit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20. v. 22. Ioan. 20. Quæritur ab Interpretibus, quomodo nunc Spiritus Sanctus cõfertur discipulis, si promissus erat post ascensionem dandus: sic enim ipsum Christus pollicetur: *Si nõ abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autẽ abiero, mittam eum ad vos.* Ioan. 16. D. Chrysostom. (hom. 85. in Ioan.) respondet, operationes Spiritus Sancti multas ac varias esse: nunc autem fuisse datum quantum ad vim, nẽpe potestatem dimittendi peccata: at in die Pentecostes quantum ad potestatem miracula patrandi. Iam ergo inquires, quando Thomas accepit hanc potestatem peccata dimittendi, & auctoritatem prędicandi, quæ cæteris Apostolis fuit collata: an in prima die quando Thomas absens erat, *Thomas autem* (inquit textus Ioan. 20) *vnus ex duodecim non erat cum eis, quãdo venit Iesus*, an in gloriosa Spiritu Sãcti descẽsione in die Pentecostes? Communis Expositorum est opinio, quod huiusmodi potestas prærequirebat sanctificationem, ac subinde quod insufflatione, quam absente Thoma Christus fecit, ei non fuit communicata, cum infidelis esset; probabiliusque censent, datam fuisse, quando postea videns Dominum, & fixuram clauorum credidit. Tamen non improbabilem existimo sententiam Cyrilli (libr. 12. cap. 56.) asserentem, *D. Cyrill.* huiusmodi potestatem eo tempore accepisse, quo absens erat, & cæteris Discipulis fuit communicata: probat que exemplo Numer. 11. Vbi Eldad, & Meldad donum prophetandi acceperunt vna cum alijs septuaginta senioribus, quos Dei præcepto elegit Moyses ad gubernationem populi, quamuis absentes fuerint, & non in castris, sed in tabernaculo remanserint. Iam ergo vrget difficultas: nam si tunc temporis Thomas infidelis erat Magistro, ipsumque habebat infensum, quia resurrectionem non modo dubitabat, sed discredebat omnino: cur ad dignitatem eligitur? Crediderim quia eam merebatur: nam etsi à fide defecisset, tamen præ cæteris mortem subire pro Christo non dubitauit, siquidem aliquando suggerebat Discipulis: *Eamus et nos, et moriamur cum illo,* Ioann. 11. Audacter Ioann. 11. v. 16.

mor-

mortem despiciebat, & eam potius optabat, quam à consortio Magistri separari: hinc ergo quamuis absens esset, & infidelis ipsi, dignitatem tamẽ accepit, quia præclara ipsius merita ipsam exigebant: quandoquidem inimici male affecta voluntas non debet tollere, quominus ipsius merita ad bilances deueniant, & quod iure debetur, ipsi tribuatur.

367 Cum quæreret Saul asinas patris sui, in manus Samuelis incidit, cui Deus præceperat, vt illum vngeret in Principem populi, quia ipsũ in Israel regnare decreuerat. *Cũque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* 1. Reg. 6. Grauis hinc oritur quæstio, quomodo Deus Saulẽ ad regnum elegerit, quem rursus tanquam iniquum Principem ipsique infensissimum inimicum à regno exclusit, vt habetur infra cap. 13. *Nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Forte Deus ignorabat crimina, quę postea commisit, propter quæ merito eum à throno deposuit? Absit. Si ergo Deus futura peccata Saul præuidebat, & aliunde ex sua natura tenebatur ad optimum: cur impiissimum Principem eleuauit ad regnũ? Præstaret potius illum non eligere, quã postea à sublimi dignitate deijcere. Eadem quæstio redit de Angelis apostatis, de primo homine, de Iuda, & similibus, quos Deus adgratiam & dona superna elegit, cum tamen eius præscientiam non lateret, postea ab amicitia fore excludendos, & tanquã hostes relegandos. Optime Cassianus difficultatem soluit Collectan. 17. cap. 26. *De tot millibus Israelis elegit eum, et vnxit in Regem præsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futuræ præuaricationis intẽdens.* Dignus ob præsentis vitæ meritum regno erat Saul, ideo illum in Principem populi costituit, etsi futurus, imo in eius ęternitate prefens hostis, & inimicus esset, ne merita impræmiata remanerent: etsi postea in atrocissima delicta essent commutanda, ipsum præposuit, quia dignitas digno etiam inimico non est deneganda, nec esset æquum, propter peccata nondũ commissa præsens meritum præmio defraudare.

1. Reg. 9. v. 17.

Cap. 13. v. 14.

Cassianus

368 Darius quondam Rex super omnes satrapas regni sui, qui numero erant centum viginti, instituit Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, qui cæteros spiritu & sapientia superabat. *Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo.* Daniel. 6. v. 3 Vbi egregie Theodoretus verbum illud *amplior* ponderauit: nam dum in Daniele amplior Dei spiritus affuisse dicitur, in cęteris gubernationis socijs etiam affuisse pręsupponitur; quod tamen repugnantiam inuoluere videtur: nam si idolatrę erãt & Deo inimici, quomodo illos sui spiritus consortes effecit? Licet enim gratię gratis datę cum peccato non pugnent (vn tenet Theologorum schola) tamen dona hęc gratuita, quæ ad gubernationis munus pertinebant, & sub merito cadere videntur, non est cur Deus infensissimis hostibus præstaret. Audi Theodoreti solutionem: *Quia Spiritus Dei amplior erat in illo: hoc est, multo maiorem et copiosiorem à Deo gratiam accipiebat. Discimus autem ex hoc loco, iis, quibus ad vitam ciuium institutẽdam magistratus mãdatur, etiam si pietatis expertes fuerint, quoddam tamen sapientiæ munus ad subiectum sibi populum gubernandum diuinitus concedi: idque innuit B. Daniel, cum dixit, quia spiritus amplior erat in illo, hoc est, gratiam pietati proportione respondentem acceperat.* Ecce Deus notissimis inimicis, quia forsam dotibus naturalibus merebantur, spiritum & donum gubernandi concedit, & non obstante obiecta infidelitate illos suo spiritu imbuit. Imo Rex barbarus ipsum imitatur, Danielem prępones satrapis: *Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnũ.* Vbi Theodoret. *Intelligens illum esse virum Deo gratum, quique superna vi niteretur, omne ipsi regnũ administrandum concessit.* Seruus, captiuus, alienigena, & religioni cõtrarius, quia dignus

Daniel 6. v. 3.

Theodor.

Vers. 3. Theodor.

nus erat, etsi alterius professionis, præ cæteris regni Proceribus, ad dignitatem supremam euehitur, quia nō voluntatis affectu, sed rationis consilio ipsum elegerat. Ideo Propheta, vt à Deo hanc indignitatem relegaret, & quam alienum sit ab eo irasci, voluntatisque motus effrænare, & ad ipsius nutum præmia, aut supplicia dispensare, ipsum interrogat: *Nūquid in fluminibus iratus es Domine? Aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua?* Quasi dicat: Minime; cū omnia non pro libito, sed pro ratione gubernes.

ANNOT. L. XXXII. MORALIS.

CHRISTVS DOMINVS IN Ascensione docuit fideles palam agere de regno cœlorum.

369 IDEO Christus super equos ascēdere perhibetur ad cœlum, *Qui ascendes super equos tuos*, vt nos instruat palam, & sine pudore de regno, quod nobis præparare ascendit, agere, & non erubescere fidem corā omnibus profiteri, & virtutē sectari. Quod & ipse euentus docuit, nam vt Auctor est D. August in psalm. 54. Christus Dominus meridiano tempore cœlos ascendit, vt viam panderet, & vestigia sequēda demōstraret. *D. Aug.* *Vespere, et mane, et meridie enarrabo. Vespere Dominus in cruce: mane in resurrectione: meridie in ascensione.* Cum ergo coram omnibus Christus ascendat (nam qui meridie & super equū incedit, neminem latere potest) documētum reliquit, quomodo ad cœlum iter agere debeamus, non erubescentes nos Christianos esse, & de nostra nos agere salute. Sic vbi primo mundum condidit, dixit Deus: Germinet terra herbam virentem: *Et protulit terra herbam virentem &c. Et vidit Deus, quod esset bonum.* Genes. 1. v. 11 *Gen. 1. v. 11* Merito ambiges, cur in terra recenter nata dilaudet Moyses germinandi herbas, & producendi arbores virtutem; non vero id quod pretiosius habet, aurum scilicet, & argentum, pretiososque lapides, quæ in suis visceribus recluduntur. Audi Caiet. *Tacuit Moyses virtutes minerales inditas terræ, eo quod productio mineralis est occulta, sicut et gemmarum.* Glos. Interlineal. animam fructiferam bonorum operum in terra agnoscit, in qua id tantum laudandum, & commendandum esse videtur, quod fructiferæ operationis fructus palam proferat, neque erubescat recte operari, vt Deo Auctori laus & gloria tribuatur. Quæ recondita sunt, & verecundia includūtur, neque laude, neque pretio sunt digna. *Caietan.*

370 De amissione Sponsi, quem ardenter amabat, vehemēter dolebat Sponsa, ipsumque vt requireret, à domo egreditur. *Per vicos et plateas quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, et non inueni.* Cantic. 5. Mirum quod à Sponsa non inueniatur Sponsus, qui de se ipso ait Isaiæ. 65. *Inuentus sum ab eis, qui non quæsierunt me.* Cur qui omnibus obuiam fit, Sponsam quærentē fugit? Textus rationem innuit. *Inuenerūt me custodes, qui custodiebāt ciuitatem, vulnerauerunt me, tulerūt pallium meum.* Pallium abstulerunt custodes? Ergo pallio obuoluta Sponsū quærebat Sponsa? Ideo non inueniebat: fatetur ipsa. *Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Si ergo quamdiu pallio inuoluta incessit, Sponsum non inuenit; & vbi primum illo fuit spoliata, illico inuenisse fatetur, pallium proculdubio, quo obuoluta quærebat, in causa fuit, vt ab ea Sponsus inuentus non fuerit. Ita plane: nō enim gaudet Spōsus, clam & deuolute, sed publice & palā requiri; qui enim latenter quærit, de eius inquisitione dedignari manifestat, vnde dedignatur & ipse ab eo adinueniri. Ideo alibi suggerebat Sponsæ: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Cātic. 8. Ad quid eius signaculum super brachium effigiari iubet, cum vt præmiserat, super cor imprimi sufficere videatur? D. Ambros. lib. de his, qui diuinis mysterijs initiantur. *Non gaudet* (inquit) *Spōsus, quod* *Cantic. 3. v. 2.* *Isaiæ. 65. v. 1.* *Cantic. 5. v. 7.* *Cap. 3. v. 4.* *Cap. 8. v. 6.* *D. Ambr.*

quod tantum ametur ab Sponsa, sed etiã vt ab omnibus cognoscatur ab eadem amari: vultque, vt non erubescat Sponsa, neque dedignetur tantum habere Spõsum. In cuius consequentiam iterum dicebat: *Aperi mihi Sponsa mea, soror mea.* &c. Cantic. 5. quasi dicat: Mea es, sed porta obserata: aperi mihi, pande ostia, & reserata porta mea esto: cognoscat mundus, quod mea sis, quod me amas, neque erubescis me habere Sponsum. *Vult vt non erubescat Sponsa, neque dedignetur tantum habere Sponsum* ait Ambros.

371 Discipulis suis sic Christus affatur Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. v. 16. Ad quę verba D. Hilar. in Cat. D. Thom. *Tali etiam lumine monet fulgere Apostolos, vt ex admiratione operis eorum Deo laus impertiatur.* D. Hilar. Et consequenter Caiet ad eundem locũ: *Alterum præceptum est circa gloriam non prohibendo inanem gloriam (quæ à tanta perfectionis viris aliena supponitur) sed mandando modum, quo lucere debent: oportet enim vos lucere, sed modus lucendi sit iste: vanus esset finis iste lucendi coram hominibus, vt videant bona opera vestra, nisi huiusmodi visio esset vtilis, nisi comitem haberet vtilitatem glorificationis.* Hoc namque fidelibus inesse debet, vt palam omniumque in oculis diuino cultui mancipentur, quin de Christiano nomine pudore suffundantur: sed opera bona ita faciant, vt in eis gloriam ab hominibus non quęrant, sed Dei gloriam. Contra quod faciunt nõ pauci, qui erubescunt Deum palam quærere, bona opera facere, Ecclesias inuisere, Sacramenta frequentare. Hi profecto Deum non adinuenient, absconditur namque ille, & à talibus erubescit. *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Lucæ 9. v. 26. tales enim imitantur Nicodemum, qui, vt dicitur Ioan. 3. *Venit ad Iesum nocte.* Ioan. 3. v. 2. De quo recte D. Chrisostom. *Adhuc tamen Iudaica imbecillitate detinebatur: propterea et nocte venit trepidans in die hoc facere.* D. Chrisost. Qui Christum publice confiteri erubescit, ipsi negare cõuincitur. Futuræ negationis Petri præsagus dixit illi Iesus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26 v. 34. Quid est me negabis? D. August. tract. 113. in Ioan. *Ab eo negatur Christus, qui dicit eum non esse Christum.* D. August. At Petrus nunquam negauit Iesum esse Christum, & Dei Filium; sed negauit tantum se hominem illum nouisse, se in horto cum eo fuisse, se ex Discipulis eius esse: non enim idem videtur negare suum Magistrum esse Christum, & se esse Christi Discipulum. Quomodo ergo Christus dixit, Petrum ter illum esse negaturum? Difficultatem egregiè solvit citatus August. *Dominus non ait Petro: Discipulum meum te negabis, sed me negabis; negauit ergo ipsum, cum se negauit esse Discipulum.* Idem. Erubescit Petrus se Christi Discipulum fateri, & huiusmodi erubescentia & timor negatio Christi à Christo merito appellatur: nam quem pudet Christi esse asseclã & Discipulum, planè Christum negare conuincitur. Vnde dixit Ioan. 12. *Iesus autẽ clamauit, et dixit: Qui credit in me, nõ credit in me, sed in eũ, qui misit me.* Ioan. 12. v. 44. Cur valida voce clamat, dũ de sua loquitur fide? Cyrill. apud Maldonat. *Ideo clamasse dicitur, vt indicaret, nolle se occultè et timide ab hominibus coli.* Cyrill. Docens nos Christus quid facere, quomodo fidem nostram profiteri debeamus, non obscure, non timide, sed clara & animosa voce clamat. Hoc inquam clamare facit Christum, nam raro latet in corde, quod voce non depromitur.

372 Gratitudine obstrictus Elias erga suum discipulum Eliseum, dum raptus instabat in cœlum, ipsi suggerit, vt quidquid exoptat, confidenter petat, nam in amoris pignus illud præstare pollicetur: à quo Eliseus duplicem spiritum expostulat: *Fiat in me spiritus tuus duplex.* 4. Reg. 2 v. 10 Annuit Elias, & dum in cœlum rapitur, pallium emittit: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* 4. Reg. 2. v. 6. Non videtur

Vers. 13.

Elias

Elias id Eliseo præstare, quod promiserat: non enim Eliseus pallium, quo operiretur; sed spiritum petijt, quo se ardentiorem faceret, & ad munus, quod gerebat, aptum. Si ergo spiritū non mittit, ad quid pallium proijcit? Et si spiritū; superuacaneū erit palliū ei qui duplicem spiritū exoptat. Etenim spiritū mittit Elias: et vt mittat, opus est etiā pallio. Nō petit Eliseus, vt in pectore eius Eliæ spiritus requiescat? Vtique. Si ergo pectus hunc spiritum fouere debet, hoc pallium Elisei corpus inuoluet: impossibile namque est, hunc spiritū in occulto esse, quin in publico appareat. Præclare Lyra commentatur. *Non à casu accidit, sed ex diuina ordinatione, vt Eliseus ipso operiatur in signum, quod spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Non otiose pallium mittit Elias, cum spiritum tribuit Eliseo, quoniam nemo crederet, spiritum habere, si pallium non videret. Etenim quod Eliseus spiritū habeat Eliæ, & hunc duplicem, & quod in exteriori nihil agnoscatur, nihil exundet, non apparet possibile: nam vt dicitur Prouerb. 6. *Quis potest ignem abscondere in sinu, quin vestimenta eius ardeāt?* Aliquid ergo Eliæ palam videatur, si intus Elię spiritus futurus est, vix enim interiori exterius non respondet: ideoque pallium dat Elias, dum spiritum mittit, quia ille spiritus clam esse non potest, quin aliquid Eliæ palam etiam appareat. Qui igitur erubescit Christianus videri, vix talis debet iudicari. Contra hos autē timidos Christianos grauiter inuehitur D. Cyprianus, quasi cōtra iniuriātes religionem & fidē. *Blasphemiam ingerit religioni, quam colit, qui, quod profitetur, publice non ante omnes impleuerit.* Ideo Iob, qui de sua fidelitate erga Deum gloriabatur, dicebat: *Iustitia indutus sum, et vestiui me sicut vestimento.* cap. 29. v. 14. Hebræus vertit: *Induit me sicut pallium.* Cur iustitiam pallio confert, non alij vestimentorum generi? Pulchre Caietanus locum versat. *Iustitiam actionū suarum iudicialium dicit non fuisse occultam, sed manifestam, assimilando eā supremo indumento, quod vocatur pallium: vestis enim sub pallio non patet; sed pallium ipsū patet omnibus. Et hinc discant Principes, non sufficere in iudicijs iustitiam, sed oportere iustitiam, esse manifestam publice, propterea enim Iob dixit vtrumque: quoad se quidem, Iustitia indutus sum; quoad publicum vero officium, Et induit me sicut pallium.* Non sat est, quod iudex iustus sit, nisi iustus videatur: non sat Christianum esse, nisi publica opera Christianum persuadeant. Sic capit Chrysostom. hom. 70. in Matthęum & hom. 24. in epist. ad Roman. illud Apostoli *Induimini Dominum Iesum Christum. Christum* (inquit) *induamur, cumque illo perpetuo simus, quandoquidem istud demum est indutum esse, nunquam ab ipso deseri, ipsumque vndique in nobis per nostram sanctimoniā, mansuetudinēq; conspicuum esse.*

Lyra.

Prober. 6. v. 27.

D. Cypr.

Iob 29. v. 14.

Caietan.

374

D. Chrys.

Exod. 4. v 24. egreditur Moyses de domo soceri sui cum filijs & vxore: *Cumque esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum.* Grauem absque dubio culpā commiserat Moyses, quam Angelus tam acerbo supplicio plectere tentabat. D. August. quæst. 16. ex veteri testamento huius comminationis causam assignat. *Pergebat itaque ad filios Israel missus à Deo Abraba, et signum iustitiæ non ferebat, in quo gloriari sciebat Iudæos: idcirco sic infensum Angelum in se vidit Moyses, et paratum ad vindictam.* Circunciſionem filij propter socerum, & vxorem distulerat Moyses, quoniam tanquam cultores alterius religionis sanguinem infantum effundere ægrè ferebant. Cum ergo iudicasset, pro tunc circunciſionis filij desiderium tuffeciſſe, eò peruenit vt moreretur, quoniam cum illius populi sanctitas & virtus, religioniſque character esset circunciſio, non erat ab oculis occultanda, intus tantum latens in præparatione animi, sed exterius collucens, & exercita: quia quę ad religionem, & virtutem pertinent, non sunt occultanda, sed detegenda. Vnde recte dixit Tertulianus de cultu fœminar. cap. 13.

373

Exod 4. v. 24.

D. Augus.

D. Maxi. Psal. 102 v. 5.

Tertul.

Bonum

Bonum autem dumtaxat verũ et plenũ non amat tenebras; sed gaudet videri, et ipsa denotatione hic exultat.

ANNOT. LXXXIII. MORALIS.

CHRISTVS PLVS QVAM MORtem, suos relinquere ægre tulit.

374 TRadunt rerũ naturalium Scriptores, aquilam cum aduolat, vt sibi & pignoribus suis escam requirat, pigris volatibus moueri, quia filij, quos semper respicit, ipsam reuocant, & eorum amor non patitur, ab ipsis sine ingenti dolore recedere. Haud aliter Christus in recursu ad Patrem filios, quos relinquebat in terra, & habebat charissimos, respiciens, tardigrado cursu, & vehementi dolore ab ipsis fuit auulsus, quia ipsorum dilectio illum retardabat, & reuocabat ad terram. Quod pulchrè cecinit nescio quis.

Ales sacra Iouis cunctisque velocior Euro,
Dum in nido linquit pignora, tarda volat.
Ardeolam sequitur, prædam quam concupit ipsa:
Aſt sobolis magno pondere fessa vadit.
Vertit iter quondam, venit quo Christus, olympi
Atque sua in terris pignora chara videns,
Tardigradus cœlũm scandit vel visere Patrem:
Dilectam in sobolem sic grauat eius amor.
Non aquila vt volitat, volitare vt struthio tentat:
Supprimit aſt alas eius amoris onus.

D. Maxi. Psal. 102 v. 5. Idem ferè habet D. Maximus hom. 2. de Pentecoste, vbi afferens illud Psal. 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, sic aquilę ingenium & naturã ad Christum inflectit. *Sicut aquila humilia deserit, alta petit, cœlos ascendit: ita et Saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petijt, fastigia penetrauit. Sed quid faciemus, quòd aquila prædam frequenter diripit? Nec in hoc dissimilis est Saluator: prædam enim sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum, sicut scriptum est ad Ephes. 4. vers. 8. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Ideſt humanitatem, quam assumpsit, captiuam portauit in cœlum. Sed quomodo humanitas Christi captiua dicitur, dum ad cœlum pergit, & homo in superna raptus? Nimirum: quia quodammodo violentiam patiebatur Christus, dum suos relinquebat in mundo. Sic etenim vbi expletæ fuere exequiæ, quas Ioseph pro parente emortuo celebrauit, loquutus est ad Pharaonis familiam: *Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: Eo quod pater meus adiurauerit me dicens: En morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac reuertar. Dixitque ei Pharao: Ascende et sepeli patrem tuum, sicut adiuratus es.* Genes. 50. vers. 4. Iurauerat namque Ioseph patri suo Iacob [vt constat ex cap. 47. Genes.] ipsum sepelire in terra Chanaan, *Iura ergo mihi* &c. Mirum tamen est, quod opus fuerit iuramento, vt egrederetur ex AEgypto, maximè ad patriam rediturus. Tam exosum habebat Ioseph patrium solum, quod necesse fuit, vt eũ pater sub iuramento adigeret? Ita equidem: nam tunc temporis tanto amore erga AEgyptum affectus erat Ioseph, vbi Prorex erat, & summam omnium rerum gubernabat, vt difficulter ab ea egredi pateretur, nisi patris obedientia ipsum compelleret: ideoque ad AEgyptũ redire pollicetur, quia ibi mori cupiebat. Non aliter Christus Dñs tanto erga homines afficiebatur amore, tam vehementi flagrabat desiderio nõ discedẽdi à terra, vbi Sponsam humanam naturam, & natos relinquebat; vt nisi Patris obedientia ad cœlos ascendere adstringeretur, in terra apud homines perpetuo remaneret. Ideo Iob huiusmodi obedientiam intendens

Genes. 50 v. 5.

Genes. 47. v. 31.

Iob. 39. v. 30. dicebat: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila?* cap. 39. Quasi nunquam eleuaretur ad cœlos, nisi paternum instaret præceptum. Huc respicit, quod aduertit Historicus sacer Lucæ vltimo, nempe ex monte *Lucæ 24. v. 50.* Oliueti Christum ascendisse, qui erat iuxta Bethaniam: *Eduxit foras extra domum, in qua pransi erant, et extra ciuitatem in Bethaniam.* Vbi merito ambiges, cur Dominus non ex cœnaculo cœlos ascenderit, aut ex Bethleem, vbi primò fuit exceptus ad terram veniens, aut ex templo, alioue loco; sed Bethaniam elegerit. Etenim causam fuisse opinor, quia *D. Bern.* Bethania (vt auctor est D. Bernard. cap. 13. ad milites templi) *domum significat obedientiæ.* Voluit ergo Dominus Bethaniam eligere, & exinde ad cœlos abire: vt ostenderet, non libenter, sed obedientiæ præcepto coactum & adstrictum cœlum ascendisse: nisi enim interuenisset Patris mandatum, à charis pignoribus, quæ in terra relinquebat, nunquam discederet. Hoc ipsum significant verba illa *Marc. 16 v. 19.* Marci *Et Dominus quidem Iesus assumptus est in cœlum.* Quasi non spõte iret, sed portaretur inuitus: non quia portitoribus egeret ales Christi virtus; sed vt innuat, quantum hominum consortio gauderet, à quo non tam abijt, quam difficulter obedientia Patris compulsus assumebatur.

375 Hanc quasi renitentiam, quæ ab hominum amore procedebat, ostendunt vestigia Christi Domini impressa & relicta in petra, in qua Christus pedes fixit, dum cœlos ascendebat: videtur namque Dominus vim feciisse, cœloque restitisse pedibus terræ adhærens, ne eleuaretur, taliter vt per ipsammet petram ingrederentur: quando vero iam præualuit, & in aerem illum sustulit obedientia, pedum vestigia in lapide reliquit in amoris ac renitentiæ monumentum. Quod autem sacra vestigia in lapide remanerent impressa, affirmat D. Hieronym. de locis Hebraicis *D. Hiero.* his verbis: *Mons Oliueti ad orientem Ierosolymæ est fluente torrente Cedron, vbi vltima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur: cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt.* Crebro renouantur, & insculpuntur vestigia Christi Domini, ac si hodie eandem quasi violentiam patiatur, & vt hoc maximum amoris signum nunquam possit aboleri. Arcanè hanc Christi erga homines beneuolentiam, & in eius transitu doloris notam prædixit Dauid, nam de illo loquens aiebat: *Sicut vmbra ablatus sum, et excussus sum sicut locusta.* Psalm. 108. Quid est sicut vmbra? Geneb. ibi: *Cum sensim minuitur, mox tota euanescit.* Sic Christus Dñs paulatim ab oculis Discipulorum eleuatus est; aduenientе vero nube, à qua fuit susceptus, totus ab eorum oculis euanuit. Sic tenet Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 49. quæst. 2. articul. 3. & recte colligit ex sacro textu Actor. 1. *Videntibus illis eleuatus est. Non enim [inquit] poterat videri ascendens, nisi paulatim, et visibiliter moueretur.* In ipso enim cursu renitentiam exprimebat, atque ita sicut vmbra sensim disparuit. In locusta vero Redemptorem agnouit Diuus Gregorius libr. 31. Moral. expendens illud Iob *Numquid suscitabis eum quasi locustas? Locustæ nomine,* ait, *per comparationem Redemptoris nostri resurrectio designatur: vnde et voce eius per Prophetam dicitur: Excussus sum sicut locusta Psalm. 108. Temni enim à persecutoribus vsque ad mortem pertulit: sed sicut locusta excussus est, quia ab eorum manibus saltu subitæ resurrectionis euolauit.* Quod nõ inuenustè de Christo ad cœlos remeante potest accipi: vt enim locusta, quamuis perniciissima sit, subito saltus præstat, sed protinus ad terram cadit, & iterum opus est, vt è terra euolet: sic Christus Dominus per totum eius vitæ curriculum ab hominibus quasi locusta fuit excussus: at dum scandit cœlum, amoris pondere in terram cadit, & præcepto

Psal. 108. v. 23.

Suarez.

Actor. 1. v. 9.

D. Grego.

atque

atquè abiuratione Patris velut alter Ioseph opus fuit, vt è terra, & à sua gratissima prole euolaret.

376 Pulchrè id ipsum dixit August. lib. de essentia Diuinitatis explicãs illud *D. Augus.* Psalmi. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Filius Dei* (inquit) *carnem de nobis assumptam in cœlum velut captiuam duxit, sicut est in Psalmo: Captiuam duxit captiuitatem.* Alludit perbellè S. Pater ad id, quod cõtingit, quãdo capta præda nauis piratica è portu soluit: tunc namque ingens captiuorum dolor auditur: illic patrios respectant campos, amoreque cognatorum corda natorum figuntur in portis: multoties ad fugientia littora intorquent oculos, medullitus arenis patrijs adherentes non vltra videndis, vt in simili euentu dicebat Virgil. lib. 2. *Psal. 108. v. 23.*

Virgilius. *Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,*
Nec dulceis natos, exoptatumque parentem.

Suarez. Et Ouid. lib. 1. de tristib. eleg. 3. *Actor. 1. v. 9.*

Ouidius. *Iamque oculus nunquam templa videnda meis.*

Ibi amarissimæ effunduntur lacrymæ vt cum Aeneas ab amicis & conciuibus discedebat.

Hos ego digrediens lacrymis affabar abortis.

D. Grego. Vsque dum a lite nauis cursu occultantur. Sic ait August. captiuæ instar Christi humanitas in cœlum ferebatur à suis, à patrio solo auulsa, eo amore, eo viscerũ põdere in amatã sobolẽ in terris relictam propendens, vt in aperto cœlo, clara luce, in conspectu omnium raptim, & vi assumpta videretur. Quod & Propheta noster venustè innuit: *Qui ascendes super equos tuos, et quadriga tua saluatio.* Hic v. 8. nam qui quadriga & equis fertur, potest non libenter portari, vt Christo Domino apparet contigisse.

377 Elegans pro hac re est ille text. Matth. 25. *Homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, et tradidit illis bona sua, et profectus est statim.* Quẽ Auctor Imperfecti hom. 53. in Matth. ad Christũ in gloriosa ad Patrẽ ascensione inflectit. *Ad Patrem iturus peregrè se ituũ dicit propter charitatẽ Sanctorũ, quos relinquebat in terris: diligebat enim magis suos, quam gloriam suam, et ardebatur maiori dilectione suorum, quã gloria, quam habebat in cœlo.* Etenim quãdo Christus ad Patrẽ & gloriam suã iter agebat, dicit se ad peregrinandũ ire. Ast quã patriã habebit, qui patriã exiliũ reputat? In terra enim peregrinabatur Christus iuxtã id Psalm. *Incola ego sum in terra.* Cũ vero ad Patrũ redit, ad naturalẽ patriã, vnde venit, reuertitur. Quomodo ergo peregrinationẽ agere dicit, cũ ad patriam reuocatur? *Peregre proficiscẽs*: sic enĩ explicãdus est Auctor Imperfecti. Suspicor, quia magnus amor patriã mutat, exiliũ in patriã reddit, patriãq; in exiliũ. Videbis hominem, qui (quia refert) ad alienã terrã pergit, vbi amore captus vxorem duxit, filios procreauit, familiamque habet numerosam; postea vero opus fuit, ad patriam vnde venit reuertere: profecto si Spõsam & sobolem secum non adducat, sed solus pergat, nõ minus est illi quã ad peregrinandũ ire, quia iam alienã terram commutauit in patriam. Factus homo venit Christus in terram, nostrã assumpsit carnẽ, cum Ecclesia se se sponsauit, filios, ac Discipulos acquisiuit pignora sui amoris charissima: quando ergo oportuit ad Patrem redire, ad peregrinandum ire dicitur, quoniam magis filios, quos in terris relinquebat, amabat, quam gloriam, quam sperabat in cœlis. Neque hoc nouum videatur, quandoquidem magis illos, quam se ipsũ dilexit, si quidẽ pro illis vitã dedit, vt dixit August. *Dilexisti me plus quã te, quia mori dignatus es pro me.* *Imperfec.* *Psal. 118. v. 19.* *D. Augus.*

ANNOT. LXXXIV. MORALIS.

QVANDOQVE DISSENSIONES bonæ et optimæ Reipublicæ.

NON semper diuisiones ab odio generantur: multoties Charitas illas fouet, vt dixit D. August. Epist. 87. *Dissensiones nunquam* 378 *D. Augus.*

debent amari: sed aliquando aut Charitatem probant, aut à charitate nascuntur. Vt enim periclitatur nauis, si omnes in idem latus inclinent, & alijs alio inflectentibus optimè libratur: sic dissensio inter Gubernatores aliquãdo tutiorem reddit rempublicam, vt optime dixit Erasmus. *Vt periculum erit, si omnes inclinent in idem latus nauis; sed alijs alio inflectentibus nauis optime libratur: sic dissensio inter Rectores tutiorem reddit statum ciuitatis.* Sique pondera in læuam & dextrã tendãt, incolumis nauis viam peragit. Sæpe verbi discrimina vtilia sunt. Quo spectat illud Salustij in bello Iugurtæ. *Inimicitiæ priuatæ aliquando reipublicæ prosunt.* Cum enim mali ad ingẽs aliquod nocumentum reipublicæ conspirant, & conuentione facta in publicum bonum insurgunt, illorum vires disiungere, vt seorsim facilius superentur, sanum erit consilium. Sic enim apes abactę, & ab alueatibus fugientes quiescunt, nam sparso puluere inter tumultuantes earum turmas, diuiduntur, & placantur, atque ad proprium domicilium reducuntur. Vnde Virgil. in Georg.

Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

Fuit, qui consuleret Tiberio, vt Consiliarios & Magistratus inter se oppositos eligeret, vel iam electos arte & industria discordaret, vt veritus quisque inimici oculos, à prauis consilijs abstineret, ne vindictę, & insimulandi occasionem præberet hosti. Drusus (vt refert Tacitus lib. 1. historiæ) tumultuantes legiones sedauit, eas in longissimas partes diuidens. *Longis spatijs discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitijs, nec viribus miscebantur.* Solertissimus enim dux, vt vnam conspirationem extinguat, aliam fouet, vt dicebat D. Chrysostom. *Dux ad soluendam militum conspirationem alterum in alterum concitat.* Vnde idem Tacit. lib. 2. hist. *Remedium tumultus fuit alius tumultus.* Vbi primo Deus mundum condidit, lucem, quam maligno tenebrarum consortio vitiari verebatur, ab ipsis separare curauit: *Et diuisit lucem à tenebris.* Genes. 1. Non puduit ipsum amica lucis & tenebrarum fœdera disrũpere: quia sicut inter bonos discordiã semi nare iniquũ est; ita inter malos, qui ad noxia scelera conueniunt, bellum introducere, vt dissipentur eorũ praua consilia, charitatis est apex. Neque enim Deus tenebras solum à luce segregauit, vt dies nocteque discriminarent, sed loco etiam tenebras à luce disiunxit, ne malignum tenebrarũ contagium in lucem serperet, eamque vitiaret. *Posset tamen dici, eum lucem à tenebris loco diuisisse, vt scilicet lux esset in vno, tenebræ vero in altero Hemispherio*: ait Oleaster. Et Philo libr. de mund. opific. eandem diuisionem expendens dicebat: *Alioquin propter vicinitatem inducturæ erant confusionem contentionibus de principatu mutuis, pertinaci ambitione luctã appetentia.*

Post glorioſum Christi ascensum in cœlũ, Spiritum Sanctũ, quẽ erat pollicitus, super Discipulos suos misit, qui charismatibus supernis eos repleuit, & in linguarũ specie visibiliter apparuit. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquã ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperũt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Actor. 2. v. 3. Quid est dispertitæ linguæ? Caiet. *Significat diuisas linguas fuisse in forma ignis.* At quis credat, etsi oculis cernat, Spiritum Sanctum vt diuisiones inducat, aduenisse? Præstaret sub vna lingua apparere, vt spiritus & doctrinæ vnitas ostendatur. Qui virtute superuenientis Spiritus Sancti erant repleti, linguarum contrarietatem experiuntur? Charitas enim, quæ in Discipulorum corda erat diffusa, non nisi vnicam habet linguam. Vt quid igitur sub diuersis exterius videtur? Audi Caietan. *Ne quis quæreret, cur iste tali lingua modo, et modo alia loqueretur, præueniendo dicit, quod loquebantur varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis: in*

Eraſmus.

Saluſtius.

Virgilius

Tacitus.

D. Chryſ.

Tacitus.

Oleaſter.

Philo.

379

Actor. 2. v. 3.

Caietan.

Idem.

quo etiam materiam loquelæ descriptam intellige: cœperunt scilicet loqui alijs linguis, non vna; sed quod Spiritus Sãctus suggerebat illis. Ecce quomodo in vnitissima communitate ex charitate orta reperitur dissensio, & vnusquisque diuersa lingua vtiliter potest loqui, dummodo quod dicitur, *Dei* sit, & ab Spiritu Sancto suggestũ. Multoties expedit in republica diuersa lingua loqui, & ab illis dissentire, quorum placita in nocumentum vergũt communitatis. Nõ vna, sed diuersis linguis loquuntur Apostoli ab Spiritu Sãcto inditis: omnes tamen quod Spiritus Sanctus ipsis dictabat. Licet diuersæ essent linguæ, vna tamen erat doctrina. *Cæperunt scilicet loqui alijs linguis, non vna; sed quod Spiritus Sanctus suggerebat illis.* Etenim sicut cõcordia in bono bona est; ita & discordia in malo.

380 Daniel. 10. vers. 13. dicebat Angelus Danieli: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et vno diebus: et ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Addubitant Interpretes, cur Persici regni Princeps, id est, Angelus, cui custodia Persiæ erat commissa, contentiosè resisteret ei, qui pro populo patrocinium susceperat: nam perturbationibus Angelorum naturam non esse obnoxiam, vtpote sanctitatis & pace plenam, cuiuis perspicuum est, & diuinis Dei nutibus obtemperare sine vlla controuersia vsquequaque licet intelligere. Quomodo ergo Israelitarum tutulæ aduersari videbatur Persarum regni Princeps Angelus? Quomodo inter sanctos Angelos discordia absque indignitate & culpa inuenitur, maximè ex parte eius, qui populo Dei bellum inferebat? Auscultа Theodoret. orat. 10. in Daniel. *Persarum Princeps, et Princeps Græcorum, hoc est, ij, quibus eorum custodia et cura commissa est, necessario vtpote in eos beneuolentia affecti, quorum tutelam habebant, cum cernerent ipsius Israelis iniquitatem, ægrè ferebant, siquidem videbant ipsos maiores prouidentiæ fructus ferre: nec enim nouerant in Deo, qui omnia creauit, occultum mysterium.* Cum enim oraret Daniel, vt Iudæi omnes Persidem, & Babyloniam relinquerent, & in Ierosolymam reuerterent, & Angelus præpositus Israelitico populo eius preces Deo offerret, resistebat ei Angelus custos regni Persarum, quia videbat ex mansione filiorum Israel in illo regno magnam vtilitatem esse Persas recepturos, multi enim ex illis ob Hebræorum familiaritatem & doctrinam ad fidem vnius Dei, verumque diuini numinis cultum conuertebãtur. Quamobrem Deum obsecrabat, vt in illo regno permanerent Hebręi: atque ita Angelus vnus sanctus sancto alteri Angelo resistebat, magnumque dissidium erat inter ipsos: discordabant enim eorum intellectus, & contrarias preces iugiter fundebant. Verum hæc dissensio ex charitate erga populos sibi cõmissos oriebatur: multoties enim charitas lites fouet, vt damnum reipublicæ impendens euertatur: vt qui à via Dei, & ratione recesserunt, ad meliorem reducantur frugem.

Daniel. 10 v. 13.

Teodoret.

Hinc Paulus monebat Corinthios: *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, sed in deterius conuenitis.* 1. Corinth. 11. vers. 16. Præceperat, vt mulieres detecto capite publicè orarent, aut prophetarent, & hoc ipsum non laudare ait. Verùm cur nõ laudat, quod præcipit? Auscultа Caiet. *Cum essent vituperandi, parcè loquens Paulus dicit: Non laudo: vituperio enim dignum est conuenire in vnũ in deterius; cum conuentus ad augmentum boni, aut saltem ad conseruationem ordinetur.* Consensus enim & cõuentio in bonũ laudabilia sunt; in deterius verò vituperanda, ac per consequẽs dissoluenda: nã cõtrariorũ eadẽ est ratio. Si non licet huiusmodo cõuentiones in malum facere, eas dissipare licebit, & introducta diuisionẽ extirpare: hoc enim quod in pernicie

381

1. Corint. 11. v. 16.

Caietan.

impiorum, in publicam Reipublicæ redundat vtilitatem. Hinc enim Vates noster, quasi magnum beneficium Deus populo suo prestaret, scissuras & diuisiones in fluuios introducens, id refert: *Fluuios terræ scindes.* Hic v. 10. Nam aliquando diuisiones populo perutiles sunt.

ANNOT. L. XXXV. MORALIS.

MALA FACERE, ET QVERI Potentiorum est ingenium.

382 QVASI potestas ius esset ad iniustè opprimendum, nullumq; habeat vexatus, vt de damno sibi illato conqueratur, voces, quibus attemperatur dolor, ipsi prohibentur, & damnum inferens conqueritur, ac si illud accepisset, remediumq; miseris concessum exhalandi per os dolorem interiorem præcordia comprimentem ipsis denegatur. Offensus enim absque ratione sensus nihil nisi vocem pro leuamine habet, vt dicebat Cassiodor. *Læsus animus vociferatione pascitur.* At neque hoc inualido pauperi licet, nam & potentiam & querelas sibi vsurpat, qui fortunæ fauoribus innitens in inermes inuehitur pauperes. Abraham Dei mandato parens, promissaque accipiens, patria relicta propter famem, AEgyptum ingressus vxorem suam vocat sororem, quam Pharao abstulit; flagellatus tamen à Deo ipsā restituit, & de deceptione conqueritur, quasi grauiter esset offensus. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum eius propter Sarai vxorem Abraham: vocauitque Pharao Abrahā, et dixit ei: Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti, quod vxor tua esset?* Genes. 12. v. 18. Sine causa conqueritur de Abraham, qui propter iniustum Sarai raptum in seipsum debebat querelas intorquere. Fortè Abraham iniuriam intulerat Pharaoni? An Pharao Abrahamo, cuius mulierem subripuerat, & sublatam adduxerat in domum suam? Cur ergo queritur, cum potius Patriarcha, qui læsus erat, conquerendi haberet ius? Sic D. Chrysost. homil. 57. in Genes. Abrahami nomine: *Ego ne tibi feci? Ipse magna mihi fecisti.* Si ergo Pharao iniuriam intulerat Abrahamo; cur de illo, quasi iniuria esset affectus, conquestus est? Nisi quia potentiorū genium est, & iniurias inferre, & querimonias sibi arrogare. Nec voces quidem in subsidium læsi animi relinquunt: mala, quæ moliuntur, & inferunt, quasi in se facta existimant: ius lædendi, & conquerendi sibi vsurpant; & ille ipse, qui iniuriam intulit, querelas effundit.

383 2. Reg. 10. misit Dauid ad consolādum Chanum de morte patris sui legatos; ille autem Principum suggestione & consilio, sine pudore, & cum magna mittentis iniuria nuncios tractauit: rasit namque dimidium barbę eorum, illorum vestes vsque ad eorū nates præcidit, & sic impudenter ad Dauid remisit. Viderunt autem Ammonitæ, quod immeritò iniuriam Dauid fecissent, & pro pijs erga ipsos officijs grauissimam offensam repēdissent. At quid tunc faciunt, vt Regem infensum placent, illique vt par erat, satisfaciant? *Miserunt* (inquit text.) *filij Ammon, et mercede conduxerunt Syrum Robob, et Syrum Soba, viginti millia peditū, et à Rege Maacha mille viros.* Quod arma præparent, vt à Rege offenso se defendant, non miror, quandoquidem intelligere debebant Ammonitæ, Dauidem de offensa sibi iniustè illata sumpturum vindictam, non enim tam impudens delictum poterat dissimulari, nam irreuerentia in regios ministros celerem exposcebat vltionem. Verùm quòd se arment, vt lacessitum Dauidem adoriātur, hoc valde miror. Si Dauid iniuria erat affectus, cur arma conuocāt, vt in ipsum irruant, quasi ipsi iniuria afficerentur, & de damno illato apud exteros Reges conqueruntur, vt in auxilium prouocent? Prestaret potius scelus grauissimum contra ius gentium honestare, quam querimonijs in pium Principem insurgere, & arma contra ipsum mouere. *Non solum*

Cassiodor.

Gen. 12. v. 18.

D. Chrys.

2. Reg. 10. v. 6.

Caietan. lum (ait Caietan.) *iniuriam intulerũt, sed et bellum addere curauerunt.* At hoc potentiorum & fortunæ beneuolentia turgentium vitium est, alijs nocere, & de nocumento conqueri, quasi in ipsos inflecteretur. Non solum Ammonitæ fidem cum Principe vicino fregerunt, irreuerenter ipsius nuncios nudauerunt, & ad præsentiam Regis miserunt; sed querimonias, quæ ipsis competebant, sibi arrogarunt, & damno illato bellum addidere.

384 Miserat Nabuchodonosor Rex Assyriorum legatos ad fere omnes populos orientalis plagæ, vt tributa sibi exhiberent, alioquin vexationibus opprimendi: quod cũ vno ore omnes contradicerent, & legatos vacuos remitterent: *Tunc* (inquit textus) *indignatus Nabuchodonosor Rex aduersus omnẽ terram illam, iurauit per thronũ, et regnum suum; quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Iudith. 1. v. 12. Anno vero tertiodecimo imperij sui congregauit omnes satrapas & principes, ipsisque proposuit, cogitationẽ suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio, seque defenderet ab illis populis, qui tributa soluere renuebant. Expende verborum seriem, & proprietatem: populorum namque expugnationem defensionẽ suam vocat: & cum iuste illi tributa denegarent, se ab illis eripere tentat, quasi aduersus illũ rebellarent. Etenim populorum nullus offendit Regẽ: sua iura & priuilegia tuebantur, quæ Rex violare prætenderat: dubio absque ipse populos offenderat, cũ absque vlla ratione à non subditis munera & tributa extorquere voluerit. Cur ergo se defendere dicit, *Quod defenderet se de omnibus regionibus his*, cum ipse populos offendisset? Opinor, quia potentes, qualis erat Nabuchodonosor, non solum arbitrantur, iniuriam inferre sibi licere, sed de illata conqueri. Populorum clamores, quos pro iniusta vexatione dabant, offensã reputauit, & imputauit ad culpam: quasi misero oppresso nec vocem liceat contra offensorem emittere; & tyranno oppressori omnia expediant, ac si potentia ius esset delinquendi, & conquerendi.

Iudith. 1. v. 12.

Sistitur Christus ad tribunal Pilati, 385
& cum nihil responderet ad ea, quæ iudex interrogabat, dixit: *Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* Ioan. 19. v. 10. Quoties Christi innocẽtia vexata tacuit, & siluit offensa? Et vt semel iudex se suspicatur offensum, (quasi Christi taciturnitas crimen esset grauissimum) ipsum reprehendit, & queritur, ac si iniuriam maximam ipsi intulisset. Licet iudici vexare innocentem; & innocenti tacere non licebit? Vtquid queritur Pilatus, dum male agit, & absque vlla causa Christum damnat, de ipsius silentio? Quia hęc est impudentia potentioris iniurias fulminantis, de illis, ac si ipsum lederent, conqueri: quia credit, quod sibi licet nocere, etiam de eo, qui iniustè patitur, querimonias habet. Audi Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Vsurpas, ò homo, potestatem quam non habes; cum Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatẽ. Audi quid iustitia dicat: Non possum à me facere quicquam. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Potestatem habeo crucifigere te* &c. *Mala potestas, licere quod noceat.* Nec vox quidem relinquitur afflicto, quia pro iniustè nocumento illato nemo potest conqueri; & iustum iniuste opprimere potentior reputat sibi licere: subindeque querulas voces adimit oppresso, quas sibi arrogat. Sane aliter Deus, qui vbi naturalia rerum iura rescindit, vt ipsi tanquam supernaturali agenti pareant, voces liberas relinquit, vt conquerantur, sicut maris, ac Iordanis vndis contigit: nam contra naturalem suam inclinationem stagnatæ & diuisæ gemitus & suspiria dedere. *Fluuios scindes terræ: viderunt te, et doluerunt montes: gurges aquarum transijt. Dedit abyssus vocem suam.* Hic v. 10.

Ioan. 19. v. 10.

D. Ambr.

***

ANNOT. LXXXVI. MORALIS.

RESVRRECTIONIS CHRISTI Domini luces et vmbræ traduntur.

386 CVM Resurrectionis mysterium omnium fidei sit maximũ, omniumque vtilissimum: nam vt dixit Paul. 1. corinth. 15. *Si Christus nõ resurrexisset, inanis est fides nostra:* ipsum in veteri lege pluries adumbratũ inuenies, in ipso enim mundi nascẽtis exordio tanti Sacramẽti reuerberauit figura. Nam postquam Deus terram operuit exundantibus aquis, ipsas in vnum locum conuenire præcepit, vt terræ faciem florida amenitate & varietate fructuum decoraret *Cõgregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, et appareat arida* Genes. 1. Cur terram aquis primo opertam postea undata facie apparere præcepit? Etenim vt à sepulchro, in quo iacebat, resurgeret, & ipsius Conditoris resurrectionem, in qua glorioso triumpho à funere surrexit, delinearet. Audi Anastas. Sinait. lib. 3. in Examer. *Cõgregetur aqua, quæ est sub cœlo, in vnam fidei congregationem, appareat arida, germinet terra herbam virentem: tertio autem die ex profundo profert terram Deus, prius apertè describens Christi trium dierum ab inferis resurrectionem, et terram geni a nostræ naturæ, et sic apparuit arida accipiens radios cœlestis Solis.* Tertia die à sudario aquarum, in qua fuit inuoluta terra, denudata apparet, excutitque funeris exubias, vt Christi, qui eamdem terram assumpsit, resurgentis gloriam demonstret. Idipsum pensitauit idem Sinaita lib. 7. auersionem expendens, quam Deus erga Iudæorum sabbata manifestat Isaiæ 1. *Sabbata vestra odiuit anima mea.* Si sabbata Deus sanctificauit, sibique sabbatum in requiem delegit: quomodo nunc Iudęorum sabbata reprobat? Auscultа Anastas. *Res adeo exosa quomodo potest esse sancta? Dies Deo exosus quamnam Dei accipit benedictionem? Pende responsum. Non dicit Deus: sabbata odiuit anima mea; sed sabbata vestra odiuit anima mea: ea odiuit Deus vt prophana et iniqua; sed non sabbata nostra spiritualia reiecit: septimo enim die Dominus ab operibus suis euangelicis quieuit in sepulchro, et deinceps die octauo surrexit à mortuis, et huic sabbato benedixit, et sanctificauit Deus.* Sabbata Iudęorum exclusit, vt ostenderet, quantum in sabbato, quo è sepulchro surrexit, complacuisset, vbi nos à mortis sepulchro liberauit, & ad perpetuam vitam restituit. Quo spectat illud Osee 6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabis nos.* Vbi optimè notauit Ribera, nullibi nisi in isto loco spatij trium dierum, quibus Christus iacuit in sepulchro, in veteri testamento mẽtionem fieri. *Ex hoc loco sancti Patres ostendunt resurrectionem Christi tertia die: non enim alibi de tertia die inuenitur in veteri testamento.*

Genes. 1. v. 9. — Anastas. Sinait. — Isaiæ. 1. v. 13. — Osee. 6. v. 3. — Ribera

Id ipsum adumbratum reperies in Ioseph, quẽ AEgyptia mulier in fraudem pellicere tentauit: ille autem ne maritalem torum domini violaret, *Relicto in manu eius pallio fugit, et egressus est foras.* Genes. 39. Quem locum pulchrè de Christo resurgente accipit Euseb. nam sicut Ioseph palliũ reliquit in manu ipsum incitante & detinere satagente: haud aliter Christus sepulchri exuuias in manu mortis reliquit, quæ ipsum retinere ambibat. *Ioseph* (inquit Euseb.) *à muliere detinetur, et Christus à morte: Ioseph pallio reiecto aufugit, et Christus linteamina in sepulchro reliquit, et exurrexit.* Solum mortalia indumenta mors acquisiuit, nam animam & corpus ab illius manibus Christus eripuit. De quo præfagus & exultans Dauid dicebat Psalm. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara.* Cur psalterij meminit & citharę, dũ resurrectionem Christi exoptat? Egregiè Cassiodor. citharam hic depinxit: *Quæ neruis tentis, dinumeratisq; ossibus virtutem patientiæ intellectuali quodam carmine personabat.* At ideo opinor psalterio & citharę humanitatem Christi conferri, quia psalterium ex parte cœli tangitur; cithara autẽ ex parte terrę. Postulat ergo, vt tum ani-

387 — Gen. 19. v. 12. — Euseb. — Psalm. 56 v. 9. — Cassiodor.

anima, quę à cœlo traxit originem, tũ corpore, quod à terra sumpsit, resurgat. Hoc autem, vt ipsius gloria & lętitia adimpleatur, nam & suam & nostrâ resurrectio contulit: licet enim amaritudo passionis resurrectionem præcesserit, hæc omnem obliterauit mœstitiam, & in gaudiũ commutauit dolores.

388 Huc tendit illud Cantic. 1. *Fasciculus myrrhæ, botrus cypri dilectus meus mihi.* Et botro & myrrhæ dilectum comparat Spõsa: quia quod passionis acerbitas amaricauit, resurrectionis iucunditas dulce & delectabile reddidit. Sic D. Bernard. lib. de passione Dñi cap. 4. *Myrrha amaritudinem passionis significat; fasciculus vero coadunationem multarum passionum. Botrus cypri dilectus meus mihi: subito enim fasciculus myrrhæ fit botrus cypri continens in se vinum iucunditatis et lætitiæ.* Hinc enim Ecclesia verba, quę à Dauide Psalm. 117. vsurpauit, ad hunc diem inflectit, & canit lætabunda. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Ad quæ D. Ambros. lib. 7. de diuin. offic. cap. 13. *Vt decet solemnitas solemnitatum, quemadmodum pro sua magnitudine dicũtur Cantica canticorum: sicut enim illa cœtera superant Sancta, vel cantica: sic solemnitates cæteras tuæ sacrosanctæ solemnitatis ostendit nobilitas.* Non solum in nos gaudium & lętitia tanti mysterij redundauit, sed in ipsum resurgentem: nam vbi Iudæi ipsius luces extinguere moliebantur, clarius splẽ- descere fecerunt.

Cantic. 1. v. 13.

D. Bern.

Psalm. 117 v. 24.

D. Ambr.

389 Arcanè Dominus de sua resurrectione locutus id indigitabat Ioan. 16. *Modicum, et videbitis me: iterum modicum et non videbitis me, quia vado ad Patrem.* De resurrectione hæc verba capiunt communiter Interpretes. Sed quid obscurius, quam dum ad Patrẽ iret, cum posset per impassibilitatis pontem transigere, per passionis vadum ire voluerit, & post cruciamenta per resurrectionem mirabiliter inde exire? Vnde dicebãt Iudæi: *Nescimus quid loquitur.* Sed hac vmbra omnipotentiam & maiestatem ostendit. Vt enim vrsus alueum tollit, & flumine immergitur, lętanturque adstantes, cum credunt, illum immergi: ast ille illos irridens, apibusque suffocatis exit ad ripam: sic Christus Dominus cum se in aquis passionis immersit, cumque iam illum suffocatum crederent, Iudæos suspẽsos & absortos reliquit, cum suo corpore & anima ad vitæ portum resurgens, & cum ingẽti gloria de Iudæorum nequitia triumphans. Quod pulchrè dixit Chrysolog. ad Ionæ cuentũ, qui resurrectionis Christi extitit symbolum alludẽs serm. 37. *Currit, occurrit, adest bellua de profundo totum Dominicæ resurrectionis impletura, et proditura, immo cœptura, et paritura mysterium: adest bellua, id est imago horrida et crudelis inferni, quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem sui sensit, et degustauit Auctoris, incurrit namque ieiunium deuorando, sed domicilium cordis sui tremens ad superni hospitis aptat, et præparat mansionem: vt ipsa, quæ fuerat tota causa discriminis, ipsa fieret necessariæ nauigationis inaudita vectura, vectorem suum seruans, et post triduum referens ad superna, et hoc daret Gentibus, quod abstulerat à Iudæis, quibus signum quærentibus solum dandum Dominus esse signum hoc decernit, per quod scirent gloriam, quam in Christo sperauerant, totam esse Gentibus conferendam.* Ventrem piscis, qui reputabatur sepulchrum, pro cymba habuit Propheta: vt ostenderetur, sepulchrum Christo fuisse vitalem mansionem, siquidem vbi Iudęi sub mortis arbitrabantur iuisse impetium, ibi se declarauit Dominum esse mortis: nec solũ se, sed & suos etiam à mortis & peccati captiuitate liberasse, atque chyrographum nostrę libertatis ibi sub mortis vmbraculis latuisse.

Ioan. 16. v. 19

D. Chrys.

390 Non vacat mysterio, quod Ecclesia sancta de sacramento resurrectionis locuta, asserat surrexisse Dominũ secundum scripturas, quod de aliis mysterijs non dicit, etsi omnia in sacra pagina sint reuelata. *Surrexit secundum scripturas.* Cur hoc signatè de resurrectione depromit, de aliquę

Ecclesia

que mysterijs omittit? Nisi quia scripturæ & tituli derebus præcipuis (videlicet de nobilitate, & hereditate) magna cura asseruantur, vt priuilegia obliterentur nunquam, & vbi opus fuerit, repetantur. Sic etenim Ecclesia pro resurrectione scripturas citat, & obseruatas ostendit, vtpote quæ illam nobilissimum quidem mysterium, & ad nostram libertatē maxime necessarium optimè agnovit. Obsessa Ieruſalem à Chaldæis, præcepit Deus Ieremiæ in carcere detento, vt agrum emeret, & chyrographū possessionis in vase fictili asseruaret. *Ieremiæ 32. v. 7.* *Ecce Hanameel filius Sellum Patruelis tuus veniet ad te dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth.* Ierem. 32. v. 7 Et postea de titulis emptionis locutus: *Pone illos in vase fictili, vt permanere possint diebus multis.* Merito miratur Propheta, quod præcipiatur ipsi agrū emere, cū ciuitas, & omnes eius possessiones in manus inimici iam iam *Vers. 24.* incidebant, sicque Deum arguit: *Ecce munitiones extructæ sunt aduersum ciuitatem, vt capiatur, et vrbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur aduersus eam à facie gladij, et famis, et pestilentiæ, et quæcumque locutus es, acciderunt, vt tu ipse cernis: et tu dicis mihi Domine Deus: Eme agrum argento, et adhibe testes, cum vrbs data sit in manus Chaldæorum?* Aſt Prophetæ obiectione non obstante, instat Deus, vt agrum emat, scripturasque & titulos in vase testaceo seruet. Quid hoc ænigmate voluit Deus ostendere? Nisi libertatis nostræ chyrographum, & pretium pro ipsa exhibitum in vase testaceo, quod Redemptoris nostri corpus præfigurabat, in sepulchro abscondi, & resurrectione adueniente huiusmodi titulos fore publicandos. Terra nostra empta dicitur, vt redēpta quoque intelligatur: ideoque tituli asseruantur, vt vbi opus sit, libertatis nostræ charta & scripturæ ostendantur, ne vlterius in captiuitatem dæmonis obsidentis deueniamus: & mirabiliter ostendatur, quam erga nos in resurrectione Christus misericors & liberalis extiterit, vt optime dixit Euseb. Emisen hom. 5. de Pasch. *Si enim latroni Dominus cum crucifigitur, miseretur; multo magis Christiano miserebitur, cum resurgit. Et si passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse lecta victoria, quam addicta captiuitas.* Ideo cum de hoc mysterio agitur, Ecclesia citat scripturas, vt in ipsis eius largitas, & nostra libertas legatur. Haud aliter Vates noster, dum de humanitate Christi glorioſe resurgente loquitur, iuramenta, quæ Deus populo præstitit circa hoc mysterium, repetit, quasi ipsum titulis & scripturis recōueniat, vt pollicita adimpleat: *Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.* Hic. v. 9. *Eusebius Emisen.*

ANNOT. L. XXXVII. MORALIS.

SVBDITI VEL INVITI IN VIA virtutis sunt educandi.

NISI desipiat subditus, Superioris rigorem nun quam prouocabit, imo declinabit semper, non aliter quam in nauigādo procellam, sciens Superiorem teneri, quos leniter in disciplinam adducere non potest, vi & seueritate cōpellere. Vnde consulebat Cassiodor. lib. 11. variar. Epist. 8. *Compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus.* Temerè enim Nauta Aquilonis contemnit minas pertinaciter reflantis: nam qui pelagus exasperat, eius in se concitat iras. Expedit ergo subdito docilitatem semper præbere: quia prælato incumbit in virga, si aliter non possit, subditos dirigere, vt recto tramite ad virtutis obseruantiam perueniant, & vel inuitos aduocare, ne illorum culpę ipsi imputentur. Nā vt optime dixit D. Hieronym. epist. 77. *Si tenuiter riuus fluit, non est aluei culpa, sed fontis.* Hinc per phrasim dicitur quis ędificare sibi domum, cū progeniem facit. Sic Exod. 1. *Benedixit Deus obstetricibus, et ædificauerunt sibi domos.* Qui loquendi modus non solum *Cassiodor.* *D. Hieron.*

solum in eo habet fundamentũ, quod filius sit ędificium patris, & sicut post vnam domum ædificatur alia, & post hanc alia, atque ex pluribus fit ciuitas: sic generatur filius, qui deinceps alium generat, vnde ædificatur familia Sed ex eo maxime videtur assũptus, quia sicut ligna ac lapides ad ędificandam domum perpoliti, dispositi ac dolati suis per manus artificis coaptantur locis: sic filiorum ac domesticorum mores debent efformari, ac perpoliri ad normã rationis, diuinęque legis & virtutis perscriptum, vt nihil asperum, nihil indecorum, aut contractum appareat.

392 Post ingentem quadraginta dierũ pluuiam misit Noe coruum & colũbam per fenestram arcę, vt explorarent, an aquæ essent imminutæ, & siccaretur terra. Regressa autem columba ad arcam ingredi renuebat, & erga ipsam volitabat: *Quod videns Noe misit manum suam, et introduxit eam.* Genes. 8. *Genes. 8. v. 9.* Cur obsecro columbã ingredi nolentem violenter ad arcam reducit Patriarcha? Quid interest, quod vagetur, quę semel fuit emissa, & libertatẽ aucupata? Rectè Oleast. *Pulchre nos admonet locus iste: vt cum viderimus familiares nostros perditos ire, inuitos etiã saluemus eos: sunt enim aliqui tam asperi, vt vix se se etiam ad suam tractari sinant vtilitatẽ.* Munus parentis, & patrisfamilias est, filios & domesticos, quos à virtutis via aberrare vident, reuocare, & vel inuitos in salutis portũ ducere: hoc enim charitas dictat, hoc instat officium. Aliter qui eos corrigere negligit, & plus ęquo indulget, & eos perdit, & conuincitur non amare, atque hostes infensissimos nutrit, vt dicebat Pius. 2 *Hostem in se nutrit, qui filio nimis indulget.* *Oleaster.*

393 Missus Eliazer, vt vxorem quæreret Isaaco, cum iam in domum Abrahę remigrare voluisset, idque cum Rebecca filio suo copulanda: *Respondẽrũt fratres eius et mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur.* Genes. 24. Quærunt Interpretes, cur non Bathuel, qui pater erat Rebeccæ, & in nuptiales tractatus conuenerat, puellam apud se remanere postularet; sed eius mater, ad quam non præcipue huiusmodi negotium pertinebat? Auscultа Burgẽs. in addit. 5. ad prędictum dubium respondentem. *Dicendum, quod Bathuel antiquior et magis sensatus nolebat differre missionem Rebeccæ, credens quod ista erant à Deo ordinata, prout dixerũt prius: A Domino egressus est sermo: sed Labam qui erat iunior, et mater Rebeccæ ex quadam carnali fragilitate volebat differre negotium, prout sequitur: Maneat puella nobiscum.* Vide quantum felicitatis Rebeccæ sequebatur ex coniugio cum Isaac, ex quibus ortus est Iacob, & ex eo duodecim præclarissimæ tribus, ac denique Deus homo. Hoc totum maternus amor differre conabatur. Quod sępè accidit: nam matrum erga filios affectus ipsorum commodum retardat, & euertit, & nisi à materno sinu separentur, neque literis, neque virtute proficiunt. Sic vbi Elias filium viduę, apud quam hospitabatur, suscitare voluit, ait matri: *Da mihi filium tuũ.* 3. Reg. 17. Curè matris sinu corpusculum inanime detraxit? Si oratione reanimandum erat, parum intererat, quod in maternis brachijs remaneret. Vt quid igitur illud auulsit? Absque dubio, vt nos instruat, quam noxius sit filijs maternus amor. A matre separatus reuocatur ad vitam: quasi maternus fauor resurrectioni obstaret. Præstat igitur, parentes, & Superiores non nimia lenitate filios & subditos fouere; sed vbi expedierit, rigore & asperitate in virtutis viam reducere. *Burgensis* *3. Reg. 17. v. 19.*

394 Paulus egregius gentium Prædicator quosdam vanę elegantię lepore imbutos, destitutosque omni virtutis studio alloquens dicebat: *Quid vultis? In virga veniam ad vos? An in charitate, et spiritu mansuetudinis?* Quis non miretur, quod pseudoapostolis acerrimus Apostolici muneris defensor optionem offerat, an velint asperum contra ipsos reprehensorem venire, an mansuetudine lenem? *1. Corinth. 4. v. 21.*

Quis

Quis ambiget, reos filios potius patrem optare blandum delicti correptorem; quam indignatum iudicem, & atrocia minantem, atque exequẽtem supplicia? Vt quid igitur ipsorum cõsilio remittit correctionis asperitatẽ, aut mansuetudinẽ? Crediderim, quia in subditorum voluntate est, blandũ, aut asperum Superiorẽm cudere: ipsorum enim mores rigorem excitant; aut exarmant: illorum vita ad suum arbitrium Prælatum efformat, aut probitate tranquillum; aut improbitate seuerum. Nam qui morum turpitudine deuenustatur, ipsum cogit ad seuere puniendum, vt vel inuitus in viam, à qua aberrauit, reducatur: qui vero disciplinæ honestate decoratur, ipsum allicit, vt benigne, leniter, ac mansuete cum illo agat. Prodest Caiet. *Dat itaque eis optionẽ, vtrũ malint vsum virgæ, hoc est castigationem et punitionem, perseuerando in delictis; an vsum dilectionis et mansuetudinis: emendando enim se ipsos ante ipsius aduentum redderent se ipsos materiam dilectionis, et mãsuetudinis.* Caietan. Omnia enim vitia, etsi malignè resistant, Præsul tenetur eradicare, quamuis onerosa manus grauet, & exasperet subditos.

395 Primus, qui terram colere incepit, vt fructus ferret opimos, Noe fuit posteritati generis reseruatus. *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, et plantauit vineam.* Genes. 9. v. 20. Si Noemo totius vniuersi cura committitur, vt quid agriculturę studet? Quid commune habet cum aratro sceptrum? Quid cum agricola Imperator? Quid corona cum quotidiano agriculturæ sudore ac labore? Indecenter enim occupatur Princeps terram excolens, & operarij munus exercẽs. Audi Philonem Hebrẽum (lib quod deterior potiori insidietur) hęc munera interse conferentẽ. *Legislator Noe iusto agriculturæ artem tribuit docens, quod in morem agricolæ boni vir bonus è siluestri genere stirpes, quæcumque noxiæ sunt, ab affectibus, aut vitiis plantat, et excidit.* Sicut enim agricola terram à noxijs stirpibus repurgans, scindit, & lacerat, & omnibus agriculturę instrumentis ipsam offendit, vt omnia inutilia semina diu ellat, quo fructus ferat salutares: sic etiam qui clauum reipublicæ tenet, vt ipsam à noxijs, & serpentibus vitijs liberet, & virtutibus locupletet, noxia & inutilia semina debet eradicare, atque etiam cum impiorum offensa commissos sibi populos expurgare à quibuscumque nociuis; & silvestribus herbis, & ad meliorem frugem subditos reducere. Quod fere eadem metaphora innuebat Vates noster, dum in subsidium & vtilitatẽ populi ad promissã terrã transmeantis, terrę ignotos alueos Deum aperire, vt flumina fluerẽt, dicebat. *Fluuios terræ scindes* &c. hic v. 10.

Philo

ANNOT. L. XXXVIII. MORALIS.

PRINCIPEM OMNES REVERENTUR; maximè, qui nobilitatis habent stemmata.

VEL ipsa natura docet, Præpositos, & Principes in magno pretio haberi, illosq; magno honore, & reuerentia fore prosequendos; quin vnquam liceat in ipsos inuehi, aut malum aliquod contra ipsos moliri. Si quis titulum haberet honestũ carpendi Principem, is Dauid videbatur, qui tyranna impietate vexatus magna nocumenta immerito à Saule acceperat. Is autem quia aliquando regiam chlamydem dilacerare fuit ausus, postea pœnituit, & super huiusmodi facto doluit contrito corde. *Percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* 1. Reg. 24. Iniustè dolet de damno illato, qui iniuste tot iniurias à Rege erat perpessus, qui multoties lancea illum configere tentauit, & mortem minitabatur. Tamen etsi nullum haberet prætextum Saul ad persequendum Dauidem, nunquã licebat subdito personam Regis vel leuiter tangere, propter reuerentiam ipsi debitam: idcirco quasi de facto sibi prohibito, de scissura regalis indumenti pœnituit. *Quia in hoc fece-* Lyra. *rat*

396

1. Reg. 24 v. 6.

rat irreuerentiam ipſi Saul, qui honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur, inquit Lyra. Dummodo à Deo toleratur Princeps, ab omnibus ſummo honore habendus eſt. Bona auferat, iniurias inferat, mortem minitetur, nunquam licet minimam illi iniuriam irrogare, nec leuiter illius veſtis fimbriam pertingere. Vnde dicebat D. Anſelm. ſup. epiſt. ad Rom. *Principi non eſt reſiſtendū, etiamſi bona noſtra auferat* & D. Gregor. in regiſt. *Regum mala et magnatū quandoq; tolerāda.* Nec verbo quidem ferire Principē expedit, quē omnes laudare tenemur: idē namq; eſt, Principē eſſe, & laudari. Vnde inter fauſta tribui Iuda prænuntiata illud eſt: *Iuda, te laudabunt fratres tui.* Gen. 49. v. 8. Felix ſanè ſors: nā ſæpiſſimè fratres impetunt cōuitijs. Sed iā textus cauſā reddit: *Nō auferetur ſceptrū de Iuda.* Vbi Principatus vinculatur, ibi laudes & honores deferūtur. Hinc D. Auguſt. de grāmat. *princeps dicitur, quaſi primus capiēs* honorē ſcilicet, nō pecunias: debet nāq; Princeps in quocūq; euentu ab omnibus laudari. Nunquā ab eo licet diſcedere, etiā ſi in ſubditū iniurias fulminet: nam hoc ad nobilitatē ſubditi, & ad reuerentiam ſpectat Principis.

D. Anſel. D. Grego. Geneſ. 49. v. 8. Verſ. 10. D. Auguſ.

397 Infauſtum Saulis caſum accepit Dauid, & iuſto zelo repletus ſic excandeſcens montes maledictione mulctauit: *Montes Geluoe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, nec ſint agri primitiarum: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* 2. Reg. 1. Si Saul ab hoſtibus percuſſus eſt, & nullam vim ipſi montes intulerunt; quin potius cadentem Regem in ſuo exceperunt ſinu: cur ficcitate multantur æterna? Qui non eſt culpę conſors, ſit pœnæ exors: nam non peccantem punire libido eſt puniendi, & iuſtitię violatio. Audi tamen Diu. Ambroſ. libr. 3. of hic. cap. 9. *Aruerunt montes prophetico maledicto, et diuina vis ſententiā maledictionis impleuit: itaque pro regiæ necis ſpectaculo pœnam elementa ſoluerunt.* Nec videre licet impune Principum damna. Vt pateat, quam ſint puniendi eorum, qui in dignitate conſtituuntur, deſpectus, vel montes ipſi, qui erecta ceruice interitum Regis viderunt, quaſi ad illum præſtarēt auxiliū, vel quia non ruebant in eius vindictam, merito ſterilitate puniuntur. Quis audeat in Principem? Quis impune Principis caſum, vel ruinā poterit non tantum videre, ſed excogitare? Quis machinari, qui nobilitatis ſtēmate decoretur? Nullus certè: nā nobilis nunquam in Regem non eſt beneuolus, rebellare nō audet, ne fidelitatē ſanguine acquiſitā frāgat, & indecorè maiorum ſtēmata deturpet. 2. Reg. 1. v. 21.

398 Pro repetenda pecunia Tobias filium mittere decreuerat, cui aliquem expertum iuuenem, qui ſine errore deducat, præcipit conducere. *Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua, vt dum adhuc viuo, recipias eā.* cap 5 verſ 4. It filius ductorem quęſiturus: obuius ei occurrit Angelus ea forma, vt videretur ſtrenuè accinctus ad curſum: quem, poſtquam promiſerat eum conducere in domum Gabeli, ducit ad ſeniorem Tobiam, qui omnia fauſtè de adoleſcente ominatus, pacta mercede filium ſuum, remque totam illi commendauit. Sed antea expertus ſenex rogauit eum: *Indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui iuuenis interrogationem miratus: *Genus quæris mercenarij? An ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* Ibi v. 17 Quaſi diceret. inſolitum eſt, genus operarij quærere potius, quam ipſum opus: quemadmodū in architecto, in pictore, in aratore nō genus quærimus, & nobilitatis ornamēta, ſed artis peritiam. Fortè Tobias volebat Angelo filiam ſpondere, quod genus & nobilitatem inquirit? Non (inquam) ſed filium committere ductandum. Vt quid igitur prius de claritate ſanguinis informatur? Nam ſolum cōmendauit filio fidelē virū quę rere, qui curſoris munus ageret, *Inquire tibi aliquē fidelem virum.* Id igitur nunc interrogare debet, an ſit fidelis ille, quē ſecū adducebat. Verum id ipſum interrogauit nobilitatē inquirēs: *Tobiæ 5. v. 4.* *Verſ. 17.*

nam idem est nobilem, ac fidelem esse. Dum de generis claritate Tobiæ constaret, de fidelitate non erat ambigendi locus: nam qui de ornamento sanguinis gloriatur, nunquam à fidelitate deflectit: maximè erga Principem, cui fideliter obedire semper studet, nec ab ipsius obedientia nunquam recedit: nam quò quis est nobilior, eo est obedientior, atque parere paratus.

399 Sane notabilis est differentia, qua Historicus sacer creationem lucis, & firmamenti describit: lux enim vix vocem Dei præcipientis audiuit, cum ex nihilo fuit orta, *Genes. 1. v. 3.* *Dixitque Deus: Fiat lux: Et facta est lux.* Genes. 1. vers. 3. Illico absque vlla mora, absque cunctatione lux egreditur: firmamentum autem magno verborum interuallo efficitur. *Vers. 6.* *Fiat firmamentum in medio aquarum, et diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab ijs, quæ erant super firmamentum: Et factum est ita.* Ibi vers. 6. Vbi inter *fiat*, *et factum est* multa interiacent, vt ipsa narrandi tarditate cunctatio & difficultas obediendi aliqualiter explicetur: ac si non statim ad præceptum Dei sequeretur obsequium, & ad vocem obedientia, & necesse fuerit media quædam operatio diuina. Iam ergo pulsat difficultas. Cur vix Dei vox auditur, cum statim lux prodit in medium; firmamentum vero vltra vocem vim expectat, cunctanterque egreditur, & suo loco statuitur? Nonne idem imperium, idemque præceptum vtrique fuit iniunctum? Cur igitur quod lux celeri alacritate exequitur, quasi renitente contentione recusat firmamentum? Verum intelligere libet, per lucem Angelicam naturam designari; nam illam in in eius creatione omnes agnoscunt, quæ inter cæteras creaturas dubio absque nobilissima est: per firmamentum autem corpus cœleste intelligitur. Iam igitur causam percipies, ob quam Angelorum creatio pauciori-

bus verbis narretur: videlicet, vt promptior eorum, qui nobiliores natura sunt, quam eorum, quæ rudiora & minus nobilia, obedientia declaretur. Sic præclare Diu. Augustin. libr. 2. de Genes. ad litt. *Notandum est* (inquit) *quod prima die cum facta est lux, dictumque est tantum: Fiat lux verbo, et facta est lux in opere, statimque adhæsit increatæ luci lux creata, vt vicinior, et omni creatura capacior. In secunda autem die quædam mora est, et verborum multiplicatio, vt intelligamus, istas naturas ad deficiendum pronas esse, ad obediendum minus aptas.* *D. Augustin.* Fidelis & prompta obedientia character nobilitatis est, & quò quis est natura nobilior, eò ad obediendum paratior. Quapropter in fluuiorũ, ac montiũ describenda obedientia Deo mirabiliter operãti exhibita, Prophe ta fluuijs præposuit montes: quia cum nobiliores, excelsioresque natura sua sint, ad parendũ Authori suo cæteris creaturis præcurrerunt. *Viderunt te, et doluerunt montes: gurges aquarũ transijt. Dedit abyssus vocẽ suã.* Hic v. 10.

ANNOT. L. XXXIX. MORALIS.

PRAELATVS NVLLVS AD QVIEtem; multiplex ad laborem.

400 RECTE dixit Seneca lib. de cõsolatione ad Polib. cap. 26. *Multa tibi non licent, quæ humilimis, et in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est magna fortuna.* *Seneca.* Ea enim est personæ publicę conditio, vt priuatæ functiones non ipsi liceant, neque sui curam habere expediat. Consignatio ad munus pro suis laborare est, non sibi indulgere. Vnde dicebat idem Seneca libr. de breuitate vitæ cap. 2. *Est inter onus et honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas.* *Idem.* Et Sallust. de imperium moderantibus locutus, *Qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorumque facta cuncti mortales nouere. Ita maxima fortuna minima licentia est.* *Sallustius* Etenim solers imperandi cura exsomnem Principem exigit,

& irre-

& irrequieto motu laborantem. Per montes, & speluncas pastor ille, qui ouem perdiderat, diu oberrauit, & tandem ouiculam inuenit, suisque humeris imposuit, & cum laborem tantum impenderit, non legitur, quod requieuisset, saltem vt vires reassumeret: quia pastoris leuamen non aliud debet esse, quam pro suis laborare. Pręclare D. Basil. de Seleuc. orat. 26. *Montes et siluas obire non recusat, obit præcipitia, cum de errante venit in partũ errationis. Neque ob amorem odio inflãmatur, etsi morbidam comperiat; sed mali commiseratione mouetur, et subijciens humeros, proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione, ouium inuentionẽ ratus lassitudinis esse leuamentum.* Non licet pastori quiescere: leuamen laboris labor est: geminantur enim curę, geminantur labores. Quod optimè (vt tradit Horus) significabãt AEgyptij per anguẽ in orbẽ collectũ caudã suam mordentẽ: quia Superior minima curare debet, & quia plurimæ eũ mordẽt solicitudines; vnde cum ad refrigeriũ nullus sit, ad laborem & fatigationem multiplicem esse oportet.

D. Basil. Seleuc.

401 Plantauerat Dominus Deus in principio paradisum voluptatis delicijs fructuũ, & amenitate florum ac plantarum affluentem, primoque tradidit Parenti, *Vt operaretur, et custodiret eum.* 2. vers. 16. Miror, quod Deus non solum in agricolam, sed in custodem paradisi Adamum constituat: nam homini tot dotibus naturæ & gratiæ cumulato terrę cultura, & agrestis operatio non videbatur commendanda. Verum hoc prætermisso, & alibi ad mores expendendum, id modo animum pulsat, quod paradisum custodire pręcipiatur: à quo namque paradisum custodiet? Non ab inimicis eius fructus subripientibus, quia nullus pro tunc aderat: non à bestijs & animalibus, quia bestiæ non nisi post peccatum in hominem sæuiebant, ipsi enim parebant, & ad ipsius mouebantur nutum, quin esset opus à pabulatione fructuum illas auertere. Si nullus ergo erat, qui nocumentum posset inferre; cur paradisum custodire præcipitur? A quo eum custodiet? Acute Augustin. lib. 8. de Genes. ad litter. *Vt custodiret eumdem paradisum ipse sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.* Quasi dicat: Nullus erat, à quo paradisum custodiret Adam, nisi ipse: à seipso paradisum custodire pręcipitur: operari iniungitur; verum fructibus potiri quasi interdicitur. Et cur cui postea ex omni ligno præter vetitum comedere permittitur, *Ex omni ligno paradisi comede:* Modo eosdem fructus comedere prohibetur, & à se ipso custodire mandatur? Quia Caput humani generis, & omnium viuentiũ Præsulem Deus illum constituebat: & vt officij onus ipsi iniunctum ex tunc demonstraret, paradisum colere, & in illo laborare, ad quod vnus homo non valebat, nisi pro multis laborem impenderet, pręcipit: atque fructus gustare, & eisdem delitiari prohibet; vt qui ad laborẽ multiplex erat, nullus esset ad requiem. A se ipso Adamus paradisum custodiat, & sudore vultus sui illum excolat, vt honorẽ pręlationis labore compenset, & nullus sit ad quietem, qui pro multis laborare tenetur: *Vt custodiret eumdem paradisum ipse sibi.* Abstineat à delicijs, qui labori dignitatis dicatur.

Genes. 2. v. 15.

D. Augus.

Genes. 2. v. 16.

402 Recipitur Christus Dominus hospitio in domo Marthæ & Mariæ: hęc pabulo cœlestis cõtẽplationis absorta ad pedes Dñi quiescẽs sedebat: illa erga curã & gubernationem domus fatigata de sorore conqueritur, quod ipsam solam ministrare reliquerit. *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Lucę 10. Cui Dominus: *Martha, Martha solicita es, et turbaris erga plurima.* Mirum, quod cũ Martha labore ac fatigatione fessa conqueritur, Dñs non eam soletur, neq; dũ Marię electionẽ approbat, Marthæ fatigationis misereatur; quin potius illo geminato vocabulo *Martha Martha* illius occupationẽ reprehendat; vel ad minus laudet, sicut partem, quę Marię contigit. Quid est quod dũ de Maria loquitur, sim-

Lucæ. 10. v. 40. Vers. 41.

simplici vocabulo eam compellat; Martham autem duplici & geminato? Præstaret, vt Mariæ partem commendaret, de illa geminata voce loqui, vt quodammodo in ipsa complacere videretur; & Marthæ ministerium, quod non laudat, sat esset vna voce nominare. Caietan. rem
Caietan. altè meditatus est. *Duplicauit nominationem propter mysterium doctrinæ subiunctæ de vita actiua.* Quasi dicat: Ideo Christus Martham duplici voce compellat, quia ipsam videt vitæ actiuæ vacantem: contigerat enim Marthę familiæ cura, & domi gubernatio, quæ ad vitam pertinebat actiuam. Igitur geminata voce compelletur Martha, Martha, vt opus esse, duplicem esse ad laborem, innuatur. Laborat Martha in gubernio, fatigatur solicita, & dum curam in se susciput domus, non sat est quod non quiescat, quod nulla sit ad requiem; nisi multiplex sit ad laborem. *Duplicauit nominationem propter mysterium doctrinæ subiunctæ de vita actiua.* Etsi persona, quæ præest, vna sit in re; in labore multiplex debet esse, in quiete nulla: ac si functiones personæ priuatæ in censum publicę conuertantur, & nulli labori parcat, quia nulli commodo debet incumbere.

403 Ad prælaturæ munus Christus Dominus Discipulos suos præparans, cum præmisisset, lumbos expedire habere præcinctos, & lucernas ardentes in manibus gestare, quo eorum vigilantiam commendabat, tandem
Lucæ. 12. v. 36. concludit: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* Lucę 12. At qui multoties comparationibus vtebatur, & in vna tantum persona exprimebat id, quod docere conabatur (vt est illud, *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias.* Et passim alibi) Ad quid modo non in vno, sed in pluribus hominibus, curam & vigilantiam Discipulorum exemplificat? Non sat esset, hominem vigilantem, & insomnem proponere, vt vnusquisque Discipulorum ad similem solertiam, & vigilantiam eius exẽplo edoceretur? Cur Discipulorũ quẽque pluribus hominibus assimilari vult? *Et vos similes hominibus.* Quia de prælatura agebatur: etenim illos docebat suarũ dignitatũ onera portare. Vt igitur quibus curis, & solicitudinibus essent obnoxij, manifestaret, pluribus hominibus cõfert: quia nõ sat est ad munera obeunda soporẽ excutere, luceſq; ardentes portare, sed vlterius requiritur, quod vnusquisq; pluribus assimiletur hominibus, cũ pro pluribus laborare teneatur. Ast dũ multiplicẽ personã agit, non ne vna quiescet, & altera operabitur? Non inquã: exsõnis sit, dũ præest, & nullus sibi, quia cæteris multiplicẽ se debet exhibere: nemo sibi sit, vt alijs sit multiplex. Sic vbi Christus Dñs ad saluandos homines venit, etsi vnicus fuerit in persona, quę vtrãque naturã suppositabat, multiplex in munere apparuit, quandoquidẽ ad currendã viam non super vnum tantum, sed super multos equos simul ascendere perhibetur. *Qui ascendes super equos tuos.* Hic v. 8.

VERS. 11. *SOL ET LVNA STEterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

VERS. 12. *IN FREMITV CONculcabis terram: et in furore obstupefacies Gentes.*

ANNOTATIO L.XXXX.

EXPOSITIO LITTERAE.

REM gestam sub Iosue superioribus exemplis adiungit, vbi 404
quò laxior esset dies ad insequẽ dũ hostẽ, inhibitus est soli cursus, cũ quo stetit luna, vt habetur Iosue 10. Iosue. 10.
vers. 12. *Sol contra Gabaon ne moueris, et luna contra vallem Aialon. Steterũtq; sol et luna, donec vlciscerentur gens de inimicis suis.* Non legimus stetisse solem aut lunam, cum è Babylonia rediere Iudęi, neque alio vnquã tem-

tempore, nisi quis dicat, orante Elimelech aliquando stetisse, vt indicat, illud Paralipomen. 1. cap 4. vers. 22. *Et quis stare fecit solem.* Sed locus ille aliud sibi vult longe diuersum: nam stare solem ibi explicatio est nominis proprij, sicut etiam alia nomina, quæ sequuntur. Longe probabilius est, stetisse solem & lunam eo tempore, quo Ezechias ægrotauit ad mortem. In sole autem & luna, quæ steterunt in tabernaculo suo (quia mirum fecit Deus, ne cœlum moueretur, in quo soli ac lunæ sua locarat tabernacula) existimo cum Lyra & Hugo Cyrum & Darium intelligi. *Ve enim sol et luna (inquit Lyra) steterunt pugnante Iosue contra Chananæos in signum diuinæ virtutis ibi assistentis: sic assistet virtus Dei Medis, et Persis pugnantibus contra Chaldæos.*

1. Paral. 4 v. 22.

Hugo. Lyra.

405 *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulguranti hastæ tuæ.* Alludit ad bellum, quod Iahel & Barac contra Sisaram instruxerunt, de quo Iudic. cap. 5. ibi enim dicitur vers. 20. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine et cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Quæ nam fuerint sagittæ istæ, incertum est, sicut etiam quomodo à stellis de cœlo aduersus Sisaram dimicatum. Illud magis plerisque probatum, audita fuisse de cœlo tonitrua, micuisse fulgura, bibrata fulmina, discurrisse cometas. Quod indicat illud Iudic. 4. vers. 15 *Perterruit Dominus Sisaram, et omnes currus eius.* Illum vero terrorem ab aliqua cœlesti vi, aut impressione metheora contigisse, verisimile est. Non admodum curo, an hæc tunc de cœlo cõtigerint, quãdo victis Chaldæis, captiuo Iudæorum populo affulsit libertatis tandiu desiderata lux, id enim in prouerbiali dicendi modo necessarium non est: sat enim videtur, si Deus Persis contra Babylonios pugnaturis affuerit, quod nullus negauit, & asserit perspicue Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, et portæ non claudantur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, et vectes ferreos confringã.*

Iudic. 5. v. 20.

Iudic. 4. v. 15.

Isaiæ 45. v. 1.

Porro Dei sagittas fulgura appellari docet non semel Scriptura sacra: sic Psalm. 17. v. 15. *Misit sagittas suas, et dissipauit eos, fulgura multiplicauit, et conturbauit eos.* Et Sapient. 5. v. 22. *Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos, ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.*

Psalm. 17 v. 15.

Sapient. 5 v. 28.

In fremitu conculcabis terram, et in furore obstupefacies gentes. Nihil hic se offert addendum ad id, quod in superioribus dictum est, nam hæc est præteritorum complexio, quia signa, quę præcesserunt, sine strepitu nullomodo fieri possunt: vbicumque enim illa antiquissima prodigia, quæ hic respectat Propheta, patrata sunt, fremitus fuerunt ingentes, quia tam AEgyptijs, quam Chananitidis stuporem induxerunt. 406

In sensu autem allegorico multi existimant, hęc, quæ prędicit Propheta, ad extremum sæculorum tempus esse referenda, quia tunc horribilia signa apparebunt in cœlo, & elementis. Sed tamen probabilior est sententia Hieronymi, Augustini, Theophilacti, Haymonis, & aliorum asserentium, in sole Christum, in luna vero intelligendam esse Ecclesiam. Sic Augustin. libr. 18. de Ciuitat. Dei cap. 28. Qui lectionem 70. sequitur. *Eleuatus est sol, et luna stetit in ordine suo. Hoc est, Ascendit Christus in cœlum, et ordinata est Ecclesia sub Rege suo: nam cum ascendisset in altum, dedit dona hominibus diuersa, vt Ecclesiastici corporis plenitudo perfecta sit; et pro diuersitate membrorum varia sint distincta munera. In luce sagittarum tuarum ibunt* &c. Hæc similiter de extremo iudicij die aliqui intelligunt, quia hæc signa tunc futura traduntur. Sic Tertullian lib. 4. contra Marcion. cap. 39. Sagittæ vero in hoc sensu cometæ vocari possunt, quia vulgus hominum aliquando putat stellas esse cometas. Sic Virgil. 1. Georg. 407

Hieronym. Augustin. Theophil. Haymo.

D. Augustin.

Tertul.

Virgilius. *Sæpe etiam stellas cælo impendente videbis*
Præcipites cælo labi, noctisque per umbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Et certe aliquæ cometarum species iacula vocantur, & lanceæ: tàlia autem euentura in extremo iudicio dixit Matth. cap. 24. v. 29. *Stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commouebuntur.* Patres vero Græci, præcipuè Theodoret. Cyrill. Theophilact. & Remig. (quos sequuntur fere omnes recentiores) per lucentes sagittas, & splendentes hastas Apostolos, & eorum mores sequentes accipiunt: qui optime in sagittis & lanceis, seu fulminum ardore ac sonitu explicantur, quia lucem habent, non solum vt illuminent, sed etiam vt terreant: vox enim Apostolici Concionatoris fremitus est & tonitruus, sicut in Baptista videre licet, & ex Christi Discipulis duo vocati sunt Boanerges, id est filij tonitrui.

Matth. 24 v. 29.

ANNOT. L.XXXXI. MORALIS.

SEMPER IN GRATIA STETIT, nunquam in originariam culpam cecidit B. Virgo.

408 PER lunam & solem hic plurimi Patres (quibus adstipulatur Moral Glos.) Christum & Ecclesiam accipiunt: quod procliue multis est ad Beatissimam Virginem inflectere, quam in lunę imagine adumbratam passim reperies. Sic Canticor. 6. *Pulchra vt luna.* Quare illius elogia hic agglomerare decreui, & præcipuè, quæ à consortio solis, Christi nempe, qui hic cum ipsa sistitur, statq; sicut in euētu Iosue iā cōtigerat, proueniunt. *Steteruntque sol et luna in habitaculo suo.* Hic v. 11. Stat cūSole, quia nūquā in caliginosam originariæ culpæ vmbram cecidit, nam solares radij, quos inseparabiliter respexit, illam vndequaque illustrarunt. Nam (vt ait Hieronym. ad illud Isaiæ 66. *Et erit mensis ex mense*) ea parte solis luce illustratur luna, qua ipsi est vicinior. *Aiunt* (inquit) *Physici, et quorum curæ est de cœlestibus disputare, lunam non habere proprium lumen, sed solis radijs illustrari: ab ea enim orbis parte cōpletur, et fulget, à qua sol vicinior est, nec vmbra terræ obscuratur.* In hoc ergo Christus & Maria conueniunt, quod sicut à sole luna lucē accipit: sic B. Virgo à Christo eius Redemptore gratię radios accepit. In eo tamen differunt, quod quia non semper eodem modo luna respicitur à sole, non idem est semper lunę vultus, & splendor: quapropter quotidianis incrementis atq; decrementis laborat. At cum Christus eodem semper modo matrem Virginem intueatur, eamdem luminis speciem semper præ se ferr. Id omnino videtur sibi velle locus, in quo versamur, & in quo tam sol, quam luna stetisse immobiliter in tabernaculo suo dicuntur: quo innuitur nunquam à luna solem recedere, nullamque subesse causam mutandi lucem, quæ à vatio proueuit vtriusque motu. Stetit ergo immota semper in gratia B. Virgo, quia nunquam à Sole discessit, neque in originariā culpam fuit lapsa. Hinc de illa dicitur, quod in agone filij viriliter & inconcussa steterit. *Stabat iuxta Crucem IESV mater eius* Ioan. 19. Mysterio plenum est, quod peculiari voce stantis situm Virginis in morte filij exprimat Euangelista. Cōcutitur cœlum, deuoluitur terra, & dum arbor Crucis erigitur, cadit lux solis, obnubilatur dies, cuncta fatentur casum, & quassata iacent: sola mater immota persistit. Quid opus fuit Virgineę nobilitati sub Cruce immobilem stare, cum pietatis officium exposceret, & maternus amor, dolore concuti, flebilemque pondere gemitus sterni, & quassari? At ideo concusso mundo, stat immota MARIA, quia arbor Crucis (vt Auctor est D. Ansel.) ex arbore, in quo peccauit Adam, cōpacta fuit, & sub eius trunco crāniū primi Parentis latebat. Stet ergo Mater, communisque casus non sentiat ruinam, stet, vbi pristini casus arbor pristina vmbram tetenderat, & omnes

Cantic. 6. v. 9.

D. Hiero.

Ioann. 19 v. 25.

nes Adę filios profligauerat, vt incon cussa gratia semper stetisse, nunquā-que in culpam ruisse, innuatur. Accipe Anselm. ad illa verba Cantic. 8. *Sub arbore malo suscitaui te. Legitur enim, in libris Græcorum, quod de eadem arbore, in qua peccauit Adam, ramus quidam allatus fuit Ierosolymam, et ibi plantatus excreuit in magnam arborē, de qua postea facta sit Crux Domini, vt ex quo mors venerat, eodem vita repararetur. Dicitur quoque Adam in eodē loco sepultus, in quo postea fixa fuit Crux Domini.* Merito sub Crucis vmbra Beatissima Virgo stare perhibetur, vt lethale vmbraculum, quod omnes profligauit, & strauit, ipsi minime nocuisse ostendatur.

D. Ansel.

409 Inter alia, quæ in nuptialibus Canticorum versibus Amasius Sponsæ dixerat, illud mirabile videtur, quod illā amicam nuncupet: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cāt. 2. Illa quæ amica dicitur, nonne filia est? Vtique. Cur ergo illam ab alijs discernit Sponsus amicę vocabulo, cū eam vocare filiam, neque iniucundū, neq; inuenustū esset? Opinor, quia idē est esse filiā, ac peccatricē, saltem peccato originis; adeo vt infallibilis illa regula sit: Est filia genita? Ergo inimica Dei. Quia ergo specialis Sponsa nempe B. Virgo ab hac regula erat immunis, quia illam generales non attingebant; ideo modum loquendi variauit, & à filiarum nomine transijt ad amicam, ne cæterarum legibus subiacere crederetur. *Sic amica mea inter filias.* Non quia filia non esset; sed quia non peccatrix, sed immaculata omni tempore, omni instanti, ita vt nullum fuerit, in quo luto originalis noxę esset conspurcata: ac subinde in omnibus fuit amica, quia primordialem gratiam, quā reliqui infaustè perdiderunt, feliciter adinuenit. Sic vbi Angelus Verbi incarnati aduentū nunciare accedit, eius prosperam fortunam ominatus dixit: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Lucæ 1 Cur non dixit: Adepta es gratiam, vel gratiam accepisti; sed inuenisti gratiam? Optime Gabriel Biel serm. 1. de Cōcept. *Vt significaret equidem, quod sola MARIA fuit, quæ illam gratiam inuenit, quam perdiderat Protoplastes, quæ originalis fuit.*

Cantic. 2. v. 2.

Lucæ. 1. v. 30.

Gabriel Biel.

410 Vt exploraret Noe, an aquæ diluuij essent imminutæ post quadraginta dies, cotuum emisit, qui naturali voracitate cadaueribus inhians non vltra ad arcam reuertitur. Misit autē postea columbā quæ (inquit textus.) *Cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Genes. 8. Magnum negotium facessit Interpretibus, quod columba, vbi pedē figeret, & requiesceret, non inueniret, cum iam antea montium cacumina essent discooperta. Pręterquam quod non apparet credibile, quod non esset in aquis aliquod lignum, aliquaue leuis materia supernatans, vbi colūba posset requiescere. Quo ergo pacto propter defectum sustentaculi ad arcam reuertitur? Ausculta Lyram. *Dicendum, quod ex diuturna mora aquarum super terram non erat desiccata adhuc: sed erat quasi lutum, in quo non libenter quiescit columba.* Nihil frequentius in sacris literis, quam colūbę nomine Beatam Virginem designare. Sic vbi ipsam immaculatā prędicat Sponsus, colūbā appellat, quasi ipsam ad puritatem, & candorē huius auiculæ referēs. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cantic. 5. v. 2. Hęc igitur immaculata columba, dum originariæ labis alluuio vniuersum orbem inundauit, & omnes filios Adæ naufragos in terram natura expuit, non inuenit, vbi requiesceret pes eius, quoniam lutosam carnis peccato inuolutæ materiā, vtpote mundissima ales abhorrebat, & nec leue exundantis culpæ inquinamentum ipsam tetigit. Vnde merito de ipsa canit Ecclesia: *Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam mane diluculo.* Psalm. 45. Ad quæ verba libet annotare, quod Deus per veniale peccatum amoueri ab anima incipit: licet enim venialis noxa Deū ab anima omnino non expellat, quandoquidem per illam gratia non amittitur: tamen charitatem minuit, frigidio-

Genes. 8. v. 9.

Lyra.

Cantic. 5. v. 2.

Psalm. 45 v. 6.

gidioremque reddit, & ad maiora committenda disponit, atque ideo maximè vitanda est: quoniam de ea alibi dicebat Dauid Psalm. 117. *Impulsus euersus sum, vt caderem, et Dominus suscepit me.* Paraphrasis Chaldæa habet, *Impulsus sum à peccato, sed Verbum Dei adiuuit me.* Impulsus autē iste, quo homo non cadit, non fit per peccatum mortale, quia hoc in ruinā subito inducit; sed tantum per veniale: ex eo namque non sequitur casus à gratia Dei. Et hoc est, quod dicit: gratia Dei in me manens me sustentauit, ne in ruinam maioris peccati inciderem. Dicitur ergo, quod Deus nunquam in medio B. Virginis commouebitur, quia nullū neque veniale cōmisit peccatum: causa autem tantę sanctitatis ea est, quia *Adiuuauit eam Deus mane diluculo.* Id est, à primo suę conceptionis instanti eam ab omni labe præseruauit: quandoquidem non aliunde potuit prouenire, quod nullū neque veniale peccatum cōmitteret. Sic enim in Tridentino sess. 6. cap. 23. definitum est: *B. Virginem ex speciali Dei priuilegio omnia venialia peccata euitasse.* Hinc enim D. Augustinus (lib. in Iulian. ad illa verba, quę de Christo Domino habet Petrus in 1. Canonic. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius*) eleganter probat, Christum Dominum absque peccato originali fuisse conceptum, ex eo quod nullum habuit actuale. *Quia qui non fecit* (inquit) *habere non potuit, omnino verissimum est.*

411 Hæc sanè puritas, quā Beatissima Virgo à primo suæ conceptionis instanti habuit, Ezechieli apparuit: sic enim currum describens, in quo gloria Dei vehebatur, aiebat. *Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Ezechiel, 1. v. 26. Primo apparuit firmamentum, siue cęlum ipsum octauum sideribus ornatum; deinde super cœlum astriferum visa est sedes, siue solium planè regium, in quo sedebat homo. Sedes autem illa siue thronus ex sapphiris solum erat cōpactus. Hæc inquam erat visio, quam egregiè dispungens Galatinus (lib. 7. de arcanis cap. 18) Marianam puritatē ab omni prorsus inquinamento inmunem legit. *Similitudo throni, vel solij, siue sedes est gloriosa mater Messiæ: super hanc similitudo hominis, qui est Dei Filius incarnatus, seu Messias. Dicit aspectum similem sapphiro, vt innuat intemeratam Virginis puritatem: vt enim sapphirus est diaphanus, et clarus, ita Virgo semper fuit immaculata, et clarissima absque originali peccato.* Huc alludit Dauid Psal. 88. de Verbo incarnato locutus: *Thronus eius sicut dies cœli.* Quę verba de Beatissima Virgine, quę Dei thronus & habitaculum fuit, communiter accipiuntur. Si autē inquiras, cur huiusmodi thronus non ad sæculi, sed ad cœli dies referatur? Audi Cardin. Hugo. *Dies cœli* (inquit) *semper sunt longi et clari; mundus semper habet tædiosos, et sæpe breues.* Quasi dicat Vates: Omne tēpus in MARIA mane fuit, dies perseuerans, lux indeficiens, quia nunquam originalis culpæ tenebris fuit immersa. Hinc lucē capit dubium, quod erga solis creationem communiter versatur: nam non constat, quando Deus solem cōdiderit. Plerique enim existimant illis verbis Genes. 1. *Fiat lux* puram & simplicem qualitatem lucis fuisse factam; non vero aliquod corpus, materiam, aut subiectum, cui huiusmodi lux esset vnita. Quando vero quarto die dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento.* Ib. v. 12. tunc corpus solidū, & perlucidum creatum fuisse, ex quo & luce prima die creata sol luminum pater cōpactus est. Sed iam inquires, cur solem non primo, sed quarto die Deus creauit? Rationem satis decentem aliqui excogitarunt, videlicet, quia non erat congruum, vt pater luminum è tenebris oriretur; sed pręuia luce in lucem exiret. Si ergo Deus tā solerti cura in ordine naturę pro solis nascentis decentia hoc portentum præstitit: quid in ordine gratiæ pro eius matre non efficeret? Creauit ergo illā, & extraxit nō ex tenebris originalis

Psal. 117 v. 13.

Paraph. Chald.

Psalm. 45 v. 6.

Concil. Trident.

D. Augus.

Ezechiel. 1. v. 26.

Galatin.

Psal. 88. v. 30.

Hugo. Card.

Genes. 1. v. 3.

Vers. 12.

nalis culpæ; sed ex præambula, & præueniente luce gratiæ.

ANNOT. L. XXXXII. MORALIS.

MARIA SVB ASTRORVM GRATIÆ benigno aspectu concipitur, ne culpæ influxus eam aspiciat.

412 AB Astrorum temperamẽto, sub quo viuens concipitur, eius inclinationes & fortunas maiori certitudine prædici, quam ab alijs principijs, indubium est apud Astrologos: quod quidem cum inuestigabile sit, eorum iudicia pro incertis habẽtur, & vitis cordatis non modo fallacia, sed ridicula visa sunt. Quod aliter contingeret, si primum cõceptionis instãs esset euidẽs, de illoque liquido constaret: nam dato quod sidera in hæc sublunaria corpora influant, eorum inclinationes deprehẽdere, si conceptionis agnoscerentur instans, non esset difficile. Vnde qui astrorum aspectus, & influentias, sub quibus MARIA fuit concepta, perspicue comprehenderit, eius fortunam planè demonstrabit, non arte iudiciaria, quæ mille deceptionibus subest; sed euidẽtissima rãtiocinatione: quod & à principijs astronomicis, & à gratię priuilegijs petendum est. Cũ enim in eius conceptione, & natura, in qua Adæ filia deprehẽditur, & gratia, quę eam præuenit, interuenerit, vtriusque influentias aspicere, & considerare libet: nam etsi naturali propagatione sit progenita; cum eius parentes genialiter essent steriles, gratiã & miraculosam operationem, vt conciperetur, interueniſſe, opus fuit. Vnde quæ in ipsam poterat incurrere noxa ab originali culpa naturali influxu manans, à supernaturali gratiæ concursu fuit impedita, quę benigno aspectu eam præoccupauit, vt à malignis influxibus esset immunis. Quod optime tradit Gerson part. 3. serm. de Natiuit. figuram expendens, quã in MARIAE conceptione effecerat. *Porro si de nobilitate corporis, quã dare videtur harmonica corporis dispositio bona, loquamur, inuenimus MARIAE corpus miraculosè compositum, quoniam ex vtero sterili formatum est ab illo, cuius perfecta sunt opera: qui ideo perfectè materiam disposuit, ex qua MARIAE corpus formatum, organizatũque est. Ac proinde colligimus, quod neque maleuolus aspectus cuiuslibet ex planetis nocuisse credendus est in ipso conceptionis, aut natiuitatis exordio: sicut neque huiusmodi formatio subijciebatur his influxibus cælorum, quoniam quidquid agebatur, hoc totum magis erat gratiæ, quam naturæ.* Vbi MARIAM videas non maleuolis aspectibus, sed bene fortunatis in sua cõceptione subijsse, ac subinde in illam minime culpam influxisse, quia sub benigno astrorum gratiæ concursu, & beneuolo filij adiuuantis aspectu concepta fuit.

Gerson.

413 Prænuncians Regius Vates huius euentus felicitatem, & Astrologi personam agens, vt de MARIA ventura in sua conceptione iudicium faceret, lætabundus dicebat Psalm. 47. v. 2. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Per montem & ciuitatem, de quibus hic loquitur Dauid, MARIAM D. Augustinus intelligit. Mons quidem, ex quo lapis sine manibus, nempe Christus, descendit. *Fuit enim* (inquit *Iquidam lapis angularis, contemptibilis, in quem Iudæi offenderunt, præcisus est de quodam monte sine manibus, hoc est, de regno Iudæorũ veniens sine manibus, quia humanum opus non accessit ad MARIAM, de qua natus est Christus.* Vbi de MARIAE conceptione absque dubio est sermo, quam fundationis periphrasi manifestat, quia fundamenta prima principia sunt ędificij constituendi. Et metaphora ciuitatis Dei inhabitantis, cui prima fundamenta iaciuntur, satis primęua principia MARIAE expressit. Sed libet expendere, quod vbi nostra Vulgata habet: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mõs Sion*: Agellius, & alij ex Hebræo vertunt: *Pulchrum seu speciosum clima, vel speciosam regionem.* Quod ad iudicium astronomicum Deiparæ conceptionis ferendũ opti-

Psal. 47. v. 2.

D. Augus.

Agellius.

optimè congruit: nam clima ſpatium cœli eſt, quod in aliquam terræ partem influit, & duobus parallelis reſpondet; Igitur MARIA ſub pulchro, & ſpecioſo climate concipitur, quia beneuolo aſpectu aſtra eam reſpexere: niſi enim extra regionem peccati, & parallela primæuę culpæ concipereretur, nõ ſub pulchro climate, & benigna influentia eſſet concepta. Vnde addit Dauid *latera Aquilonis* &c. Quid per latera Aquilonis venit intelligendum? D. Auguſt. ad eumdem locum per Aquilonis latera dæmonem intelligit, qui huiuſmodi montiSion in ſua
D. Auguſ. fundatione inſidiabatur. *Contrarius ſolet eſſe Aquilo Sion: Sion quippe in meridie; Aquilo contra meridiem. Quis eſt iſte Aquilo? Niſi qui dixit: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, et ero ſimilis Altiſſimo.* Et cur cum MARIAE mons fũdatur, & ſub pulchro & ſpecioſo climate perhibetur erectus, Aquilo ad latus apparet? Cur non ſupra Sion deſcribitur, cum aer naturaliter aſcẽdat, & totum ambientem locum occupet? Niſi vt innuatur, quod in MARIAE conceptione huiuſmodi aer peſtilens Aquilonaris nullam influentiã habuit: ad influentiam enim aſtrorũ ſicut & aliarum cauſarum non aproximatio iuuat, ſed directio. Igitur non non ſupra MARIAE montem, ſed ad latus aſſiſtit: & dum ipſa ſub beneuolo gratiæ climate concepta perhibetur; latera & parallela dæmon occupat, ne malignus eius halitus ipſi noceat, & è regione peccati apparet, ne in horoſcopo ſuę conceptionis pro aſcendente ipſum habere videatur. Ad quod alludit illud Dauidicũ Pſalm. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis.* Vbi. 70
Pſalm. 44 v. 10. Septuag. legunt: *Stabit liber legis in latere dexterę tuæ.* Lex quidem contra Adamũ, & eius poſteros lata ad MARIAE latus deſcribitur, quia nunquam ad eam acceſſit, neque comprehendere fuit auſa.

414 Sed qui viuacius Marianæ conceptionis figuram depinxit, & ad amuſſim arte aſtrologica concinnauit, Ioãnes fuit in ſuo Apocalyp. cap 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier*
Apocalyp. 12. v. 1. *amicta ſole, et luna ſub pedibus eius; et corona ſtellarum duodecim in capite eius.* MARIAM in ſua cõceptione hic figurari, compertum eſt, in cuius imagine multa videntur ponderatione digna. Et primo ly *Signum* non vt cũque accipio, ſed ea proprietate, qua inter Aſtrologos ſignum dicitur illa cœli pars, quam ſol de menſe ad mẽſem verſat, atque inuiſit, & vna eſt ex duodecim, quæ zodiacum componunt, quęque eius influentiam moderatur, & diuerſis aſpectibus alios planetas reſpicit. Nam dum in cœlo apparet [*Signum magnum apparuit in cœlo*] cœleſte ſignum & aſtronomicũ credendum eſt: quod non improbat Alcazar in comment. huius loci. *Putare* [inquit] *poſſet aliquis, alludi in hac locutione ad eas imagines, quarum ſingulas Aſtrologi ex quodam ſtellarum numero in cœlo figunt, nam illæ appellari ſolent ſigna, et ſic dicuntur eſſe duodecim ſigna zodiaci.* Alcazar. Illud igitur ſignum, ſub quo MARIA apparuit concepta, obſeruauit Ioannes, & admirabundus magnum appellauit, quia diuerſum inuenit ab illo, quod filijs Adæ in ſua conceptione prędominari ſolet. At vnde magnitudo illius ſigni oritur? Ex concurſu ſolis & lunæ eo aſpectu, quod luna in ſuo ortu ſimul cum ſole compareat: ſic enim habet communis Eccleſię vſus eam ſub pedibus MARIAE, cũm ſplendeſcere incipit, depingens, quod nouilunium Aſtrologi vocant, & multorum Interpretum opinio, quos recenſet Alcazar, ſic apparuiſſe affirmantium. Sed quid mirum, quod ſol cum noua luna in MARIAE conceptione concurrat, & ſignum ipſi prædominans ingrediantur, vt in admirationem rapiat Ioannem? Quid quod ſole & luna perhibeatur amicta, & quod in horoſcopo ſuæ conceptionis ſolem & nouam lunam pro aſcendente habeat, vt Ioannes in rebus cœleſtibus plurimum verſatus expaueſcat, & magnum ſignum ſe vidiſſe teſtetur? Multũ equidem N.am (vt tenent Aſtrologi, & tradit Ioann. de ſacro Boſco cap. 1. ſphæ ręluna in nouilunio neque eclipſim, neque
Ioan. de Sac. Boſc.

neque vmbras patitur, neque secundū naturalem cœlorum motum, eo tempore his accidentibus potest laborare. Hæc inquam causa Ioanni fuit admirationis: nam cum cæteros Adæ filios sub eo astrorum aspectu videat concipi, quod in primo conceptionis instanti eclipsim patiantur, & originalis culpæ vmbra deturpentur; videns in MARIAE conceptu cœlorum influentias inuersas, & sub tali signo, & planetarum temperamento fuisse genitam, quod terra primordialis noxæ nequiret interponi, vt eclipsim culpę pateretur, admirabundus ait: *Signum magnū apparuit in cœlo.* Quasi dicat: Cæterorum signa non magna, sed exigua sunt & maleuola, quandoquidem originalis culpę vmbris obscurantur: verum hæc mulier tanquā miraculum visa est, dum sub diuersis influxibus, quam reliqui Adæ filij, cōcipitur.

415 Huismodi lunæ immunitatem, quę MARIAE puritatem refert, magnopere commendabat Dauid Psalm. 88 v. 36. Nam de Christi temporali generatione locutus dicebat: *Semen eius in æternum manebit; et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Vbi rursus concursum solis & lunę in MARIAE conceptione reperies & ingenio Astrologico collocatum: ipsam enim hic Agellius literaliter agnoscit, cui Angelus prolem in æternum duraturam fuit pollicitus, sicut prædixit Dauid. *Dedit illi Dominus Deus sedē Dauid patris sui* (inquit Agellius) *et regnabit in domo Iacob in æternum, vt Angelus sanctæ Virgini fore, prædixit.* Sed age, videamus quid Psalmista polliceatur, dū thronū Dei (MARIAM nempe) sicut sol in conspectu eius, & sicut luna perfecta, ac fidelis in cœlo testis, splendescere auguratur. Cur nō terrę luna, sed cœlo tantum Marianā perfectionem prædicabit? Cur eius puritatem non in terra, sed in cœlo testabitur, ibique tantum fides ipsius testimonio erit adhibenda? Terranę suæ Reginæ perfectionem ignorabit? Vel testificari non audebit? Libet ad-

Psalm. 88 v. 36.

Agellius

difficultatem soluendam Astrologiā consulere, & planetarum aspectum respectare. Scitum est apud Astronomos, quod cum luna nostris oculis obscuratur, & eclipsim patitur, ipsa in se nullum deliquium, nullam lucis imminutionem sentit. Nobis apparet adumbrata, quia terra nostris oculis interposita luminaris corporis vsum impedit: at in cœlo semper lucida, & absque vlla macula apparet. Vnde ipsius in cœlo testimonium, vbi nunquā quotidianis incrementis, aut decrementis laborat, citat Dauid: *Sicut luna perfecta, et testis in cœlo fidelis.* Quasi dicat: Licet nostris oculis luna aliquā do appareat adumbrata: in cœlo tamen semper perfecta, & splendens reperitur: quare ibi testis fidelis suę perfectionis est; licet nobis non veridicis videatur maternalibus vmbris immersa: nullam ibi maculam incurrit; & hoc non hoc, vel illo tempore, sed in æternum: quia in nullo temporis momento, instantiue luce caruit: quare iudicium suę perfectionis non à nostris oculis, sed ab alijs astris eam comitantibus petendum est, & à Deo, in cuius conspectu semper splendescit, faciendum. Sic sentire videtur Augustt. *Sicut sol in conspectu meo, et luna perfecta. Non in conspectu hominum, non in conspectu carnis; sed in conspectu meo.* Quasi dicat: Huiusmodi lunę, quam pro throno & habitaculo assumpsi, speciositas & plenitudo ex meo aspectu, quem in cœlo habet, iudicanda est: nam etsi oculis hominum detrimenta pati videatur, Soli ipsam illustranti semper perfecta videtur.

D. Augustt.

416 Hucusque de signis Astrologicis actum est, sunt etiam & signa Theologica, sub quorum constellatione, & influentia MARIA concipitur, absque eo quod vlla interueniat aspectus maligni peccati suspicio. Communiter Theologi signa vocant instantia quędam, quæ in voluntate Diuina diuidunt, in quibus rerum naturas, quas produceit, contemplantes, eorum aliquas anteponunt, postponunt alijs; & eas in primis signis voluisse arbitrā

tur;

tur, quę natura, bonitate, & perfectione cęteras antecellunt. Igitur in primo signo amauit Deus suam bonitatem, cum qua nulla venit comparanda. In secundo Verbum incarnatum, & eius genitricem, quia talis perfectionis sunt, vt cęteras creaturas longè superent, eo quod proximius ad Deum accedāt: nam filius ratione vnionis hypostaticæ, & MARIA ratione originis & maternitatis intimius, & arctiori vinculo Deo adhærent, cū Deus homo nequeat intelligi, quin mater à qua carnem assumpsit, intelligatur. Igitur sub eodem signo Christus & MARIA concipiuntur, atque in decreto eos prędestinante idem aspectus illos respexit. Subindeque in zodiaco voluntatis Diuinæ sub ijsdem influxibus, & eodem ascendente concipiunrur. Quare cum signum, sub quo Deus decreuit peccatum Adæ permittere, subsequeretur ad illud, in quo Christus & MARIA sunt prędestinati, ipsos respicere nō potuit: quia sub signo antecedenti ad ordinem vnionis hypostaticæ pertinente prædestinabantur, atque vterini erāt fratres. Quod arcane innuit Sponsa Cantic. 8. v. 1. *Quis mihi te det fratrem meum sugentem vbera matris meæ, et inuentam te foris, et deosculer te, et iam nemo me despiciat?* Verba plane difficilia, & quæ cognationem inter Sponsum & Sponsam confundere videntur: nam non apparet, qua linea, quaue parte MARIA filium suum fratrem agnoscat: nam in generatione temporali nō frater, sed filius MARIAE fuit Verbum; in spirituali autem similiter non frater, sed pater videtur, cum spiritualiter & meritoriè ipsam genuerit. Qua ergo via confratres Christus & MARIA extitere? Nulla sane, nisi in decretorum eos prædestinantium linea: nam ibi ab vtero vnius decreti oriuntur ambo, & sub eodem concipiuntur signo: de quo gloriatur MARIA, cum fratrem filium recognoscit, & non sicut cęteri Adę filij despecta exultat: *Et iam nemo me despiciat.* Ac si dicat: Qui gemellam me contemplabitur, & sororem filij, ac sub eodē signo, & influentijs conceptam, non me iam tanquam ancillam despiciet; sed tanquam Principis sororem exaltabit. Prodest Carthus. *Et iam nemo me despiciet; immo beatam me dicent, et honorabunt omnes generationes tanquā sororem singularem, et Dei incarnati amicam.* Iam igitur instante primo Marianę cōceptionis sub signis Theologicis inuestigato, de eius immunitate iudicium facere non erit difficile. Nam cum certum sit, quod filius sub benigno climate, & beneuolo Diuinæ voluntatis aspectu sit prædestinatus, & sub eodem concipiatur MARIA, nō est dubium eadem ac filius [etsi diuerso titulo] immunitate gaudere; cū sit euidēs, quod de omnibus sub eisdem influentijs conceptis idem sit ferendum iudicium. Hoc certè signū, sub quo Christus & MARIA tanquam fratres concipiuntur, magnum appellauit Ioānes. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Id est, nouum & inauditum: quandoquidem Creator signorū illis subiacere fuit visus, & similiter eius mater, illorum naturam ordinem & influentiam inuertentes.

Carthus.

Genes. 6 v. 14.

Chaldæ

Plinius. D. Amb

D. Hier

D. Aug.

Marius

Hebræi

Cantic. 8. v. 1.

ANNOT. L.XXXXIII. MORALIS.

MARIAE HABITACVLVM VNIuersale culpæ diluuium non ingreditur.

417. ARCAM illam, quæ naufragante mundo Noemo portum attulit, Beatam Virginem figurasse ambigit nemo: etenim dum cæteri periclitantur mortales, Noemi progeniem salvauit illa, & eisdem aquis, quibus reliqui submergebantur, arca fuit eleuata, & collocata in tuto. *Multiplicatæ sunt aquæ super terram, et leuauerunt arcam* Genes. 7. vers. 17. Quod pulchrè ad MARIAM in sua conceptione intorquet S. Bernardin. Senens. tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 1. *Gloriosa Virgo MARIA cum quadam, vtriusque, scilicet naturæ, perfectione super omnem creaturam eleuata est in sublime.* Vbi cæteri perierunt, ibi arca fuit eleuata, & à naufragio redēpta,

Genes. 7. v. 17.

ta,

ta, & eisdem aquis, vt fieret de periculo præsidium. Vt autem arca ingruente diluuio tutum esset asylum, sic ad ipsius structuram Noemus instruitur. *Fac tibi arcam de lignis lauigatis, mansiunculas in arca facies, et bitumine lines intrinsecùs, et extrinsecùs.* Genes. 6. Pro lignis lęuigatis in Hebræo est *de lignis Gopher:* in Chaldęo autem *de lignis cedri*; vt indicet ex lignis incorruptibilibus esse compaginandam, quę absque putrefactione patiuntur aquas, qualia sunt cedrina, vt Auctor est Plinius libr. 13. c. 15. D. Ambros. lib. de Noe. c. 7. notauit, hic tantum simpliciter positum *de lignis*; in Exodo autem fuisse additum de lignis imputribilibus. D. Hieronym. hic vertit *de lignis bituminatis*, quod idē est cū *Gopher*. Et D. Augustin. (tract. 6 in Ioan.) existimat, materiam arcæ fuisse ligna cedrina: quę omnia aprime cōgruūt, vt MARIA à corruptione peccati innuatur immunis, quod peruium omnibus est. Sed modo licet ambigere, cur huiusmodi fabrica potius arca vocetur, quā nauis, nam dū cymbæ functionē agit, potius nauigationis vas debuit appellari. Auscultа Mariū in cōment. huius loci. *Non vocatur nauis, quia non ad formā nauis facta, ne industriæ humanæ tribueretur tantū beneficiū: sed tamen ferè arcendis aquis vndiq; etiā clausa, quia nō humano, sed Diuino ductu gubernanda.* Nauticū vas versus cœlū est apertū, vnde maris iras & vndas intrò multoties experitur: arca vero illa, quia Virginē matrē referebat, vndequaq; fuit clausa, & ex lignis bituminatis cōstructa, vt nec minima maris vnda, quę cæteros obruerat, illā ingrederetur. Huc respiciunt mansiunculæ intra arcā fabricatæ, *Mansiunculas in arca facies.* Vbi Hebræus vertit: *Nidos facies in arca*, mirifica siquidē Dei arca MARIA nidus fuit, in quo Dei Filius erat nasciturus, & ad quē nec guttula maris magni culpæ originalis intrauit. Pulchre hoc ipsū ànatura delineatū reperies in Alcyone rara aui: vt enī illa nidū construat, quē ex spinis cōtexit, inaccesso ore fabricat, vt ipsam tā tū alitē recipiat, & postea fluctuagam quā extruxit domū, ad maris littora multoties probat in lymphis, id pręcauens, ne maris vnda in ipsā intret. Sed quod magis mireris, dum illa oua fouet, Deus æquora frænat, & turbulēti maris fluctus sedātur, & hoc hyemali tēpore, quo magis efferūtur. Quod partim tradit Ambr. lib. 5. in Examer. c. 13. *Alcyon est auis maritima, quæ in littoribus fœtus suos edere solet, ita vt in arenis oua deponat medio fere hyemis, nā id tēporis fouēdis habet deputatū partubus, quādo maximè insurgit mare littoribus, vehemētiorq; fluctus allidituri: quo magis repentinæ placiditatis solēnitate auis huius eluceret gratia. Namque vbi vndosum fuerit mare, positis ouis subito mitescit, et omnes cadunt vē torum procellæ, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua foueat Alcyon sua. Tantā autem gratiam minuscula auis diuinitus indultam habet, vt hos quatuordecim dies Nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos et Alcyonidas vocant. Quibus nullus motus procellosæ tempestatis horrescit:* partim Plinius lib. 10 cap. 32. De nido autem auiculæ huius magna est varietas apud Authores. Placet AEliani verba referre lib. 9. de animalibus cap. 17. qui eleganter huius auiculæ solertiam describit. *Alcyones* (inquit) *in aperto ac libero mari adnidi structuram legendis contexendisque belone spinis incumbunt: sed ineffabili etiam vi ingenij, solertiæque propositum perficiunt. Spinas enim partim rectas, partim obliquas vt mulieres ad textrinam eruditæ sub tegmini stamen intertexunt, et rotundū paulatim, non omnino tamen, sed oblongum, et sinuosum instar nassæ cuiusdam efficiunt. Perfectum in mare deferunt, vbi fluitans ab incursantibus vndis earum opus probatur. Tunc partes, quas aqua incidens ostendit non firmas esse, resarciūt. Cætera, quæ recte connexa iuntaque sunt, neque si percutias saxo, rumpi, neque ferro discindi possunt, non magis quam lineus ille thorax, qui Minervæ Lindiæ consecratus carminibus*

Genes. 6. v. 14.

Chaldæus

Plinius.

D. Ambr.

D. Hiero.

D. Aug.

Marius

Hebræus

D. Ambr.

Plinius.

AElianus

celebratur. Os vero nidi non plane cõ spicuum, et alijs omnibus inaccessum solam illam suscipere potest, neque per idipsum quicquam ex mari intro influere potest, adeò subtiliter, est constructũ. Ibidẽ vndis circũlata Alcyon, vt ferunt, pullos nutrit. Quæ omnia mirè congruunt Beatissimæ Virgini in eius conceptione, & arcę, vbi generis humani reliquię fuere reseruatæ. Siquidem vbi cęteri omnes, præter Christum, aquis diluuij fuerunt obruti, illa sola nec parvulam guttam diluuij experta est, quia Spiritus Sancti superueniente gratia mirabiliter fuit cõpacta, vndequaque clausa, & bitumine cœlestium charismatũ delinita, vt pote quæ domus erat Verbo æterno deputata, illiusque perfectissimus nidus ex senticosis parentibus fabricatus. Quin tamen aliquid spinosum haberet, sed omne floridum, omne planum, omne blandũ: licet ex spinis sit contextus, hoc est, ex progenitoribus, quorum aliqui recti, alij non recti fuere, licet omnes peccato originali obliqui: quia AEthereus Alcyon naturę sic fræna imposuit, sic nimbosos culpę vortices sedauit, vt pacato cœlo, nullaque impendente procella vitæ vndas calcaret: & dum cuncta pro pago primęui sceleris aqua obruitur, peccati vnda non audet Virgineum intrare nidum.

418 Orto Moyse apud AEgyptum, cũ iam creuisset, neque vltra abscondi facile posset, Nili fluentis cõmendatur, vnde à Pharaonis filia excipitur, & adoptatur in filiũ. *Exod. 2. v. 3.* *Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellã scirpeã, et liniuit eam bitumine ac pice, posuitq; intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, et considerante euentum rei.* Exod. 2. v. 1. Hebręam vocem, quam Vulgatus *fiscellam* transtulit, difficilem esse cognitu, ait D. Augustin. libr. in Exod. *D. Augu.* Quia neque Græcus ex Hebręo, neque Latinus ex Græco hoc modo vertit: in Hebræo enim correspondet vox *Theba, qua in Scriptura tantum nominatur fiscella ista* [inquit ad hunc locum Marius] *quia seruauit Moysem, et arca quæ seruauit Noe, quasi solum destinata seruandis hominibus: et quidem ex aqua, vt proinde merito etiam vtramque hominis figuram habuerit.* *Hebræus* *Marius.* At quę illa fiscella fuit, quæ humanam figuram referebat, speciemque hominis habuit, & bitumine ingenti cura fuit linita, vt hominem ex aqua seruaret? Auscultа S. Victoris Hugonẽ lib. 2. *Fiscella* (inquit) *est MARIA, scirpea ex carne singulari sine nodo culpæ, perfusa rore gratiæ, et bitumine, ne leuiter dissoluatur, neue aqua intraret in tale vas: et ideo venit in AEgyptum Dominus in ea.* *Hugo de S. Victore* Bitumen perutile est ad rimarum clausionem, & impediendam aquæ per iuncturas penetrationem, vnde & arcam suam ex præscripto Dei bitumine liniuit Noe. Sicut ergo in fiscella illa Pharaonis iras declinauit Moyses, & liberatus fuit à naufragio: sic æternus Dei filius verus Moyses ab Herodis ira fuit seruatus in Mariana fiscella, in quam nulla originariæ culpæ aqua intrauit, quia omnem aditum Spiritus Sanctus pręclusit, & clausit pręueniente gratia naturæ rimas, per quas diabolus illabitur: fuit enim vt scirpus, in quo nodum quęrere fruſtraneum est. Vnde in reuelatione Sanct. Michaelis Sanct. Amadeo facta in libro, qui intitulatur Apocalypsis noua, & habetur in Bibliotheca Regia Sanct. Laurentij, his verbis Sanct. Matthæus loquitur ad MARIAM: *Niuei candoris es, ò MARIA immaculata, scirpus sine nodo.* Vt videre licet apud Egidium de præsentat. Perinde namque est in hac scirpea fiscella culpam quęrere, ac in scirpo nodum.

ANNOT. L. XXXXIV. MORALIS.

MARIA NON DECERTANDO, sed deterrendo, triumphum à serpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria.

Non-

419 NON satis esset MARIAM in certamine cum antiquo serpẽte ipsum deuicisse, vt triũphali corona frueretur, nisi aduersariũ taliter deterreret, vt manus cũ ipsa cõserere recusaret, quia de victoria diffidebat: sine sanguine enim eũ deuicit, sine puluere postrauit, vt gloriosius trophæũ reportaret, & nobiliori victoria potiretur. Nõ viriũ robore, sed metus industria triumphauit, quod in duello honoratius habetur: nã qui cũ hoste ad arenã deuenit, ad minus in eius animo & præsumptione deuictus est: nisi enim aduersarius spe victoriæ erigeretur, ad certamen venire recusaret. Illa ergo aduersarij præsumptio sat est gloriã deuenusta re victorię, & ille tantũ excellentiori triumpho coronatur, qui ita territat inimicum, vt non aggrediatur certamen, quia animo iã deiectus de victoria diffidit. De magno illo Imperatore Traiano obmurmurauit inuidia, quod postquã apicem imperij fuit adeptus, nullũ inimicum deuicit, neq; victoriã aliquam reportauit. Ita est: ait eius Panegyrista Plinius. Cæterũ hęc maior victoria fuit Traiani, & nobilior triumphus: nullum enim vicit, quia nullus eum ad præliũ prouocauit, cũ non esset, qui eum deuincere præsumpserit. *Nunquã enim* (inquit) *nisi ex contẽptu imperij nostri factum est, vt vinceremus: maius hoc omnibus triumphis.* Ac si diceret: Cęteri Imperatores plurimos, & potentissimos hostes debellarunt; sed prius ab eis spe & cogitatione fuerunt deuicti: quia inimicus, qui pugnã cũ alio conserere audet, si nõ in cãpo, saltẽ in præsumptione illũ profligauit: nullus enim eos ad pugnã prouocaret, nisi spe victoriæ erigeretur. At vero nullus fuit ita arrogãs, & præsumptuosus, quod Traianũ vincere præsumpserit, ac proinde nullũ debellauit, quia nullus eum prouocauit ad pręliũ. *Maius hoc omnibus triumphis.* Hoc ipsum magnopere cõmendauit Cassiodor. in duce fortissimo lib. 8. epist. c. 10. *acquisiuit reipublicæ Romanæ, alijs cũtendẽtibus, absq; vlla fatigatione prouinciã, et factũ est quietũ cõmodũ nostrũ, vbi nõ habuimus bellica contentione periculũ. Triũphus sine pugna, sine labore palma, sine æde victoria.* Nunc MARIAE præconia & triumphalis gloria nobilissima apparent: nam tantorum Patrum venia, qui aliud sentire videntur, vicit diabolum non armis, sed opinione, quã de se ipsa habebat. Non enim serpens eam deuincere præsumpsit, quare cũ ipsa nunquã pugnã conserere fuit ausus, quia suamet formidine erat deuictus. Crederẽ de huiusmodi triumpho locutũ fuisse Philonẽ lib. de mũd. opific. vbi *Victoria Virgo* dicitur, est enim perpulchra proprietas, si similitudo deducatur: nã mulier quæ corpore Virgo existit, nõ perfecta Virgo est, si animo degenerat, nam perfecta Virginitas cõstat ex corporis integritate, & animi affectibus. Id ipsum in duello, & victoria reperitur: vincit enim qui inimicũ in arena prosternit; verum hęc non victoria Virgo erit, nam victor in animo aduersarij prius fuit deuictus, nisi enim spe futurę victorię animaretur, non ad certamen deuenisset. Perfecta igitur victoria & animo & corpore inimici constat, nam ita se imparem viribus debet iudicare, vt à propria apprehensione vincatur, & ensem dimetiri non audeat. Hoc igitur pacto MARIA in sua conceptione de dæmone victoriam reportauit, nam eam aggredi non est ausus, quia illam deuincere diffidebat.

Plinius.

Cassiodor.

Philo.

420 Inter mentitas felicitates, quas serpens primis Parentibus fuerat pollicitus, summã infelicitatẽ, & deplorãdã seruitutem introduxit. Accedit Deus dolens, & vt satanicæ deceptionis vindictam sumat, serpentem minatur à muliere debellatum iri, quia & ipse mulierẽ debellauit. *Inimicitias ponã inter te, et mulierẽ, et semẽ tuũ, et semẽ illius: ipsa cõteret caput tuũ, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Ge. 3. v. 15. Prius mulieris victoriã describit, & postea serpẽtis insidias. Videtur sanè quod Deus dolore percitus verba cõmutauit: nã prius est certamẽ, quam triũphus: prius lis, quã corona. Cur igitur

Genes. 3. v. 15.

mulier prius serpentis caput conterat: & postea serpens mulieri insidietur? Cur antequam certamen ineat mulier, triumphũ reportare dicitur? Præstaret verba commutare: Tu insidiaberis calcaneo eius, & ipsa conteret caput tuum; quam è conuerso: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*; cum rebus verba non consonent & præposterus sit ordo: quia prius est hostem insidias apponere, & postea triumphus. At cum magna solertia verba esse collocata existimat Tertullian. lib. 2. cont. Marcion. c. 10. nam si prius serpens insidiaretur mulieri, & mulier postea victoriam reportaret, quod eam sit aggressus spe & animo vincendi gloriaretur serpens, quo mulieris victoria deuenustatur, cum iam in hostis præsumptione sit deuicta. Cæterum quod mulier ita valens ostendatur, vt victoriam reportet, antequam prælietur, & ad certamen deueniat, augustioris victoriæ vltima exaggeratio est, cũ victoria virgo sit, sine pugna triumphus, & sine labore palma. Igitur nõ dicatur quod serpens insidias apponet, & quod postea mulier illũ profligabit; sed quod antequã serpens arma admoueat, mulier lauro coronabitur, vt nobiliori potiatur victoria. Id omne Tertulliani acumen ea, qua solet profunditate,

Tertul. cõprehẽdit: *Ipsa cõteret caput tuũ, vt diabolus amariùs puniretur ab ea, quã eliserat ante deuictus.* Igitur antequã adoriatur inimicus, & cõflictus instet, serpẽs ostẽdatur deuictus, quò MARIAE victoria (de qua ibi sermo sine dubio habetur) nobilior ostendatur.

421 Arbitror hoc victoriæ genus in vẽtre matris Christũ didicisse. Nescio quã consequentiã Dauid habuerit, vt Deũ horretur, quod ense accingatur: cuius ratio ea videtur, quia circa ha-

Psalm. 44 v. 4. bebat matrem. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.* Psal. 44. v. 4. Et statim *Astitit Regina à dextris tuis.* Non verisimile videtur, quod ipsa eum ense accingat, neque quod qui à natura ita fortis est, à muliere fortitudinẽ mẽ

Cassiodor. dicet. *Hic ab vxore cõmendat Sponsum*, dixit Cassiodor. Verum id ita accidit, nam ipsa quæ naturã ex se capacẽ ad culpam dedit, dedit valorẽ & fortitudinẽ contra illã. Quare à maternis visceribus valorẽ, & vires Christus hausit contra cõmunẽ naturę humanę hostẽ. Sed hinc iam oritur difficultas: si enim MARIA consulit filio, vt armas assumat, vt Martem induat, *Accingere gladio tuo super femur tuum*: cur cum eum armatũ vidit, & paratum ad pugnam, suggerit, vt mãsuetudine, & dulcedine triũphet? *Specie tua, et pulchritudine tua intẽde, prospere procede, et regna.* Obuia sunt, sed non omittẽda Tertulliani verba id ipsum expẽdẽtis c. 9 aduersus Iudæos. *Accingere* (inquit *Tertul.* Dauid) *ense super femur. Sed quid iam pestiuus decore super filios hominũ diffusa gratia in labijs tuis? Valde enim absurdum est, si quem ense cingebat, ei de tẽpestiuitate decoris, et labiorum gratia blandiatur, de quo subiungens dicebat: Intende prospere prospera et regna. Et adiecit: Propter lenitatem et iustitiã. Quis enim ense accingitur, et non cõtraria lenitati, et iustitiæ exercet? Id est, dolũ, asperitatẽ et iniustitiã, propria scilicet negotia præliorũ?* Quis non expectaret, vt postquã filiũ armauit MARIA, artẽ qua hostẽ vulneraret, & ab illius ictibus se defenderet, doceret? Qui armatus incedit, non ferri duritie, neq; robusta manu inimicum profligabit; sed dulcedine & suauitate? Non inquã: voluit enim MARIA, vt filius gloriosiori victoria, ea nẽpe, quã ipsa in conceptione reportauerat, inimicũ deuinceret, vt sine sanguine triũpharet. Videat eũ inimicus armis cinctũ, vt eũ formidet: at nõ stringat gladiũ, nõ manus cõserat in bello, ne hostis de sua temeritate & audacia glorietur. Huc respexit mulier illa Euãgelica, quę cũ Christũ videret dęmonẽ ab obsesso corpore eijcientem, illumque debellantem, matris ventri victoriam arrogauit: *Beatus venter, qui te portauit.* *Luc. 11.* Luc. 11. Quasi dicat: Hoc victoriæ *v. 17.* genus hereditate possedisti, à maternis visceribus didicisti: quapropter victorię laudes non tibi, sed

matri

matri sunt deferendę, quæ in certamine inito cum hoste potentissimo hoc victorię genere exultauit: quia licet baltco primæuę iustitiæ armata incesserit, sine pugnę rumore deuicit, & victoriam cecinit.

422 Vulgaris quæstio est inter Interpretes, an Hebręi arma secum detulerint, cū ab AEgypto fuerunt egressi, conditio enim seruilis, in qua ille populus tunc erat, id non admittere videtur. Præterquam quod exitus fuit ita improuisus, vt arma sumere, ac illa præparare non permitteret. Extat tamen expressus locus in Exodo cap. 13. qui arma detulisse affirmat: *Armati ascenderunt filij Israel de terra AEgypti.* Mirum est, quod cum textus tam perspicuè loquatur, id vertatur in dubium. Cæterum dubitatione caret, eos instrumenta musica portasse, cum id constet ex choreis, canticis, & exultationibus, quæ ad maris littus, cum ab eius naufragio liberi viderentur, fecerunt: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressęque sunt omnes mulierès post eam cum tympanis et choris.* Exod. 15 vers. 20. Id autem animaduersione dignum est, quod cum omnes eadem potirentur fortuna, & ab AEgyptijs eos insequentibus fuerint liberati, solum Mariam cecinisse dicatur. Fortè ita dicitur, nā inde eorum videtur, quod tot milites armis accincti, vt musici iter facerent instrumentis deliciarū vtentes, non autem militaribus; præcipue cum ad dorsa hostem implacabilem haberent. Verum quod felicitas & victoria omnium sit, & quod sola Maria hymnum lętitię canat, me in suspicionem adducit, ita fuisse ab Spiritu Sancto dispositum, vt euentum alterius MARIAE in sua conceptione prædiceret. Nam illi soli inter cæteros Adæ filios seruabatur à securitate victoriā canere, & sine pugna triumphare: quod inimicus eam armatam videret, vt pertimesceret; tamen sine necessitate pugnandi. Quod & Dauid prædixit de eodem transitu maris rubri locutus, vt cōmentatur D. Chrysost. *Exultationes Dei in gutture eorum, et gladij ancipites in manibus eorum.* Psalm. 149. Quasi dicat: Enses quidem, enses habebant in manibus, quibus formidabiles inimicis apparerent; cæterum solis musicis instrumentis vtebantur, quibus victoriam canebant. At hoc solum MARIAE commēdatur, nā illi soli cōtigit à littore, nau fragiū hostis videre. Ita enim in eius conceptione accidit; nam mare rubrū originalis culpę Deus diuisit, pars eius superior in excelsos velut mōtes progenitorum MARIAE intumuit, ne ad ipsam flueret; inferior vero pars præcipiti fuga, ingentique fragore decurrens in reliquum ac salsissimū humanę naturę mare defluxit, in cæteros Adę filios exundauit. Intrauit per siccum MARIA pede calceato immunitate legali, & vt ad vitę littus deuenit, aquę originalis peccati iterū fluxerunt, obruerunt reliquos, & Pharaonem nostræ libertatis Satanam primo tropheo suffocauit. Victoriam ergo quę sine sanguine acquiritur, sola Maria canat, *Sumpsit ergo Maria tympanum.* Arma non admoueat, & suorum pondere demergatur hostis, vt laudatissima fruatur victoria.

Exod. 13. v. 18.

Cap. 15. v. 20.

D. Chrys. Psal. 149. v. 6.

ANNOT. LXXXXV. MORALIS.

MARIA PARADISVS SEMPER virens, lux nunquam deficiens.

NVLLVM fuit instans momentumue. In quo Beatissima Virgo non fuerit gratię pulchritudine nitens: nā veluti paradisus secundo Adamo creatus florida amenitate vernauit semper, virore gratię nūquā fuit viduatus. *Hortus conclusus, soror mea Spōsa, hortus conclusus:* dicebat Amasius sacer Cant. 4. v. 12. Quę amatoria verba Hesich. orat. 2. de Deipara, Epihanius iunior de laud. eiusdem, D. Hieronym. libr. cont. Iouinian. Iustus Orgelitanus hic, & Rupertus libr. 4. in Cantic. de Beat. Virgine accipiunt, quæ veluti flos in septo & concluso horto fuit illibatus, ne

423

Cant. 4. v. 12.

Hesich. Epiphan. D. Hiero. Iustus Orgelit. Rupertus.

inimica manus ad ipsam accederet, illamque temeraret: nam flores in horto clauso vernant, cautè custodiũ tur, vt à nemine iniuriam patiantur. Quod pulchre Catullus in suo epithalamio ad puellam intemeratam, omnibusque dilectam inflectit.

Catullus. *Vt flos in septis secretus nascitur hortis*
Ignotus pecori, nullo cõtusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic Virgo dum intacta manet, tunc chara suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec grata puellis.

Vt igitur Sponsus matris puritatem nullo contagio offensam indicaret, flori intra hortum septo illam contulit, qui omnem abegit hostilem incursum, aditumque præclusit ad inimicas insidias. Hoc ipsum venustè põderauit Rupert. in horto, vbi semper flores & virgulta vernant propter agricolæ beneficium: *Inde* (inquit)

Rupertus *nominatur hortus, quòd semper ibi aliquid oriatur: quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Vnde ergo hortus es tu, à dilecta dilectis? Nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam desinit, et fructus tuus nunquam marcescit.* Premenda sunt illa verba *Nunquam sine fructu est, et fructus tuus nunquam marcescit.* Quia nunquam fuit temporis instans, in quo Beatissima Virgo sine fructu gratiæ, & sine virtutis fragrantia extiterit. Quando reliquæ arbores in originalis culpę hyeme fructibus, ĩmo & folijs ab Aquilone viduã tur; tunc B. Virgo florida amenitate vernabat, & gratiæ fructibus fuit adornata, quin tartareus Aquilo, qui cæteros spoliat, ad ipsam accedere potuerit. Quo spectat, quod ex traditione Patrum testatur Fuluertus Carnotensis serm. 2. de natiuitate, vi- *Fulbert. Carnot.*
licet, MARIAM in Nazareth ortũ habuisse, idque mense Septembris, in quo verni flores arescunt, vt manifestè videas, quod hic flos nõ naturę impetu, sed gratię impulsu cõcipiatur, Nazareth enim flos interpretatur, & quòd cum cæteri flores decidunt, & marcescunt, Marianus flos succo Diuinæ gratiæ irrigatus viret.

Idcirco bis hortus cõclusus appellatur MARIA, vt non solum de integritate corporis, quam & in conceptione, & in natiuitate Verbi illibatam seruauit, loquutum arbitreris Sponsum; sed etiam de animæ integritate, quam nunquam serpentis antiqui temerauit aspectus. Audi Rupertum vbi supra sic excogitantem. *Bis hortus diceris propter conceptum, et partũ, quia in vtroque mirabile est et amabile miraculum, quod neque corrupta es conceptu, neque violata partu: nam et vterus tuus nulli carnali commercio accessibilis, et mens tua nulli spirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Pre- *Rupertus*
mẽ hæc vltima verba, *Et mens tua nulli spirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Quæ magnam energiam continent: quia videlicet in nullo tẽporis momento serpentis pestifero veneno patefacta fuit Virginea mens; sed semper & pro omni tempore omnis culpa ab hoc horto bis concluso exulauit: concluso (inquam) bis, propter geminum custodiæ munimentũ, quo eius corpus & anima seruabatur, ne halitus tartarei draconis florem puritatis tangeret, illoque huiusmodi hortus marcesceret, vt inter arefactas filiorum Adæ mentes hęc singularis Virgo sẽper floreret. Huc spectat, quod declaraturus Deus summũ Sacerdotem iussit, vt pro singulis tribubus singulę virgę amygdalinæ in tabernaculo ponerentur, & ex illa tribu assumeretur Pontifex, cuius virga in crastinum floribus, ac fructibus germinasset. D. Cirill. Ieroſolymit. ibi, S. Ephren serm. de B MARIAE laudib. & D. Bernard. hom. 2. super *D. Cyrill. Ieroſol. S. Ephren. D. Ber.*
missus est, in illa virga MARIAM agnos-

noſcunt. Sed libet ambigere, cur potius amygdalina fuerit illa virga, quę Virginem referebat, quam alia? Sic enim habet textus Numer. 17. verſ. 7. *Quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij, ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Cur nō in alia proceriori plāta indicatur dignitas ſacerdotalis, & ex illa tribu vētura adumbratur Meſſiæ mater, ſed in amygdalo, quę longe inferior multis arboribus eſt? Suſpicor, vt in huius plantæ præpropera florum amenitate MARIAE puritas præuēta legatur: amygdalus enim inter omnes arbores primū floret, cæteraſque anteit, nam verno tempore non exſpectato, nondum tranſacto hyeme, flores emittit. Sic B. Virgo Dei gratia pręuenta & irrigata, à primo ſuæ cōceptionis inſtāti efflоruit, venuſtaque & virens apparuit eo tempore, quo cęteri Adę poſteri nudi & aridi videbantur: nunquam enim ipſi natiuus gratię candor defecit, vt arcane dixit Ieremias cap. 18. v. 14. *Nūquid deficiet nix de petra Libani? Aut euelli poſſunt aquæ erumpentes, frigidæ et fluentes?* D. Ambroſ. lib. 1. de Virginib. ante mediū myſticè hic Eccleſię puritatem agnoſcit; ſubindeque procliue eſt ea ad B. Virginem inflectere, quam Iſaias cap. 16. petrā deſerti nominauit. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti.* At cur Vates dū Deiparæ album colorem vult indicare, vt ipſius puritatem per tranſlationem deſcribat, non alijs rebus candidis, byſſo, videlicet, aut papiro, ſed niui eam comparauit? Credidetim, quia candor byſſi aut papiri non eſt illis innatus: prius enim ſub alijs coloribus, fuſco, ſcilicet, & viridi fuerunt, & poſtea ſole & aqua dealbantur, vtpote quæ ex lino viridi, & poſtea fuſco ortum ducunt. Aliter autem ſe habet candor niuis, quę candida generatur, ſpargitur candida, & candida in terram deſcendit. Candori ergo niuis, nō byſſi, aut papiri congruè confertur MARIA: quia nunquam ſub tetro & fuſco originalis culpæ colore fuit; ſed candidiſſimum colorem, ſub quo fuit concepta, ſemper conſeruauit; ideo que nunquam ab illa defecit. *Nūquid deficiet nix de petra Libani?* Quaſi dicat: Nunquam deficiet, quia à natura inditam habet puritatis ſpeciem, candorem gratiæ, & indeficientem lucis nitorem.

Hinc enim ipſam Angeli mirabantur Cantic. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Quid tam rarum habet aurora, vt Angelos totius ignorantiæ expertes in admirationem rapiat? Audi S. Bernardin. Senenſ. 51. cap. 4. *In prima ſui ſanctificatione Virgo beata progrediebatur ſicut aurora conſurgens: quia fugauit tenebras horrendæ noctis originalis infectionis, et carnalis ſocietatis humani generis.* Hoc vnum peculiare & ſibi proprium habet aurora, quod maximè conceptionem Virginis demonſtrat, quòd à primo ſuę creationis inſtanti lucem in ſe habuit, neque vnquā eam perdidit. Sic vtique MARIA à primo conceptionis exordio pulcherrima fuit, ſplendeſcens, abſque vlla originariæ labis vmbra. Ibi enim vbi cęteris omnibus, præter Chriſtum, lux occidit, & ſuccedit nox, Beatiſſimæ Virgini lux oritur indeficiens. Quod reſpiciens Dauid dixit Pſal 77. *Et eduxit eos in nube die.* Loquitur de columna ductante populum in deſerto, in qua D. Hieronym. Beatiſſimam Virginem agnoſcens inquit: *Pulchrè dixit nube diei: nubes enim illa non fuit in tenebris; ſed ſemper in luce.* Hoc eſt nunquam vllis peccatorum tenebris caligauit; ſed ſemper immēſo quodam diuinæ gratiæ iubare refulſit. Vbi cęteros atra nubes obſcurat, B. Virgini nubes lucida & ſplendeſcens oritur: nubes inquam diei, quia nunquam tenebrę ad ipſam acceſſum habuere. Ideo alibi dicitur dies cœli, *Et thronus eius ſicut dies cœli.* Pſalm. 88 v. 30. Dies terrā incipiūt in tenebris, & in luce finiuntur, ideo veſpere antecedit mane, *Factum eſt veſpere et mane dies vnus.* Geneſ 1. At

425

Numer. 17. v. 8.

Cantic. 6. v. 9.

S. Bernar. Senenſis

Ieremiæ. 18. v. 14.

D. Ambr.

Iſaiæ. 16. v. 1.

Pſalm. 77 v. 14.

D. Hiero.

Pſalm. 88 v. 30.

Geneſ. 1. v. 5.

cœli dies semper splendent, quia occasum ignorant, & vespere non habent. Alij enim Sancti dies terræ nuncupari queunt, quia incipiunt in vespere, & caligine originalis noxę; terminantur vero in luce & die gratiæ. At beatissima Virgo cœlestis est dies, quia semper in gratia fulsit, nullaque peccati obscuritate neque in exordio, neque in fine fuit offuscata, nunquam eius lux deliquium fuit perpessa, vtpote origo luminis immẽsi. Lux etenim illa, quam in primo creationis
Vers. 3. die Deus produxit, *Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* Genes. 1 multi existimant, quod fuit quoddam corpus lucidum & luminosum, ex quo postea quarto die lucem formauit. Si autem inquiras cur non primo die solem cõdidit, à quo lux tanquã è fonte emanaret: ausculta Albert. Magnum super missus est. *In hac prima die facta*
Albert. Magn. *est nubecula, de qua postea factus est sol. Quid autem nubecula materia corporis solaris? Nisi B. Virgo mater et materia corporis Christi.* Lux illa, quæ in primo die præcessit, MARIAM adumbrabat, ex qua Christus Dominus sol iustitiæ originem duxit: subindeque non à tenebris fuit orta, sed ab increato Dei lumine, vt nulla in suo primęuo exordio appareat vmbra, nullaque caligine concepta videatur.

ANNOT. LXXXVI. MORALIS.

VT TOTVS NATVRAE ORDO in MARIAE conceptione videatur inuersus, non tantum capite, sed et pedibus coronatis incedit.

426 QVISnam perfectior sit modus principatũ adipiscendi, electione, an hereditate, quæstio est non parum implexa, & difficilis inter Politos, disserte enim rationes pro vtraque parte afferuntur: & quidem potiorem esse successionẽ principatus, quem merita exposcunt, & conferunt ciuium suffragia, perspicue tradit Theodoret. (quæst. 48. in Numer.) factũ Moysis approbans, qui regimen populi non filijs commisit, sed extraneo Iosue. *Moyses amicus Dei, cui facie ad faciẽ Deus locutus est,* *Theodor.*
potuit vtique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus: vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum, sed vitæ. Theodoreto adstipulantur quamplurimi. Nihilominus naturalem successionẽ congruẽtiorẽ esse, probabilius existimo, quod robustissimis rationibus conuincitur, quas longum esset recensere, sat est indigitare: præsumptio enim in naturæ fauorem decertat, & generositatẽ prolis ab origine generoso, & regali sanguine arguit: subindeque regulariter principatus, ad quem euexit natura, perfectior est, & ille melior Princeps in genere iudicatur, qui graduatur à natura, & in ipsius schola eruditur. Vnde Aristot. *Par est meliores esse eos, qui ex melioribus,* & lib. 1. politic. cap. 4. *Nam vt ex homine homines, ex belluis belluam: sic ex bonis bonum generari putant. At hoc sæpè natura efficere vult.* Quare naturã aberrasse creditur (quod raro contingit, cum eius opera intelligentiæ sint) quando degenerem formatum, qui ad principatus insulas est asceẽsurus. Vnde vt MARIAE perfectio demonstretur, nõ sat videtur, quod à regia stirpe originem traxerit, vt naturæ beneficio Regina existimetur: nisi etiam à gratiæ fauore & electione Regina oriatur, atque adeo immunis à quacumque lege pęnali, & debito connaturali imposita; cũ id sit Principis ius & priuilegium, legibus, quæ cæteros cõprehendunt, nõ subijci. Proindeque existimo, omnem naturę ordinẽ in MARIA fuisse inuersum, & non tantum capite coronatam ire (quod est solẽne Principum priuilegium, qui hereditate, & naturali successione regna possident) sed etiam pedibus, quod fauor est ijs, qui gratia regna capiũt, concessus, vt à naturę legibus videãtur immunes, siquidem à primo gradu coronati sine offendiculo incedunt, quod MARIAE peculiare elogium est.

427 Decertãtibus in illis amatorijs carminibus Sponso & Sponsa de dilectione, cum ille omnes Amasię partes laudibus extulisset, tandem ad pedes deueniens ait: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Canticor. 7. Mitto quod alias corporis partes comparationibus & similitudinibus laudauerit, quasi non esset difficile earum pulchritudinem depingere, & nulla pedes describens similitudine vtatur, quasi nulla res veniat cum ipsis comparanda: & expẽdo, quod in gressibus filiam Principis agnoscat Sponsam: noua etenim & inusitata loquendi forma. Quis vnquã personam principatui natam in pedibus agnouit? Caput enim corona redimitum insigne est regię dignitatis, sceptrũ est regale ornamentũ: Princeps his insignibus decoratur. At in pedibus dignitatem regiam agnosci, quis audiuit vnquam? Qui cognouerit (acutè Rupertus respondet) quod MARIA naturam ingreditur Reginæ priuilegijs à gratia concessis exornata, & ideo pedibus corona cinctis: nã eos discalceatos habere, & toxico venenosi serpentis expositos, seruilis conditio fuit primæ mulieris, quæ cũ Regina nasceretur, ancillam se culpæ effecit. Verum MARIA periculum ipsum calcat, & opprimit: nam in primo gradu, in instanti primo, quo ad vitã ingreditur, coronam suis gratia pedibus elaborauit, vt illos cingeret, & à quocumque morsu venenoso defenderet. *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis. Nonne ancilla, siue ancillæ filia discalceatis pedibus incedit? Plane discalceatis. Propter hoc seruilis arguitur conditionis, quia nuditas pedum seruilitatis est argumentum. Idcirco ancillæ calcaneum serpens momordit. Tu autẽ ò filia Principis calceata caput serpentis contriuisti.* Huc vsque Rupert. In corona, quam in pedibus à primo cõceptionis instãti MARIA gestauit, cœpit culpæ caput conteri. Hinc Salomon vtpote in aula Principũ educatus regiam maiestatem, & ornamenta Principis in MARIAE pedibus agnouit, & ad primum conceptionis gressum coronam cœpit admirari.

Cantic. 7. v. 1.

Rupertus

Nunquam satis mirabitur, qui MARIAE imaginem inspexerit, quam in sua Apocalyp. Ioannes vidisse testatur. Apparuit *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et corona stellarũ duodecim in capite eius.* Apocalyp. 12. Quod sole sit amicta mulier, & stellis coronata, radijsque solaribus exundans, vt tota eius reuerberet pulchritudo, aprime videtur. Sed ad quid luna sub pedibus collocatur? Nam cũ luminare sit secundum à sole, excellentiori loco, quam stellæ, debebat potiri. Cur igitur sic despicitur, vt ad pedes vsque descendat, vt eam calcent? At eum locum non dedecoris, sed honoris fuisse credendum est: luna enim quæ Ioanni sub pedibus MARIAE apparuit, diadematis, quo Sãcti coronantur, figuram prę se fert, vt attentè consideranti patebit. Igitur in reliquis sanctitatibus corona capitis præmium est & insigne: cæterum in MARIA pedum diadema, quo ad primum vitę gressum eius pedes gratia coronauit, ipsam que Reginam ostendit. Cæteri enim Adæ filij (vt dixit Ambrosius) vitam ingrediuntur non quasi ad portum securi, sed à natura exputi tanquam ad naufragium incuitabile: *Quos naufragos in hanc vitam quidam naturæ fluxus expuerit.* Omnes colliſi in fatalem culpæ scopum conteruntur: hac enim de causa omnes, cũ à maternis visceribus egrediuntur, à capite oriri incipiunt, quasi ad prę cipitium impellantur. At MARIA à pedibus cœpit oriri (*Se nacio de pies*, Nostri dicunt) quia eos tanquam gratię regina habuit coronatos. Vt autem hoc regale priuilegium plus firmaretur, semel & iterum illud repetit Sponsus Cantic. 4 *Veni Sponsa mea, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermõ, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Geminatis vocationibus eam ad coronationem inuitat, vt vtramque coronam & gratię, & naturæ, & pedis, & capitis accipiat: quod Hebręa lectio innuit. *Veni* inquit *coronaberis de lucis scopulo.*

428

Apocalyp. 12. v. 1.

D. Ambr.

Cantic. 4. v. 8.

Hebræus.

pulo. Quasi dicat: *A cubilibus leonum*, *de montibus pardorum*: Id est, de filijs Adæ, à quibus originem traxisti, & qui tanquam feræ in vmbrosis originalis culpæ tabernis habitant: veni luce respersa, à lucis scopulo progredere, nã in naufragio ineuitabili humanæ naturæ, in scopulo primæuæ culpæ plus tua innocentia solidatur, quia ibi pręuenta luce reperiris: lux autem scopulum non formidat, cum naufragium non possit pati: & quæ ad primum gressum naturæ, pede accincto & coronato luce gratię procedit, non est cur periculum pertimescat. Succinit Charthusian. in commẽt. huius loci. *Veni* (inquit) *de Libano à candore gratiæ, à luce puritatis æternæ.* Lux enim, quæ MARIAM illustrauit, extemporalis & intẽpestiua fuit, quia nullo instanti illa caruit: proindeque pedem semper in loco fixit. Reliqui Adæ filij cum primò limen vitæ calcant, pedem luto originalis noxæ immersum, & inuolutum tenebris hauriunt; MARIA autem à luce pręuenta tenebras relegauit, & priuilegijs gratiæ ac naturæ gaudens, vbi periclitãtur cæteri, candorem & puritatẽ plus firmauit.

Carthus.

429 Hanc enim pedum coronam deferentium nobilitatem à ventre matris hereditauit filius, de ipsaque gloriatur, vt maternam puritatem sanciat. Exod. 28. leges & cęremonię summo Sacerdoti intimantur, & inter alia præcipitur, quod ingressurus tabernaculum vestimentum portet, è cuius fimbria mala punica depẽdeãt. *Deorsum vero ad pedes eius dẽ tunicæ quasi mala punica facies.* Quod ordinabatur non solum in honorem Sacerdotis, sed etiam in cultum & reuerentiam arcę, quæ tantum eius oculis permittebatur inspicienda. Vt autem maiestate, quę ipsam decebat, accederet, pedes coronatos deferebat malis punicis, quæ naturali gaudent corona: sic enĩ, & non aliter pauimentum calcabat tabernaculi. Hieronym. & vtraque Glosa Sacramentũ incarnationis Verbi, & ingressum in MARIAE viscera, sicut & ipsius matris conceptionem, & ingressum in Annæ vterum hic figurari existimant. At cur cum vtriusque conceptionis mysterium agitur, & affectantur reuerentia & maiestas, coronæ non in capite Sacerdotis, sed ad pedes deferuntur? Coronas enim ad pedes mittere, vbi facile conculcẽtur, maiestatem despicere & parui pendere est. Verum hic non humana res agitur, sed Diuina, non communis, sed contra naturæ ordinem: in his enim conceptionibus non solum in capitibus (vt mos est) coronæ deferũtur, sed in pedibus, quia vtraque immunis fuit à seruili originalis culpæ conditione: & idcirco regali diademate matris & filij pedes coronãtur, vbi serpentis conteratur caput. Ingreditur Christus in templum, vbi arca, quę MARIAM referebat, asseruatur, coronas calcans, non solum propter dignitatem personalem, quam accepit à Patre; sed etiam propter eam, quam à matre iure habet hereditario: nam cum ipsa regali pompa, & pedibus coronata in Annę viscera sit ingressa, filius eadem maiestate in ipsius ventrem ingreditur.

Exod. 28. v. 33.

Hieron. Vtraque Glosa

ANNOT. LXXXVII. MORALIS.

NEC LEVEM CVLPAE SVSPICIONEM MARIAE conceptio patitur.

430 TENET Magnus Albertus libr. de laudibus Virginis cap. 81. omnia Ecclesiæ Sacramenta [si Ordinis excipias] MARIAM suscepisse: quem sequitur Canisius libr. 1. de Deipara cap. 10. vbi tenet cum Nicephoro & Euthymio ad cap. 3. Ioann. à Christo Domino fuisse baptizatam: verba Euthymij subijcio. *Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, ac Virginem matrem baptizauit.* Non quidem, vt ab originali culpa mundaretur, ad quod Baptismus fuit institutus, sed filij sequeretur exemplum, qui in Iordane fuit tinctus, & vt gratia roboraretur, quam ab instanti suæ conceptionis accepit, virilius que in serpen-

Albert. Magn. Canisius Nicepho. Euthym.

serpentem mortiferum insurgeret. Tradunt rerum naturalium Scriptoret aquilam perpetua bella cum drachone gerere, quem lethaliter laceratdeuorat,atque natiuo calore eius venenum extinguit. Vt autem vires augeat, si forte longæua ætate eneruantur, in mare se immergit,& aqua tincta reiuuenescit, viresque assumit. *Cũ senescit, se frigidis immergit aquis:* inquit Epiphanius. *Epiphan.* De hac autem renouatione in aquis passim Authores: vide Aldrouand. lib. 1 Ornitholog. vbi hoc confirmat ex D. Hieronim. comment. in Isaiam, & ex D. August. ad Psalm. 102. *Aldrou.* *D. Hiero.* *D. August.* Pugnam autẽ inter ipsã & drachonem venuste D. Ambros. lib. de Salomone ad Christum peccatum enecantem inflectit. *D. Ambr.* *Sicut auis illa* (aquila nempe) *inimica serpentum est, quos cum in aere alarum remigio subuectando supportat, hosque adunco rostro, et armatis quasi quibusdã telis, pedibus suis lacerat, ac diuellit: quos cũ deuorat, calore suo interno noxiũ illud virus extinguit. Ita et Christus Dominus percusso drachone, id est, diabolo lacerato, dum humanum corpus assumpsit, et peccatum, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam perniciosum virus extinxit, sicut Apostolus ait ad Roman. 8. Et de peccato damnauit peccatum in carne sua.* Mirificè Christo Domino, & eius matri hoc aquilę genium cõgruit: nam vterque serpentem interfecit, eiusque virus extinxit in primo conceptionis momento, quanquam aliter: quoniam Christus calore suo natiuo, quem ab intrinseco habuit (quoniam impeccabilis prorsus fuit) venenum consumpsit: eius vero mater ex Dei gratia, & filij meritis ac prẹseruatione. Vterque sacro Baptismatis fonte tingitur, non vt toxicum originalis culpæ extinguatur, sed vt pulchro charactere exornetur, & ingentioris gratiæ vires assumat. Sic Iudæis ad Baptismum cõfluentibus dixit Ioannes: *Genimina viperarũ, quis ostendit vos fugere à ventura ira?* *Lucæ 3. v. 7.* Lucæ. 3. v. 7. Cur eos reprehendit, qui potius merebantut laudem, cũ properarent aquis salutaribus tingi? Cur eos comparat viperatum partubus? Eleganter S. Gregor. Nazianzen *Quia fœtus excrescens perimit conceptricem, in vindictam quodammodo perempti patris.* *D. Grego. Nazianz.* Salutare remedium Baptismus est: sed dum renatus beneficium accipit, patrem detestatur, à quo primũ esse accepit: est enim remedium, sed ingratum, siquidem naturalem occidit causam. In hoc ergo cęterorũ Adæ filiorum Baptismus à Baptismo B. Virginis melioris Adæ matris distinguitur: hic enim cũ non haberet culpę similitudinem, quam deleret, nihil parricidę habuit, sicut in aliorum baptismo contingit, qui congruè viperis comparantur, nam illę in ortu internecant parentem: & similiter Adæ progenies, vbi renascitur in Baptismo, patrem ipsum detestatur, & quodãmodo interimit. Recte ergo Deipara à filio baptizata perhibetur, quia baptismus tantum illi authoritatem attulit: non à Petro, aut quouis alio homine, quoniam horum baptismus purificat, & emundat, necatque parentem, quem MARIA non in baptismo, sed in conceptione necauerat, eiusque abrenuntiauerat legibus,

Pulchrè hoc satisque dilucidè obseruatum inuenies in Cantic. libro, vbi tota MARIAE pulchritudo singillatim describitur: ibi enim semel & iterum Sponsus viuaci penicillo illius partes depingit. Primò cap. 4. vbi ab oculis incipiens: *Oculi tui columbarũ.* *Cantic. 4. v. 1.* Deinde capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera laudat, ac tandem compendiosè ait: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* *Vers. 7.* Ibi v. 7. Secundò illius partes minutim refert, & dilaudat cap. 7. vbi è conuerso à pedibus incipiens, *Quam pulchri sunt gressus tui,* *Cap. 7. v. 1* per reliquas corporis partes ascendit, iuncturas, vmbilicum, pectus, collum, cæteraque partes describit, ac tandem in capite concludit *Caput tuum sicut carmelus.* *Vers. 5.* Ibi v. 5. Iam ergo merito dubitabis, cur cum primò Sponsæ AEncomiastes in eius laudes diffunditur Spõsus, & singillatim ipsius membra commendat, immemor capitis illud silentio prętermit-

tat,

tat; cum vero secundo eius celebrat venustatem, à pedibus vsque ad caput ascendit, illudque seorsim dilaudat conferens Carmelo? Nonne eãdem & numero & pulchritudine Spõsam, quam primo commendat, secũdo laudat? Cur igitur primò gratos serenitate oculos, risus serenos, reliquaque membra depingens, capitis non meminit: postea vero caput venusto comptu delicias carmeli referens exaltat? Opinor, hic satis eleganter innui MARIAE in sua conceptione immunitatem, & ab Adamo nullã capitis culpam contraxisse; quin potius omnibus ab illo hereditate possidendis renuntiasse Etenim cum primo Sponsus Sponsæ laudes & pulchritudinem intonat, de ipsa loquitur, quando primò vitam ingreditur, nam tunc eius oculos allexit: postea verò, cum de terra ad cœlos fuit assumpta. Ergo vbi primo ingreditur MARIA per conceptionem, absque capite describitur, nulla capitis fit mẽtio, ac si absque capite conciperetur, quia omnium viuentium caput fuit Adam, à quo & naturalem originem, & originalem culpam tanquam à capite omnes participant. Nulla igitur capitis, quod Adam fuit, in MARIAE conceptu vox audiatur, ne ab illo culpam contraxisse suspicetur. Neque originis vmbra, neque capitis verbum in huius mulieris conceptu sonet, vt omnem à se culpæ releget notã: postea vero cum ad cęlos ascendit, caput videatur habere, at caput vt Carmelũ, nam Carmelus idem est ac *inçisus*: quasi non à natura inditum, sed mirifica arte insitum caput MARIA habeat: quia loco capitis, quod Adamo competebat, Deus successit, & inseritur. Prodest Rupert. lib. 3. ad illud Cãtic. 4. *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui. Id est, crinis colli humilis cogitatus mulieris caput non habentis: id est, virum neque habentis, neque habere volentis, nam caput mulieris vir.* Si ergo imaginem MARIAE in sua conceptione attentè inspicias, truncam, & absque omni capite reperies, quia capitis non contraxit infirmitatem: at non ideo inuenustam, quando quidem caput, quod cæteros indecoros reddit, in huius puellæ conceptu non apparet: beneficio tãmen sanctificantis & præuenientis gratiæ caput aliunde habuit suffectum, nempe, ex beatifico Trinitatis Carmelo, colloque insitum, ne per malignos traduces à noxio capite in corpus serperet culpa.

Rupertus

Ejecto dæmone ab obsesso corpore, exultans pia mulier, quæ aderat, valida voce dixit: *Beatus venter, qui te portauit, et vbera, quæ suxisti.* Lucæ 11. Mitto quod victoriæ laudes nõ Christo vincenti, sed eius matri deferantur, & id expendo, quod Euangelica mulier non alia membra virginis laudauerit, neque egregias animæ virtutes, sed vbera tantum, & ventrem: omnia enim quę in Virgine relucebant, laude dignissima videbantur. Cur nõ oculorum gratiam, vultus pulchritudinem, profundissimam humilitatẽ, ardentissimam charitatem, cæteras ve præstantissimas Virginis virtutes commendat, sed tantum vbera, & vẽtrem? Sed hunc quidem Ieremias sepulchrum sibi fore desiderabat, *Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo dicẽs: Natus est tibi puer masculus* &c. *qui non me interfecit à vulva, vt fieret mihi mater mea sepulchrum.* Ieremiæ cap. 20. & similiter Iob cap. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est conceptus est homo.* Rationem esse reor, quoniam quilibet ex prędictis, sicut & quicumque alius filius Adę in originali culpa concipitur: id circo infausta materno ventri, vbi lethalis noxa contrahitur, imprecantur. At beata Virgo absque huiusmodi culpæ suspicione fuit concepta: id circo solertissima fœmina non de alijs excellentijs, etsi præclarissimæ sint, Virginem laudat, ventrem solum miratur, in quo ęternum Verbum purissimam assumpsit carnem: proindeque liber à quacumque originalis culpę labe debuit existere. Cæteri vẽtres maledictionibus sunt obnoxij, de illis querantur Ieremias & Iob, omnesque mortales propter originale, quod

432

Lucæ. 11. v. 27.

Ieremiæ. 20. v. 15.

Iob. 3. v. 3

433

quod in die conceptionis contraxerunt: at virgineus & intemeratus venter summis extollatur laudibus, quoniam sanctissima puerpera adeo fuit pura, vt absque vlla sorde conciperetur. Quo alludit, quod Christus Dominus subiunxit ad dæmonis de humano corpore exitum. *Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa quærens requiem, et non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Lucæ 11. Cur dæmon domum suam vocat animam, quæ scopis pœnitentiæ iam est mundata, & ad illam tanquam ad proprium habitaculum reuertere tentat? Non alia equidem ratione, nisi quia per aliquod temporis, licet immerito, habitauit in illa: vt constet quam esset indecens & indecorum B. Virgini ac eius filio, quod diabolus posset dicere, illam domum suam esse, si in primo conceptionis momento eam habitasset, quam æternum Verbum sanctissimam vocat, *Domum tuam decet sanctitudo.* Psalm. 92. Non solum sancta, sed & ipsa sanctitudo nuncupatur, vt magis ab omni peccato credatur immunis.

Lucæ. 11. v. 26.

Psalm. 92 v. 5.

433 2. Paralip 24. de Athalia pessima idolorum cultrice, atque eius filijs dicitur: *Destruxerunt domum Dei, et de vniuersis, quæ sanctificata fuerant, in templo Domini, ornauerunt phanum Baalin.* Sic prophana ac dedita vano cultui regina suppellectilia, quę à domo Dei abstulit, ad vanum idolorum cultum dicauit. At post eius mortem Ioas, qui in regnum successit, nihil aliud curauit prius, quam vt templum Dei reformaret: quare infinitam pecuniam congregauit (vt citato loco vers. 11. refertur) ex qua noua ornamenta fabricari iussit, atq; diuiti suppellectili domum Dei renouauit. Quęrunt Interpretes, cur non potius Ioas ornamenta & suppellectilia, quæ Athalia abstulerat, & ad phanum Baalin prophanis vsibus dicata relegauit, in domum Dei restituit: quandoquidem hoc in vindictam prophanati cultus, & maiorem Dei gloriam cedebat, etenim xenia dæmoni dicata in Dei obsequium consecrare non parum decoris religioni afferebat, nec leuem inferno torturam. Audi Lyram ratione satis congruam huius facti excribentem. *Quia illa*, inquit, *quæ erant applicata idolis, non erant vlterius Dominico cultui applicanda.* Tantum est Deo cum dęmone dissidium, vt quę huic semel inseruiunt, ad seruitium Dei ineptissima reddantur. Noli ergo credere Beatissimã Virginẽ, quę domus Dei, & ipsius templũ est, vsquam fuisse dæmoni dicatã, neq; ad minimũ cõceptionis instans: nam hoc admisso, ad habitaculum Dei prorsus reddere tur incapax. Nulla igitur in ipsam primęuę labis irrepsit macula, quia primum parentem post peccatum abnegauit, & tantum ipsum, dum in originali iustitia extitit, recognouit. Memorare supplicium Adæ, & Cain eius filij maledictionem, atque discrimen vtriusque obserua: sic enim Deus ad Adam, postquam transgreditur præceptum: *Maledicta terra in opere tuo.* Genes. 3. ad Cain vero: *Maledictus tu super terram.* Cur stylũ in maledictionibus variat, Adamumque non maledicit in persona, sicut Cain? Egregiè hic Oleast. *Nouerat omnipotens Deus, quod aliquando esset naturam humanã assumpturus: ideo noluit eam maledicere.* Cautè Deus à maledictione Adæ abstinuit, neq; contra ipsius personã, sicut cõtra personã Cain, imprecatur, ne maledictio caderet supra carnem, quã in originali iustitia creauit, quãq; poste a erat assumpturus: illa namque iterum futura erat benedicta, & omni contagione peccati caritura, ab Adamo enim, non à Cain ortum erat ducturus: & ideo huius personę maledicit; illius autem non ita: quia ab illo primis gratiæ dotibus ex ornato eius erat materi processura.

Lyra.

Genes. 3. v. 17.

Cap. 4. v. 11.

Oleaster

ANNOT. L. XXXXVIII. MORALIS.

EX SPINETO SENTIBVS ORIginalis culpæ vallato mollis rosa MARIA surgit.

434 TRITVM est inter Patres Beatissimam Virginem rosæ comparari, nihilque præstantius ad ipsius in conceptione puritatem demonstrandam: nam sicut inter sentes cosam spineti progeniem, venusta ex eadem radice nascitur rosa: sic pulcherrima Virgo ex patribus originali culpa conceptis ortum absque labe duxit. Hac eleganti similitudine eius nitorem commendabat Sponsus Cantic. 2. vers. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sufficeret pulchritudinem ostendere Sponsæ, vt innuatur, quam merito ipsam diligat. Ad quid additur pulchram esse inter spinas; cum hoc in ipsius laudem non redundet: inter pulchras enim pulchriorem videri exaggeratio venustatis est; at inter indecoras apparere venustam, nõ admodum pulchritudinem exaggerat? Verum hoc non solum venustatem respicit, sed priuilegium. Audi D. Bern. serm. de B. Virgine. *Eua ergo spina fuit; MARIA rosa extitit: Eua spina vulnerando; MARIA omnium affectus mulcendo: Eua spina infigens omnibus mortem; MARIA rosa reddẽs salutiferam omnibus sortem.* Idem habet Guilelm. Parisiens. de B. Virg. verba illa exponens Sapientiæ cap. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Iericho.* Vbi rationem inquirens, cur his duabus plantis cõparetur MARIA, egregiè respondet: *Palma solet deferri in signum victoriæ, aut lætitiæ: rosa autem pulchra et munda, quamuis procedat ex spinosa arbore: ita Virgo B. habuit victoriam contra antiquum serpentem, ne morderet ipsam, et inde lætata est: processit ex Iudæis spinosis per culpam sine culpa.* Sic de illa canit Ecclesia: *Sicut spina rosam, genuit Iudæa MARIAM.* Ex hoc inquam loco censent Galatinus lib. de arcanis, & Belarm. tom. 3. lib. 4. cap. 16. alijque quamplurimi recentiores MARIAE immunitatem conuincit: vt enim ex spinosa planta sine spinis nascitur rosa, in qua mira est & ad aspectum iucunditas, & ad odoratum suauitas, & sicut in illa planta nihil occurrit, quod tactu asperum, quod oculis horridum, atque intractabile non sit; at nihil rosa inde orta est mollius, nihil lenius & tractabilius: sic cum ex spinosa stirpe nasceretur Virgo, ex ea nempe terra, cui propter primam, vniuersoque hominum generi communem labem, dictum est ab offenso Deo: *Spinas, et tribulos germinabit tibi*; ipsa neque cum tribulis, aut spinis concepta fuit, neque ab spinis, seu tribulis compacta; sed tota immaculata, tota desiderabilis, sicut rosa, quæ eius est decoris & gratię, vt nihil hausisse ab aculeato & spinoso stipite videatur.

Cantic. 2. v. 2.

D. Bern.

Guillelm. Parisiens.

Galatin. Belarmi.

Genes. 3. v. 18.

435 Sed quamuis hęc rectè dicta videãtur, fundamentum tamen non habent firmum, quoniam verbum Hebraicũ *Susanna* non rosam, sed lilium significat: *Azucena* Hispane dicitur. Sic Aquila, Simach. & D. Hieronym. hic, & optimè probat Delrius ad hunc locum: neque enim nouum est in vna areola rosas & lilia simul gigni. Iam ergo rogabis, cur Virgo lilium inter spinas, non vero rosa ab Sponso nuncupetur? Opinor, quia rosa nascitur ex spinosa planta, spinasque licet leuiores secum ducit; lilium vero, etsi plantatum sit inter spinosas arbores, erumpit, crescit, & erigitur, quin illud spinæ vllæ comitentur. Omnis homo, velut flos nascitur, *Qui quasi flos egreditur.* Iob 14. sed qui ex spinoso fructice ortum ducit, peccati spinam secum affert. Optimè illã senserat, qui exclamans dixit: *Conuersus sum in ærũna mea, dũ configitur spina.* Psal. 31 At Beatissima Virgo, quãuis ex spinis, & inter spinas nata sit, quoniam Adę fuit filia humano modo genita, & ex parentibus peccatoribus; tamen secum nullam attulit spinam, quoniam ab originali culpa exempta fuit. Non ergo rosa, sed lilio-

4. Reg. v. 19.

Iob 14. v. 2.

Psalm. 31 v. 4.

vocetur, quod si in pulchritudine, olore, & venustate rosam æquat, illam superat in eo, quod etiam minutissimis spinulis immunicatur. Hinc est, quod quando semel Spiritus Sanct. MARIAM rosam nuncupauit, de rosa loquatur in prima eius plantatione, *Sicut plantatio rosæ in Iericho.* Ecclesiastic. 24. Quoniam (vt Author est Diu. Basil.) rosæ ante peccatum spinas non habuere, sed post illud ipsi adhęserunt. Cum ergo spinæ post primum Adæ peccatum erupissent (*Spinas et tribulos germinabit tibi* Genes. 3.) rosa quę ante peccatum fuit plantata, illas non habuit. Si ergo rosæ Virgo assimilanda est, illi debet esse, quę absque sentibus germinauit. Huc spectat, quod MARIA similis dicatur plantationi rosæ in Iericho, vbi aquę, quibus irrigantur rosaria, amarę esse dicuntur pessimæ ac mortiferę, vt habetur 4. Reg. 2. *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est; sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis.* Esse autem illam aquam mortiferam ibid. inuenies vers. 21. vbi cum in fontem salem misisset Eliseus, addidit: *Sanaui aquas has, et non erit vltra ex eis mors, neque sterilitas.* Merito ergo Beatissima Virgo illi comparatur rosæ, quam alunt, & rigant Ierichuntinæ aquæ, etsi ex plantis sit, quæ in terra pessima nascuntur, & succum trahunt mortiferum ex pessimo fonte, quo irrigantur; ipsę tamen nihil habent tetrum, nihil, quod mortem sapiat: quia illa etsi ex mortiferis parentibus ducat originem; nihil tamen inde hausit noxium, nihil ex pessimis aquis mortiferum.

436 Solemne est apud Patres B. Virginē maris nomine insignire: sic Canisius libr. 3. de B. MARIA, Diu. Bonauent. in specul. cap. 5 Anselm. de ortu Virg. & Diu. Chrysolog. serm. 256. *Et quomodo* (inquit) *non MARIA mare? Congregationes aquarum appellauit MARIA.* Et nonnulli Expositores ad illud Thren. *Magna est velut mare contritio tua.* At cur MARIA mare appellatur? Cum potius fluuius esset nuncupanda, vtpote qui licet à salso mare originem ducat, dulcibus tamen aquis scaturit: quod optime in MARIAM quadrat, nam ex parentibus originali inf. ct. s culpa orta, nulla tamen originaria labe fuit inquinata. Fluuius igitur vocetur dulcis ac suauis, non mare, quod salsum & amarum est. At credo cōgruè ad marinas aquas ipsius puritatem referri, quia illę nunquam turbidæ efficiuntur; sed semper eumdem perlucidum ac cęruleum retinent colorem, quem facilè amittit fluuius, dū quocumque turbine ex christallino turbidus efficitur. Mare ergo non fluuius MARIA dicatur, quia semper eumdem gratiæ colorem, eamdem sanctitatis claritatem retinuit, neque vnquam vel pro vllo instāti illius pulchritudine fuit viduata. Vbi nota turbidum aquæ fluminis colorem exinde prouenire, quod vicinam habeat terram, ex cuius admixtione colorem mutat, & ex diaphano luto apparet immersus & turbulentus. Ast mare quoniam profundum est & imperturbabile, à cęlo tantum cęruleum & perpetuum habet colorem. Cæteri homines à terra, vnde ducunt originem, turbidum ac tetrum culpæ colorem habent: at B Virgo, etiam si à terra originali culpa infecta ortum ducat, à cælo tamen, cuius luces in exordio vitę recepit, perlucidum ac perpetuum hausit colorem, & tanquā pulcherrimum lilium nunquam peccati spinis fuit puncta, quia puritatē & gratiam gignendi filij redolebat.

437 Sic enim ipsa propria voce suam puritatem depromit Cantic. 1. v. 12. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Accubitus hic non est cubicularis, vel genialis lectus, sed triclinaris, in quo non ad somnum, sed ad cibum capiendū discumbitur, quod indicat vox Hebręa *Mesab*, quæ circulum, vel orbē signifi cat, & ostendit figurā mensę, & formā triclinij, quod clausum tribus discubitorijs commodè accipiebat accumbentes. Sic accubitum pro mensa, seu triclinio posuit Tobias cap 2. *Statim exiliens de accubitu suo, relinquens pran-*

prandium peruenit ad corpus, vt optime ad hunc locũ annotauit Deltius. Hoc posito Marianam puritatem hic rimari non erit difficile, si cum Alano nomine nardi Beat. Virginis caro accipiatur. *Naradus mea* [inquit] *dedit odorem suum: id est, caro mea fragilis per nardum arborem significata, aduentu Spiritus Sancti mundata, fomite peccati extincto in ea, dedit odorem suum.* Quasi dicat: Dum esset Rex in circulo seu orbe meo, nardus, id est, caro mea dedit odorem eius: sic enim accipit Origenes illud verbum *Odorem suum*, ita vt ad filium in MARIAE orbe recumbentem referatur. Res plane mira, quoniam omnis planta suum propriũ & natiuum spirat odorem; alienum nulla. Quis vnquam vidit rosam violæ, aut violam rosæ odorem exhalare? Nouum ergo naturæ miraculum hoc videtur, in vna specie florere, & in alia fragrantiam emittere. Si enim Christus odorem ex se spirat, lilij erit, nam ipse se lilium compellat Canticor. 2. *Ego flos campi, et lilium conuallium.* At si Virgo nardus est, quomodo fragrantiam lilij valebit emittere? Quo pacto non suum, sed filij odorem exhalat? Crediderim, quia odor Christi Domini impeccabilitatis erat, proindeque suauiolentiam & fragrantiam spirabat; hominum vero, quia peccatis sunt obnoxij, fœtidus ac infectus est odor. Beatissima ergo Virgo à filio præseruata, & illius meritis pręuenta non odorem suum, qui ex parentibus erat deriuandus, spirauit; sed filij fragrantissimum ac iucundissimum exhalauit odorem. Accipe Origen. sic subtiliter excogitantem hom. 2. ex 4. *Nardus mea* (inquit) *odorem mihi detulit Sponsi, veluti superato odore suo per fragrantiã eius, ipsius mihi detulit suauitatem.* Quasi dicat: Duplicem odorem habere potuit hęc mirifica planta: alium proprium; alienum alterum: vnum naturalem; supernaturalem alium: suum vnum; alterum filij. Non ergo in ęternitate suum, sed Christi odorem habuit: gratia naturæ

Alanus.

Origenes.

Cantic. 2. v. 1.

Origenes.

prævaluit, & filij suffragantibus meritis ipsius sanctitatem impeccabilem redoluit; non peccatricem conditionem Adæ. Deinde cum esset Rex in orbe, aut circulo suo, id est, in almo Eucharistiæ Sacramento, nardus mea dedit odorem suum: etenim in cõceptione immaculata odorem Christi sub accidẽtibus latẽtis exhibuit MARIA: quoniam Christus Dominus in Eucharistia panis odorem redolet, cũ tamẽ ibi nulla sit panis substantia: sic & caro Virginis in conceptione, vtpote Adę filia, licet odorem peccati habere videatur, neque per odorem peccatum habuit, quia fœtidùs & noxius culpæ odor ab odore præuenientis gratiæ ex filij meritis collatæ fuit extinctus, & superatus.

ANNOT. LXXXXIX. MORALIS.

VENENOSVS SERPENS NVNquam ad MARIAM accedere ausus fuit.

VIX ad vitam vocatur MARIA, cũ in primo conceptionis gressu vox illius puritatem prædicans, & mortiferũ abigens serpentẽ auditur: sic enim ipsam ad humanæ naturę cõmerciũ vocãs inuitat Sponsus: *Surge, propera amica mea* &c. *vineæ florentes dederunt odorẽ suũ.* Cant. 2. v. 13. Cur vt iucũdius in agrũ mortalis vitæ egrediatur, odorẽ, quẽ vineę florẽtes spirant, cõmẽdat? Præclare Bern. ser. 60. in Cãt. *Aiunt, florẽtibus vineis omne reptile venenatũ cedere loco, nec vllatenus nouorũ ferre odorẽ florũ.* Vinea florens, ad quã inuitatur Spõsa, ipsãmet referebat, quæ dũ in primò cõceptionis instanti floruit, ad illius odorẽ omnia infernorum venenata reptilia aufugerunt, & flagetontis aquas euolarunt, vtpote quæ illius fragrantiam haud ferre quiuerint. Id ipsum iterũ repetit Sponsus cap 4. v. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni. Coronaberis de capite Amana de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Plerique hic vocationem Sponsæ agnoscũt, tum ad

458

Cantic. 2. v. 13.

D. Bern.

Cantic. 4. v. 8.

vitam,

vitam, tum ad originalem gratiam: & expressè Idiota c.2. de conceptione Virginis prædicta verba accipit. *Tota pulchra es* (inquit) *Virgo gloriosissima non in parte, sed in totum: et macula peccati siue mortalis, siue venialis non est in te.* Eadem fere verba habent Belarmin. tom 3. libr. 4. cap. 15. & Sanzius. Hic autem expendens, quod tenerrima puella à cubilibus leonum, & montibus pardorum vocetur, pulchrè exinde illius puritatem, & innoxium ad vitam ingressum arguit. *Vt enim*, ait, *in montium latebris occultantur leones, pardi, serpentes, et si quid aliud aut pestiferos habet morsus, aut pestilentem halitum, quia belluarum antra in scopulorum vertice non sunt, sed in descensu et latere, aut ad radices montis. Quare qui à vertice vocaretur, non putaretur aut à serpente infectus, aut à leone saucius.* Sic vtique B. Virgo à vertice vocatur Sanir, id est, ab ea parte, quę non est à leonibus, seu pardis habitata, antequam ad eorum cubicula descenderet, & ab eo fastigio, quod propter altitudinem antrorum obscuritatis expers est, ad illamque infimam partem, quam induunt siluestrium arborum horrentes vmbræ: *Selmon* enim mons vmbrosus nuncupatur. Igitur à vertice & capitibus horum montium, cum primo vitam ingreditur, vocatur MARIA, quia non ibi venenatę habitant ferę, sed procul ab hac florente vite amouentur.

439 Id ipsum de se ipsa probè sciens dicebat Canticor. 8. vers. 10. *Ego murus, et vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Verba ad Sponsum dicta, dum cum ipso fabularetur Sponsa, & à Diu. Hieronym. [epistol. 7. ad Lætam de institutione filiæ] Beatissimæ Virgini potissimum accommodata: *Quin potius cum aliquis os tuum pulsauerit, dicat, ego murus, et vbera mea murus.* At libet inquirere, cur MARIAE vbera muro comparentur, quãdoquidem nihil minus vberibus mulieris competit propter suam debilitatem, quam muralis fortitudo. At hoc ipsum in MARIA mirari licet: nam vbera quæ in fœminis debiliora sunt membra, in MARIA inexpugnabilis turris fuit, quia ab ipsis fugiunt & arcentur inimici. Primum conceptionis instans naturæ debilius est, vocarique potest non inuenustè vbera, *Pechos* Hispane dices, pro eo quod dæmoni tunc omnes filij Adami soluunt; enimvero nullus valet in illo primo instanti vectigal culpæ non solvere, quia naturali debito ad id tenetur. Ego sola [inquit MARIA] tunc temporis quando cæteri cedunt hosti, turris extiti inuencibilis, murusque inexpugnabilis, vnde inimici, & venenati hostes pudore suffusi recesserunt. *Ego murus, et vbera mea sicut turris.* Non enim vectigal hostibus, sicut cæteri, persolui; quin potius inexpugnabilis propter armaturam gratiæ inferorum iras relegaui. Vnde de ipsa dicebat Dauid Psalm 77. *AEdificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra.* Vbi Lyra. *Quia vnicornium non permittit aliud animal ad suum latibulum accedere.* Et Beda adductus à Glosa. *AEdificauit templũ Deus, sicut est habitaculũ vnicorniũ: dicunt enim de vnicornio nonnulli, quod à cauea, in qua habitat, omne venenatum animal procul abigit.* Haud aliter Deus ita Beatissimam Virginem ędificauit, tanquam arcem munitissimam, & vnicornij habitaculum, vt in conceptionis exordio, & in toto vitę curriculo omne à se venenatum longè relegaret. 440

Iob spiritu prophetico non viduus (vt plurimi arbitrantur Patres, & præcipuè Clemens Alexand.) dicebat cap. 28. v. 5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne subuersa est, locus saphiri lapides eius, et glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, neque intuitus est eam oculus vulturis.* Locus plane difficilis, & multiplici commentatione fatigatus: nam non constat inter Interpretes de qua terra hic sermo habeatur. Diu Thom. Philipp. & alij existimant de Sodoma Iob fuisse locutum: Chaldæus cẽset huiusmodi terram fuisse paradisũ

Eden; alij peculiarem terræ partem ignotam, metallis abundantē, eo quod loca gemmifera & aurifera frequenter sulphurea sunt, sulphureosque vapores exhalant alitibus noxios: vnde nunquam volatu suo illas regiones peruagantur: vtraque Glosa de Iudæa locum intelligit. Mihi optimè Beatissimæ Virgini in primo conceptionis instanti posse locum aptari videtur: à quo non longe it 70. versio, quæ de paradiso hic sermonem esse arbitratur: paradisus autem MARIAM referebat. Hęc igitur Virginea terra fuit, de qua verus panis germinauit (vt ait Augus.) quamque maximis gratię & charitatis fulgoribus filius incendit. In hac fœcunda terra quidquid pretiosum est auri & lapidorum à primo cōceptionis ortu inuenitur. *Semitam eius ignorauit auis.* Magnum negotium facessit Interpretibus, quænam fuerit illa auis, quę semitam ignorauit, per quam B. Virgo ad originalem iustitiā & primordialem innocentiam deuenit. Rabbi Dauid vbi nostra Vulgata habet *auis*, vertit *pica*, & Rabbi Mardochæus quem sequūntur Pagninus, & Osorius Episcop. Algarbiensis trāstulit *auem variam*, quo nomine picā significabant Romani, vt Author est Plinius. Dicitur autem pica auis varia vel à vario & incerto volatu, vel à varietate plumarum & colorum; nam vt aduertit Magn. Albertus, & neminem latet, ex albo & nigro colore picæ varietas resultat: vt his signis ex tunc spiritu prophetico innueret Iob, picam illam auream, nempe Angelicū Doctorem D. Thomam, qui ex instituto, albo & nigro colore fuit indutus, semitam ignorasse, qua B. Virgo immunis fuit ab originali culpa; aut in hac veritate varium extitisse. Nam in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. illam fuit amplexatus; ast 3. part. quæst. 27. art. 2. illam abnegauit. *Nec intuitus est eam oculus vulturis.* Non minus hæc difficultatem ingerunt: cur scilicet de oculo vulturis, non alterius auis potissimum hic fiat mentio. Sed tamen eam optimè ad nostram thesim dirimit Titelman. *Fit* (inquit) *mentio de vulture, ex eo quod vultures, qui fœtentium cadauerum odore delectari, et allici solent, etiam terram illam auriferam quidem, sed tamen sulphuream à longe adorantes non audent propius accedere.* Petrus Bercor. in suo dictionario in vulture diabolum agnoscit: hic namque tartareus vultur, qui mortuorum odore adeo solet delectari, vt septimo die ante prælium ad locum volitet, vbi cadauera sunt casura, ad terram illam gemmis locupletissimam, auriferam, & omni iucunditate refertam, nempe ad MARIAM, accedere non audet, nec specialem orbitam, & semitam, per quam Deus illā ab eius faucibus prę ter communem viam eripuit, oculus eius quamtumuis perspicax intueri potuit: quin potius ab eius odore longe propellitur. *Neque intuitus est eam oculus vulturis.*

Septuag. D. Thom. Titelma. Petr. Ber.

Miraberis merito, cur Salomon MARIAE pulchritudinem describēs, cum ad ipsius ornatum auroræ, soli & lunę fulgores petierit, stellarū nō meminit. *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* Cantic. 6. v. 9. Non enim stellarum luces minus aptæ videbantur, vs ipsius pulchritudinem exornaret, & omnibus numeris expleret, ne alicuius creaturę perfectio à MARIA subterfugere videretur. At inflecte oculos ad miseram stellarum stragē, quam à dæmone sunt perpessę, & causam agnosces, cur MARIA cum ipsis nō veniat comparanda. *Et cauda eius trahebat tertiā partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Apocal. 12. v. 4. Stellas diabolus detrudit, ab antiquisque sedibus auulsit, & suo pestilenti infecit contagio; non auroram, non solem, neque lunam, quæ in suo nitore permanserunt. Igitur non nuncupentur stellę, vbi B. Virgo nominatur, quam in primo instanti non deturbauit diabolus, sed neque illam intueri fuit ausus. Optime S. Petrus Damianus serm. 41. de assumpt. *Hæc est aurora, quam sequitur, imo de qua nascitur Sol iustitiæ solius Solis claritati succumbens: hæc est aurora, quam ille nō vidit, qui vidit omne sublime, et*

441

Cantic. 6. v. 9.

Apocal. 12 v. 4.

D. Petrus Damian.

orat B. Iob, vt ei multa suppressione claudatur dicens: Non videat ortum surgentis auroræ.

442 Vel MARIAE vmbra dæmonẽ terret, à suaque præsentia abigit, neque illam dęmon audet cogitare, quam scit ipsius caput contrituram. *Numquid considerasti seruum meum Iob?* Dicebat Deus antiquo hosti cap. 1. v. 8. Cur non rogat, an considerasset Abraham, Isaac & Iacob fidem promissionis Christi habentes? Quid? Nõ illi in sanctitate & iustitia cum Iobo decertabant? Cur igitur ipsis sicut & Iob dæmon insidiari non audebit, qui patientiæ trophæum tentare fuit ausus? Pulchrè Rupertus lib 3. de victoria Verbi Dei cap. 5. *Plane* (inquit) *cõsiderauit illos, et sciuit esse ciues regni Dei, regno suo contrarios, et de ipsis semen mulieris percepit fore nasciturum suo semini contrarium. Sed quid ageret? quomodo bonam radicem illam corrũperet?* Non Iob, sed antiqui Patres MARIAE parentes erant futuri: idcirco non illos, sed Iobum cõsiderat, & aggreditur: à MARIA enim vel in lumbis parentum perterritus aufugit: semen vnde Dei mater est oritura non audet zizania inficere; quin potius ad huius puellæ conspectum natiuum deponit venenum, & cogitur fausta populo Dei ominari. Sic enim vbi Rex Moab Balaan, vt malediceret populum, vocauit, pro maledictione ille benedictionem impertitur. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Numer. 24. v. 5. Et cur non audet populum maledicere, contra quẽ arrogans Philisthæus maledictionem fulminauit 1. Reg. *Ausus est maledicere exercitũ Dei viuentis?* Dubio absq; quia Philisthæus non considerauit populum vt MARIAE parentem, neque inde hanc venustissimam puellam ortum fore ducturam; Balaan vero stellam Iacob exinde oriri prędidit *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel* Ieo quo pollebat prophetiæ acumine. Idcirco Philisthæus populum maledicere non est veritus: Balaan vero quia iam reuerberantes MARIAE luces videbat, non fuit ausus ipsius semen maledictionibus impetere: quia dęmon, quem gestabat in ore, ad huius puellę conspectum contremuit, & verba perterritus commutauit. Vnde S. Bonauent. in speculo cap. 3. *Tremenda est MARIA dæmonibus: non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut MARIAE vocabulum et patrocinium: pereunt vbicumque inueniunt huius nominis recordationem.*

Petr. Bes.

Iob 1. v. 8

Rupertus.

441

Cantic 6. v. 9.

Apocal. 12 v. 4.

Num. 24. v. 5.

D. Petrus Damian.

ANNOTAT. C. MORALIS.

MARIA CERVA A TRIFAVCI diabali ore recedens.

VEL ipsa natura, vt MARIAE famuletur, in suismet operibus ingenium & solertiam ostẽdit ab ea non absimilem quam illa in sua conceptione ostendit, ne latrantis ac rabidi cerueri iras, morsũue incurreret. Sic enim tradit Plinius (lib. 8. hist animal. cap. 32.) ceruam à canibus aufugientem nulla sui vestigia relinquere, quasi ea secum deferat, ad quod non nisi flante aura fugam arripit, vt eleuato puluere, aut obliterentur, aut non videantur vestigia. *Cerui fugiunt latratu canum audito, secunda semper aura, vt vestigia cũ ipsis abeãt.* Non secus Beatissima Virgo ceruerũ aufugiens, qui eam in conceptione, vbi cæteros mordet, impetere tentabat, afflante Spiritus Sancti aura secunda, eius pedis haud signum exoluit dęmon, neque vestigia culpę, aut vię, qua illam Deus ab ipsius atro sãguine immundo ore liberauit, vidit. Quod arcane buccinat Euangelicus Propheta cap. 9. v. 1. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, et terra Nephtali: et nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentiũ* Peritiores Interpretes de Christo Domino præcitata verba interpretãtur, qui primo tempore alleuiauit, id est leuiter fuit prędatus, rapuitque è faucibus diaboli, idololatriæ & inferni terram Zabulõ & Nepthali: ibi enim Christus primò prędicauit, vti conceptus est in Nazareth, quæ pertine-

443

Plinius.

Isaiæ 9. v. 1.

tinebat ad tribum Zabulon, indeque collegit penè omnes Apostolos; qui Psalm. 67. vocantur *Principes Zabulõ et Nepthali*. Deinde vero grauius prędatus eamdem maximè Galilæam gentem, quando assiduè ibi prędicãs, non tamen per se, sed per Apostolos, facienſque miracula plures ex ijs cõuertit. Vnde doctissimus Forerius.

Forerius. *Aggrauata est [exponit] Grauis facta est honore, et diuitijs spiritualibus.* Sic ad literam fere omnes, præcipuè iuniores exponunt. Verũ non inidoneè de Christo Domino in primo conceptionis instanti Beatissimam Matrem alleuiante, è faucibusque dæmonis arripiente, ne peccati originalis onere grauaretur, potest intelligi: quam quidem Matrem postea aggrauauit, id est, specialibus gratiarũ donis propter ipsius merita cumulauit. Primò igitur de tribu Zabulon libet discurrere, & postea de Nepthali redibit sermo. Et quidem de tribu Zabulon

Genes. 49 v. 13. sic inquit Iacob Genes. 49. v. 13. *Zabulon in littore maris habitabit, et in habitatione nauis pertingens vsque ad Sidonem.* Zabuloni benedictionem largiturus suæ habitationis tantum meminit, filiorum autem habitationes silentio prætermisit, eorum felicitates aliunde auguraturus: alias Zabulonis fortunas silet, nihil de illius felicitate loquitur, hoc vnum prædicat, quod in littore maris vsque ad Sidonem habitabit. Et cur tãti ęstimat eius habitaculum; cętera pertansiens? Nõne quia præsciuit Iacob in parte Zabulonis futuram esse terrã, quæ ciuitatem Nazareth caperet, in qua Deiparæ MARIAE natiuitas, & habitatio erat celebranda? Sic Magallanes lib. 4. de benedictionibus Patriarcharum anno primo in Propheta Zabulon.

Magal. *Hic fuit (inquit) Nazareth, cuius vocabulum florem significat: hic flos Virginis Sancta MARIA nata est.* Hæc ergo terra Christi Domini, quę semper floruit, hoc eius habitaculum in primo instanti temporis alleuiatum est, ne originali aggrauaretur labe.

D. Hiero. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon onere peccatorum:* inquit D. Hieronym. Audi D. Ambros. de benedictionibus Patriarcharum de Ecclesia hęc verba exponentem, quę per communem regulam ad B. Virginem inflectũtur. *Zabulon enim (inquit) latinè liberationem significat à nocturnis.* *D. Ambr.* *Hic ergo Zabulon iuxta mare habitabit, vt videat aliorum naufragia ipse immunis periculi, et spectet alios fluctuantes in freto istius mundi ipse fidei radice immobilis perseuerans: sicut est Sacrosancta Ecclesia radicata, atque fundata in fide, spectans hæreticorum procellas, et naufragia Iudæorum, quoniam gubernatorem, quem habuerant, abnegarũt. Circa fluctus igitur habitat, non fluctibus commouetur, magisque ad subueniendum parata, quam periculo obnoxia.* Quid pulchrius pro Mariana immunitate dici, excogitariue potuit? Etenim quia habitaculum, & Christi patria futura erat, idcirco à sancto Patriarcha celebratur, & iuxta mare dicitur habitare, vt immunis periculi videat aliorum naufragia, & immota iuxta peccati fluctus magis sit in cadentium subsidium, quam in cadendi periculo: quia peccato originali non fuit obnoxia, sed omnino ab illo alleuiata in primo temporis instanti. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon.*

Non minus pulchrè felicitas terræ Nepthali in hoc mirabile mysterium quadrat: *Primo tempore alleuiata est terra Nepthali* Huic autem tribui talem benedictionem impertitur Iacob: *Nepthali ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Genes. 49. vers. 21. Vel vt legit Oleast. *Nepthali cerua emissa.* Et D Ambrosius ex versione 70 Interpretum: *Nepthali vitis, vel ramus remissus colligens in germine decorem.* Lyra autem prędicta verba exponẽs, sic pulchrè ad nostrum institutum versat. *Nepthali ceruus emissus. Per hoc designatur, quod in sorte sua terræ nascentia prius crescebant, quam in alijs sortibus: sicut ceruus velocior est ad currendum alijs animalibus. Propter hoc enim inde fiebant oblationes primitiuorum, vnde Sacerdotes et Leuitæ pulchras laudes Deo reddebant.* Sic

444

Genes. 49 v. 21. *Oleast.* *D. Ambr.* *Lyra.*

Bea-

Beatissima Virgo terra fuit, in qua primi fructus Deo sapidissimi creuerunt: prima enim pura creatura ex genere Adæ fuit, quæ Deo oblata ab instanti conceptionis primum passionis Christi fructum, cuius meritis fuit præseruata, in se tulit. Dicitur autem cerua emissa, quoniam (vt supra diximus) in primo conceptionis exordio secunda Spiritus Sanct. aura præcucurrit secum sua vestigia portans *Sin dexar el menor rastro*; vnde ceruerus ille tetrus illam posset apprehendere. Quod maximè in optatis illa habuit iuxta illud Psalm 21. *Erue à framea Deus animam meam, et de manu canis vnicam meam.* Quia vt Author est Aristot. (lib. 6 Hist. animal. cap. 29.) fugit ceruus persecutores, & ad mõtana locaque tutiora velocissimo cursu se recipit, serpẽtes necat, ad aquas, vt se purget, currit, significatque luctatorem: quod (vt inquit Marius ad cap. 49. Genes.) Christo optimè congruit, eo quod in quotidianis suis aduersus diabolum colluctationibus, neque segniter se gerat, neque remisse; sed instar cerui exultet in cursu suo, & sic dabit eloquia pulchritudinis, quia laudabit Deum, cuius auxilio & protectione persecutorũ manus effugit, serpentem occidit ad aquam refectionis perductus: quæ omnia Deiparæ in sua conceptione mirificè cõueniunt. Ac denique pro pleniori loci intelligentia obseruandum est, quod post recensitos quatuor Liæ filios, Patriarcha Iacob (cap 49. Genes. citato) non subiungit eos, qui natiuitatis ordine proximi erant, aut æquales; sed alios duos Liæ filios: præponit tamen Zabulon Isachar contra ordinem natiuitatis, idque eadem forte ex causa, qua Ephrain præpositus fuit Manasse: *Quia scilicet* (inquit Marius) *Tribus ipsius nobilior erat futura, in tribu enim Zabulon Christus Dominus cõceptus est in Nazareth, et in ea habitauit in Capharnau, ita vt hæc per excellentiam diceretur vrbs eius. In primo tempore alleuiata est terra Zabulon et terra Nepthali.* Vt denotetur illud opus, quo hæc terra Christi (sic *tierra* Hispanè dicitur *patria*) ab onere peccatorum alleuiata fuit & præuenta, ne vlla originali macula inficeretur, non opus naturę fuisse, sed gratię. Idcirco in Zabulon & Nepthali arbitror fuisse figuratum, quia hę inter alias tribus præter naturę ordinem fuerunt præpositæ, Zabulon scilicet Isachar, & Ephrain Manasse, eo quod in illa sorte Christus Dominus erat nasciturus: ac subinde in conceptione Virginis naturę ordo violandus, quia in ea Christus Dominus nascebatur.

Vnde alibi idem Euangel. Prophe- 445
ta huius puellę puritatem auguratus dicebat: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* cap. *Isaiæ* 11. *v.* 1.
11. v. 1. Vbi etsi communiter S. Patres virgę nomine B. Virginem intelligãt, ex qua, vernante virginitate, flos Christus erupit: Tertullianus tamẽ (lib. 4. contra Marcion. cap 20.) per florem ipsam Virginem prænotari existimat, ex quo fructus mitis & suauis, nempe Christus, processit, *Cuius ventris futurus est fructus caro Christi, qui ex vtero MARIAE floruit.* *Tertul.* Vtrumque expende, & quod à Tertulliano flos nuncupetur Virgo: & ortum à radice habituram vaticinetur Prophera, *Et flos de radice eius ascendet.* Enimvero flos nos ex radice, sed ex virga nascitur: at in huius puerperæ conceptu omnes naturæ inuertuntur leges: hec sola Virgo ex puris creaturis ex radice pullulat, vel quoniam à parentibus originalis infectis flos enituit, vel quia in primo suę conceptionis momento, in prima sui exordij radice suauissimus, & fragrantissimus flos erupit. Perbellè Tertullianus huc attendens illam florem lucis appellat lib. de patient. cap. 2. *Flos lucis est, cuius floridæ lucis fructus fuit Christus, homo Deus, lux vera, Patris Dei soboles.* *Idem.* Vis huius puellæ nitorem agnoscere? Eã inspice lucis splendorem in conceptione referentem: nam quemadmodũ lux ex omnium Philosophorum calculo non habet contrarium, cuius proprium est aliud ab eodem subiecto debellare & expellere: ita B. Virgo in prima conceptionis luce flos lucis

cis germinauit, quia nullum habet cõtrarium, quod eius gratiam debellaret, sed in originali iustitia concepta absque originalis noxæ contrarietate vt lucis flos semper resplenduit. Idcirco illam salutat Sponsus Cantic. 6: *Vna est columba mea, perfecta mea*; vel vt Pagnin legit: *Vna est perfectio mea.* Et vbi Cantic. 7. repetit Sponsus *Quam pulchra es charissima in deliciis*, vertunt plurimi *Charitas in deliciis.* Non modo chara & perfecta, sed & ipsa charitas & perfectio in abstracto nupta est puella, quia in ipsis formis abstractis non potest inueniri contrariũ. In vita enim non potest esse mors, neque in sanctitate peccatum, solum enim in subiecto erga ipsius possessionem decertant contraria. Virgo enim purissima ipsamet charitas & perfectio fuit, vtpote flos lucis. *La quinta essencia dela luz.* Sic eam vocat Tertullianus, vt à subiecto & cõtrario immunẽ demonstret, & magis à peccato exterminet. Vnde de illa dixit S. Vincẽtius: *Fiat lux. Fiat MARIA, quia conceptio MARIAE fuit luminosa.* Alludit ad creationem lucis, quæ statim à tenebris fuit semota: *Fiat lux. Et facta est lux. Et diuisit lucem à tenebris.* Genes. 1. Cætera omnia creauit Deus, & postea distinxit: terra creata fuit, & aquis immersa, tertio die illam ab aquis segregauit: at vbi creauit lucẽ, statim eam à tenebris separauit, vt indicaret, Marianam conceptionem in lucis ortu preuentam non solum lucidam esse, verum ipsam lucem, ipsũ florem luminis, absque vlla contrarietate, vel tenebrarum admixtione.

Cantic. 6. v. 8. Cap. 7. v. 6. Versio. Tertul. S. Vincẽt. Genes. 1. v. 4.

ANNOTAT. C.I. MORALIS.

MARIA PALMA SEMPER VIRENS, nunquam gratia viduata.

446 PALMA (vt Author est Plinius) nunquam frondibus viduatur, sed sola ex omnibus arboribus ad singulos lunæ ortus singulos etiam ramos procreat. Vt autem eximiam & indeficientem MARIAE puritatem Sponsus ostenderet, eam palmę comparauit Cantic. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, et vbera tua botris.* Quasi dicat: Statura tua, id est, quod sis adeo recta, excelsa, ac miro modo pulchra, exinde habes, quod palmæ assimileris: quin & exuberantia vbera tua, quæ haud minus venuste è celso tuo isto spectantur corpore, quam è palma pendentes, & turgidi conspiciuntur dactylorum botri, sat probãt, quam pulchra, & egregia facta sis, quam iucunda maritato Amasio. Sic eum maiori parte Interpretum cẽseo botrorũ vocabulũ sumi debere pro dactylorũ botris, qui vt palmæ fructus è palmę celsiori parte depẽdent. Nũquã enĩ in sacris litteris, neq; alibi apud quẽquã alium Authorẽ legisse memini palmas in Palæstina maritari solitas: quo falso fundamento nixi Legionensis, Genebrard. & alij recentiores asserunt, botros, quibus vbera Sponsę comparantur, accipi pro botris vbarum ijs, qui à palma dependent, & ab ea vite producuntur, quæ simul cum ipsa crescit, & erigitur ei velut marirata, eo modo, quo in nostris regionibus maritantur vlmis. Iã ergo videamus, quid proceritas, & reliquę palmæ proprietates conducãt, vt puella nuper concepta ipsis conferatur: etenim cum illa sic confert Alanus. *Statura Virginis gloriæ, id est, processio vitæ eius assimilatur palmæ: ipsa enim processit de radice horrida, id est, de peccatrice synagoga, tanquam de spina rosa.* Sicut rosa de spinis nascens pulchra & sine spinis germinat: sic puerpera Virgo ex synagoga spinis originalis culpę hirsuta, absque vlla labe spinaue concipitur. Secundo quia palma (vt tradunt naturę inuestigatores) nulli ponderi cedit, nulloque vincitur onere: quoniam quo maiori pondere externa plerumque vi dorsum deprimitur, eo maiori nixu se sursum attollit, ac si è superis vis aliqua potentior eam raperet. Quare dixit Philo: *Vitalem vim habet non in radicibus defossam, vt cæteræ; sed in summo quasi consitam.* Egregia ergo similitudo, & comparatio est arboris ex mortua radice repullulantis pondere

Cantic. 7. v. 7. Alanus. Philo.

dere inuictæ, celsæ, pulchræ & admodum vtilis, ac fructuosę. Quasi dicat Sponsus: Vis agnoscere tuam iucunditatem & pulchritudinem, ad te oculos inflecte, te ipsam inspice peccati pōdere inuictam, nunquā illius onere obrutam, nam supernavis te sursum subleuauit, nec pōdus originalis culpæ te vnquam potuit subijcere. Tertio, quia vt annotauit Ioannes de Iesus in cap Cantic. 7. *Palestinæ palmæ dactylos producūt absque ossibus.* Haud aliter hæc frugifera planta fructum detulit Sponso iucundissimū, & absque vllo peccati osse: solum enim illa inter filios Adæ buccella absque osse Deo fuit, *Fue para Dios bocado sin gueso. No vbo enella que desechar.* Cæteri namque os originalis culpæ habuere, quos non modo Deus non edit, sed prorsus reiecit: at in eius Matre neque actualis, neque originalis culpæ os fuit inuentum: tota Deo fuit dulcis, tota delicioſa, ac ipsius gutturi suauissima. Quarto, quia (vt ait D. Ambros. Hic) *Palma inter cana niuium, et pruinam frigorum viri ditatem suam semper conseruat, conseruatione et diuturnitate, non mutatione foliorum: nam quæ primo germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Statura ergo Sponsæ assimilata est palmæ, quia viriditatem pueritiæ, et illius innocentiæ naturalis, quam à primordio accepit, semper conseruauit incolumem, tanquam videlicet arbor plantata secus decursus aquarum, cuius folium non defluat.* Huc vsque Ambros. opportune ad nostrum institutum.

Ioannes de Iesus

D. Ambr.

447 In cæteris ergo arboribus aliqua folia inueterata cadunt, vt iterum renascantur: at in palma nihil est, quod decidat, omnia semper immutata manent, nec est, cur reiuueneſcat. Nō secus in B. Virgine nunquam originalis puritas cecidit, quia semper, & immutabiliter gratia, quę in conceptione germinauit, permansit. Vt saltē minis cor Pharaonis Deus contereret, præcepit Moysi, vt assumpta virga miraculorum effectrice ad illius præsentiam pergat. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Exod. 4 v. 17 Conueniunt Interpretes virgam illam natam, & altam fuisse in Madiam, sufficiat pro omnibus Abulensis quæst. 10 ad præcit. cap. *Alii dicunt quod ista vocatur virga Dei, quia nomen Dei in ea scriptū erat: dicunt etiam hanc virgam natam fuisse in viridario Iethro in Madiam.* Iam ergo perscrutaberis, cur Deus præceperit virgam ex terra Madiam assumere, vt induratus Pharao vincatur: nihil enim intererat, quod in Madiam, aut in AEgypto virga illa germinasset, quandoquidem non natiua, sed miraculosa virtute signa erat patratura. Cur igitur tam studiosè ex Madiam virga fertur? Videlicet, quia si in AEgypto nata esset, inepta videretur ad vincendam tyrannicā Pharaonis potestatem. Vt superaretur Pharao, necesse fuit, virgam ex Madiam portare. Non ergo mirabilis & beatissima Virga, quæ æternum Verbū susceperit, in terra inimici potuit concipi, siquidem media illa tartareas potestates filius erat debellaturus, ad quod illa virga in terra libera à tyrannica dominatione debuit plantari, & salutaribus irigari gratiæ fluentis. Idcirco Cantic. 4. fons hortorum vocatur. *Hortus conclusus soror mea Spōsa, hortus conclusus, fons signatus.* Cur hortorum fons appellatur, quæ propter pia officia erga omnes exercita, fōs omnibus expositus, nulloque septus pariete debuit vocari, vt nulli esset inhibitus? Ftuere Gilberto serm. 37. in Cantic. locum mirificè dispungente. *Vide quo in loco eius aquæ fluūt. Vbi nisi in hortis? Fons enim est hortorum, et delicatè fluit, quia non lauat, sed rigat: cuius in hoc omnis vsus est, non vt auferat fœditatem, sed vt fœcunditatem afferat. Tota pulcha es amica mea, et macula non est in te: ideo non nisi fons hortorum.* Non enim gratia illi fuit collata, vt lauaret, nam limpidissima semper fuit, sed vt fœcundaret, maiorique vitore hæc germinaret virga.

Ex 4. v. 17.

Abulens.

Cantic. 4. v. 12.

Gilbertus

Generationem Christi sic exordi- 448
tur Matth. *Liber generationis Iesu Chri-*

sti

sti filij Dauid filij Abrahã cap. 1. Cõmunis dubitatio est, cur iuniorem Dauid seniori Abrahæ prætulerit. Quam egregie dirimit Basilius de Seleucia, miram fortitudinem, qua Dauid Philisthæum profligauit, expendens, *Metu regnum liberauit, prius quam seruitij iugum contribules experirentur, repulit.* Quasi dicat: Idcirco in regali Christi genealogia anteit Dauid Abraham, quia Dauid Saulẽ, & populum à Goliat liberauit, antequam ab illo vincerentur: Abraham vero, etsi fratrem Loth, & eius substantiam à manibus inimicorum eripuit, id fecit, postquã Loth in captiuitate fuit detentus. Quid magis indecens, quã vt expectaret Deus matris captiuitatem, & tyranicã hostis possessionem, vt illam liberaret? Quid decentius, & honorabilius, quam inimicum præcurrere, ne chara pignora in eius veniant dominium? Merito ergo Dauid præponitur Abrahę, quippequi periculum anteuertit, & seruitutem à populo relegauit. Fortasse idcirco narrans Euangelista generationis seriem. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob* &c. vbi ad MARIAM deuenit, mutat stylum, & non filiam, sed matrem vocat, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Si ergo de Dauid inquit non solũ cuius est pater, sed etiam cuius est filius, *Iesse autem genuit Dauid Regem: Dauid autem Rex genuit Salomonem:* cur de MARIA cuius sit filia non dicit; sed tãtum cuius est mater? Suspicor, quia etsi illorum Patriarcharum filia fuerit; cum tamen culpa non oriatur ex esse, quod dat, sed ex eo quod recipitur: ideo parentes tacet, à quibus oritur, & filium nominat, quem genuit, vt innuat Euangelista, nullam à parentibus culpam contraxisse, & legibus naturalis propagationis renuntiasse: culpa enim per noxios naturæ traducos serpens ipsi nullatenus fuit insita, quia illius insertionem renuebat gratia, qua fuit præuenta. Quapropter illam comparat Ecclesiastic. oliuæ cãpos exhilaranti. *Quasi oliua speciosa in campis.* cap. 24. Quia (vt tradunt rerum naturalium Scriptores, & colligitur ex Hebræo) oliua non patitur alterius arboris inciſionem. Sic Rabbi Horasi apud Nouarin. de agno Eucharist. excuſ. 14. *Olea non patitur vllius alterius arboris inciſionem: ideo notat certos, et minimè ſuſpectos de adulterino ſemine liberos.* &c. Nunquã enim vlli præter Deum fuit inserta MARIA, neque gratię genus adulterauit, primæuæ culpę inciſionem admittens: omnes enim parentes, etsi ferè omnes sanctiſsimi fuerint, gratia & sanctitate præteriuit, & properauit ad filium, vnde priuilegia gratiæ aucupabatur. Sic caperem non illepidè verba illa, quę ipsamet Sponsa dilectum inquirens dicebat Cantic. 3. v. 4. *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Richard. à S. Vict. super his verbis, & D. Bernard. in tractat. de diligendo Deo de inuentione, qua anima media gratia & charitate Deum assequitur, locum interpretantur. At quinam illi sunt, post quorum transitum Sponsa Deum adinuenit, & strictiſſimo gratię vinculo retinuit? Ambros. (serm. 7. in Psalm. 118.) putat de Angelis esse sermonem, quia Angeli adeo sunt Deo proximi, vt illis transactis illico reperiatur Deus. At si de transitu per gratiam secundum speciem loquamur, non pertransiuit MARIA Angelos, quia tam illi, quam ipsa in originali innocẽtia fuerunt creati. Aptius enim ad homines hæc referuntur, quos omnes pertransiuit MARIA non solum in intensione gratię, sed potiſſimè, quia nullus pręter ipsam ad gratiam, & originalem iustitiam peruenit: sub indeque dum ipsa originali puritate concipitur, omnes pertransit, quia in luto originalis culpæ immersi ad illã sanctitatis metam nunquam pertingunt. Pręterita ergo longa progenitorum serie Spõsum inuenit MARIA: *De qua natus est IESVS:* & propterea cuius sit filia reticetur, quia in generatione gratiæ spirituali nullum patrem præter Christum recognoscit, cæteros omnes tanquam non parẽtes pertransit.

D. Basil. de Seleuc.

Rabbi Horasi

Matth. 1. v. 16.

Vers. 6.

Cantic. 3. v. 4.

Richard. à S. vict.

D. Bern.

Eccleſiaſ. 24. v. 19.

Hoc

449 Hoc ipsum Sponsus in illa laudauit Cantic. 5 v. 12. *Oculi tui sicut columbæ secus riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et residentiuxta fluenta plenissima.* Si columba ad aquas accedit, cur in ipsis non lauatur?? Præclare Ambros. *Vere baptizantur in lacte, quia immaculanter induunt gratiam: ideo candida Sponsa ascendit ad Christum, quia in lacte baptizata est.* In aquis lauantur: at non sicut aquis, quæ culpas abluunt; sed velut in lacte, quod innocentiam alit & incrementat. Aquæ in baptismo delent originalem maculam, & cum hæc speciosa columba illam non haberet, baptismus lactis ipsi fuit, vt splendesceret; non aquæ vt lauaret. Verum cur ad fluuiorum ripas pulcherrima hæc ales habitat? Egregie Glosa: *Solent columbæ iuxta fluenta aquarum residere, vt volantium auium in aqua vmbram videant, et sic vngues vitent.* Quia in aquis vmbra rapacis alitis, milui videlicet aut falconis, imprimitur: ideo in aqua non lauatur, sed in lacte Sponsa, ne in eo lauetur, vbi vmbram impressit tartareus & rapax ales. Adeo culpam abhorret, vt ab illius vmbra recedat. Vnde Ecclesiastic. 24 platano comparatur, *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Ad quæ verba sic excribit Card. Hugo: *Platanus habet folia scutis similia: vnde quot habet folia, tot habet scuta.* Vt bella gerat aduersus implacabilem hostem mille scutis obtegitur MARIA. Iuuat ex Pierio libr. 17. cap. 7. quod platani folia noctuas fugant, vnde conia ex huiusmodi folijs nidum construit, vt à nocturnarum auium iniuria pullos defendat. Hoc ipso ingenio prædita B. Virgo, & eadem virtute prœuenta omnes inferorum nocturnas & rapaces aues longe à se abigit, & vel ipsarum vmbram relegat.

Cantic. 3. v. 12.

D. Ambr.

Glosa.

Eccles. 24 v. 19.

Car. Hug.

ANNOT. C. II. MORALIS.

QVOTIES MARIAE PVRITAS periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur.

450 SALVTE ipsa roborari, ex medelis conualescere, & amicorum præsidio muniri, res est communis, ac rerum naturis consona: verum ab ipsa infirmitate vires accipere, ex toxicis medelam conficere, & ab inimicis salutem & præsidium sumere, peculiare MARIAE elogium est. Parum enim videbatur ad ipsius perfectionem cõponendam omnium virtutum ornamenta concurrere, nisi etiã imperfectiones & defectus quodãmodo famulari & ad inseruiendũ naturã mutare viderentur, vt vnde periculum imminebat dedecoris, firmamentũ sumeret illibata perfectio. In triplici temporis circunstantia Mariana puritas periculo exponi videri poterat; quandoquidem in illis cæteræ mulieres miserè dilabuntur: videlicet in conceptione, in partu, & in purificatione: quia in conceptione innocentia, in partu Virginitas, & in purificatione immunitas non solum imminutionis nocumento, sed totali ruinę ex naturæ legibus subijciebantur: at in his omnibus MARIAE perfectio nõ modo nõ est passa detrimentũ; sed incrementum ingens accepit. Quod singillatim libet expendere.

451 Conceptionis tempus adeo est filijs Adę periculosum, & ineuitabili nocumento obnoxium, vt in illud Iob omnium nomine imprecationes & maledicta fulminet: *Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est, conceptus est homo* cap. 3. Verùm vbi omnes infeliciter cadunt, faustè MARIA surgit, & quæ videbatur causa dedecoris, nouæ perfectionis argumentum est. Perdifficilis sanè semper fuit visa illa Ecclesiastici sententia, in qua lunam in sua diminutione perfici, & consumari existimat: *Luminare quod minuitur in consummatione* cap. 43 Apparet enim manifesta antinomia, & implicatio: nam luna crescit, augetur, & consummatur luce, quam à sole gradatim accipit, vsquedum plena videtur; posteaq; decrescit, minuitur, & deuenustatur, cũ lucem participarã amittit. Quo ergo pacto in sua cõsummatione

Iob 3. v. 3

Eccles. 43 v. 7.

minuitur? Nam cum minuitur, non consummatur; neque cum consummatur, minuitur. Vidit difficultatem Cardin. Ailgrinus, & ratus hæc materiali lunę non posse competere, oculos ad MARIAM intorquet lunam semper gratia & puritate plenam. At in ea eadē redditæ difficultas: nam quo tempore hæc pulcherrima luna in diminutione fuit consummata, & decretione perfecta? In primo [inquam] suæ conceptionis instanti: enim vero ibi diminui videbatur propter filiorum Adę conditionem, qui in illo temporis articulo periclitantur: at hæc eius filia ibi magis perficitur, & noua gratiæ luce consummatur: hoc enim suæ pulchritudinis admirabilius est, quod plus crescat, vbi videbatur decrescere, & diminutione perficiatur. *Luminare* [inquit citatus Author] *quod minuitur in consummatione: quia Virgo MARIA semper in historia humilis, sed semper humilior, quam videtur.* Quod de humilitate Ailgrinus, de primęua puritate cogita. Quod causa quælibet suos operetur effectus, naturale omnibus est: cæterum quod ad contrarios inseruiat, specialis MARIAE gloria. Quod luna augeatur quotidianis lucis incrementis participatis à sole, res est communis: verum quod vmbra luces administret, mirabile cuique videbitur. Non parum Astrologos vexat inquirere, vnde proueniant inæqualitates illæ, quę in luminoso lunę corpore apparent, nam à nobis maculæ iudicantur eius splēdorem obnubilantes. Plerique huius varietatis causā esse autumāt, quod lunę corpus non æque rarum, & diaphanum in omnibus sui partibus existat, quare illæ, quę nobis maculę, & næui videntur, partes sunt rariores maiori puritate lucem solis participantes, & recipientes: quod planè cōuincitur lunæ perfectionem esse, quod à nostris oculis defectus iudicatur. Id ipsum de MARIA cogita pulcherrima luna, cuius imaginem illa altera referebat: nam maculæ, quæ propter cognationem Adami contractæ in ipsa videntur, ipsius perfectionē commendant, & exaggerant, nostraque deceptio ipsam puriorem supponit.

Card. Ailgrinus.

Haud aliter in partu accidit, vbi MARIAE Virginitas ex connaturali debito periclitari videbatur: nam ibi plus accrescit, & solidatur. Vnde dixit Bernard. quod in incarnatione fuit purior, & in partu Virginior. Satis pulchre huius puellæ integritatem conuictam reperies Matth. 25. Ibi Deus patrisfamilias personam agens diuitias suas in talenta diuisit, suisque seruis vt negotiarentur, & lucrum reportarent, tradidit. Postea vero cum rationem reddere accederent, ille seruus qui vnum tantum talentum acceperat, quodque sepultū relinquebat, argutus, & reprehensus, eo quod nihil fuisset lucratus, quasi exasperatus patremfamilias redarguit. *Sciebas quia homo durus es, et metis vbi non seminasti, et congregas vbi non sparsisti.* Quasi dicat: Vnum tantum mihi contulisti talentum, vbi cæteri plurima acceperunt: quodi ergo lucrum expectabas reportandū? Quid vno talento lucrari potui? Enim vero metere satagis vbi non seminasti, & congregare vbi non sparsisti. Cui pater familias quasi hac nota cōprehensus, & propriæ non immemor conditionis: *Sciebas* (inquit) *quia meto vbi non semino, et congrego vbi non sparsi?* Ac si diceret: Me enim agnouisti: fateor quod improperas: congrego enim vbi non sparsi, & meto vbi semina nunquam iecci: negare quod obijcis, non possum. Quando ergo Deus vbi non seminauit, mesuit, quod tam ingenue id fatetur? Cui granum Diuini Verbi ab vtero MARIAE non sato collegit, ait acutè S. Proclus orat. de incarnatione Verbi, *Cum non satum granum ex inculta terra germinauit.* Quod eodem ingenio festiue dixit Sanct. Augustin. serm. 25. de temp. *Filius Virginis in quadam lectione euangelica dit: Meto vbi non seminaui, et colligo vbi non sparsi. Dicat solus hodie natus ex Virgine filius MARIAE: Meto vbi nō seminauit, et colligo vbi nō sparsi: dicat et MARIA: Et ego te filium*

452

D. Bern.

Matth. 25 v. 24.

Vers. 26.

S. Proc.

D. Augus.

Psalm. v. 10. Chald.

45

gene-

genitaui, et Virginitatem meam non violaui: regnum teneo Virginitatis, et Regem genui castitatis. Ingredientem, et egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, et de manibus meis non amisi clauem regni pudoris. Porta facta sum cœli, ianua facta sum Filio Dei. Non modo non amisit in partu Virginitatem MARIA, sed Virginitatis regnum ex tunc cœpit possidere: vt cæteris dominaretur Virginibus, sine consortio viri concipiens, absque diminutione Virginitatis peperit; quin potius cum illius incremento, vtpote fertilissimus campus nesciens arattrum, nam terra quæ sine laboris beneficio, & non sata perfectum fructum affert, melior, & fœcundior est. In partu igitur vbi MARIAE integritati imminebat periculum, virginior apparet & perfectior, cum iucundissimum fructum sine culturæ, aut seminationis beneficio tribuebat: à periculo enim securitatem hausit, & vbi virginalis integritas semper naufragatur, MARIAE Virginitas tutiorē portum inuenit.

453 Eodem priuilegio ac in partu & in conceptione, in purificatione gaudet: nam legi obtemperans, illiusque obedientiæ subiacens, quod impuritatis indicium, ac matris cōmunis, quæ propagatione naturali parit & cōcipit, argumentum videbatur, nihil suæ perfectioni detraxit; sed eam summopere cōmendauit, & extulit. Obedientia enim legis, quæ in alijs mulieribus imperfectionem supponit, MARIAE immunitatem protexit, & puritatem laudauit. Quod arcanè Dauid innuebat Psalm. 44 vbi de hac Regina locutus dixit. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Chaldæus vertit *Stabit liber legis in latere dextera tuæ.* Reliquas mulieres, quæ ex consortio viri concipiunt, purificationis lex ad sinistram collocat, nā maternitatis cōsequentiæ sinistra sunt & culpæ reatus: subindeque dextera, in qua nihil sinistrum, non ipsis locum porrigit. MARIA autē cum ab huiusmodi dolentijs sit libera, vtpote quæ filiū virtute Spiritus Sanct. concepit, dextera occupat, & purificationis lex, quę cęteras in sinistra locat, MARIAM in dextera collocauit, & maioris perfectionis fuit argumentū. Occulte id Salomon prædicauit, nā de forti illa muliere locutus, in qua MARIAM agnoscit Ecclesia, sic eius elogia prędicat. *Manum suam misit ad fortia, et digiti eius apprehenderūt fusum.* Prou. 31. v. 19 Hebræus significantius vertit: *Manū suam misit ad legem seu fortitudinem, et digiti eius apprehenderunt fusum.* Tota enim virtutis & spiritualis pulchritudinis fortitudo in adimpletione legis consistit: quare idem est ad fortitudinem, ac ad legem mittere manus. Hoc sanè facile intelligitur. Sed quid laudis & excellentię in apprehensione fusi agnouit Sapiens, vt vt hoc inter mulieris laudes memoret? Legē adimplere multæ consueuere mulieres, domesticis officijs intendere, & inter ea nere fere omnibus cōtingit. Cur igitur Salomō id quod tā cōmune & triuiale est, in hac muliere, quam speciosis laudibus extollere tē tat, prædicat, & exaltat? Cur commē dat id, de quo ferè omnes possunt gloriari? Crediderim, vt indigiter excellentiorem MARIAE perfectionē. Nam mulier, quę net, efficit, vt quod in manu sinistra inuenitur, ad dexteram transeat: etenim volubilibus gyris & circulis repetitis linum, quod in colo ad sinistrā ponitur, ad dexterā trahit, & à colo transit in fusum: quod idē effecit MARIA, & merito laudat Salomon: nam liber purificationis, qui reliquas mulieres ad sinistrā denotabat, & impuras supponebat, MARIAM ad dexterā collocauit, & illa eādē obedientia, quę dedecus in alijs conuincebat, fortius Marianę puritatis fuit argumentum.

Proverb. 31. v. 19.

Hebræus.

ANNOT. C. III. MORALIS.

VOLVIT CHRISTVS DOMINVS, vt omnis eius victoria Virginali Matri tribueretur.

454 MIRABERIS quòd Iosuè contra Gabaonitas pugnante, & luci cursum inhibente luna steterit cum sole. *Sol et luna steterunt in tabernaculo suo.* Hic v. 11. Sed ne mireris, nam ex D. August. vbi supra, & ex Hieronym iuxta 70. lectionem per solem Christus, per lunã vero MARIA venit accipienda, quæ passim à sanctis Patribus lunæ vocabulo insignitur. Sic Cardinal. Hugo ad illud Genes. 1. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, et luminare minus, vt præesset nocti. Luminare maius* [inquit] *Christus, qui proprie diei, id est, iustis præest: luminare minus, id est, MARIA, quæ præest peccatoribus.* Sed nondum vincitur difficultas, nam si ad insequendos, & expugnandos hostes solius solis luce & assistẽtia erat opus, ad quid lunæ cursus prohibetur, & cũ sole sistitur? Cur nõ permittitur cursũ peragere, si absq; ea victoria reportari valet, hostesq; profligari? Suspicor, quia Christus Dñs nullam voluit sibi victoriam adscribere, quin & eius tribueretur matri: etsi luna ad debellãdos hostes superesset, adesse voluit, vt ipsi etiã victoria adscriberetur. Sic opprefso Israele vehemẽter viginti annis sub tyrannico imperio labin Regis Chanaã, Debbora vxor Lapidoth, quæ iudicabat populũ illo tẽpore, ad expugnãdum inimicũ vocauit Barac, cui Deus erat pollicitus hostem tradere in manus suas: at ille ad Debboram dixit: *Si venis mecũ, vadam; si nolueris venire mecũ, non pergã.* Iudic. 4. v. 8. Illa autem cum Barac ad prælium procedere vltro promittit. D. Ambros. lib. de viduis Barac filium Debboræ existimat; Hugo. Rupert. & alij apud Abulens. q. 6. cũdẽ cum Lapidoth esse contẽdunt: quæ licet aliquibus probabilis sententia videatur, Hieronym. tamen displicet, & aliũ esse Lapidoth Debboræ cõiugẽ, alium Barac, cui tanquam filio principatum Debbora obtulit, arbitratur. At si Dominus iniungit Barac, vt contra hostes eat, ab eoque esse debellãdos, vt comprobauit euentus: cur ipse cõsortium Debboræ ambit, & ad bellum non proceſſurũ, nisi ipsa Debbora pergat, constanter affirmat? *Si venis mecum, vadã; si nolueris venire mecũ, non pergã.* Nec enim hoc ex metu, aut ex imbecillitate fidei dixisse licet suspicari, cũ eius fiduciam commendet Apostolus ad Hebræos 11. v. 12. Pulchrè D. Amb. vbi supra difficultati occurrit. *In mulieris manu* (inquit) *summam fuisse victoriæ docet Barac filius Debboræ dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo. Quanta ergo fœminæ illius virtus, cui dux exercitus dicit: Nisi tu veneris, non ibo?* Vt hoc loquẽdi artificio Debboram ad secum eũdũ promoueret, volebat enim illam habere comitem, vel præsidij causa, nam eius virtute munitus ingentem hostium multitudinem non formidabat; vel vt (quod magis verisimile apparet) ipsi etiam de hostibus reportata victoria tribueretur. Hæc inquam mulier Debbora, quę in Hebręo mulier fulgurum, vel lampadum, seu illuminatrix interpretatur, quia diuinis erat illuminata fulgoribus, figura fuit Virginis matris: quia vt hic aduertit Carthusianus, & D. Bonauent. in speculo B. Virg. illuminatrix dicitur ob multas causas, quas ibi prosequitur: quibus adstipulantur D. Thom. in opusc. de salutat. Angel. & D. Bernard. serm. 1. de Assũpt. *MARIAE* [inquit] *præsentia totus illustratur orbis, adeo vt et ipsa cælestis patria clarius rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore.* Hæc ergo virilis fœmina (esto necessaria non foret) vt eius filius Barac Christus Dñs hostes expugnaret: tamen sine illa ad pugnã ire abnuit, vt etiam matri adscribatur de hostibus triumphus.

Cum Hebręa gens iter per desertum ageret, ob fastiditã AEthiopissã Moysis vxorẽ, & leuẽ prophetię iactationẽ apparuit Maria illa Aaronis & Moysis soror lepra cãdens: & illico iubet Deus Numer. 12. v. 14. *Separetur septem diebus extra castra, et postea reuocabitur. Exclusa est itaque Maria extra castra septẽ diebus, et populus nõ est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.* Quid prohibet populum inde per-

455

Prouerb. 31. v. 15.

Hugo Car.

Iudic. 4. v. 8.

Hugo. Rupert. Abulens.

D. Ambr.

Carthus. D. Bonau.

D. Bern.

Num. 12. v. 14. 15

Lyra

Exod. v. 21.

Lyra D. An

D. Gre

Ruper

pergere, etsi tantisper resideat Maria? Tãtus, tamque numerosus exercitus sic grauabitur, vt immobilis subsidat, quia vna dũtaxat fœmina immota sistitur? Satis foret, si gradetur populus, & post septẽ dies cõualescens Maria maturè festinater ad ipsũ. Lyra sic cõgruenter exscribit: *Et populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria. Ex quo patet impedimentũ itineris ex reuerentia ad Mariam.* Pergit populus ad deuincendos hostes, qui ad promissã terrã impedimento erant. Sapiẽter ergo remoratur, & illum ductare renuit Moyses absque Maria: quia etsi ille typũ Christi gerens hostes esset expugnaturus: hoc tamen nõ faceret nisi in Maria consortio, quę Virginis referebat imaginẽ, vt dixit Ambr. ad c. 2 Luc. & epi. 81. noluit enim quod Maria exors esset victoriæ, cui præcipuè erat adscribẽda. Sic excussa AEgyptiorũ seruitute, & per vastã solitudinẽ pergente populo ad terrã pollicitã *Dominus præcedebat eos ad ostendendã viam per diem in columna nubis, et per noctẽ in colũna ignis; vt dux esset itineris vtroque tempore.* Exod. 13. v. 21. Addubitãt Interpretes, an vna, vel duplex fuerit columna ductans. Plerique existimãt eamdem fuisse, quę obumbrabat per diem, & illuminabat per noctẽ, vocarique duplicem propter duplex officiũ. Lyranus ex mente Hebræorum autumat duplicem fuisse, aliam per diem, quę vsque ad vesperam relucebat, & peracto officio aliã ignis subintrare in nocte. *Quod autem verũ sit, nõ bene apparet de textu: certum tamen est, quod vtroque modo potuit esse: quia totum illud fiebat diuino miraculo*, inquit Lyra. D. Ambr. in Psalm. 118. per huiusmodi ductricem Hebræi populi columnam mystice B. Virginem adumbrari existimat; quæ Dei populum educit de tartareo diaboli ergastulo, & feliciter ducit per huius vitæ auia ad promissam cœli patriam. D. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 13. & Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 24. Christum fuisse censent. *Quis nam?* inquit Rupert. *dux itineris, nisi qui et dux, et via nobis est Iesus Christus Filius Dei? Ipse nempe columna ignis, quia verus Deus, ipse idem columna nubis, quia verus homo est.* AEque & filium & matrem Virginem columna illa, quæ infensissimo hoste deuicto populum ductabat, referebat, vt hostis expugnatio, reportataque victoria decantaretur vtrique.

Præcepit Deus Moysi, & Aaroni, vt signum eductionis populi Pharaone exigente, virgam proijcerent: quo facto in colubrum versa AEgyptiorũ virgas deuorauit. *Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone, et seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes AEgyptiacas et arcana quædam similiter; proiecerunt enim singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Exo. 7. v. 10. Quæstio est inter Interpretes, ã Aaronis virga virgas deuorauerit Magorũ, vtrisque in serpentes conuersis: an postquã ad naturã virgæ fuerunt redactę. D. Aug. q. 21. in Exod. Lyra, & Caietan. censent, priori modo miraculũ contigisse. *Dicunt autem* (verba sunt Lyræ) *Doctores Catholici, quod illa deuoratio fuit antequã virga Aaron rediret ad naturã virgæ: quia virga nõ cõpetit deuorare, sed magis serpenti: vocatur tamen virga, licet tunc esset serpens, quia prior eius natura erat virga, et quia serpens erat reducendus ad naturam virgæ.* Iã ergo suboritur difficultas: nã Christus Dominus, cuius figura erat ille serpens, AEgyptia cã superbiã obtriuit, cũctosq; Pharaonis equites & exercitus expugnauit, in quo victoria exprimebatur à dęmone reportanda iuxta illud Ioan. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto: ita exaltari oportet filiũ hominis &c. Cũ exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsũ.* Cur ergo nõ serpẽti vt serpens est, sed virgę adscribitur victoria: cuim vero serpens serpentes deuorauit, Christus deuorauit infernũ? Vt quid igitur honor & laus nõ

456

Exod. 7. v. 10. et 11

D. Augus. Caietan. Lyra.

Ioann. 3. v. 14.

serpēti, sed virgæ defertur? Nisi vt victoriæ particeps efficeretur MARIA, quæ virgę nomine frequenter insignitur. Non serpens, sed virga Magorum virgas deuorasse dicatur, vt victoria æque ac serpentis, virgæ esse credatur, Præclarè Rupert lib. 1. in cap. 1. Cantic. prodest ad institutum. *Sicut enim (inquit) virga illa virgas maleficorum, et incantatorum deuorauit, et omnē superbiam AEgyptiacam obtriuit, ac deinde germinauit, frondiuit, floruit, et fructus protulit non plātata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra vsum naturæ prouecta: sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam prauitatem hæreticam interemisti, superbiam diabuli deiecisti conceptu fortda, partu fructifera, Virgo in conceptione, Virgo ante partum, incorrupta post partū.* Nisi MARIA ad partē victoriæ ingrediatur, non videtur filius reportasse victoriā: ideoq; gloria ex triūpho resultans nō solum in filij, sed in matris honorē redundat.

457

Hinc est, quod vbi Christus describitur tanquam strenuus miles Marte indutus, & ad prælia cinctus, *Accingere gladio tuo super femur tuum potētissime.* Psalm. 44. statim paruo interstitio additur: *Astitit Regina à dextris tuis.* Vt quid Regina ad bellum se comitem prēstat? Quid est stare à dextris procedentis ad bellum? Lyra ibi: *Id est, in potioribus bonis eius.* Quasi B Virgo in omni Christi pugna viriliter steterit, semperque victorię particeps, atque exubiarum fuerit. Quo spectat Arnoldus Carnotensis tractat. de laudibus MARIAE, vbi de Christo Cruci affixo, & adstāte matre, & patiēti filio sic fatur. *Vnum pariter holocaustum ambo pariter offerebant Deo: MARIA in sanguine cordis: Christus in sanguine carnis.* Vnde plerique Patres non verentur ipsam Corredemptricem appellare. Propter quod tanquam inclyta bellatrix astitit in morte filij, *Stabat iuxta Crucem mater IESV.* Ioan. 19. Subindeque cum Christus de Iudęis victoriam reportauit, Deiparæ meminit sancta illa mulier, atque ipsi detulit triumphum. *Beatus venter, qui te portauit et vbera, quæ suxisti.* Lucæ 11. vbi Glos. *Hic MARIA laudatur, quia Dominum portauit, et prauitatem tam præsentium Iudæorum, quam futurorum hæreticorum, qui veram Christi humanitatem negant, confitetur, quia verum Dei Filium aduersus blasphemos Iudæos, et verum hominis filium testatur matri consubstantialem. Nisi enim esset vera caro cum matre, frustra venter ille Virginis et vbera beatificarentur.* Quasi Deiparę viscera Christi bellatoris aduersus omnes hostes essent tentoria, vt fatur D. August. hom. 4. in natalitia *Splendentis vteri pulchra tentoria.* Similiter eam salutat Alcuinus ad c. 1. Lucę. *Et tu bellatrix egregia eum, qui primo Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es.*

Rupertus.

Gloſa.

D. Auguſ.

ANNOTAT. C. IV. MORALIS.

VT DEBITVM MATRI REPENderet, Christus Eucharistiam instituit.

458

ETSI Eucharistia bona gratia sit propter mirabiles gratiæ effectus, et supernaturalia dona, quę digne illā suscipientibus prēstat, motiuo suę institutionis attente inspecto, non gratiæ, sed iustitiæ mysterium videtur, illam enim exigebat iustitia, & postulabant matris officia, quibus filium suum hominē factum lactauit, & adimplens maternam curam nutriuit. Non modo à Dei misericordia hoc mirabile Sacramentum originē duxit; sed ab eius iustitia matris merita remunerante: non tam gratia, quā merces & compensatio fuit titulo debita maternitatis. Vnde dixit Nisenus de vita Moysis post medi. *Huius corporis panem non oratio, non satio, nō agricolarum opus efficit: sed terra intacta permansit, et tamen pane plena fuit, quo famescentes mysteriū Virginis perdocti facile saturentur.* Iure Nisenus *mysterium Virginis* Eucharistiam appellat: nam iure fuit suum, cum illud maternis curis fuerit promerita, nec filius matris debito satisfaceret, nisi hunc cibum titulo compensationis

Nisenus.

repen-

reprenderet. Virgini ergo matri debemus panem cœlestem, quo nutrimur, Eucharisticas ępulas, quibus beamur, non solum (quia vt dixit S. Bernard. serm. 2. de de natiuit. Domini) hic panis in ventre Virginis fuit decoctus, *Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne. S. Spiritus coctus est panis iste*: sed quia eum iure maternitatis atque nutricis officio exigebat, & nisi eum obtineret, nō sibi satisfieri videretur.

D. Berna.

459 In quadam concione, quam Christus habuit ad turbas, plurima pandit elogia de sacramento Altaris, & delitias in illo de cœlo allatas promulgat. Multi autem audiētes obmurmurabant, & de facti impossibilitate blaterantes ridebant. *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, et dicebant: Non ne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrē et matrē?* Ioan. 6. Facti impossibilitatem ex materno origine arguunt, & tamen (vt notauit acute Chrysost.) nihil pro sacramēti, de quo loquebatur, defensione, & ipsius veritate dixit. Et cur cū MARIAE filius reputatur, exindeque fides Sacramento detrahitur, non Dei Filium & omnipotentem se prodit, vt crederēt posse adimplere promissa, & carnem suam in cibum porrigere? *Manifestum est enim* [ait Chrysostom.] *quoniam mirabilem eius nondum sciuerant generationem, propterea eum adhuc filium Ioseph et MARIAE dicūt. Sed non increpat, non namque respondit eis: Non sum filius Ioseph.* Si ergo generationē Diuinam ignorabant, cuius virtute panem in carnem conuertere valebat, cur non Dei Filium se manifestat, vt fidem cōciliet mysterio; sed MARIAE filius vult videri, cum de almo Eucharistiæ Sacramento agit? suspicor, vt debitū matri repēderet: iure enim hoc Sacramentū MARIAE debebatur; vnde cum de illius institutione agitur, MARIAE filius vult reputari, & neque ostendit generationem Diuinam, neque abnuit humanā, vt sciant omnes, quod hoc Sacramētum MARIAE debetur, propter cuius merita fuit institutum: nam etsi causa principalis, qua Deus se in cibū præstitit, quæ eius bonitas est, deficeret, etsi cæteræ congruentiæ impulsiuæ non adessent, debitum matris sufficeret, vt se daret in cibum: subindeque MARIAE filius vult existimari agens de hoc Sacramento, quasi debitum recognoscens.

Ioann. 6. v. 41.

D Chris.

Ast restat inuestigare, vnde huiusmodi debitum oriatur. Ex maternis nempe officijs, quibus & filium concepit, & postea proprio sanguine nutriuit, & coagmentauit: nam omne illud quod MARIA in alimentum præstabat filio, in sustantiam ipsius filij conuertebatur, & idipsum per communicationem idiomatum ad substantiam Dei transibat, nutrimentūque, quod MARIA conferebat, in Deū vertebatur: vnde cibus ille Deus erat, proindeque non alio cibo, qui Deus non esset, poterat compensari. Igitur vt Diuinum iam nutrimentum à MARIA administratum ad æqualitatem rependeretur, opus fuit alimentum aliud instituere Diuinum, vt quod pro maternæ curæ mercede conquirebat MARIA, ad æqualitatem satisfaceret. Non longe it ab hac cogitatione S. Petrus Damianus pijssimus MARIAE cultor. *O beata vbera* [inquit] *quæ dūtenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum et hominum pascunt: manat liquor ex vberibus Virginis, et in carnē vertitur Saluatoris* &c. Et paucis inieriectis subiungit. *Hic, rogo, perpendite, quam debitores simus huic beatissimæ Dei genitrici, quantasque illi post Deum gratias agere debeamus: illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod materna cura nutriuit, illud (inquam) absque vlla dubietate, non aliud nunc de sacro Altari percipimus, et eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Impar ergo est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de semetipso perhibet dicens:*

S Petrus Damian.

Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis ex hoc pane manducauerit viuet in æternum. Præclarrissima quidem verba, quibus singillatim materna munera recensẽt, vt ex inde quasi ex iustitiæ merito huius cibi institutionẽ inferat. Sed pẽde illa, quę deuotissimus Pater expendere deprecatur. *Perpendite, quã debitores simus huic beatissimæ Dei genitrici, quantasque illi possit Deum gratias agere debeamus.* Quasi dicat: Eo quidem debito, quo Christus matri erat adstrictus, vt cibũ daret cœlestem & supersubstantialẽ, eo ipso omnes B. Virgini adstringimur: nam illius meritis hoc debemus conuiuium, ac pro illo grates ipsi rependere tenemur; quandoquidem illius suffragantibus meritis illo potimur.

461 Astitit Cana nuptijs Christus, & eius mater, inter abundantiam aquæ prætuidet ipsa penuriam vini, & anticipata supplicatione defectum auertere satagit, filiumque maternis precibus obsecrat vt miraculum patret, quod quamuis distulerit, tandem effecit, licet primo repulsam pateretur pia mater illis verbis, *Quid mihi et tibi mulier?* Ioan. 2. Multum Patres huius repulsæ quasi exacerbatio fatigat: nam si miraculum filius erat patraturus, cur primo matris supplicatione quasi exasperatur, & eam à se repellit verbis à filiali amore alienis, & quasi de supplicatione infensis? Præeat lucifer Chrisolog. vt noua lux tritę difficultati oriatur. *Aqua (inquit) in sanguinis erat conuertenda mysterium.* Grande illud miraculum conuersionis aquæ in vinum, viui in sanguinem Christi conuersionem præfigurabat. Nunc autem accedat Chrisostom. qui existimat, ideo Christum matrem repulisse, quia pro patrando miraculo rogans accedebat. *Abijs namque (ait) qui indigebant, rogari oportebat, non à matre.* Verum ex Chisostomi verbis ingentior oritur difficultas. Cur matrem pro instante necessitate non rogare oportebat? Ipsa namque, quę adnocata hominum est, & pia erga ipsos semper exercet officia, pro ipsorum indigentia non obsecrabit? Quis enim suspicaretur matris preces Christum fastidire? Sed acumen percipiamus: erat enim illud miraculum & primũ à Christo factorum, & quod Eucharisticam mensam referebat: hoc autem cęleste conuiuium matri titulo iustitię debebatur: vt igitur eam audit quasi gratuita forent, ipsi debita deprecantem, quasi exasperatur, & ægre fert, quod rogans pro munere ipsi debito accedat, cum non deprecans, sed quasi imperãs accedere debuerit: nam quod titulo iustitiæ debetur, nõ expedit supplicationibus petere. Aegerrime ergo Christus ferebat, quod circumstantes non agnoscerent conuersionem illam debitam esse matri, & satagit, vt non rogatum, sed quasi iustitia coactum miraculum patrare videant, vt matris ac iustitię debito satisfaceret: non enim oportebat à matre rogari, ne gratiæ tribueretur, quod iustitia exigebat.

Ioann. 2. v. 4.

S. Petrus Chrysol.

ANNOTAT. C.V. MORALIS.

MARIA FLOS ET IN CONCEPTIONE, et in partu intemeratus.

462 FLOS Virgininitatis idea, & paradigma est: pulcherrimus namque cum sit, dummodo non cõtrectatur, nitet, & fulget inuiolatus. Sic [inquam] Mariana Virginitas sẽper effulsit, vt nunquam marcesceret, odorem spirauit filij sine integritatis detrimento: vnde floris epitecto ipsam filius insigniuit Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ad ipsam enim filius tanquam apis argumentosa accessit, ab illaque fuit ortus, quin integritatis sigillum violaret: sicut apis dum flores libat, ipsorum pudorem non temerat. Vnde Bernard. mysteriose conceptionem Verbi in Nazareth contigisse autumat, quia Nazareth *Flos* interpretatur, ad quem absque virili congressu Verbum Diuinum accessit, cęlestisque Sacramenti mel elaborauit, & fauum confecit illibato semper Virginali pudore. *Sic apis habet mellis dulce-*

Cantic. 2. v. 2.

D. Bernard.

dulcedinem, habet etiam aculei punctionem: apis vero, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum, vnde et ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, et ad suauiolentem puerperæ Virginitatis florē aduenit, illi insedit, illi adhæsit. serm. 2. de aduent. Non modo nitorē huius floris apis illa non violauit: verumetiam circa ipsam continuo vagans custodiuit, & defendit.

463 Paradisum amenitate vernantem, & florum pulchritudine nitentem Deus à principio plantauit, ipsū primo Parenti tradidit, non solum vt eū coleret, sed etiam vt custodiret. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, et custodiret illum.* Genes. 2 v. 15. Genes. 2. v. 15. Ast à quo homo paradisum custodiet? Non ab inimicis, quia nulli tunc aderant: non ab animalibus homini parentibus. August. lib. 8. de Genes. ad liter. existimat Adamo fuisse iniunctum paradisum à se ipso custodire, quandoquidem nullus alter erat à quo eum seruaret. *Vt custodiret eundem paradisum ipse sibi.* D. Aug. At cur homini inhibetur floribus manum adiungere, ne contingat eos deuenustare, & illos custodire intactos: maxime cum ipsi creatus sit paradisus? Qui colonus est, & vt flores germinent, laborat, illos attingere non poterit? Non (inquam) ait Richard. à S. Laurent. quia in Adam Christus, in paradiso MARIA effigiabatur. Ipsi igitur cui cōmittitur huius paradisi cultura, custodia commendatur, vt ipsius flores tangere verbatur. A seipso Christus paradisum MARIAE custodiat, dum oritur, & concipitur, Virginitatem non tangat, sed defendat: purpureum sāguinē huius pulcherrimę rosæ libet, at ipsius nitorem & integritatem conseruet: dum sibi ipsi paradisum plantat, à seipso paradisum custodiat, & Virginitatem muniat: operetur sibi fœcunditatem, at paradisi integritatem non violet. Richard. à S. Lau. *In paradiso etiam* (inquit Richard:) *id est, in vtero B. MARIAE positus est Christus in incarnatione, quādo mulier circumdedit virum, vt operaretur in ea fœcunditatem, et custodiret illæsā Virginitatem.* Parum esset, quod Christus operaretur paradisum, nisi illum custodiret: deliciarum hortū, MARIAM nempe, colat; verum Virginitatis florem conseruet, ne à propria, vel aliena manu temeretur.

Miro studio, miráque solertia Angelus ad MARIAM salutandam accessit, & fauste cum Virginitatis pudore Diuinum ventris fructum ominatus dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecū.* Luc. 1. Reueretur Angelus MARIAE sanctitatem, & non modo ipsa in salutatione turbatur cœlestis Paranimphi legatione, verum & ipse nuntius quasi turbatus verborū obliuiscitur, & truncata oratione puellam alloquitur. Cur non ait, Dominus est tecum, vt vel ipso perfectę orationis tenore perfectionem exprimeret operis; sed ablato verbo eam salutat? Dū de Verbi incarnatione agitur, verbū aufert, & in dubio relinquit, an ipse Dominus iam cum MARIA sit, an posteā venturus? Ambigua enim relinquitur oratio, ad prę sensque, prę teritum, vel futurum tēpus potest inflecti, *est* addito, *fuit*, vel *erit*. Cur vt incarnationis mysterium salutationis tempore effici ostenderetur, non ait, Dominus est tecum; sed indefinita temporis differentia Deum adesse affirmat? Crediderim, vt ex inde MARIAE Virginitas in conceptione Verbi ostenderetur; verbum enim copula est vtriusque orationis extremi, & à congressu maris & fœminæ quę copula dicitur originem ducit. Dissertè ergo Angelus, vt ostenderet in hac cōceptione, quam denuntiabat, nullam affuisse copulam, copulam orationis abstulit, vt illæsum Virginitatis florē qui copula violatur, exprimeret: hoc enim miro artificio mysterium Virginitati (de qua MARIA anxia quærebat, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*) non obstare satis ostendit, quandoquidem id non humano, sed Diuino commercio efficiebatur. Sic refert Aristot. lib. 5. de animal. quod in Arabia quædam avis magna & regia degit, nomine ormiemella

464 Luc. 1. v. 28.

Vers. 34.

Aristot.

mella, quæque solum in illa regione habitat, hæc (inquam) guttam emittit sanguinis sui inter flores, quæ in adventu solaris luminis viuificatur, & similem sibi procreat auiculam nullo cõsortis interueniente congressu. Eodem pacto absque maris concubitu auis regia MARIA inter suæ Virginitatis flores guttam sanguinis absque viri consortio emisit, ex qua virtute sola cęlestis & solaris luminis corpus Christi formatum est, quin flos Virginitatis àcommercio viri violaretur, neque ad solis conspectum marcesceret: quia auis illa magna florem, quem vocant giganteam seu cliciem, refert, qui ad solis præsentiam erigitur, nitet, & vernat.

465 Huius autem puellæ Virginalem candorem, & floridam puritatem testatur Isaias cap. 35. v. 2. *Florebit quasi lilium, germinãs germinabit, et exultabit lætabunda et laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.* Nulla alia pulchriori similitudine potuit MARIAE illibatam puritatem ostendere, quam florentis ac vernantis lilij candore. Nam quemadmodũ flos odorem spirans ventis fatem non amittit; sed potius enuntiat, ex odore oculos alliciens: sic B. Virgo decore Virginitatis non amisso fragantissimum filij exhalauit odorem, omnibusque floricomam suam Virginitatem ostendit. Sic præcitata verba versat B. Thom. Archiep. Valent. *Germinãs germinabit: quia sola germinabit, quia sine viro germinabit. Sicut lilium. Optima similitudo. Quam pulchrè editus Saluatoris ex Virgine spiramini odoris ex flore comparatur: nã sicut flos propter odorem suum nõ perdit decorem, cum odor emittitur: sic tu propter Saluatorem Virginitatis odorem non perdis, cum nascitur.* Matris dignitatem assecuta Virginitatis non amisit pudorem; sed odoris fragrantia illum auxit. Hoc ipsum proprio ore ipsa confitetur, dum se vineę floreſcenti confert Ecclesiast. 24. v. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Ad quæ verba Guarricus Abbas serm. 1. de natiuit. subijcit, *Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum; sed habet similitudinem in naturis rerũ. Quæris quomodo Virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem.* Quod ergo natura docet, non est in matre Virgine ambigendum: fructificandi enim munus Virginitati non opponitur, & odoris suauitas illęsum floris relinquit nitorem. Vnde Richard. à S. Laurent. (lib. 3 de laudib. virg. ad illud Cantic. 2. *Qui pascitur inter lilia*) ex florum inuiolata puritate duplicem Deiparæ Virginitatem filium allicientem vt inter ipsas habitet, rectè agnoscit. *Pascitur inter lilia, et ideo voluit Virginitatem. Quasi hoc ipso diceret: lilia desiderabat, lilia ei exhibeo, id est, duplicẽ Virginitatẽ, scilicet, mentis et corporis, quod notatur per hoc, quod dicitur inter lilia.*

Guarric. Abbas

Richard. à S. Laur.

ANNOTAT. C. VI. MORALIS.

A DEIPARA PIETATEM CHRISTUS hausit, ad ipsius que nutum munera dispensat.

466 PVLCHRE Vates soli Christum, lunæ vero MARIAM comparat: *Sol et luna steterunt in habitaculo suo.* Hic v. 11. quia sicut luna, quæ præest nocti, solem tẽperat, ipsiusq; ardores mitigat: sic B. Virgo Diuinitatem Christi temperauit, mitigauit ardorem iustitiæ, communicauitque pietatem, quam hominibus præstat. Ideoque stante sole, simul & luna stetit, vt illum in expugnatione hostium coadiuuaret, & hominum se auxiliatricem ostenderet. Ad hanc autem piam protectionem fruendam ipsa met homines inuitat Prouerb. 9. *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Quæ verba ad MARIAM referunt plerique Patres: nam quod de creata, aut increata sapientia dicitur, solitat Ecclesia MARIAE accommodare. Sed iam ambiges quodnam hoc mixtum fuerit, ad quod

Prouerb 9 v. 5.

quod B. Virgo famescentes homines inuitat. Ausculta doctum huius loci interpretem Salazar, qui MARIAM contribules inuitare autumat. *Eo scilicet, quod merum Diuinitatis humanitatis aquæ intersese inconfusè admiscuit, per quam immixtionem non in unā naturam transiuit, sed duplicem Diuinam et Humanam arctissimo vinculo copulauit.* Aptè quidem: nam quemadmodum generosum vinum aqua temperatur, & corrigitur: sic in ventre matris Diuinitas alioqui ferox & intractabilis, mitis & suauis facta est. Sed cur sicut panem suum vocauit; non ita & vinum? *Comedite panem meum, et vinū, quod miscui vobis.* Quod sic vertit Glos. *In vnam Christi personam iunctam Diuinitatem et Humanitatem.* Humanitatem ergo, quam panis referebat, suam vocat; non sic Diuinitatem: non solum quia ab ea humanam carnem assumpsit Verbum, sed cum humana indole ad omnem pietatem propensam. Quo sensu dixit D. August. serm. 2. de assumpt. *Domina nostra fac benedicta per misericordiam, quam peperisti.* Quasi MARIA nō tantum filium sed & misericordiam filij, seu filium misericordem peperisset, & ille à matris visceribus pietatem hereditasset. Quod de se ipsa referebat in celebri suo Cantic. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Lucæ. 1. & statim *Fecit potentiam in brachio suo.* Cur nō gloriatur, quod in brachio suo filius potentiam & mirabilia fecerit, sicut in salutari suo eius exultat spiritus? Prestaret sicut dixerat, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, addere, Fecit potentiam in brachio meo: nam media humanitate assumpta operatus est salutem. Bellè Batab. hic: *Exultauit* (inquit) *Spiritus meus in Deo seruatore meo, exercuit potentiam in brachio suo.* Quasi dicat: Meum voco, quia saluator est: filium Patris, quoniam in eo potentiæ suę ostentationem fecit. Nō eum agnosco filium propter fortitudinem & potentiam; sed propter mā suetudinem, pietatem & misericordiam, quam ex meis visceribus hausit.

Salazar

Glosa

D. August.

Lucæ. 1. v. 47.

Vers. 51

Batab.

Meo (inquit Lyra) *ratione assumptæ humanitatis, quia sic fuit filius Virginis et non alterius.* Humanitatis (inquā) piæ & humanę se matrem agnoscit, de ipsaque gloriatur; non fortitudinis & potentiæ, qua vindictam exequitur, & hominibus ostenditur formidabilis.

Lyra

467

Dauid aduersus Philisthęos belligerans aquam de cisterna concupiuit, quę in obsidione inimicorū erat, iuxta Bethlemiticam portam. *Desiderauit ergo Dauid, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam, et attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. v. 19 Cur aquam desiderat, quam bibere recusat, & ingenti periculo strenuos milites exponit pro re, qua non vtitur, sed in sacrificium libat? Sisto Glosę verba, quę idoneę mysticam rationem assignat. *Aquam* (inquit) *nō sitiebat, sed nasciturum in Bethleem de Virgine Christū præuidebat, cuius lauacrum et sanguinem sitiebat. Aquam ergo non bibit, sed fudit: sitiebat enim fontem æternum, qui non periculis quæritur alienis; sed aliena pericula abluit.* Pulchre quidem. Sed cur Christum concupiscit vt cisternę aquam, qui ab ipsomet Dauid & veteribus Patribus optabatur vt pluuia? *Rorate cœli desuper, et nubes pluant iustum.* Isaiæ 45. Opinor, quoniam pluuialis aqua in cisterna detenta cruditatem deponit, ibique per aliquod temporis clausa bona & salubris efficitur, vt ex pluribus Auctoribus probant Comimbricenses in lib. Metheo. tractat. 11 cap 6 Verbum ergo ęternum in Deiparę cisterna clausum exoptat Dauid: quia sciebat ibi veluti pluuialem aquam cruditatem relicturum, & salubriorē hominibus fieri, quia ab innata Virginalium viscerum pietate Diuinitas erat temperanda. Iuuat aliqualiter Rupertus lib. 2. de Trinit. cap 38. *In media cisterna, id est, in domo Domini, vbi cornu altaris tenebat.* (loquitur de morte

2. Reg. 23. v. 15.

Glosa

Isaiæ. 45. v. 8.

Rupertus

morte Ioab in cornu altaris) *ciſterna ideo dicitur, quia ſicut aqua ciſternæ immunditiam auferit: ita etiam nihilominus hæc ciſterna, id eſt, Sanctuarium Domini peccata expiabat in diebus niuis, quia per mortem peccatum expiauit.* Vbi ad Virginem matrem Chriſtus venit, ſæuitiam exuit, miſericordiæ viſcera induit, & qui antea ſeueritate iuſtitiæ crudiſſimus erat, in huius puellæ ventre cruditatem & rigorem depoſuit.

468 Peruetusta & celebris diſceptatio eſt, ex qua parte Deiparæ corporis Chriſti corpus fuerit cõpactum. Plerique apud Abulenſem in cap. 11 Leuitici exiſtimant, ex aliquibus ſanguinis guttis è corde MARIAE erutis Spiritus Sanct. miniſterio Chriſti corpus fuiſſe coalitum: quia Chriſtus debuit eſſe ad amandum, compatiendum, & miſerendum propẽ ſus, eiuſmodi autem corporei affectus ſedem & originem habent in corde. Voluit ergo ex materno corde naſci, vt induens miſericordiæ viſcera à matre illuſtre pietatis elogium, & indolem ad miſerendum genero ſè propenſam hauriret. Adduntque huius ſententiæ Doctores, Spiritum Sanct. hunc ſanguinem inueniſſe ſupra cor Virginis, vnde ad incarnationis opus illum aſſumpſit: non quod in corde hoc myſterium operaretur, quia hoc eſt contra Angeli dictum *Cõcipies in vtero*; ſed quod turbatione legationis illuc ſanguis ille accurrerit. Quod pulchrè figurat propietatem illius auiculæ (de qua ſupra ex Ariſtot. lib. 5. hiſt. animal.) quæ nidificandi tẽpore tres vel quatuor guttas ſanguinis è corde emittit, quæ calore ſolis fotæ illi ſucceſſorem prębent. Haud aliter B. Virgo è cordiali ſanguine Chriſtum cõcepit, qui ab illo manſuetudinem & pietatem hereditauit. Quod venuſte dixit Hugo de S. Vict. lib. 1. Miſcell. tit. 85. ſimilitudinem inter matrem & filium expendens. *Chriſtus in cœlo ex Patre ſine matre Deus; Chriſtus in terra ex matre ſine patre homo: in cœlo qualis Pater, talis Filius; in terra qualis mater, talis filius: in cœlo cum Patre aternus et immenſus; in terra cum matre incorruptus et manſuetus.* Manſuetudinem, & miſericordiam, quam erga homines oſtendit, à maternis habuit inditã viſceribus, naturæque indolem, & matris voluntatem exequens omnibus miſeretur. Quod pulchra ſimilitudine dixit S. Bernard. ſerm. 1. in Dominic. 1. poſt. octauam Epiphan. *Nonne* (ait) *qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? Quãtum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? Quid de fonte pietatis procederet niſi pietas? Quid inquam mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis?* Nõ potuit pietatis affectum non affricare filio pientiſſima mater, quandoquidẽ non ſolum ex naturę propenſione, ſed ex MARIAE voluntate ad miſerendũ hominibus inclinabatur, quia ad matris nutum munera ipſis conferenda diſpenſabat.

Abulenſ.

Hug. de S. Vict.

D. Bern.

D. Aug

Marianæ orationis pro hominibus efficaciam ſatis pulchre depictam reperies Cantic. 4. v. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.* Verba ſunt filij ad Virginem matrem, cuius labia vittę coccineæ apte comparantur, quia perſuaſionis energia Deum quaſi vinctum & alligatũ quocumque libuerit trahunt: ſic prędicta verba capit D. Ambroſ. in Pſalm. 118. *Sicut reſticula* (inquit) *coccinea labia tua per reſticulam coccineam vinculũ perſuaſionis agnoſcimus.* Eloquẽtiæ ſuauitate & efficacia ſic MARIA Diuinas aures demulcet, vt Deũ quaſi deuinciat, & non reluctantem neque obſiſtentem quocumque voluerit flectat. Quod ex 70. Interpretũ lectione clarius liquet, ſic enim prædicta verba vertunt: *Veluti linea fabri coccinea labia tua, ſeu funiculus fabri coccineus.* Quod idem eſt, ac ſi diceretur, labia & orationes Deiparę, quibus pro nobis Deum interpellat, eſſe veluti funiculum ſeu lineam, qua in lignorum dimenſione vtuntur fabri: illi enim non ſcindunt ligna, niſi funiculo rubro colore tincto partẽ deſignent, per quã ſecuris poſtea ſecet

469

Cantic. 4. v. 3.

D. Ambr.

Septuag.

Cantic. v. 6.

quem

quem quidem funiculum ab ipso, quo tingitur, colore rubricam vocabant antiquitus: sic Persius. *Atque oculo rubricam dirigit vno.* Hanc igitur rubricam, seu notam solent apponere, vt huiusmodi mensura, quid ligni scindendum sit, denotetur, ne ab illo, quod prætenditur, excedant. Opportunè ergo huic funiculo preces, quas pro hominibus fundit MARIA, comparantur, eo quod in largiendis muneribus, & distribuendisque donis, quæ crebro Deus in humanum genus dispensat, ab eo quod à Beatissima Virgine assignatum est, neque citra neque vltra discedit, ipsius enim labia veluti coccineus funiculus beneficia metiuntur, & ad ipsius præscriptum illa Deus distribuit. Quamobrem sic eam deprecatur Augustinus serm. 18. de Sanctis. *O B. MARIA, admitte nostras preces intra sacrarium exaudi tionis.* Sciebat enim apud ipsam consensus Dei sacrarium existere, & illius volũtatem recondi: quia largitor omnium Deus ad ipsius nutum, iuxtaque regulam ipsius voluntatis dona largitur.

D. Augus.

ANNOTAT. C.VII. MORALIS.

MARIAE CRVCIATVS IN FILII morte exaggerantur.

470 PARVM est MARIAM in passione filij, cui viriliter astitit, tot & tã acerbos dolores pertulisse, vt omniũ Martyrũ collectiuè tormenta superaret, vt dixit S. Petr. Damian. ser. de Virginis assumptione ad illa verba Cantic. 3 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et vniuersi pulueris pigmẽtarij?* Vbi per species aromaticas cõtusas ac cõtritas Martyres indigitari existimat, qui diuersorũ tormentorũ generibus cõtriti suauẽ spirarunt odorem: quos omnes excessit MARIA, cũ per desertũ passionis (desertũ enim idẽ est ac solitudo, quam fuit passa) filij sui gradiebatur. *Quia ipsa est fortioribus tribulationũ malleis superopprẽssa*, inquit Damianus. Parũ Angelos, qui illa verba proferunt, sui cruciatus grauitate, quę naturæ vires transcẽdebat, in admirationẽ rapuisse. Parũ filiũ suum in huiusmodi cruciamentis adæquasse. Parum (inquã) nisi audeamus asserere, eũ deuicisse, & in tormentorũ tolerantia non solũ viriliter cũ eo pugnasse; sed ad palmã deuenisse. Ad quod libet expendere id, quod S. Amadeus dixit hom. 5. de B. Virgine de ipsius cõpassione in agone filij locutus. *MARIA vicit sexum, vicit hominẽ, et passa est vltra humanitatẽ.* Christus vt homo tormenta pertulit, & sensibiliter doluit. Si ergo MARIA vltra humanitatẽ patitur, & plus, quã homo, plusquam filiũ pati opus est. Quare vt Amadei mens accurate percipiatur, necesse est cogitare, MARIAM fuisse eleuatã, vt plus quã natura patitur, pateretur, illiusq; vires excederet. Ad quod non parum iuuat Ruperti acumen. Ambigit cur cum Christus à vita discedebat, & à matre, ipsam Ioanni cõmendauerit, & ipsius matrem constituerit: *Ecce mater tua.* Ioan. 19. Quo pacto MARIA matris titulum adipiscitur, quando illũ amittebat, & morte filij proxima tali spoliabatur cognomine? Quia deficiẽte filio relatio maternitatis etiã deficiebat. Hoc idẽ sibi obijcit Rupertus, & nihilominus audet affirmare, tunc tẽporis MARIAM non modo Ioannis, sed & cæterorũ fidelium matrẽ constitui, quia tanquã spiritualis parens eos diris cruciatibus parturiuit. *MARIA* (inquit) *suis in cruce doloribus hoc etiam promeruit, vt non solũ Ioannis, sed omnium credentium mater diceretur, et esset.* Vbi notanda est pia docti Abbatis audacia, dum non solum affirmat, MARIAM non solum matris omnium credentium titulum suis cruciatibus meruisse, sed etiam veram extitisse matrem *diceretur, et esset.* Inter debita, quibus filij à matribus deuinciuntur, nullum venit comparandum cum doloribus, quos patiuntur eos parturientes, quia immanissimi sũt, & omni põderatione

S. Petrus. Damian.

S. Amad.

Ioann. 19. v. 27.

Rupertus.

Cantic. 3. v. 6.

maiores. Igitur (ait Rupertus) sic MARIA doluit in morte filij, & tam acerbos pertulit cruciatus, vt ipsis omnium fidelium mater constitueretur, quia omnium matrum collectiue dolores adæquauit, omniumque parturientium cruciamenta in hanc vnam conspirauerunt matrē. At non plus valet natura, quā vt dolores vnius partus sustineat, quia acerbiores sunt omnibus expertis, & ad vltra vires non habet, sub indeque impossibile apparet, quod aliqua mulier duarum parturientium patiatur dolores, quāto minus omnium. Cum igitur MARIA matrū omnium dolores senserit, vt eisdem omnium mater constitueretur, necesse fuit vires sua leuari naturæ, vt ab alieno adiutorio acciperet, quod à se præstare non valebat. Vnde dixit Ieremias, mortē Christi à multis fuisse deplorandam. *Plangent, et dolebunt super eum, vt dolori solet in morte primogeniti* cap. 12. At vbi illi multi, qui morienti Domino cōpatiuntur? Qui nā illi sunt super eum dolentes? Non inimici, quia ibi magnopere lætabantur: non Angeli, quia experres sunt huiusmodi cōpassionis: nulla alia videtur creatura, in qua prophetia adimpleretur præter MARIAM. Sed si ita contingit, cur multos ploraturos auguratur Propheta? Crediderim, quia MARIAE dolores multorū doloribus æquiualebant: exindeq; multorū lacrymas & dolores super illud spectaculū effundēdos verè dixit Propheta, vt hoc artificio piæ matris cruciatus exaggeraret. Quare cū nō appareat possibile, nec patiatur humana fragilitas, in vnū cor ingentes plurimorū dolores cōcurrere, quin deficiat, optimè dixit Amadeus, Mariā in filij passione naturæ terminos transilijsse, & vltra humanitatem fuisse passam: ac subinde speciali cōcursu, & manutenentia Dei indiguisse, vt dolores, quibus premebatur, & ad quos sufferēdos naturales vires nō valebant, perferret.

Zachariæ 12. v. 10.

471 Hæc, inquam, inter filium & matrem maxima fuit differentia: nam vt pateretur Christus, necesse fuit Diuinitatem concursum suspendere, quia illo naturali debito impassibilis & immortalis reddebatur Christus: quam obrem impassibilitatis dos fuit suspensa, vt tormenta sentiret, subiretq; mortem: sic caperem illa verba mœrore & tristitia plena, quæ Christus in cruce protulit. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Psalm 21. Quasi dicat: Cur Diuinitatis subsidia, & priuilegia Filio tuo debita abstulisti, vt sic mortis iniurias sentiret? At illo auxilio, quo Christus caruit, vt pateretur, MARIA, vt pateretur, indiguit: nā sine vberiori cōcursu absq; dubio vitā amitteret. Quare in dubiū potest vocari, cur Angelus MARIAE subuenturus non aduenerit, sicut Christū cōfortare aduenerat. Rationēq; fuisse reor, quia cum Christus quasi destitutus, & derelictus esset à Diuinitate, vt pateretur, eius confortatio Angelo commendatur: cæterū MARIAE cruciatus adeo humanas & Angelicas vires excedebant, vt nō sufficeret humanum, neque Angelicum adiutorium: & nisi Dei speciali auxilio muniretur, dubio absque vitā amitteret. Sic Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 2. art. 2. cap. 4. *Mortua fuisset B. Virgo, si Spiritus Sanct. eam non cōfortasset.* Ad sufferentiam enim dolorum, qui naturā ipsam superabant, non Angelorum confortatio sufficeret, quos B. Virgo in fortitudine excedebat, sed Dei speciale requirebatur auxiliū. Nunc autē redit virilior consequentia: Christus à Patre derelinquitur, vt tormenta, & mortem sustineat; MARIA vt non periret, & mortē euaderet, Dei auxilio speciali indiguit: ergo filiū in cruciatibus superauit, & maiores quā ipse, pertulit, quantum distat auxiliū MARIAE collatum à carentia ipsius, quā Christus habuit. Et hinc apparet ratio, cur cū Euāgelistę omnes Christi passiones, & ærūnas quas sustinuit, singillatī referāt, quin obliuioni aliquid relinquāt; MARIAE cruciatus nō meminerint, & tātū dicāt, eā iuxta crucē stetisse: videbatur enim ipsis Christi tormēta referre, et si difficile, nō tamē impossibile fore; at MARIAE dolores adeo humanā eloquentiā, sicut & naturam transcēdunt, vt non appareret

Psalm. 21 v. 1.

S. Bernar. Senensis.

Arnold. Carnot.

possi-

possibile, illos exprimere verbis. Hęc enim est magnarum rerum prærrogatiua, nulla ponderatione capi.

472 Illud autem cogitationem nostrã iuuat, quod Christus in cruce, verùm MARIA in Christo patiebatur. Non parua inter Philosophos excitatur difficultas, quænam sit vehementior causa doloris, an illum perpeti in loco tormenti, an in loco ad requiem destinato: & licet aliquibus videatur à loci qualitate tormentum attemperari, & suauizari, quandocumque sustineatur vbi deliciæ affluebãt; extra dubium est, vltimum esse apicẽ anxietatis & doloris, cum illius est causa, quæ consolationis esse solebat: quapropter iniuria ab amico illata sensibilior est. Vbi patiebatur Christus? In cruce infame ligno, martyrio & opprobrijs deputato. Vbi MARIA? In Filio loco deliciarũ & totius consolationis. Atrocior igitur fuit pœna, quam filij magis filij mortẽ dolebat, quã ipse filius: nã ille in diro patibulo torquebatur; hæc in ipso deliciarũ cõpendio, in ipsa delectationũ origine. *Arnold. Carnot.* *Altare suum erat in corpore filij*, ait Arnold. Carnotens. Illa in filio; filius in cruce immolabatur. Eamdem difficultatem mouet Veronens. Zeno in Abraham, & eius filio ad victimam destinato, & dubius quis plus pateretur, victima, an sacerdos, tandem plus Abraham sustinuisse concluditi nam Isaac in ense & pyra erat passurus; at Abraham in filio vnico, & sibi dilecto, quem sacrificabat. Plus igitur doluit MARIA, cum in proprio filio pateretur, quam ipse filius in cruce laceratus. Præterquam quod cum in dilectione decertaret cum filio, & dilectione & pœnis ipsum superauit. In amoris enim schola tormenta, quæ persona dilecta patitur, ad æqualitatem sentire, sufficiens est amoris indicium: eam in dolore superare, magnæ dilectionis est argumentum: cæterum supra modum sentire, quod persona amata nullo modo sentit, vltima exaggeratio amoris est. Hoc inquam amoris experimentum in nullo alio nisi in MARIA inuenitur: nam vulnus, quod Christi pectori fuit infixum, cum eum iam mortuum inuenisset, adeo est certum insensibiliter ipsum attigisse, quod Theologi ad præparationem animi recurrunt, vt illo meruisse affirment. Illud autem vulnus, quod neque filius sensit, neque sentire potuit, vehementissimo dolore cor matris percussit: nam filij pectore tranfixo ad animam matris trãsiuit, ibique cruentissimum & amarissimum vulnus impressit. Quamobrem Ecclesia merito mucronem dirum appellauit *Mucrone diro lanceæ*. Nam mortuũ vulnerare, & mulierem percutere, crudelis ac diri animi est argumentum. Igitur sentiat MARIA, quod filius sentire non potuit, vt eũ in cruciatibus superasse maneat compertum.

473 Hinc lucem capit locus ille Cãt. 4. vbi Sponsa de se ipsa loquens aiebat: *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Richard à S. Laurent. per montem myrrhæ Caluariæ montem intelligit propter dolorum amaritudinem, & superabundantiam, quam ibi passa est B. Virgo, quæque propter ipsius magnitudinem meritò mõti comparatur. *Montem myrrhæ dicit propter acerbitatem et cumulum doloris illius.* Per collem vero thuris lętitiã & consolationem, qua in filij resurrectione fuit perfusa, accipit. *Thuris fragrantia Dominicæ resurrectionis gratũ odorẽ demonstrat.* Quid ergo est dolorem monti cõparare, & lætitiã colli, nisi quod ea distantia & magnitudine, qua mõs collẽ superat & excedit, dolorum acerbitas, quam pertulit in morte filij, lętitiam & exultationem, quam cepit in gloriosa Resurrectione, superabat. Sic pulchrè prosequitur Richard. *Videtur tamen ex verbis ipsius Virginis, quod gaudiũ filij resurgentis dolori matris cõpatiendi filio plenarie non respõdebat.* Et quare hoc? Cur gaudiũ & letitia, quibus B. Virgo perfruitur, cũ filiũ à mortuis resurgẽtẽ & glorioſum vidit, dolores antehabitos non æquabũt? Nisi quia vt naturales consolationes perciperet, in suis

Cantic. 4. v. 6.

Richard. a S. Laur. l. 3. de laud. Vir.

viribus naturalibus relinquitur: vt autem illa tormenta sustineret, ad supernaturales vires eleuatur, cum naturales non sufficerent.

ANNOTAT. C. VIII. MORALIS.

VT ANTIPELARGIAE LEGEM adimpleret, Christus maternum corpus in cœlum aduexit.

474 QVOD dimicante Iosue aduersus Gabaonitas sol steterit, vt consummaret victoriã, satis mirabile est: sed mirabilius, quod cũ ipso luna sisteretur. *Sol et luna steterũt in tabernaculo suo.* Hic v. 11. Cur lunam sistere, atq; morari iubet? Si scopus Ducis erat, ne præliantes tenebrę occuparent, & ad hoc satis erat solis cursum detinere, superuacaneũ videtur, quod lunæ motus etiã cohibeat. At inter solẽ & lunã temporum labor dispartitur: luna nocte solis officium præstat, sol diei pręest: non ergo ęquũ videbatur, vt quiescẽte sole, luna etiã à motu non quiesceret. Licet enim ad claritatẽ necessariũ nõ sit, vt luna stet: ad decorẽ tamẽ solis multũ intererat, ne illi vituperiũ fuisset, lunã velle comitem habere motus & laborum; nõ autem feriationis & quietis. Cũ ergo sol iustitiæ Christus Dominus in cœlo post gloriosum transitũ requieuit, nõ ęquum videbatur, vt matrem, quę cũ illo laborauit, non simili prosequeretur honore, ac illam corpore & animo in olympum ferret, quę fuerat ærumnarum socia; aliter enim ingratitudinis notam non effugeret: pie igitur credendum est, ad supernam patriam filij beneficio corpore & anima aduolasse MARIAM. Merito Ioannes Raulinus serm. 7. de Ascensione ciconiæ Christum comparat propter miram huius alitis indolem, & naturam: nam (vt refert Vlises Aldrouand. libr. 20 ex Diu Ambros. & Philone) ciconiæ dum ex vno climate in aliud incedunt, parentes senio confectos in humeris excipiunt, & in aliam regionem feruentiorem transportant. Cũ ergo hæc auis elinguis sit, ab antiquis pro symbolo Dei fuit vsurpata, vt indicarent, Deum tam cito omnia silentio perficere, quam non debere nos super eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenij satis admirari. Optime pro Christo Domino potest vsurpari, qui vt filius gratissimus, & vt mutua vicissim munera Parenti rependere, fessam & annosam matrẽ membris indutam, cumque sacro corpore ex hoc terreno climate in cœleste portauit. Gratitudinis ergo debito sicut illa puerum filiũ in vtero & in brachijs gestauit: sic & ille ipsam ad supernam & serenam regionem ducere tenebatur, vt cum ipso quiesceret, quæ cum ipso laborauerat, & cœlestes sedes adimpleret. Sic idem Raulinus citato loco tradit, *Ciconiam vt grandem prolem à patrio nido auolasse nouit, nidum terra implere, ne vacuus permaneat.* Haut aliter auis illa Diuina, Filius nempe æternus, plures aues, spiritus Angelicos, in nido suæ gloriæ collocauit, quorum magna pars, cum auolare altius, quam par erat, voluerit, è cœlesti nido cecidit. Tunc autem velut pia & præexcellens ciconia, ne nidus vacuus remaneret, terram descendit, humanam carnem sibi arctissimo vinculo copulauit, vt postea ascendens, nidum humanis & terrenis corporibus repleret. Quo spectat. D Gregorius: *Illa natura, cui dictum est: Terra es, et in terram ibis, hodie et in cœlum iuit. Pro hac ergo nostræ carnis subleuatione B. Iob Dominum auem vocat:* quoniam velut ciconia hominibus replet vacuas à reprobis spiritibus mansiones, vt merito dicat August. serm. 178 de temp. *Christus terram leuauit ad cœlum.* Quod licet in ascensione Domini verum habeat, vbi eius terrenam humanitatem ad nidum illum paterni pectoris euexit; non minore iure in B. Virgine impletum est, in cuius assumptione iam terra illa Virginea humeris generosæ sobolis grates debitas matri rependentis translata est, & ad ætheream sedem sustulit matrem, brachijs suis portans illam, quæ ipsum portauerat.

Vlises Aldrou.

Raulinus

D. Greg.

D. August.

Hoc

475 Hoc inquam filij connaturale debitum exigebat Dauid Psal. 131. v. 8. *Surge Dñe in requiem tuã tu et arca sanctificationis tuæ.* Vbi eleganter Chrisyp. serm. de Deipara: *Arca pretiosissima Virgo Deipara, quæ excepit totius sanctificationis thesaurũ.* Et Richard. à S. Laurent. quasi MARIAE nomine ius repeteret eius parẽs Dauid, ipsius in carne assumptionẽ ad cœlũ hic agnoscit. *Tu et arca sanctificationis tuæ* (inquit) *Tu prius; arca, id est, MARIA posteriùs. Hinc conijcitur quia assumpta est simul cum corpore. Dicitur ergo: Surge Dñe in requiẽ tuam post laborẽ passionis: tu per ascensionẽ, et arca sanctificationis tuæ per assumptionẽ: hæc enim arca quando assumpta est, surrexit in requiẽ Dñi, et impletum est illud Genes. 8. Requieuit arca super montes Armeniæ.* In requiescente arca MARIAM agnoscit Richardus, quia sic expediebat, vt maternis officijs Christus satisfaceret: non enĩ fas erat, vt arca, quę Christũ portauit, illo quiescẽte, laboraret adhuc. De arcæ autẽ ædificatione sic habes Gen. 7 *Facies arcã de lignis læuigatis.* Verbũ Hebręũ *Gopher*, quod in hoc loco tantum reperitur, quid significet, nõ omnino cõstat. Hebræi putãt esse cedrũ, quæ arbor in Syria frequẽter nascitur, & aptissima erat fabricã dę arcæ, vt quæ longiorẽ tabularũ suppeditat materiã, leuisq; sit, facilèq; superfluitans, atq; corruptionis & carioſæ malignitatis nescia. Chaldæus idẽ significat. D. Amb. lib. de Noe & arca c. 7. vocat ligna ista imputribilia. Idẽ habet D. Aug. tract. 6 in Ioan. de hac ergo arca dicitur c. 8. *Requieuit mẽse septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Arabiæ*, seu Arat: de qua regione sic excribit D. Hieron. ad cap. Isaiæ 38. *Arat regio in Armenia cãpestris est, per quam Araxes fluit incredibilis vbertatis ad radices Tauri montis, qui vsq; illuc extenditur.* Igitur cessante diluuio, non generaliter ad montes Armeniæ delata est arca; sed ad montẽ Taurum altissimum, qui Arat imminet campis. Etenim arca (vt dixit Richar. & D. Ambr. serm. de Natiuit. B. MARIAE) ipsam B. Virginem designabat, quæ carnem habuit ex se vermibus obnoxiam; sed post diluuiũ passionis filij sui, post exactam huius vitę nauigationem, in qua Virginalis anima ad filium iam in cœlo perenniter regnãtem aduolauit, tandem vt desiderijs quibus angebatur, & debito filiationis satisfaceret, corpore & anima exurgentem matrem ad altissima supernę patriæ fastigia leuauit, quia non aliud patiebatur iustitia. Sic vbi latro ille Christum Dominum in cruce confiteretur, quando vel amici abnegabant: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. statim audit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Si tantum latro postulat sui memoriam, cur ad paradisum statim deferetur? Diu. Ambros. in comment. huius loci. *Ille rogabat, vt memor sui esset Dominus, cum venisset in regnum suum: Dominus autem ait illi: Hodie mecum eris in paradiso.* Quasi dicat Ambros. Ex eo quod Dominus regno suo potiretur, consequẽter latronem debuit secum adducere: nam non illi esset plena felicitas, nisi obligationi statim satisfaceret: nõ plene beatus videretur, nisi matrem, quę tot ipsum deuinxerat beneficijs, sociam haberet in patria.

Psal. 131. v. 8. *Chrysipus* *Richard. à S. Laur.* *Genes. 7. v. 14.* *D Augus.* *D. Hiero.* *Richard. Ambros.* *Luca. 23. v. 42.* *D. Ambr.*

476 Absoluta primi hominis creatione, ne solitudine tabesceret, comitẽ mulierem creauit Deus. *Dixitque Dominus Deus: Nõ est bonũ hominẽ esse solũ; faciamus ei adiutoriũ simile sibi.* Gen. 2. Chaldæus vertit: *Sustentaculũ, quod sit penes eũ.* Quasi consortio viduatus Adamus, & solatio & sustẽtaculo careret. Locuples Interpres Benedictus Ferdinãdez gloriosã Deiparę in cęlũ assũptionẽ, vbi lætitiã & solatiũ filio detulit, hic præuentã agnoscit. *Non est bonum hominẽ esse solum, scilicet, in cœlo, vbi regnat beatarũ mentiũ et Angelorũ caput, atque primogenitus omnis creaturæ ad dexteram Dei Patris sedens: quamobrem statutum est vti Virgo sanctissima in sua assumptione enixa super dilectum suum iã per resurrectionẽ corpore et anima ĩmortalis et gloriosa cœlesti patriæ Regina inferretur.* Vt haberet Dei Filius & homo Deus in cęlo

Genes. 2. v. 18. *Chaldæus* *Fernand.*

naturæ suæ corporeæ consortem, matrem secum aduexit, quod vnicum erat & simile sibi adiutorium, vtque essent in cœlesti paradiso vir & mulier, nouus Adam, nouaque Eua, Deus homo, denique mater Virgo. Sed preme illud *Non est bonum hominem esse solum, scilicet, in cœlo.* Nihil magis simile filio, quam genitrix ex creatis, fateor: sed æternus Pater similimus Filio est: cur ergo non erit congruum Filium in cœlo esse, vbi Patrem simillimum sibi habet? At etsi Filius in cœlo consortem haberet in natura Diuina, vt similiter adiutorium sibi in natura haberet humana, oportuit matrem suam anima & corpore gloriosam secum deferre: quia quando Verbum æternum sinum paternum ac cœlestem patriam reliquit, descenditq; in terram, & adhæsit Virgini matri, tã arcta & indissolubili coniunctione ipsi fuit vnitum, vt illius verus esset filius, carne assumpta ex illius carne, Personæque suę ac Diuinitati sic matris participatam substantiam adiunxit, vt Deus fieret homo, & quod semel à matre accepit, nunquã dimitteret, vti ex Damasceno celebratur inter Theologos, exindeque comes inseparabilis matris esse voluit, non solum in terra, sed etiam in cœlo, ne indecenter cum matre agere crederetur. Meritò dubitant Interpretes ad cap. 26. Genes. cur Deus prohibuerit Isaac ad AEgyptum descendere, *Ne descendas in AEgyptum; sed quiesce in terra, quam dixero tibi.* Nam si id ob terræ & habitantium malignitatem inhibebat, facilè Deo erat Isaacum ab omnibus periculis eruere, ita vt illi nocuisset nemo: quod quidem ad ostentationem Diuinę potentię conducebat, sicut conduxit parentem eius Abraham in AEgyptum descendentẽ à periculis, quæ passim occurrebant, liberare. Cur ergo quod patri conceditur, prohibetur filio? Lyra optime difficultati occurrit: *Noluit (inquit) Dominus, quod descenderet in AEgyptũ, quia Isaac fuerat Domino consecratus, quando fuit oblatus in monte: et ideo nõ erat decens, quod exiret terram promissionis.* Alienum enim videbatur & à iustitia & ab æquitate, quod qui semel in vita Deo fuit consecratus, in AEgypto, & inter prophanas gentes vitam degeret; sed in promissionis terra, quam Deus electis viris præparauerat. Volebat sacratissimum MARIAE corpus naturaliter in AEgypto manere sepultum, cum iam eius anima promissionis terram inuiserat, in gloriaque requiescebat: sed occurrit Deus præcipiens, *Ne descendas in AEgyptum*: Ascende ad terram omni suauitate refertam, ad promissionis glorioſam mansionem, quandoquidem in vita mihi consecratum extitisti, mecum in consortio animæ ascende, ne indecentia mihi obijciatur, vt in æternum viuas tanquam mihi sacrũ altare.

Exod. 20. v. 24 tradit Deus post decalogum Moysi intimatum formam fabricandi altare, vbi victima & holocausta ipsi erant offerenda, & inter alia hæc iniungit: *Altare de terra facietis mihi: quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Præceptum hoc ad ad tropologiam, & allegoriam fere omnes Patres exponunt: sic Greg. 3. Moral. cap. 20. & in Psalm. 7. pœnitẽtiæ. Rupertus hic mysterium incarnationis agnoscens, sicut & Gregor. *Per terram [inquit] mediationis incarnatio designatur.* Altare ergo terreum, in quo Filius se ipsum obtulit hostiam Deo Patri gratissimam, B. fuit MARIA, in cuius visceribus carnem assumpsit, illamque in sacrificium libauit. Hoc igitur intemeratum altare anima & corpore terreno, vnde fuit compactum, in cœlo filius collocauit, vt iugi sacrificio victimã offerat Deo Patri. Quod satis venuste liquet ex iuncto posteriori præcepto, quod si altare lapideũ feceris mihi, *Non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Et cur quæso altare sibi ex lapidibus dolatis ædificari prohibet? Non necdecentius videbatur lapides elaborari & poliri, antequam ponerentur in altari,

Genes. 26 v. 2.

Lyra.

477

Exod. 20. v. 24.

Rupertus. D. Greg.

altari, quam ex illis cõstrui impolitis? Cur artis perfectionẽ, & ædificij pulchritudinem ab altari arcet? Plures huius legis causas ex diuersis Auctoribus affert Cornelius in comment. huius loci, ex quibus quam tradit ex Rabbi Abraham, optimè nostro instituto congruit. *Deum* (scilicet) *lapides altaris læuigari, aut poliri, et omnino attingi ferro vetuisse: quia nefas erat, eorũ lapidum, qui ad rem tam sacram erant adhibendi, particulas scapello abrasas in terram, aut sterquilinium decidere.* Quanto honorabilius altare illo materiali debuit esse corpus B. Virginis? Quãto venerabilius caro & ossa eius, quę lapides fuerunt, ex quibus altare illud sacrum fabricatum fuit, in quo Deus homo per nouem menses habitauit? Non ergo decens videbatur, vt hoc sacratissimum & impollutum altare corrumperetur, aliquaue dimi nueretur parte; sed quod integrum, & illæsum ad gloriam cum beatissima anima aduolasset. Noluit Deus, vt particulę ex lapidibus, quibus extruebatur altare, abrasæ in sterquilinium decide rent, quia coniunctæ fuerant lapidibus ipsi sacratis: & vellet, quod corpus sacratissimum Virginis, in quo per nouem menses habitauit, corrumperetur, & in sterquilinium decideret? Apage. Hoc inquam maximè ipsius gratitudini & decentię derogaret.

Cornelius

478 Sed merito ambiges, cur Dominus in cœlum ascendens non secum matrem detulerit, & qui semper antea matri adhęserat, matre in terris derelicta, decesserit: nam pro quocumque tempore filiationis debitum vsque nunc expensum instabat. Mouet hanc dubitationem D. Anselm. lib. de excellentia Virginis cap. 7. & pijssime illã dissoluit. *Fortassis Domine* (inquit) *ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi videlicet Domino suo regnũ tuum in assumpta carne petenti; an ipsi Dominæ suæ ipsum regnum iam suum materno iure effectum ascendenti: nam vt in partes suo occursu diuideretur, quatenus pars tibi, et pars illi in primo aduentu obsequeretur, non deceret æstimo. Prudentiori ergo et digniori consilio vsus præcedere illam volebas, quatenus et locum immortalitatis in regno suo præparares, ac sic comitatus tota curia tua festiuius ei occurreres, eamque sublimius, sicut decebat tuam matrem, ad te ipsum exaltares.* Sic Anselm. pulcherrime quidem & eleganter. Vt imperiali pompa, & nobiliori triumpho MARIA exciperetur in cœlo, pręcessit filius: subindeq; glorioſior eius assũptio, quã filij fuit ascẽsio: quia ad occursũ filij cœlestes ciues; ad MARIAE vero occursũ & ipsi, & filius egrediũtur. Sic enĩ visa fuit à Ioanne in ætheream Omnipotentis olympi domum ascendẽs. *Vidi ciuitatem sanctam Ieru salem nouam descendentem de cœlo, sicut Sponsam ornatam viro suo.* Apocalyp. 21. Cœlesti agmine cinctus lętus adest filius, vt matrẽ, & Angelorum Reginam augustiori plausu suscipiat. Quod expendens D. Ildephonsus ser. 2. de assumpt. aiebat: *Ideo decorata descendit, vt Reginam mundi, beatam scilicet MARIAM, eueheret ad sublime, et collocaret in throno regni; alioqui officiosissime prætextata non occurreret, nisi festiuitas magna esset.* Exultat filius, & lætabundus matrem in empyrio collocat: gaudent Angeli Dominam excipientes: lętantur homines suam in Virgine naturã supra Angelicos ciues exaltatam aspicientes. Vnde elegãter D. Bernard. serm. 4. de assumpt dicebat: *Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi mater in cœlum: nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine.* Pende illud *omni carni*. Quasi antea soli spiritus Angelici & spirituales substantiæ possent loqui; nunc vero post assumptionem Virginis omnis caro absque verecundia & pudore loquatur. Et quid? Nonne tempus erat loquendi, quando Christi humanitas supra cœlos euecta fuit, atque in dextera Patris collocata? Nunc (inquit Bernard.) tempus loquendi est omni carni? Vtique: quia cum Personalitas, quę humanitatem Christi ter-

Apocalyp. 21. v. 2.

S. Ildeph.

D. Bern.

D. Anſel.

minabat, Diuina esset & increata, non proprie & cum veritate dici poterat, neque spiritus Angelici id admitterēt, quod super illos personalitas aliqua humana esset, neque ad Patris dexteram; at in MARIAE assumptione cum natura humana propria & humana personalitate terminata ascendat super omnes cœlos, iam verū est dicere, naturam humanam supra omnes Angelicos spiritus eleuari, & consequenter iustum, vt homines liberè & absque pudore loquantur. *Tempus loquendi est omni carni. La pueden hablar los hombres alto.* Natura enim humana in Christo nō fuit ducta cum proprio complemēto creato; bene tamen in Virgine. *Cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine.* Non solum ergo filio matrem in corpore assumere expediebat, vt maternitatis officia rependeret, & grato animo nō derogaret; sed & humanæ naturæ, quæ in Virgine Angelicos ciues superauit, & supra ipsos exaltata exultat.

ANNOT. C. IX. MORALIS.

VT NECESSITATES NOSTRAS prospiciat, MARIA in cœlum erigitur.

479 LICET in astra Virgo ascenderit, nos tamen in huius vitæ mare fluctuantes non deserit; quin potius vt manū porrigat, & ad patriæ littus tandē deducat, cœlos scandit: eo quidem ingenio, quo aquila in sublime volat, cœloque propinqua pisciculos in æquore videt, ad quos descendit & in prædam captos ad littora pertrahit, vt pulchre dixit D. Isi-
D. *Isidor.* dor. lib. 12. æthimolog. cap. 17. *Cum super maria* (aquila nempe) *immobili penna fertur, nec humanis patet obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videt, et tormenti instar descēdens raptam prædam pennis ad littus pertrahit.* Non secus beatissima Virgo, cum ad cœlos euehitur, non filiolos despicit, qui veluti pisciculi cum vndis humanæ vitæ reluctantur; sed de tanta sublimitate pisciculos videt, pauperculos prospicit, ipsosque aut pennis ad littus pertrahit, aut à malis eripit, & protegit, elationes huius maris comprimens. Ad hoc (inquam) in cœlum eleuatur, vt opportunius nobis naufragantibus accurrat, & magis perspicue nostras necessitates prospiciat. Sic postquā Dauid Christū triumphali gloria regnasse dixit, *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute* Psalm. 92 statim subijcit: *Eleuauerunt flumina fluctus suos, mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Postquam in cœlum glorioſus ascendit, solo oculorū nutu elationes maris compressit. Hoc ipsum & B. Virgo efficit: nam gloria induta, etsi turbulenti maris æstus efferantur, nosque vndique vndę euomant fluctuantes, adest in cœlo B. Virgo, quę solo oculorum intuitu procellas comprimit, fluctus sedat, & coercet, vt egregiè dixit S. Amadeus hom. 8 de laudibus Beatæ Virg. *Ex quo cœlos cum filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se, mirabiles elationes maris solo nutu compescitura: mare quippe præsentis sæculi nauigantes, seque plena fide inuocantes ab impetu procellæ, et ventorum rabie eruit, eosq; secum ouantes ad littus felicissimæ patriæ perduxit.* Nunquam beatissima Virgo hominibus magis proficua, quam cum ad cœlos assumitur, vt ex inde sęuientis maris procellas comprimat, & commune sit omnibus propitiatorium, vt dicebat Andreas Cretens. orat. 2. *Quandiu quidem, ò Virgo, versabaris in terra, te habuit parua terræ portio: ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus cōtinet commune propitiatorium.* Quò magis à terra elongatur, eo efficacior ipsius pietas in terra sentitur. Dum in terra erat paucis vicinis accurrebat: at super omnem creaturam eleuata omnium patrocinium suscepit, ad omnesque suam extendens pietatem, tempestates huius vitæ compescit.

Psal. 92. v. 2.

S. Amad.

Andreas Cretens.

Ideo

Ideo lunę merito comparatur Cantic.6. *Pulchra vt luna*, ait Albertus Magn. de proprietate element. lib.1. tract.2. cap.4. *Luna vocatur Regina cæli, quia regit humiditates corporum inferiorum.* Ita ergo humanę vitæ dominium habet MARIA, illiusque tępestatibus, quæ instar fluctuum sęuiętium nos agitant, imperat: nam vt dixit D.Thom. de generat & corrupt. lect.24. *Lunæ sphæra nata est mouere aquam.* Vorticosos igitur fluctus, & multiplices aduersitatum nos infestantium vndas vna MARIA tanquam luna ex olympo compescit, & in placidam tranquillitatem reducit. Vnde B.Proclus orat.1. *En terra et mare facetitum mora huic subseruiunt Virgini: hoc quidem placida sua nauigantibus dorsa substernens; illa vero viatorum vestigia expedite defereus.*

480 Sic creationem lucis Historicus narrat facer in primo cōditionis die: *Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem* Genes.1. vers.4. Postea vero quarto creationis die hanc ipsam lucem iam solem factam in firmamēto collocauit, vt diem diuideret à nocte: *Fiant luminaria in firmamento cœli, et diuidant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, vt luceant in firmamento cœli, et illuminent terram.* Ibi v.14. Ad quid sol eleuatur in potestatem diei, & vt luceat super terram si lux illa primo die facta diei faciendę sufficerat? Dies enim primo illa vocatur, *Appellauitque lucem diem.* Vt quid igitur dies iam semel beneficio lucis effectus solis illuminatione iterum efficitur? Auscultа D.August. lib.1. de Genes. ad lit. cap.11. *Potest et hoc dici, auctum esse fulgorem diei sole addito, vt per illam lucem minus fulgēs dies, quam nunc est, fuisse credatur.* Lux illa ad cœlum asportata magis splēdescens, & terram magis illuminans, quam dum in terra erat, apparet. Minus fulgens primus dies fuit visus, in quo lux in terra creatur: at postquā ad firmamentum fertur, micantius splendet, & terram fouet, & illuminat. Non aliter B. Virgo ad cœlos assumpta magis, quam cū in terra morabatur, suos clientes tuetur, & vberiori virtute auxilium terræ prestat, quam in suum patrocinium suscepit. Sic de illo perenni paradisi fonte dicitur (Genes.v.6) quod de terra ascēdebat, vt terram irrigaret; *Sed fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ.* Si fons ad id fluit, vt terram irriget, vt quid ascendit? Etenim hoc contra naturam esse videtur, nam aqua irigans naturaliter descendit, & per decliues traduces deorsum labitur: fluit vbi descensum inuenit; at vbi ascensus obsistit, sistitur, & retrocedit. Cur igitur fons ad irrigandum ascēdens perhibetur? Belle Abulens. hic: *Ascendens de terra irrigabat loca pluuiæ.* Pluuia sursum veniens omnia irrigat, omnia humectat, & sublimiorem montē, & profundiorē vallē. Vt ergo omnia irrigaret, paradisi fons è terra ascendebat, nam per terram serpens non omnem illam posset irrigare. Sic Beatissima Virgo fœcundissima nubes ideirco è terra ascendit in cœlum, vt super omnes pietatis munera stillet, omnes creaturas protegat, & defendat, atque incessanter omnes ipsius patrocinij pluuia fruantur.

481 Sic ascendentem in cœlum Sponsā salutabat Sponsus Cantic.4.c.2. *Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* Cur non potius splendenti nubi, phosphoro matutino, aut ascendenti nubi illam comparat; sed capris ad cacumina Galaad ascendentibus, ad præruptaque saxa pergenti gregi? Egregie D.Ambros. (*Vides* (inquit) *quod in altis grex iste pascitur audax in mōte: cernere licet vberi lacte distantē super terrā sobolem materna pietate solicitam.* Non enim grex vagatur in monte, quin soboles parua in valle relicta sustentetur; quin potius vt vberius lac meliori nutrimento acquirat, præexcelsa loca conscendit. *Cernere licet vberi lacte distantem super terram sobolem materna pietate solicitam.* Altitudines cœlorum tenet Beatissima Virgo; sed cum

Albertus Magn.

D.Thom.

S.Proclus

Genes.1. v.4.

Vers.14.

D.Aguſt.

Genes.2. v.6.

Abulenſ.

Cantic.4. v.2.

D. Ambr.

cum onere, vt filijs suis alimẽta præbeat: non enim ascendit, vt sobolis in terra relictæ obliuiscatur, sed vt distenta misericordiæ vbera affluẽtius porrigat, vt nos vberiori lacte alat, & sustentet. Vnde de se ipsa opem & auxilium omnibus per huius vitę desertum gradientibus præstante dicebat: *Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis.* Ecclesiastic. 24. Habitatio mea (inquit) in eminentiori cœli loco existit: sed esto thronus meus sublimis sit, non alterius est cõditionis quam columna illa nubis, quæ antiquitus Israelitarum populũ ductabat. At cur nubi protegenti populum in deserto se cõfert B. Virgo? Hug. Card. existimat, quia columnæ illius illuminatione populus requiescebat in locis ferarum incursionibus non obnoxijs: *Sic B. Virgo* (inquit) *vbi locus est aptus quieti populi Christiani, vbi scilicet non sunt leones, neque serpentes, sed fontes, et prata, et arbores.* In æthere columna illa nubis eminebat, & ex inde securam viam populo demonstrabat: sic & MARIA è throno sublimiori gloriæ facta est columna, quę nos ducit, & securiorem viam ostendit, vbi non sunt feræ, sed amenissima prata, dulcissimi fontes & salutiferę arbores. Quo magis sublimatur, eo vberius nobis præstat auxilium, & illud ipsum quod de filio dixerat Dauid Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Dei altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, ad matrem non inidoneè inflectit Guarricus Abbas serm. 1. de assumpt. *Et nunc quidem* (inquit) *si habitemus in adiutorio altissimæ matris, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum eius.* De excelso enim habitaculo suo nos respicit, & illuminat, & quasi matutina stella, & splendidissima autora adventantis solis prænuntiat luces. Vnde Cantic. 6. dicitur. *Quasi aurora consurgens:* Nam quemadmodum solis ortum anticipata festinatione aurora præcurrit, quo mortalibus inter noctis delitescentibus tenebras optata lux irradiatura beatissima Virgo solis iustitię maturat anteuertere auxiliũ, vt suos clientes in tenebris cõstitutos protectionis suæ splendore illustret, filiumque ad subueniendum miseris pręcurrat, sicut aurora solem.

Ecclesiast. 24. v. 7.

Hugo. Card.

Guarric. Abbas

ANNOT. C. X. MORALIS.

AEQVALITAS PRAEMII EXCIdium Reipublicæ.

MAGNVM & mirabile beneficium auguratur Vates, Deum populo præstitisse, eo quod dimicante Iosue, nõ solum soli, sed & lunæ cursus etiam esset inhibitus. *Sol et luna steterunt in tabernaculo suo.* Hic. v. 11. Et quidem solis dumtaxat lux ad pugnã erat necessaria: vt quid igitur & luna sistitur, vbi eius prętentia non proficit? Existimo sic contigisse, quia si sol tantum sisteretur, & luna pergeret, sol retro maneret, ipsúque luna pręiret, ex indeque dignus pręcederet digniorem, quod gubernatione Dei, & politia cœlesti indignum videretur: ibi enim lũminare minus lucens cursum non peragit, nobiliori retro stante. Luna à sole lucem participat, & iniustum est, quod qui ab alio splendorem habet, illum despiciat, & retro manere cogat: merita enim vbi ratio viget, pensanda sunt, & vbi illorum inęqualitas vrget, præmia & honores inæqualiter sunt cõferenda: nam honor in republica strenuos alit, & multiplicat viros (vt recte expendit Caiet. ad illud Psalm. 138. v. 17. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*) Vbi optimi Regis partes describũtur, & pręcipue, quod magni pendat iustos propter Deum, & iustorum Primates efficiat potentes: ex hac enim iusta remuneratione sequitur eorum multiplicitas. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Vbi Caiet. *Sic est: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: et vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti: et vbi iusti honorantur, ibi multiplicantur iusti.* Ad mensuram enim meritorum munera

Caietan. Psal. 138. v. 17.

sunt

sunt largienda: nã vbi æqualiter honorantur omnes, languet virtus, deficit fortitudo, & status reipublicę euertitur, quia vigor iustitię vnicuique, quod suum est tribuentis dissoluitur.

483 Pro conseruatione Ecclesię, ipsiusque perpetuo incremento sic Christus Dominus Patrem exorauit. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut et nos* Ioan. 17. v. 11. Nõ leuis hunc oritur difficultas: nam quomodo Ecclesiæ membra ad illam possunt eleuari ineffabilem vnionem, quæ versatur inter Patrem & Filium? Toletus expo. nit, vt sint concordes, vnanimes, pacifici inter se, in vno spiritu, vna charitate, vna fide: hęc namque, quã Christus postulat, similitudo est, nõ ęqualitas: nam Filius & Pater vnum sunt, quia vna est substantia numero, eadẽque voluntas; at fideles non hãc possunt habere vnitatem, sed similem, vt idem velint, & idem nolint, concordesque sint vno spiritu moti & gubernati. Si ergo vnionem similitudinis tantum postulat, cur ad illam naturalem recurrit vnionem, quæ inter Personas Diuinas reperitur? Pulchre Card. Toletus ad distinctionem accommodat, quæ inter personas in Ecclesia debet reperiri, vt in suo gradu quisque existimetur, quæque charitatem non dirimit, sed iuxta rationis regulam ordinatam agnoscit. *Aliud etiam* (inquit) *in hac similitudine insinuari videtur, vt quemadmodũ vnitas Trinitatis non confundit ordinem; sed vnus est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque, Pater à nullo procedit: ita hæc vnio charitatis non confundit ordinem Ecclesiæ: non enim omnes pastores, omnes prælati; sed vnus est pastor, alius ouis, vnus Propheta, alius auditor: sunt enim gradus; omnes autem in fide, et mutua charitate concordes: sicut membrorum distinctio et ordo cũ mutuo consensu in vno corpore. Inter Apostolos ipsos ordo fuit cum vnitate, quandoquidem Petrus caput est omniũ constitutus. Charitas ergo vnitatem affert, tamen ordinem non confundit.* Respublica enim, vbi merita aut impræmiata, aut æqualiter sunt remunerata, ordinem à ratione præscriptũ excludit, cõfusionem fouet. quia charitas non agit perperam, non gradus præeminentiæ excludit. D. Thom. 3. par. quæst. 4. art. 5. quæstionem mouet, vtrum Verbum Diuinum naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis, illamque neganter soluit: cuius ratio ad nostram thesim maxime conducit. *Quia* (inquit) *hoc derogaret dignitati Filij Dei incarnati, prout est Primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est Primogenitus omnis creaturæ secundum Diuinam: essent enim omnes homines æqualis dignitatis.* Si Verbum Diuinum omnes in indiuiduo naturas humanas assumeret, omnes essent æquales, nullusque esset præstantior alio: hoc autem (inquit S. Doctor) magna esset confusio & deordinatio. Qualis? Quod ęque dignus vnus sit, ac alter: quod ęquali omnes homines præmio potirentur: quod nullus aliũ in honore & dignitate antecelleret, quo nihil monstruosius in republica esse potest, & quod magis in eius excidium & ruinam vergat: *Essent enim omnes homines æqualis dignitatis.* Nulla enim disciplina potest seruari, vbi omnes ęquali præmio honorantur, nullusque alium præcedit. Hoc (inquam) charitas abnuit. Vnde dicebat de illa Apostolus. 1. Corinth. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Ad quę Verba D. Chrysost. hom. 38. pulchre commentatur. *Nihil æque ædificat, vt ordo rectus; sicut etiam contrarius diruit: siue in choro, siue in nauigio, siue in curru, siue in castris ordinem confundas, et maioribus suo loco eiectis, in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, et sic quæ sunt supra, fiunt infra.* Vnde Spõsa de hoc maxime gloriabatur, quod omnia ordinata haberet charitate. *Introduxit me Rex in cellam vinariã, et ordinauit in me charitatem.* Cantic. 2. v. 4. Quę (inquiro) hæc fuit ordinatio? Auscultа D. Bernard. serm. 10. in Cantic.

Ioan. 17. v. 11.

Toletus

D. Thom.

1. Corint. 14. v. 40.

D. Chrisost.

Cantic. 2. v. 4.

Cantic. *Etenim in bene affecta mente non dubium, quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, et in hominibus ipsis perfectiores imperfectioribus: cœlum terræ, æternitas tempori, anima corpori* &c. Summa enim æquitas nõ æquitas, sed iniquitas est: summa iustitia iniustitia summa: nam pro inæqualitate meritorum præmia largienda & mẽsuranda sunt.

484 Exijt Agar tristis è domo domini sui Abraham ad viam & exilium male parata, quandoquidem panem tantum & aquam secum deferebat. *Tollẽs panem, et vtrem aquæ* inquit text. *Genes. 21 v. 14.* Gen. 21 Si Patriarcha dines erat valde, cur sic è domo abire sinit ancillã? Nonne pium erat, vt aliquid tribueret, quo peregrinationis tristitia dulcesceret, & mœrorem absentiæ temperaret? Recte D. Maximus (hom. in illud Isaiæ cap. 1. *Caupones tui* &c.) *D. Max.* huius euentus assignat causam. *Recte vitæ synagoga alimenta non accipit: quia vitam, quæ est Christus, ignorat.* Gerebat Agar synagogæ figuram: & cum hæc adeo sit cæca, vt Christum non agnoscat, non æquum est, vt delicioſę epulę, quibus viuat, ipsi tribuãtur: quia non magis meretur quam panem & aquam, non amplius illi cõcedatur. Vitam ignorabat, & vbi ignorantia viget, exiguum est meritum, proindeque exiguo munere recompẽsandum: hoc enim charitas exigit, exposcit ratio. Cum singula à se creata expenderet Deus, singula quidem bona esse vidit. *Genes. 1. v. 13.* *Et vidit Deus quod esset bonum.* Gen. 1. v. 13 At perfecto, absolutoque sex illorum dierum opere, cum simul cuncta composita, ac debito ordine disposita aduerteret, ea non bona dumtaxat, sed valde bona esse reputauit. *Vers. 31.* *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona.* ibi v. 31. Cur quæ in sua specie bona tantum videbantur, in aliorum consortio valde bona videntur? Quia videlicet in omnibus Dei operibus ordo quidem, ac dispositio mirabilem continens pulchritudinem & ornatum elucet: nam cœlestia corpora, vtpote perfectiora, supremam mundi sedem occupant: terra quia inter elemẽta dignitate est inferior, in infima totius vniuersi regione subsedet: aqua quia minus rudis, præstantiorem habet locum: tertio sequitur aer duobus prędictis elementis excellentior: tandẽ ignis omnium elementorum perfectissimus supremum locum iuxta cęlestem sphæram sibi merito vendicauit. Hinc mirabilis vniuersi resultat pulchritudo: quia nisi cuncta suo ordine constarent, non nisi confusum chaos appareret: nam vbicumque inferior æquat, aut præponitur superiori, tota inuertitur politia, & rationis dictamen confunditur. Hinc vbi in Thabor exundanti gloria allectus Petrus dixit: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnũ, et Eliæ vnum.* *Marc. 9. v. 5.* Marc. cap. 9. addit Euãgelista: *Nesciebat quid diceret.* *Vers. 5.* In quo Petri fuit ignorantia, vt palam de illa reprehendatur? D Ghrysostom hom. 10 in Marc. *Non enim sciebat quid diceret, cum Dominum cum seruis æqualiter honoraret.* *D. Chris.* Et Paulo ante. *Quando inæquales æqualiter honorantur, maioris iniuriæ est.* Prestaret potius benemeritos impręmiatos relinqui, quam indignos cum ipsis æqualiter honorari: quia hoc in totius reipublicæ redundat perniciem, & in meritorum iniuriam. Præsagiens Isaias stabilem Ecclesiæ fortitudinem aiebat cap. 60. *Filij tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.* *Isaiæ. 90. v. 4.* Cur filiæ in sinu fouẽtur, & honorabilius quam filij tractãtur? Optime ibi Oleast. *Docet in Ecclesia non omnes eodem modo esse tractãdos; sed vnumquẽque iuxta vires suas: filij enim de longe veniunt, neque tam delicioſe portantur: sed filiæ in sinu, et absque vlla molestia à matribus deferuntur.* *Oleaster* Qui à matre nunquam recessit, sed obsequia & seruitia præstans stetit à latere, magis honoretur, quã qui à longe venit. Qui pro bono Reipublicæ, communitatis, aut Religionis indefesse continuo laborat, æquũ est, vt præstantioribus potiatur honoribus. Hoc (inquam) artificium est amplificandi potestatem munera largientibus. Multoties Deus Deus Abraham,

ham, Deus Isaac, & Iacob nuncupatur. Sic ad Moysem Exod. 3. vers. 6. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã, Deus Isaac, et Deus Iacob.* Et similiter Lucæ 20 v. 37. Vbi dubitat D. Chrys. an hæc specialis nuncupatio. & inclinatio Diuinæ voluntatis, quæ Deũ singulariter attraxit ad vnã gentem, illũ faciat ab alijs alienũ. Valde restringitur Dei principatus, valde eius domidiũ minuitur, si ad Hebræã tantũ gẽtẽ vnicè est addictus; imouero coamplissimè quasi dilatatur eius potestas. Belle Chrys. *Sic et Deus specialiter se horum Deum dicebat, nõ coarctãdo eius dominium, sed ampliando.* Superioris namque specialis gratia plus merentibus impensa ingenium est amplificandi principatum, & artificium dilatandi dominium. Vbi merita ad bilances deueniunt, & pro inæqualitate meritorum remunerationis inæqualitas videtur, nullusque conqueritur, aut de non sibi collato munere, aut de exhibito non merenti, non solum roboratur status reipublicę, sed amplia tur remunerantis dominium.

Exod. 3. v. 6.

D. Chrys.

ANNOT. C. XI. MORALIS.

NON DEVS PVNIT, VT INTERimat; sed vt illuminet.

485 VBI nostra Vulgata hic vers. 12. habet *In luce sagittarum tuarũ ibunt.* 70 vertunt. *In lucè iacula tua ibunt.* Quæ Hieronym. recte expendit. *Iacula Dei, id est, sagittæ euntes, atque pergentes non ad hoc mittuntur, vt interimãt, sed vt illuminent.* Flagella, quibus verberamur, non in vitæ detrimentũ, sed in animæ vtilitatem nos vexant: non sanguinem, sed lucẽ afferunt. Vnde Seneca congratulabatur Marciæ, quod aduersas fortunas & calamitates, quas Scipiones fortissimi fuerunt perpessi, in se ipsa experiretur. *Iam cum fortuna in gratiam Marcia reuerteris: si tela, quæ in Scipiones, Scipionumque matres ac filios egit, quibus Cæsares petijt, nec à te quidem continuit.* libr. de consolation. ad Marc. cap. 16. Quod si infortunia perpeti beneficium est; quam maximum erit beneficium manum Dei flagellantem sustinere? Quandoquidem ex illa lux oritur, & mentis tenebræ relegantur. Sic post impendentium suppliciorum ruinam, quibus populum suum minitabatur Deus, concludit. *Et scient, quia ego Dominus.* Ezechiel. 7. vers. 7. Cur non ipsos suppliciorum pondere obruere, & in nihilum redigere minatur, vt formidine saltem pœnę metuerent peccare? Quid quod Deum post inflicta verbera agnoscãt? Hoc, inquã, ait Hieronym. Deus ex fulminatis prætendit supplicijs. *Et scient, quia ego Dominus. Qui versiculus frequenter in hoc Propheta ponitur, eo quod supplicia atque cruciatus sequatur scientia Dei: vt quẽ nõ intelligebãt per beneficia, per tormẽta cognoscerent.* Nõ enĩ Deus percutit, vt percutiat; sed vt ipso percussionis ictu excitẽtur, & inuigilent, qui vitiorũ sõno torpẽtes ipsũ ignorabãt: fulgura quę mittit, vulnera afferũt, & lucẽ, vulneratq; nõ vt sauciet, sed vt tenebras cordis abstergat.

Septuag.

Seneca.

Ezech. 7. v. 7.

D. Hiero.

Semel & iterũ ex parte Dei admonitus Pharao, vt populũ dimitteret, arroganter dicebat: *Quis est Dñs, vt audiã vocẽ eius, et dimittã Israel? Nescio Dñm, et Israel nõ dimittã.* Exod. 5 v. 2. At postquam plagis & calamitatibus fuit percussus, latentẽ Dei manũ agnoscẽs dicebat ad Moysẽ. *Ego dimittã vos, vt sacrificetis Dño Deo vestro in deserto: verũtamen longius ne abeatis, rogate pro me.* Exod. 8. v. 28. Cui res secundæ sensum ademerant, aduersæ adeo reddiderunt, vt perfectus in Dei cognitione euaserit: quod prospera fortuna obcęcauit, illuminauit aduersa. Quod pulchrè annotauit Origenes hom. 3. ad præcit verba. *Ecce Pharao durissimis proficit verberibus. Ante verbera Dominum nescit, quia ait: Nescio Dominũ; verberatus pro se rogat supplicari, et proficiens in pœnis scit agnoscere, cur puniatur.* Id ipsum ponderauit Theodoret. ad illa verba Danielis 4. v. 33. *Sensus meus reuersus est ad me.* Ad quę sic excribit. *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percipit, vt Prophetæ instar de Deo sentiat, et loquatur.* Ita

486

Exod. 5. v. 2.

Cap. 8. v. 28.

Origenes.

Theodor.

oculorum animi aciē cruciatus exacuit, vt sensum, quē in delicijs perdiderat, verbera restituant, & perspicuè ipsum percutientem agnoscat. Haud aliter dæmon aliqualiter æternis cruciatibus emendatus Dei Filium agnoscebat Christum Dominum. *Tues Filius Dei viui.* Marc 3 vbi Origenes. *Nemo igitur ita ineruditus sit Diuinæ disciplinæ, vt flagella Diuina perniciem putet, et pœnalem interitum.*

Marc. 3. *v.* 12.

487 Auarus ille epulo medijs constitutus in flāmis validissima voce clamabat ad Abrahā. *Pater Abrahā mitte Lazarū* &c Luc. 16 v. 24. Abrahamum à longe Lazarumq; prospexit, quē prope in mensa atq; in delicijs nō agnouerat. Quo pacto quē vix infensis oculis in terra iacentē inspexerat, eleuatum in cœlis, & in sinu Abrahæ recumbentē ad tā longum interuallum agnoscit? Recte Euthym. *Vide quomodo eum sapere fecit cruciatus: quē enim ipse prope iacentem despexerat, hunc èminus acutè videt.* Quē liuor inter delicias & gulosas dapes obcæcauerat, vexatio excitauit, & acutissimos ipsi lyncis oculos præstitit: enimuero Dei supplicia oculatissima & lucidissima sūt, palpebrarumq; impedimēta abstergunt. Vnde vt ad meliorem frugem miserum illum debitorem reduceret, qui decē millia talenta debebat, cum rationem redderet infidelē, *Iussit eum Dominus venundari.* Matth. 18. v. 25. Cur potentissimus Dominus in hunc miserum tanta ira excandescit, vt ipsum, ac liberos, & mulierem venundari præcipiat, vt quod fraudulēter subripuerat, solvat? Auscultа D. Chrys. *Non ex crudelitate, sed ex incredibili in eum cura: volebat enim eum huiusmodi terreri minis, quò ad sibi supplicandum excitaret.* Magna erga ipsum vsus est pietate, vt quod indulgentia ipsi offecerat, pœna curaret.

Lucæ 16. *v.* 24.

Euthym.

Matth. 18 *v.* 25.

D. Chrys.

488 Inter alia, quæ Christus Dominus discipulis suis prędicaturis præbuit subsidia, illud mirabile est, quod ipsos tanquam oues inter lupos mittat. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum* Matth. 10. v. 16. Qui de sē ipso dixerat Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus:* Quomodo simplices oues inter truculentos lupos mittit? Vt quid se bonum pastorē prędicat? Nā bonus pastor animā suā dat pro ouibus suis, dies noctesq; excubat, ne mala bestia in gregē irruat: quod si irruat, inuadit ipse alacer, & proprio periculo redimit ouiū discrimen. Quādo bonus pastor oues dimittit lupis, vt ex cōmisso sibi grege exubias referant? At ea est persecutionis & calamitatis securitas, & vtilitas, vt verè bonus pastor Christus periculis pascat, & saginet gregem suum, persecutionibusque se liciter, & vel ex ipsis lupis feruet in columē: nam calamitas securior tutela est, quia peccata expellit, sanctitatem conciliat, & homines ad Deum traducit. Vnde ipse Dominus hoc artificio illos ad se reuocare gloriabatur. *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Osee 11. v. 4. id est, in doloribus & afflictionibus, quas à parente suo Adamo hereditarunt. Hi enim sunt mei erga illos amores, hæc vincula, quibus soleo ad me illos allicere. At quinam illi fuerunt funiculi, quibus Deus Adamum deuinxit? Crediderim inflicta post peccatum flagella: ipsum enim post commissum crimē à paradiso voluptatis eiecit, vt suæ emendationi consuleret, *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis* Genes. 3. Magna Dei fuit misericordia hominem lapsum à loco deliciarū extrahere, atque laboribus & ęrumnis addicere: nam in ipso voluptatis loco nunquā pœnitentiam ageret. Quod optimè ponderauit Arnoldus tractatu de opere sex dierum. *Vtiliter sæpe deserimur, et dum corripimur, emē damur. Acturus pœnitentiā de loco voluptatis Adā educitur: quia voluptas et luctus nō benè cohabitant, nec deliciæ et religio ad inuicem complectuntur.* Similes Ioab sumus, qui non nisi succenso eius agro ad Absalonis imperiū accedere voluit; aut infirmis, qui non nisi vrgente febri medicum ad vocant. Vnde recte nescio quis Philosophorū dicebat: *Magis Deus miseri, quā beati colūt.* Ex supplicijs enim sēper proficimus, & ad meliorē fortunā tradu-

Osee 11. *v.* 4.

Genes. 3. *v.* 23.

Arnoldus.

traducimur: idq; nobis accidit, quod
Seneca. dicebat Sene. epist. 91. *Sæpe maiori fortunæ locũ fecit iniuria: multa cecidêrũt, vs altius surgerẽt, et in maius. Timagenes felicitati vrbis inimicus aiebat, Romæ sibi incẽdia ob hoc vnũ dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quã arsissent.* Etenim ex liuore fratrũ cõtra Ioseph & persecutione ipse ad altiorẽ fortunã fuit euectus: labores enim & calamitates vehũt, dũ vexãt, & quos percutiũt illuminãt: quia Deus nõ ipsorũ ruinã, sed emẽdationẽ intendit.

ANNOT. C.XII. MORALIS.

SVPERIORVM VITA ADEO EST detractionibus obnoxia, vt omnium oculi ad ipsorum manus attendant.

489 NON solum magna seruitus est magna fortuna, sed & miseria magna: nam nihil Superiori licet. Vnde dicebat Seneca de consolatione ad Poliuiũ cap. 26. *Cæsari quoque ipsi, cui omnia licẽt, propter hoc ipsũ multa non licent.* Omnium cẽsurę obnoxia dignitas est, omniumque Superior subditorum oculos in manibus portat, quia omnes attente illas respiciũt, vt ipsorũ defectus detractione cõmaculent Chiromãtici omnes subditi videntur, dũ manuum inspectione Pręsulis inclinationes rimari procurant: quare ipsas habere mundas oportet, vt inferiorũ pręcaueatur malitia, ne eorũ lingua pruriat vel leuissima negligentia, & vt assolẽt, manuũ motus inique iudicent malitiosa curiositate, & perspicaci sagacitate eas obseruent, ac venenoso dẽte mordeant, & lacerẽt criminose obmurmurantes. Multi ipsorũ opera cõmẽdabilia nõ attendũnt; at errores nullus nõ obseruat. Mille oculis, & totidẽ auribus se parat curiositas, vt vel secreta penetret cordis. Merito petra illa quã vidit Zachar. c. 3. v. 9. oculis plenã, Superiorẽ designabat. *Super lapidẽ vnũ septẽ oculi sunt.* Omniũ subditorũ oculos super se portat Superior, cuius manus musicæ regimen fert, & nisi concinnè signauerit, dissonãtia omnibus erit nota, quia omnes motibus manuũ attẽdunt: exindeq; illas expedit habere mũdas. Præcepit Deus Moysi (Exod. 3) AEgyptũ adire, vt populũ à dira captiuitate liberaret: eũ Principẽ, imo & Deũ Pharaonis cõstituit: excusatur Moyses, & signa Deus tribuit, vt legationẽ nõ formidet. Primo virgã in terrã proiecit, quę in colubrum versa, cũ eã reassumeret, in virgã reuersa est. Secundo manũ in sinũ mittit, eamq; leprosã extraxit, quę ad sinũ reuersa mũdata est. *Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe [ait] manum tuam in sinum tuum: retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ.* Exod. 4 v. 6. Tertio aquas virga tetigit, & in sanguinem conuertit. Pergit Moyses in AEgyptum his signis munitus, & cum ad Pharaonis præsentiam deuenisset, primum fecit miraculum, virgam in serpentem conuertens, & omisso secundo, tertium operatur, aquarumq; fluenta in sanguinẽ trãsmutat. Iam ergo dubitabis, cur sicut Deus præceperat, nõ manum mittit in sinum, vt eã primo leprosam ostendat, & postea à lepra mundatam: maxime cum Pharaonis peruicacia repetita postularet portenta, vt populum dimitteret? Forte instructionẽ deperdit Moyses, aut illius non recordatur, quod iniũctã sibi miraculorũ seriẽ peruertit? Nõ (inquã) ait Abul. sed solerter & studiose signum leprosæ manus omisit. Quare: cum in illo maxime omnipotentia Dei ostendatur, & ipsius authoritas commendetur? *Ne leprosus videretur* [inquit Abulens.] Præsul. Quasi dicat: Agnoscebat se Moyses Principẽ & Superiorẽ Pharaonis constitutum, sciebat subditorum esse vitium, Superiorum manus attẽte inspicere, & malitiose inuestigare: igitur manus leprosa non appareat, nam quid manus nõ munda existimationis Superiori potest afferre? Prudẽter ergo cauet Moyses, ne dum mãdata Dei exequitur, personalẽ authoritatem & honorem amittat, qui suo muneri necessarius erat: nã puritas manuum, in

Exod. 4. v. 6.

Abulens.

Zachariæ 3. v. 9.

quibus integritas morũ adũbratur, à Superiore non debet recedere: quãdo quidem ſubditorũ oculos in manibus portant, qui ipſas malitioſo intuitu ſunt intenti: hęc enim eſt miſera Prælatorũ cõditio, omniũ oculos ad ſe inflectere, & omniũ curioſitati exponi.

490 Cum Chriſtus Dominus deuicta morte ad cœlos remeaſſet nobili triũpho coronatus, quaſi ignotus Rex à cœleſtibus aulicis excipitur. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſal. 23. Ac ſi naturam ignoraſſent, in qua aſcendebat, & vulnera, quæ in certamine inito cũ callido hoſte acceperat, ſic ipſum interrogant Zacharię 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarũ?* Nõ vacat myſterio, quod cũ Chriſtus Dñs vulnera nõ tantũ in manibus, ſed in latere etiã & pedibus detuliſſet, de plagis dũtaxat manuũ admirẽtur, & interrogent: quaſi hæc ſola vulnera aduerterẽt, & de illis doluiſſẽt. Nõ hęc Angelorũ ignorãtia cẽſenda eſt, ſed more ſe geſſiſſe humano credendũ: viderãt enim ſuũ Principẽ ad propria reuertentẽ, & cũ primo eũ tanquã Regẽ ſalutant, & excipiunt, vt ſubditos ſe fateãtur, manus attentè inſpiciunt: nã hoc ſubditorũ ingenium eſt, Superioris manus ſolicite ſpeculari. Licet Chriſtus Dñs alia ſecũ vulnera detulerit, illaq; præ oculis haberẽt, ea vidiſſe tacetur, quaſi omniũ oculos & attentionẽ manus tantummodo rapuiſſent: quia ille eſt ſubditorũ mos, oculis vigilantibus dominantis manus ſcrutari. Semel Scribæ & Phariſæi legis & obſeruantiæ zelo armati ad Chriſtum acceſſerunt (Matth. 15.) & vaferrimè interrogant: *Quare diſcipuli tui tranſgrediũtur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus, cũ panem manducant.* Leuiſſima tranſgreſſio (ſi forte tranſgreſſio dicenda eſt) ritũ amittere, qui in deſuetudinem abierat: & ſuperflua ſinquit Chryſoſt. Illa, quam diſcipulis obijciebant. *Ideo autẽ diſcipuli nõ lotis manibus manducabãt, quia iam ſuperflua deſpiciebant, ea ſolũ quæ ſunt neceſſaria attendentes.* Et nihilominus quamuis Chriſtus Dñs doloſam Iudęorum intentionẽ argueret, non tamẽ approbat, quod diſcipuli illotis manibus cõmedant, neq; apologiã pro ipſis facit. Quare? Quia ipſos Prælatos cõſtituere decreuerat: vt autẽ cautiores fierẽt, & ſubditorũ ingenia vehemẽter ad Prælatorũ manus attẽdẽtia, & minutiſſimos motus obſeruãtia oſtenderet, manus illotas in diſcipulis nõ approbat; ſed tacitè quaſi cõſentit accuſationi, vt deinceps cautelosè procedant, arbitrãtes manus omniũ oculis obnoxias habere, quandoquidẽ cæremoniali lotioni vſu abrogatę, & nullo præcepto iniunctæ nõ parcunt; ſed criminoſe eos inſimulant. Forte Cherubini Ezechieli demonſtrati, qui currum gloriæ Dei deferebant, & Superiores abumbrabant, cautè manus ſub alis abſcondunt, ne cenſurę pateant, ſed murmurationem ſubterfugiant.

491 Poſtquã Chriſtus Dñs in nocte cœnæ ſacramentũ Euchariſtię inſtituit, diſcipuloſq; Sacerdotali dignitate inſigniuit, vt infandũ proditoris facinus aliquomodo demõſtraret, dicebat: *Verũtamen manus tradẽtis me mecũ eſt in menſa.* Lucę 22. Mirũ eſt, quod vt perfidũ diſcipulũ detegat, ad ipſius manus tantũ attendat. Nonne proditoris totũ ibi corpus aderat? Cur tantũ de manibus illic eſſe affirmat? Fortequia nõ totus Iudas ibi aderat: cor enim, vt Magiſtri traditionẽ moliretur, abſens erat: quod nõ paucis accidit, nã ſœpe eos alunt, & inuitãt, qui corda in eorũ proditionẽ trahũt, cũ manus dũtaxat ad mẽſam, vt potiorẽ prędã accipiãt, habeant. Cur igitur Dñs manus Iudę tantũ in mẽſa adeſſe affirmat, cum & ipſe totus ibi extitiſſet? Ingenioſe Theodor. *Vt oſtendat proditoris nequitiam, qui et conuiua fieri non erubuit.* Quaſi dicat: Licet Chriſtus ſcientia infallibili Iudæ proditionem agnoſceret, vt experimento tamẽ humano id etiã didiciſſet, & diſcipulis innoteſceret, ad eius tantũ manus attendit, & proditorẽ eſſe, atq; à Sacerdotali, & Apoſtolatus dignitate, quã poſſidebat, aberraſſe perſpicuè deprehendit: ea enim conſuetudo hominum eſt, manus dignitatem habentis inſpicere, & in inſis ſecreta cordium timari. Quod

& ipſe

& ipse Dominus iterum repetiuit, dũ ait: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Matth. 26 v. 23. Vt discipuli proditoris signa daret, ad ipsius manus attẽdere suggerit, quod fuit quasi digito eum demonstrare, & manum aspectu eũ detegisse: quia in ipsis vel minimos defectus subditi agnoscunt, & criminosè culpant. Vnde sol, qui viua Superioris est imago, miraculosè hic stetisse dicitur, vt omniũ oculos in admirationẽ raperet. *Sol et luna steterunt in tabernaculo suo.* Hic v. 11. Sic etiã cũ ipse sol eclipsim patitur, quia defectus quidã est, etsi inculpabilis, omnes illi attendũt, omniũ oculos ad se aduocat, & quẽ beneficũ & recte operantẽ vix in vitæ curriculo aspiciunt, deficientẽ & eclipsi laborantem assiduè intuentur, vt ipsius nõtent defectus: quod pulchrè obseruauit Seneca. *Nemo respicit solem, nisi cũ deficit.*

Matth. 26 v. 23.

Seneca.

ANNOTAT. CXIII. MORALIS.

OBDVRATIO PECCATORIS Deum quodammodo fatigat.

492 NON solũ malitia humana cũ Diuina bonitate audet cõtẽdere, sed ipsam superare satagit. Obstinatus in parcendo Deus, obstinatus in delinquẽdo homo decertãt, & impotenter humana temeritas Deum fatigare procurat, & sua imbecillitate vires Diuinas frãgere tẽtat, & quodãmodo illas fatigat. Post visibilis vniuersi cõditionẽ, quã Deus sex dierum spatio perfecit, septimo ab opere iam cõcluso quieuit. *Requieuit Dñs die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Gen. 2. Quid? Creationis opus Deũ fatigauit, quod ab illo quiescere opus fuit? Qui solo oculorũ nutu cũcta indefessè creauerat ex nihilo, quiete indiget & leuamine, quasi humanæ imbecillitatis infirmitatibus esset obnoxius? Præterquã quod si quiescere erat necesse, præstaret interposita mora labori, ad cuiuscũq; diei opera & exercitiũ aliquãtulũ quiescere. Vt quid igitur requiẽ in diẽ septimum distulit? Eximiè D. Amb. hic. *Fecit cœlum, et non lego quod requieuit: fecit terram, solem lunam, et stellas, non lego quod requieuerit; sed lego quod fecerit hominem, et tunc requieuit, habens cui peccata remitteret.* Indefesse Deus cuncta condiderat, quæ sextum creationis diem pręcesserant: at statim ac hominem creauit, leuamine indiguit, quia iam habebat concertatorem, & cui peccata remiteret: obduratio enim & hominis peruicacia remisioni & indulgẽtiæ Dei, in qua ipse requiescebat, sẽ se quodammodo opponebat, & delinquendi audacia ipsum fatigabat, ita vt requiescere esset opus. Eo modo, quo requies in Deum metaphoricè cadit, & fatigatio etiam cecidit: quia vltra vires audet humana malitia, & quasi ab imbecillitate vires mutuatur, quibus Diuinam bonitatem superare tẽtat. Vnde Ecclesiast 30. monẽs Deus peccatorẽ obstinatũ dicebat: *Miserere animæ tuæ.* Quæ verba egregiè Saluianus expendit. *Miserere* (inquit) *animæ tuæ, et miserere etiam illius, cuius vides miseratione me frangi: miserere illius tandem; cuius misereor ego semper: miserere tuæ animæ, cũ miserere me cernis alienæ.* Quasi dicat: Si non misereris animæ tuæ, miserere saltem laborum, diligentiarum, ac fatigationum, quas subit Deus, vt te à peccatis reducat: ne temere & malitiose me æmuleris, & fatigare prætẽdas. Vel mihi parce labori succumbenti: ne vltra id, quod potes, audeas.

Genes. 2. v. 2.

D. Ambr.

Ecclesiast. 30. v. 24.

Saluian.

493 Lucæ 15. ad domum patris reuertitur filius ille nequam fame & nuditate compulsus, & quem saturitas à paterna domo eiecerat, inedia reuocat: exit in occursum pius pater, & redeuntem filium in sinu fouet, & perhumano excipit hospitio. *Cum adhuc longe esset, vidit eum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum.* Non miror quod Deus peccatorem contritum recipiat, & amplectatur; sed valde miror, quod super peccatoris collum cadat: hoc enim imbecillitatis est argumentum. D. August. lib. 2. quæst. in Euang. cap 32. sic euẽtum exponit. *Quid est super collum cade-*

Lucæ. 15. v. 20.

D. August.

cadere, nisi inclinare, et humiliari in amplexum eius brachium suum, quod est Christus? Optime hic Incarnationis Sacramentum rimatur Augustin. Sed magis nunc arridet mens D Chrysostom. hom. de duobus filijs. *Vententem filium [inquit] clementer suscipit pater, et accurrens salutat, et gratulans osculatur, et incumbens requiescit.* Preme hæc vltima verba *Et incumbens requiescit.* Putas ne, filium, qui pedibus & famelicus veniebat, potius requie indigere, quam patrem? Falleris: magis enim pater requie indigebat. Magis Deus fatigatur, vt nos ad se reducat, quam nos, dum ad illum pergimus. Peccatoris obstinatio vires Deo lassat, quia ipsum irrequietum reddit, vnde supra collum ad se venientis filij cadit, vt à labore requiescat, viresque reassumat. Temerario ausu cum Diuina pietate filij deperditi impietas decertabat, ipsiusque peruicax obstinatio patris vires fregerat, & ipse, quem recipit, filius patris reclinatorium est, vbi accumbens requiescit. Sic Ioan. 4. Samaritidem insectans fatigatur Christus, & fessus recumbit. *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Vbi D. Chrysostom in Catena adductus: *Sessio propter laborem facta est.* Ob peccatricis obstinatam proteruiam sic laborauit, vt labore lassus, & quasi deficiens sederet supra fontem. O si à peccatis abstineremus, vel vt Deus aliquomodo requiescat. Ne saltē Deus insudet, & labore fatigetur, à peccato cessare debet homo.

D. Chrisost.

494 Malach. 2. v. 17. Isaiæ. 43. v. 24. Septuag.

Malach. cap. 2. vers. 17. iniquitatem populi & peruicaciam reprehendens dicebat: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.* Id ipsum Isaias dixerat cap. 43. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* 70. præclare vertunt. *In peccatis tuis Hyparas pistes tuus fui.* Hyparas pistes proprie est satelles & propugnator, qui obiecto clypeo alium tegit in periculo positum, & laterum suorum expositione defendit. Ait ergo Malachias: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.* Hactenus benevolentiæ suæ scuto, & misericordia vos defendit, & opposuit se fulminantis vibrantisque iustitiæ ictibus, vt tela in se contorta suo corpore exciperet, ac retunderet: nunc vero *sermonibus vestris* in horrifica illa blasphemia, qua Diuinæ Maiestatis gloriam petulanter minuistis, laborare fecistis illum: vel vt Arias Montanus vertit: *Fatigastis, et delassastis Dominum.* Tanta est sceleris magnitudo, & obduratio, vt lassus in protegendo laboret Deus, iamque illi clypeus de manibus fluat, vosque nudos & desertos relinquat supplicijs immanibus obiectos. Sic vobis vires auget diabolus, vt saltem in vobis suã pertinacem contumaciam exequatur: nam criminosus homo diabolicã audaciam adimplet. Vnde S. Gregor. Nazianzen. orat. 1. de Iuliano apostata dicebat: *Nec vero supremum bellũ extimesco, nec belluam illam aduersus Ecclesias excitatam, spiritus impuri supplementum.* Flagitiosum hominem (qualis erat Iulianus) dæmonis supplementum vocat Nazianz. quasi homo peccator suppleat vires spiritualis nequitiæ, & quod diabolus non præstitit, quia vires protegentes Diuinas non potuit conterere, præstet criminosus homo, qui Deum fatigare audet, & arroganti temeritate cum Diuina bonitate decertat, ita vt Deum à labore requiescere opus sit. Vnde quasi Sol Diuinitatis imago, qui irrequieto motu terras lustrat, & peccatoribus oritur, requie indigeret, sistitur, vt à quotidianis curribus aliqualiter quiescat: *Stetit sol et luna steterũt in tabernaculo suo.* Hic vers. 11.

Arias Montan.

D. Greg. Nazian.

ANNOT. C. XIV. MORALIS.

ECCLESIAE CATHOLICAE FORtitudo semper inuicta, eo quod vnico eius innitatur Sponso.

495 Isaiæ v. 5.

SOLEMNE est in sacris literis Catholicam Ecclesiã lunæ cõferri: vnde merito stante sole, in quo Christus perhibetur, luna etiam sistitur & stat. *Steteruntque sol et luna in habitaculo suo.* Hic v. 11. quia à consortio

sortio Christi Ecclesia stabilitatem & fortitudinem mutuat, neque ipsi innixa vnquam poterit vacillare. At cur in luna, quę menstruis modulationibus, quotidianisque incrementis & decrementis variatur, fortitudo Ecclesię, quę columna, & firmamentū veritatis à Paulo nuncupatur (cap. 1. Epist. ad Timoth.) figuratur? Auscultа D. Augustum tom. 6. cap. 27. *Ecclesia* (inquit) *lunæ similis est: si quis nouã lunam primo et secundo die non videt, dignus est venia; qui autem iam plenã non videt, cæcus est.* Sicut enim luna, quæ initio tenuis & exigua apparet, in dies crescit, quousque plena sit: sic Ecclesia initio quidem exigua fuit (vt patet Actor. 1.) tota fere intra cœnaculum continebatur, necdum infra fines vnius ciuitatis: ab his autē egressa angustijs ita crescere cœpit, & ita propagata est, vt à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum iam sit extensa. Qui exiguam illam & orientem non videbant, aliquali erant venia digni; qui plenam, sane cęci & sine mente sunt. Sed ad nostram thessim egregie D. Amb. (ad illud Genes. 1. *Fiant luminaria magna* &c.) Ecclesiæ inconcussā, & indeficientem stabilitatem in luna agnoscit. *Merito* (inquit) *Ecclesia lunæ comparatur: nam sicut luna luminis imminutionem habet, non corporis, ita vt videatur deficere, sed non deficiat: sic et Ecclesia tempora sua habet persecutionis, et pacis: obumbrari potest, deficere non potest: aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur; sed in Martyrum confessionibus impletur, et maiora deuotionis et fidei toto orbe lumina effundit, effuso proximo sanguine, clarificata victoriis.* Christo eim innixa nulla persecutione, nullaue procella potest concuti, quia omnes in hoc vnico fundamento frāguntur, & ædificium supra illud extructum firmiter stabilitur. Vnde de seipso dicebat. *Me insulæ expectabũt, et brachium meum sustinebunt.* Cur nō dixit Sponsus: Me Ecclesia aut gentes expectabunt, quandoquidem omnes ipsius flagrabant desiderio; sed *Me insulæ expectabunt?* Recte Ghislerius commentatur: *Insularum appellatione indicans, ita Ecclesiam totam à Christo pendere, vnique innixam esse Christo, vt à quolibet alio dilecto sustentari disiũcta sit: nō secus atque insulæ, à qualibet disiunctæ sunt terra, qua fulciantpræter ipsam vnam, cui innitũtur. Quo fit, vt licet ab vndique agitantibus fluctibus agitetur, stabilis et immota sẽper maneat.* Idcirco Caiet. tractans de indulgentijs scite pariter & acute Christum Dominum Ecclesię Catholicæ suppositum appellauit, quoniam sicut suppositum sustentaculum est naturæ, illamque reddit alijs supposítis incommunicabilem: sic Christus Ecclesiam sibi dilectam sustētat, illāque incommunicabilem alijs supositis reddit: quia nullus error in illam potest irrepere; proindeque firmam & stabilem, velut insulam, quę nulli alteri adiacet terræ, eam sustentat.

Eadem ratione insulis comparatur Ecclesia Isaię. 41. v. 1. *Taceant ad me insulæ.* Et Psalm. 96. v. 1. *Lætentur insulæ multæ.* Sic prædicta loca interpretantur D. Augustin. D. Hieronym. Cyrill. Theodoret. Procopius, & alij. Vbi merito ambiges, cur non potius cum firma & stabili terra conferatur Ecclesia, quam cum insula, quę maris fluctibus continuo exposita semper ipsius inconstantiam patitur. Fruere D. Augustin. *Omnes Ecclesiæ insulæ, quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo insula vndique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, magisque ipsa frangit fluctus venientes, quam frangitur ab eis: sic et Ecclesiæ Dei pullulantes per totum orbem terrarum passæ sunt persecutiones vndique frementium infidelium. Et ecce stant insulæ, et iam placatũ est mare.* Concinit D. Hieronym. existimans sicut insulas in medio mari, ita Ecclesias in medio sæculo positas esse, & sicut illas fluctibus, ita has persecutionibus agitatas. *Verũ* (inquit) *istæ insulæ tunduntur quotidie, sed non subruuntur: quia habent fundamentum Christum, qui moueri non potest.* Quo plus infideles blaterantes latrant; eo

D. Augus. — Ghisler. — Isaiæ. 41. v. 1. — Psalm. 96 v. 1. — D. Augus. — Isaiæ 51. v. 5.

magis illustratur, & stabilitur Ecclesia. Sic vbi Iudęi paralyticum portantem lectum viderunt, sabbatum violare accusabant. Ioan. 5. *Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grauatum tuum.* Cur permittit Christus hanc Iudæorum reprehensionem, neque eorum obtundit ora? Optime Maldonat. *Fecit enim stulta reprehensio, vt miraculum, quod paucis videntibus factum fuerat, in totam, dum reprehenditur, ciuitatem diuulgaretur.* Sic quo magis hæretici, quo magis inuidi Ecclesiam & eius doctrinam obscurare nituntur, eo magis nolentes exaltant, & abnuentes illustrant: quia Christi firmata fortitudine nullo potest impetu quassari.

Ioan. 5. v. 10.

Maldon.

497 Præclare hanc Ecclesię firmitatem ostendit Deus Iob cap. 38. vbi inter alia quæ soli Deo reseruantur, hoc ipsum rogat. *Nunquid gyrum arcturi poteris dissipare?* Vbi D Gregor. lib. 29. Moral. cap. 29 Ecclesię stabilitatem agnoscit. *Arcturus (inquit) ita voluitur, quia sancta Ecclesia iuxta auditorum suorum mentes in diuerso latere prædicationis arce versatur: arcturus voluitur, quia hæc in noctis huius tribulationibus rotatur: sed hunc arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia labores Ecclesiæ ad requiem permutat.* At cur potius arcturo, quam cæteris empyrij stellis Ecclesia comparatur, quandoquidem omnes in suo ordine lucent, & ex illarum numero plurimæ arcturum in splendore superant? Opinor, quia reliqua sidera mobilia in firmamento sunt, & quotidianis cœli cursibus oriuntur, & decidunt, ortum & occasum recognoscunt: at vero arcturus fixus semper permanet, nunquam ad occasum pergit, & immobiliter supra ipsum tota cœli machina voluitur. Vnde Poeta. 2 Georg. immortalem ipsum nominauit. *Axis inocciduus* &c. Omnes sectę vel extinguntur, vel mobiles & varię sunt, & tandem extinguędę: Ecclesia vero Catholica veluti arcturus immobilis irradiat, & irradiabit semper. Vnde eleganter D. Hilar. de Trinit. *Hoc Ecclesiæ proprium est, vt tunc vincat, cum læditur: tunc intelligat, cum arguitur: tunc obtineat, cum deseritur. Dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, cum superari videtur.* Vel ab ipso periculo securitatem mutuat, ab ipsa mutatione firmitatem: ipsos offensores lacerat, & repercutit. Idcirco Moysi in deserto degenti *apparuit Deus in flamma ignis in medio rubi.* Exod. 3. Rubus, qui Dei habitaculum esse promeruit, & in cuius cętro Diui nitas aderat, Ecclesiam referebat, cui Deus perpetuo assistere fuit pollicitus. Si autem inquiras, cur Ecclesia adumbretur in rubo: accipe Oleast. *Vt ostendat, omnes, qui tetigerint eam, ab spinis eius pungendos: nullus enim cuiuscumque potentiæ, aut conditionis sit, eam vnquam læsit, cui non maximas et grauissimas pœnas daret.* Hinc vidēs Moyses, quod rubus inter flammas non comburebatur, & viriditatem seruabat, dixit: *Vadam, videbo visionē hanc.* Quid miraris Moyses? Deus intra arborem adest: idcirco licet igne sit circundata, consumi nequaquam potest. Sic in medio Ecclesię adest Christus, subindeque etsi ignis hęreticorum fremat, etsi infernales flammę crepitent, semper viridis apparebit. Huc respexit Amb. Epist. 82. vbi montem Oreb, qui Deum in rubo excepit, fortissimum Ecclesiæ fundamentum esse auguratur. *Vtrumque ad Moysem à Domino dictum est: Vbi stas, terra sancta est: et Tu hic sta mecum. Hoc est mecum stas, si stas in Ecclesia: ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitatis, et optima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta vbi tibi apparui: vbi ego tecum sum, ibi est Ecclesia, ibi firmissima statio tua metis est.*

Iob. 38. v. 31.

D. Greg.

D. Hilar.

Exod. 3. v. 2.

Oleast.

Vers. 3.

D. Amb.

ANNOTAT. C. XV. MORALIS.

NIHIL GRATIVS DVLCIVSVE nobili Matronæ, quam in domo sponsi sui permanere.

498 IN solis habitaculo & statione luna cum ipso stetit, ne ab illius consortio separetur. *Sol et luna steterunt in tabernaculo suo* Hic v. 11. quia solo maritatam non deceret intra cubiculum cum ipso non manere: nihil enim delectabilius ducit ducta vxor, quam intra domum sponsi sui adesse. Huc fere omnium gentiũ collimauit mens & studium, vt mulieres domi continerent, à noxiaque euagatione reuocarent. Apud Synas etiam hodie neruus pedis eliditur puellis, ne à domo exeant, & vagentur. Nicolaus Trixãtius (de expeditione Christi apud Synas lib. 1. cap. 8.) addit arctissime fascijs mulierum pedes obuolui, vt truncæ videantur, factumque esse, ne huc atque illuc cursitarẽt. Huc spectauit & Phidias cum Heliensibus Venerem elauorauit, quę testudinem calcaret, innuens mulieribus esse domum, nec vndique discurrere ipsis licere: quod refert Celius Rodigin. lib. 10. lect. antiq cap. 3. his verbis. *Mulieres silentiũ, et domus custodia decet: itaque Heliensibus Phidias Venerem fecit, quæ testudinem calcaret, apertius implicantiusque commonstrans, esse mulieribus decoris ædes custodire ac silentium: vxorum quippe ornamentum est, aut cum marito, aut per maritum loqui.* Idem & AEgyptiorum more cõfirmat: subdit enim: *Nam et AEgyptijs mulieribus inde vti calceis non fuit patrij moris, vt ita se domi continere quodammodo cogerentur.* Quod argumentum ex sacris paucis illustro.

Nicolaus Trixant.

Phidias

Celius Rodigin.

499 Cum Iacobus tabernaculum fixisset in terra Chanaam, nimia curiositate ducta. *Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Genes. 34. v. 1. At quid obsecro ex hac à paterna domo egressione reportauit? Sibi quidem spiritualem mortem, Sichimitis vero etiam temporalem, & paternę domui ingentem iacturam: nam ea visa, Sichen filius Hemor adamauit illam, & rapta, dormiuit cum ea, vi opprimens virginem, vnde bellum implacabile excitauit inter Iacobęam & Sichimitam gentem. Pulchre D. Hieron. Epist. 22. ad Eustochium quæ est de custodia Virginitatis, hoc exemplo Virgines vrget ad manendum in secretiori domus cubiculo. *Semper (inquit) te cubilis tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus: caue ne domum exeas, et velis videre filias regionis alienæ Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis. Zelotypus est Iesus, non vult ab alijs videri faciem tuam.* Pergit S. Pater, & Virgines prudentes ab stultis euagatione discriminat. *Foris vagentur Virgines stultæ: tu intrinsecus esto cum Sponso.* Etenim in Virginum parabola (apud Matth. cap. 25.) virgines fatuæ dum extra domum vagantur, & errant, excluduntur ab Spõso: prudentes vero, quę ciuitatem nõ inuisere, olei venditores adeuntes, admittuntur ad nuptias, quia vxor nunquam à latere sponsi debet recedere, si non vult miserè periclitari.

Genes. 34 v. 1.

D. Hiero.

500 Diuersis planè vocabulis hominis & mulieris structuram significauit Moyses: nam homo formari dicitur. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Genes. 2. v. 7. Mulier vero ædificari: *AEdificauit costam in mulierem* Ibid. v. 22. Cur in mulieris fabrica ędificandi verbo potius, quam formãdi, vtitur Historicus sacer? Nonne eadẽ manus, eademque potentia vtrobique operatur? Recte Caiet. rationem indigitat. *Significat, mulierem ad hoc fecisse, vt sit ædificium hominum.* Vt enim ædificium immobile est, neque huc atque illuc circumuagatur, ita & fœmina liberè diuagari non debet, sed eodem tecto semper cõtineri, vt nõ tã incola ædificij, quam ipsum immobile ędificium videatur. AEdificium quod huc, atque illuc mouetur, totius domus ruinam comminatur: sic multiuaga mulier ruinam honoris, exitiũ maritalis domi, totiusque generis minatur, seque præcipiti exponit periculo. Ambigit Rupertus (lib. 3. in Genes. cap. 2.) quo pacto serpens adoriretur Euã, an scilicet intra paradisum, an extra: & arbitratur serpẽtẽ extra paradisũ extitisse, cũ preuaricationẽ suggesset: quoniam paradisus propria homi-

Genes. 2. v. 7. Vers. 22.

Caietan.

Rupertus.

nis

nis erat habitatio, eique pro magna gratia Creatoris exhibita; quod non ita foret, si serpentibus, similibusque animalibus noxijs esset communis. *Non igitur (inquit) serpens præsertim à diabolo corporaliter inuadente possessus in paradiso fuit: sed mulier corpore et oculis vaga, dum incontinenter deambulat, forte prospectans qualis extra paradisum mundus esset, et dum serpens vtpote astutus dulcedinem terræ illius propius et ambitiosius inhiat, locus diabolo datus est, et occasio breuiter porrecta, vnde tentaret Euam* Et licet fere omnium Patrum & Theologorum sit sententia, serpentem intra paradisi sepia extitisse, cum doloso astu mulierem in fraudem allexit, & Ruperti mentem ad literam non approbent; in re tamē morali optime probat, mulieris casum & ruinam ex diuagatione & superflua curiositate prouenisse: quandoquidem paradisum vndique lustrans, & absque necessitate discurrens oculos extra ipsum adiecit, & exinde venenum traxit, quo delitiosam & innoxiam illam mansionē infecit: ex frequenti enim mulierum extra domum vagatione, non nisi honoris ruinam in domum reuertentes reportant.

501

Exod. 34. v. 23. ter in anno præcipiebat Dominus Israelitis, omnes virilis sexus in templo apparere, vt grates pro beneficijs acceptis rependerent. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Dei Israel.* Mirum est, quod hæc lex, quę ad Dei obsequium & cultum respiciebat, propter viros tātum fuisset lata, illosque dumtaxat cogeret ad obseruationem. Cur fœmina non similiter sistitur in conspectu Domini, quandoquidem & ipsa eisdem beneficijs erat deuincta? Accedit, quod dum lex templum non crebro inuisere præcipiebat, sed ter tantum in anno, neque indecens, neque difficile esset mulieribus ad ipsum accedere. Auscultа Oleast. fœmineam circumspectionem hinc vrgētem, & licentiarum prætextus cohibentem. *Fœminarum genus decet non hinc inde discurrere, etiam pietatis aut religionis prætextu: amat hoc genus exire, amat hinc inde discurrere, et quia à viris sæpius arcentur, causam religionis, aut pietatis mentiuntur: vt ergo licentiosum genus teneret officio, occasiones vagandi præclusit.* Præcauens lex cautelosum mulieris genium, & vagandi licentiam vndequaque coercens, eas à Diuinis arcet, ne pietatis causa cum ingenti pudoris periculo à proprio domicilio egrediantur: ibi enim domesticam curam perficiunt; extra proximo dispendio exponuntur. Hinc Iudic. 5. v. 24. magnopere laudatur Iahel. *Benedicta inter mulieres Iahel, et benedicatur in tabernaculo suo.* Cur in tabernaculo benedicenda est fortissima mulier, & non extra? Abulens. Quæst. 9. ad præcit. cap. *Quia tantum ipsa egit in tabernaculo, sicut bellatores in pugna: quia in domo sua occidit Sisaram.* Imo & plus fecit, siquidem Sisaram viriliter interfecit, quem bellatores omnes non occiderunt. Vnde de viro illo, qui fortem & circumspectam habebat vxorem, dicitur Prouerb. 31. *Et spolijs non indigebit.* Quia vxor, quæ domum curat, & intra ipsius continetur cancellos, plures victorias, pluresque domi refert exubias, quam vir ex bello: victorię illi atque spolia domi nascuntur; extra impudicitię expositа honoris maximam timeat iacturam: quia rarum erit, vt ibi stet, vbi cæteræ cadunt. Exinde afflicta illa mulier Chananæa propter filiam à dęmone vexatam dicebat Domino Matth. 15. v. 22. *Miserere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmone vexatur.* Notabilis, in aduertentia (inquit S. Basil. de Seleuc. orat. 20.) Fortè dęmon bene torquere potest? Quomodo male afflictam filiam à dęmone affirmat, quandoquidem nullus bene ab ipso tractatur? Quid immanius hic agit dæmō, quod de illo irregulari stylo conqueritur? Audi Basil. Chananæę nomine conquerentem. *Quomodo rei grauitatem efferam? Quomodo malum prædicabo? Non ipsius aspectus difficultatem fero, domo exiliens vrbem peruagatur.* Non

Oleaster.

Iudic. 5. v. 24.

Abulens.

Matth. 15 v. 22.

D. Basil.

hic

hic dæmon filiam intra domum permittebat: idcirco prudens Chananæa illum malum vocat dæmonẽ, & quod malè filiam vexabat, vehementer dolebat: siquidem & vexabat vt dęmon, & insuper torquebat periculo mulieris, quę e domo exire desiderat. Non tã dęmonis cruciatus sentiebat, quã quod filiam ad exeundum per plateas incitaret: quia ex dæmonis crudelitate dolor & vexatio; at ex filiæ vagatione honoris iactura imminebat.

ANNOTAT. C. XVI. MORALIS.

NON MINVS AEGRE DEVS fert, vt illum tepide quæramus, quam quod auertamur ab ipso.

502 SOLICITE cum Deo expedit ambulare, & statim ac illum offendimus, supplices & feruentes effundere preces, contritaque corda exhibere: quoniam non minus dolet, quod ab ipso discedamus, quã quod ipsum pigritia torpentes per pęnitẽtiam quęramus: nam effrenatio in offensis indicat nos fragiles, & ad culpam esse procliues; tepiditas vero, segnities & frigiditas, qua ipsum confitemur, & ad remedia opportuna pergimus, indicium est paruę existimationis; vnde arguitur pro nihilo nos habere, bene, vel male cum eo esse. Hæc (inquam) pigritia, quę ex cõremptu oriri videtur, maximè Deum exacerbat. Ob plurima, eaque grauissima flagitia, ranarũ plaga inter alias percussit Deus Pharaonem, quã præ importunitate & molestia ferre non potens rogauit Moysem, vt Deum exoraret, quatenus ab ipso importunam ranarum garrulitatem auferret. Cum autẽ Moyses polliceretur Regi ranas abigere statuto ab ipso orationis tempore, super ipso Regem interrogauit, qui respondit: *Deprecamini eras.* Exod. 8. v. 10. Plagã fugauit Moyses: at Pharao induratus adhuc promissis non stetit, & obstinatus permansit, pertinaci peruicacia populũ opprimens, vsque dum Deus eum aquarum fluctibus submergit. *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Cap. 14. v. 27. Quęrit D. Amb. (lib. 1. de Cain & Abel cap 6.) propter quod criminum, quæ Pharao perpetrauerat, Deus ipsum obruerit, sibique obijcienti satisfacit. *Dicenti Moysi: Constitue mihi quando pro te orem, et pro famulis tuis, et pro populo tuo, vt exterminet Deus ranas; cũ debuerit in tanta positus necessitate rogare, vt iam oaret, nec differret: respõdit: Craſtina die, otiosus et negligẽs morę pœnam AEgypti soluturus excidio.* D. Ambr. Difficilis plane videtur Ambrosij mẽs: etenim Pharao plurima, & horrenda commiserat flagitia: Nili vndis pene infinitos suffocauit infantes, quos hospites receperat, Hebræos vt seruos & vilia mãcipia tractauit, manui Dei ipsum vexanti pluries restiterat. Quomodo ergo, cum tot delictis mortem mereretur, inquit Ambrosius, aquis obrui, eo quod die vna Moysis orationem distulerit? *Otiosus et negligens morę pœnam AEgypti soluturus excidio.* Hęc enim etsi culpa esset, cętera crimina non ęquabat, nã in ipsis plus belluã, quam homo videbatur. Ita est (inquit Amb.) Pharao tãquam fera naturam prosequebatur odio, & ad vsuram lucis nondum ortas suffocauit vitas, atrocitatis extitit exemplum dura Israelitas captivitate opprimens; at dũ Moysis orationem differt, Dei amicitiam contẽnit, nec curat ipsum, quem offenderat, habere placatum. Dum plagis percussus ad Deum aliquomodo convertitur, tepide & morosè illum quęrit, in craſtinum orationem differens, & propter hoc vnum delictum, qui alia commiserat atrocissima, plectitur: quia in reliquis humana fragilitas suffragabatur ipsi; at inhoc nullã excusationem habebat, quandoquidem ex Dei cõremptu peccabat. Caueant, qui non vno die, sed pluribus mensibus & annis pœnitentiam differunt, aut de ipsa tepide & morosè tractant: hi enim maxime deplorandi sunt, quia ipsis remedijs male adhibitis, & sine feruore susceptis, magis lan-

Exod. 8. v. 10.

languent. Accepta mortis Lazari notitia exultauit Christus Ioan. 11. v. 14.

Ioann. 11. v. 14. *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos.* At ad ipsius domum accedens, pergensque ad tumulum, vt illum ad vitam reuocaret, *Lacrymatus est Iesus.* Verſ. 35. Cur lacrimis & lætitia abutitur, gaudetque de morte, & de resurrectione lacrymatur; cum potius mors funerales exposceret lacrymas, resurrectio vero exultationem & lætitiam? Quia in Lazaro, qui peccatoris symbolum extitit, tepidam quorumdam pœnitentiam respexit Christus, qui sic remissè antacta crimina retractant, & ad Deum conuertuntur, ac si velut Lazarus è sepulchro peccatorũ Verſ. 44 vincti exirent. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis.* Vitæ spiritum cum refundit, lacrymas fundit: quia nõ minus de morte peccatoris dolet, quam de tepida resurrectione.

503 Fatuæ illæ Virgines, cum oleum in lampadibus non haberent, petitumque à prudentibus negaretur, eunt emere; ast ipsis absentibus venit Spõsus, ad nuptiasque cum prudentibus ingreditur, & statim clausa est ianua: nouissime vero veniunt fatuæ, pulsãtes validissimis vocibus inclamãt. *Domine Domine aperi nobis.* Matth. 25. v. 11. Quibus Sponsus: *Nescio vos.* Verſ. 13. Rigore & acerbitate plena hæc repulsa videtur: enimuero licet negligentes Virgines oleum ad nuptias non præparassent, otioque ac quieti essent deditę, ex alio capite excusatione indignę non videtur, perrexerunt enim ad emendum oleum, vt quam citius reuerterentur de precedenti otiositate contritę: Dominus autem omni pulsanti aperire pollicetur Matth. 7. Cap. 7. v. 7. *Pulsate et aperietur vobis.* Cur ego illis abeuntibus, vt tempus redimerent, & feruore (vt ex geminatis vocibus apparet) pulsantibus portę non reserantur, & miseram repulsam patiuntur? Adi D. Augustinum serm. 120. de tẽp. D. Auguſ. *Pulsate* (inquit) *et aperietur vobis, cum tempus erit iustitiæ.* Promisit quidem Deus aperire volentibus intrare opportuno tempore: Virginum vero defectus fuit, quod sero ingredi voluerunt, *Nouissime vero veniunt et reliquæ Virgines.* Solicitudine & feruore postpositis ad nuptias accedunt, non prompte, sicut prudentes, Sponso placere studebant: merito ergo excluduntur, quia non minus Deus tempore, quam culpa offenditur. Qui tempore opportuno pigrescunt, & nihil nonnisi sero faciunt, nunquam ad ipsius gratiam admittuntur.

Lucę. 15. v. 20. èdomo patris peregre proficiscitur filius ille nequã, & luxuriando paternum insumit censum. AErumnosa egestate admonitus ad patriam domum redire cogitat: sed vide quo fine; vt habeat victum sicut vnus de mercenarijs paternę domus. Redit, & in occursum misericors accurit pater. *Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum.* Cum dicitur pater misericordia motus, lacrymis superfusum nonnulli interpretantur. At quis non miretur, quod cœlestis pater luxuriosum filium, non quando abijt, sed quando recipit, tunc deploret; cum potius ingentioris gaudij & exultationis esset occasio? Importunus videtur luctus, vbi lætitiæ causa instat. Verum prodigus adolescens non paternæ reuerentię violatione tactus ad patrem redit, sed inopia oppressus: inde pater etsi lætus de filij reditu, de tepida, licet congrua, filij pœnitentia solicitus obortis lacrymis filium non lacrimantem excipit, vt cœlestis pater suis oculis suppleat lacrymas, quę reduci, sed non lugenti filio desunt, & sua solicitudine filij rependat segnitiem. *Misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius.* O time, ne periculosius morbi remedijs, quam ipso morbo ægrotes. Caue, ne pro antidoto venenum exhaurias, lacrymarum naufragio peccata pereãt ob Dei reuerentiam: statim ac peccasti, ad eum conuertere, & exundantibus lacrimis appone piaculum, vt ipsum exultare facias: nam eo modo, quo tepida pœnitẽtia Deum plorare

504 cogit,

cogit, solicita exhilaratum reddit; eamque affluentissimè remunerat.

505 Optauerat vehementer Zachæus Christum videre; quod cum obtinere non posset, quia statura pusillus erat, & maxima populi multitudo ad ipsum concurrerat, qua prępeditus accedere non valebat, festine ad vicinā arborem cucurrit, ipsamque scandēs Christum vidit transeuntem: cui Dominus vt præproperam conuersionem rependeret, ait: *Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit.* Lucæ. 19. Statimque ac Dominum excepit hospitio, ipsius conditionis inuestigator dixit: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et siquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Quibus auditis & salutem ipsi pollicetur, & de Abrahæ generosa prosapia & filiatione ipsum laudat. Vnde hæc subita mutatio? Vt qui aliorum bonorum erat nimis auidus & tenax, nunc de proprijs facultatibus liberalis existat dispensator? Et qui lucris & vsuris erat implicitus, beneuolentiam Domini affluenter mereatur? Præclare D. Chrysost. rem dirimit. *Vnde hæc subito exorta mutatio? Ex pœnitentia improuiso accelerata: vnde festinans vocatur, festinans descendit: et idcirco salus huic domui facta est.* Vbi Christus vocauit, continuo festinauit descendere: non pigrè moratur, non cunctanter resistit; sed celeri alacritate descendit, & quidquid defraudauerat, restituit; ex hac ergo solicita promptitudine gratus adeo extitit Christo, vt domum, quam à lucris vacuauerat, gratijs & exultatione repleret: quia nihil tam Deum exhilarat, quam feruorosa & solicita conuersio, & in his, qui festinanter ad ipsum accedunt, maximè complacet. Vnde de comitantibus ipsum festiua alacritate dixit Vates noster. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Hic v. 11. Quia iactata sagitta, seu hasta non demoratur in cursu; sed celeri motu scopum attingit.

Lucæ 19. v. 5. 504

Lucæ. 15. v. 20.

D. Chrys.

ANNOT. C. XVII. MORALIS.

SVMMA DEMENTIA, ET INfelicitas, est à virtutis tramite recedere.

SVNT quam plurimi, qui exultantes semitam virtutis arripiūt, & postea otio torpentes à propositio fine desistunt: de quibus maximè dolendum est, quia vt dixit D. Bernard. epist. 78. *Cœpisse nihil proderit, si [quod absit] non perseuerare contigerit.* Et D. Hieronym. epist. ad Furiam. *Non quæruntur in Christianis initia, sed fines: Paulus malè cœpit; sed bene finiuit: Iudæ laudantur exordia; sed finis proditione damnatur.* Quid prodest cum feruore inchoare, & in fine deficere; nisi ad vehementiorem de bonis operibus frustra actis doloris sensum excitādum? Insania plane est, fines nō respondere principijs. De Enoch Deo grato semel & iterum cū Deo ambulasse dicitur: sic enī habes Gen. 5. v. 22 *Ambulauit Enoch cum Domino.* Deinde v. 24 idipsum repetitur. *Ambulauitq; cū Domino.* Cur bis idem iteratur? Sufficere videbatur semel dixisse Enoch cū Deo ambulasse, vt de illius iustitia & sanctitate cōstaret. Ad quid huiusmodi redūdantia apponitur? Audi D. Amb. serm. de cōfess. pontific. *Lauda (inquit) nauigātis felicitatē; sed cū peruenirent ad portū. Lauda ducis virtutē; sed cū perductus est ad triūphum.* Quasi dicat: Ideo Enoch gemina laude extollitur, præcipue cū rapiendus est in paradisum, quia tunc maximè quis laudādus est, cum in virtute perseuerat, optatamq; attigit metam. nā in portu naufragium facere magna nauigantium infelicitas est, magnaque demētia crederetur in eo, qui maris procellis superatis in portu excidiū quæreret. Sic explicatius Caietanus. *At explicandum quod ab ineunte ætate profecit in via Dei, et perseuerauit proficiendo in ea semper.* Non frustra bis dicitur, quod Enoch ambulauit cum Deo: etenim cum primò ad affirmatur, initia vitę ostenduntur; cum vero secundo refertur, perseuerantia vsque ad finem

Genes. 5. v. 21. 506 *D. Bern.* *D. Hiero.* *D. Ambr.* *Caietan* *Genes. 5. v. 15.*

finem pertingens denotatur. Vnde eius felicitatem licet augurari, quoniam summa infelicitas est, ab incepto virtutis itinere recedere, nam tota vitę spiritualis prosperitas in perseuerantia consistit. Sic vbi primo Deus lucem creauit, eam commendat, & à tenebris diuidit, vt dies, nocteſque discriminarent. *Appellauitque lucem diem, et tenebras noctem, factumque est vespere et mane dies vnus.* Gen. 1. vers. 5. Non parua hinc oritur difficultas, cur scilicet in narratione diei vespere Deus prætulerit, & ante mane de ipso mentionē fecerit: enim vero naturæ ordo aliud expoſcebat: nam à mane dies incipit, ad ipsumque vespere subsequitur. Prętерquam quod non parum derogatur dignitati diei, si matutinum tempus, vbi illucescere incipit, vespertino postponatur, vbi tenebris iam dies immergitur. Præclare D. Ambr. in examer. nostram hinc in virtute perseuerantiam erudit. *Quærunt aliqui, cur prius vesperum, postea mane scriptura nominauerit, ne forte noctem priusquam diem significare videatur: nec aduertūt, quod vesper finis diei sit, et mane finis noctis: vt ergo prærogatiuam et primatum natiuitatis diei diceret, prius finem diei significauit.* Primatus & felicitas diei nō à lucendi initio, sed à fine, & perseuerantia in luce censetur. Non mane prę ponitur, quia in mane incipit elucescere; sed vespere, vbi cursum & lucē perficit: quia nihil currendi initium profuit, nisi cursus consummetur. A fine felicitantur principia: nam qui in virtutis curriculo finem nō perficiūt, fatuè desipiunt, & in miseram infelicitatem incidunt.

Genes. 1. v. 5.

D. Ambr.

507 Felicitatem & pulchritudinem populi Hebręorum prædicans Balaam dicebat Numer. 24. *Quam pulchra tabernacula Iacob, et tentoria tua Israel.* Merito miraberis, quod laudaturus secundam Hebræorum fortunam ex habitaculis, non domos laudet, vbi permanenter habitabant; sed tentoria, in quibus iter facientes obtegebātur: hęc enī, quæ ad paucas stationes inseruiebant, nō videbantur laude digna, quandoquidē nulla ex illis orta felicitas erat permansura. At Origenem ausculta hom. 18. in Gen. & cur ex tabernaculis fausta ominetur Vates, agnoſces. *Non laudat eorum domos stabiles, quia non peruenerunt ad finem; sed tabernacula miratur, in quibus ambulabant, et sempr proficiunt: tanto proficiēdi via augetur, et in immēsum tenditur: tabernacula enim sunt eorum, qui semper in via sunt, et ambulant, nec itineris sui terminum repererunt.* Felicitatem populi augurans non domos laudat, in quibus permanāter habitabāt; sed tabernacula, in quibus sēper proficiebant, nec ab incepto itinere cessabant. Quia ille feliciter iter cōficit in virtutis via, qui indefessè ambulat, & nunquam sistitur: nam à fine omnia fausta redduntur, & in illo non obtento nullus laude dignus videtur. Sic post longam in deserto peregrinationem, præcepit Deus Moysi Numer. 1. principū ac fortium bellatorū catha-logū conficere. *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domus suas, et nomina singulorum.* Cur tā multis post egressionem ab AEgypto annis, & non antea strenui milites recensentur, & ad numerū fortium bellatorū, qui laudē merebātur, rediguntur? Iam enim manus conseruerant cum Amalech, ipsumque expugnauerant, aliosque hostes deuicerant. Egregie Rabbanus Maurus ad mores retardatam militū laudem inflectit. *Nondum enim tentati erant, nondum ab hostibus impugnati, confligunt cum Amalech et vincunt; sed nec tunc quidem numerantur: non enim sufficit ad perfectionem tendenti vna victoria.* Finis laude coronat opus: & quamuis ouantes ab inimicis referebant palmas, quia nondum vltima certamina inierant, gloria fraudātur: quia hæc non nisi finali perseuerātia obtinetur.

Origenes.

Num. 1. v. 2.

Rabban. Maurus.

Num. 24. v. 5.

D. A

Eleganter expendit Diu. Augustin. libr. 17. de ciuitat. cap. 4. ad finem illud Cantici Annę. *Dominus iudicabit fines terræ.* 1. Reg. 2. Quod ita legit. *Dominus iudicabit extrema terræ.* Quę nam que illa sunt terræ extrema, quæ

508

Augustin. 1. Reg. 2. v. 10.

ad

ad tribunal Dei iudicanda sistuntur? Fines hominis, & vitę terminus. Quid? Nonne *Deus* iudicabit initia & media humanæ vitæ? Maxime. Quomodo ergo fines tantum, & extrema iudicari dicuntur? Audi Augustin. *Sed melius intelliguntur extrema terræ extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur. Propterea dictum est. Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Quasi dicat: Deum non ita inspicere principium & medium vitæ hominis, sicut finem: nam à fine bonitatem, vel malitiam omnia eius opera mutuabunt. Si male finierit, nihil proderit bene vixisse: at si in iustitia perseuerans debitum finem sit aucupatus, non officiet intermedia opera praua extitisse: quia à fine omnia digna laude videntur. Vnde Iob rogabat Deus cap. 38. vers. 4. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, et me laudabant astra matutina?* Cur de cantico, quod in ipsius laudem matutina astra concinunt, se Deus iactat; & non potius de nocturno siderum concentu, cum in nocte sidera magis niteant, & micantioribus radijs ipsum extollant? Crediderim, quia matutina astra vsque ad tumulum lucere non desinunt: hanc ergo flectinescíam perseuerantiã vsque ad postremũ vitę spiritũ exambit Deus, & de illa maximè gloriatur.

Iob 38. *v.* 4.

509

Pulchrè huiusmodi in obseruanda vsq; ad finẽ virtute auiditatẽ describ tã inuenies Cantic. 5. vbi de Spõsi structura Spõsa dicebat: *Crura illius colũnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Et rursus de capite ait: *Caput eius aurũ optimum.* Nõ aptè materia eadẽ in caput & pedes quadrat. Si pedes viliores sunt corporis partes, & nobilior caput: cur ex eodem metallo pedes fabricẽtur & caput? Quod humi serpit, & terram tangit, æqualis pretij cũ superiore parte existit? Maximè: quia cõpleta hic perfectionis figuratur vita, in qua maxima felicitas est, & quę Deo plurimum arridet, finẽ respõdere principio, pedes capiti: ere nim nisi ita contingat, si bene incœperis, & vsque ad finem eodem tenore non perseueraueris, minime concinnas habebis partes, neque illarum aliqua erit in pretio, nam capitis aurũ, nisi aurei sint pedes, in vilissimum metallum degenerat, & qui fines principijs non aptat, nullam elegantiam prę se fert, sed similitudinem refert infelicis Nabuchodonosoris statuæ, quę (vt dicitur Daniel. 2) caput habebat aureũ, sed per intermedia mẽbra sensim degenerans, tandẽ in pedes luteos desinebat. Quid enim infelicius, & stultius eo, qui prima virtutis tyrocinia aurea collocauit, sed in luteos apices miserabiliter recessit? Qui spiritualia exordia carnalibus operibus concludit? Quales fuerunt Galatę, in quos merito inuehitur D. Paulus c. 3: *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.* Summa enim videbatur insania & infelicitas, à via spirituali, quam feliciter arripuerant, ad carnalem, in qua miserabiliter periere, deflectere: quoniam Deus nihil magis optat, quam seruos sui propositi tenaces, nihil magis in eis, quam firmitatem in Diuino obsequio requirit. Hinc in nuptijs Cana Galilææ (Ioan. 2.) erant lapideæ hydriæ sex põsitæ secundum purificationem Iudæorum. Diu. Bernard. (serm 12. ex paruis) inquirit cur potius lapideę fuerint, quam ligneæ hydrię, in quibus vinum seruabatur? Et congrue respondet. *Lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facilè frangantur, aut dissoluantur, et effundatur liquor gratiæ, qui in eis continetur.* In hydrijs Diuinæ legis obseruantiam intelligit Bernardus, ideoque ex lapidibus erant extructæ, quia flectinescíam fortitudinem in suis affectis exquirit Deus, ne gratię liquor semel infusus perfluat; & lucrum ex bonis operibus reportatum propter finis imbecillitatem inutiliter euacuetur. Hęc enim summa infelicitas est, de qua Dominus in populo suo maximè angebatur Michææ 6. vers. 15. *Tu seminabis, et non*

Cantic. 5. *v.* 15.

Ad Galat. 3. *v.* 3.

D. Bern.

Michææ 6. *v.* 15.

non metes: tu calcabis oliuam, et non vngeris oleo, et mustum, et non bibes vinum. Quia quod Dei amore inceperant, humano metu postea, aut desidia relinquunt: fit enim sæpe, vt incipientiū labor fructu priuetur, vt vsū venit seminanti, & nō metenti, cui fructus diu speratus, & qui iam pene erat in manibus, subito euanescit, aut intercipitur. Hoc (inquā) infelicissimum est, sicuti oleo nō vngi, qui oliuā calcat: oleum quippe gaudiū specialium donorum significat vt Psal. 44.

Psalm 44 v. 8. *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Oliuam calcant, qui se illis operibus exercent, quæ hęc dona consequuntur, vt pœnitentia, oratione, cæterisque pijs virtutum exercitijs: sed quia cum iā proximus erat fructus, deficiunt, & vehemēti aliqua tentatione ad intermissas voluptates rapiuntur, non illa speciali pinguedine fruuntur, quia non ad finem debitū peruenere. Non de his, sed de perseuerantibus vsque ad finem loquitur nō ster Vates, dum ipsos sagittis cursum sine aliqua intermisione aut obliquitate agentibus comparat, quo scopum rectè attingunt, & prætensum ictum exequuntur. *In luce sagittarū tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastiæ tuæ.* Hic v. 11.

VERS. 13. *EGRESSVS ES IN SALVTEM populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*

ANNOTATIO C. XVIII.

EXPOSITIO LITTERÆ

510 SENSVS litteralis & historicus peruius est: alludit enim Propheta ad illud Isaiæ cap. 45. Vbi Deus apprehensurum Cyri manum, quem Christum vocat, pollicetur, vt profligato Chaldæorum imperio Iudæorum populum in libertatem ducat. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes*

Isaiæ 45. v. 1.

&c. Sēsus ergo est: Egredieris, ò Deus, in salutem populi tui cum Christo tuo, id es, Cyro, quem ducturus est, & cum quo amica fœdera facies, vt medio ipso debellentur inimici populi tui, & caput de domo impij percutiatur. *Percussisti caput de domo impij.* Per iniquitatis domum Babylonia hic accipitur, quam Dominus per Cyrum euertit, & ab ea caput (nempe Balthasarem) præcidit, subactoque regno Chaldęorum, ipsum transtulit ad Persas: sic exponunt Lyra, Hug. Card. Mariana, Ianſen. Castrus, & Sanchez Alij cum Gueuara & Palatio Moysem & Aaronem in Christo intelligunt, cum quibus Deus fuit egressus. Sed prima sententia magis placet.

Denudasti fundamentum eius vsque ad collum. Variè ab Interpretibus hęc metaphora accipitur, verosimilior videtur, quæ ab ædificijs fūditus euersis sumitur: nam vbi fundamentales eruuntur lapides, & euacuantur fossæ, in quibus prima iactantur fundamenta, necesse est, vt tota machina ædificij corruat amotis fundamentalibus lapidibus, quibus insedebat. Haud aliter de euersione Samariæ dicitur Michææ cap. 1. *Ponam Samariam sicut aceruum lapidum &c. Et revelabo fundamentum eius.* Non abnuā similitudinem assumptā ab ijs, qui in aquis demergūtur, quibus proximum imminet periculū, cū aquę vsq; ad collū deueniunt, & tantū extra ipsas extat caput, quique in proximo sunt, vt ipsis respirandi facultas deficiat. Hac ipsa metaphora vsus est Isaias cap. 8. vers. 7. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, et multas, regem Assyriorum &c. Et ibit per Iudam inundans, et transiens vsque ad collum veniet.* Quod repetit capit. 30. vers. 28. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli.* Quod quidem ad angustias temporis, de quo loquitur Vates, non inuenuste potest referri: nam cum rerum desperatio sic instat, vt nulla affulgeat spes euadendi mortem, tunc qui ipsam impendentem formidat, ad restim dicitur adductus: quia cum extremū

511

Michææ 1 v. 6.

Isaiæ 8. v. 7.

Cap. 30. v. 28.

vrget

vrget periculum, fauces quasi stringit, & respirationem præcludit: quod in prouerbium apud Latinos abiuit. Sic Terentius in Phormione.

Terentius *Opera tua ad restim, mihi res redijt plenissime.*

Et Iuuenalis Satyr 6.

Iuuenalis *Ferre potes dominam salutis tot restibus vllam?*

Idem autem est rem esse reductam ad collum & ad restim, atque ad ineuitabilem mortem & excidium: quod non inidoneè Chaldæorum principi in illo rerum discrimine congruit. Verum in prima metaphora persistendo, nudare fundamentum Balthasaris & regni Chaldęorum nihil aliud est, quam illud euertere, & penitus vastare. Vt enim arborum radices, quibus terræ adhęrent, ad capitis in animātibus vicem accedunt, & quę his radicibus continua est trunci pars, collum refert: vtraque autem hęc si præcidantur, & circumducta terra nudentur, arborem perire necesse est: ita si quis maximarum ædium fundamēta à primis firmitudinis initijs ad collum vsque, hoc est ad eam partem, quæ ad pauimentum vsque pertinet, diruat, totius ædificij ruinam sequi promptum est.

512 In sensu autem allegorico explicatio difficilis non est, præcipuè si Dei cum Christo suo egressionem ad illam, quam fecit, vt populum à seruitute AEgypti vaca liberaret, referatur: nam Iesu comite illam Deus operatus est, vt habetur epist. Iudę ver. 5.

Epist. Iudæ v. 5. *Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra AEgypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.* Periphrasis ergo erit: Tu Domine egressus es de AEgypto ductans populum tuum, egressus (inquam) es cum Christo tuo ad salutem populi tui, atque tunc percussisti caput, id est, Pharaonem de domo impia, iacuit enim suffocatus in mari: tunc denudasti Pharaonem, & exercitum eius à fundamento & basi vsque ad collum: id est, totum funditus exercitum AEgyptiorum deleuisti, ab infimis, qui sunt velut ima fundamenta, ad principes, qui sunt vt collum regis, qui est caput proximū, simul cum ipso capite, id est, rege. Lyra, Hieronym. & alij per hunc impium, quem Dominus percussit, Antichristum intelligunt, quem, postquā trium mensium & dimidij spatio crudelissime vexauerit Ecclesiam, Dōs percutiet, illiusque fundamentum vsq; ad collum nudabit: quia prorsus eius nomen extinguet. Alij diabolum accipiunt, quem Dominus contriuit, ipsumque infirmis vinculis alligatum infantibus tradidit, vt ludibundi & sine metu in pestilentissimi huius draconis foramen manum intromittant.

ANNOT. C. XIX. MORALIS.

PVGNARE CVM DEO VINCERE, sine Deo vinci est.

EGressus est Deus cū Christo suo, 513
id est, cū Cyro, cū quo sociale fœdus inierat, tū vt salvaret captiuos & oppressos Iudæos, tū vt flagitiosissimos Chaldęos puniret: consequens enim erat, vt adeo prodigiosā libertatē & victoriā reportaret, qui se cū Deū ad bellū adducebat, nā ipsius auxilio fretus nullū nō poterat profligare inimicum. Sed quoniā Cyrus (vt aduertit Lyra) nō dicitur Christus nisi in figura; vnde etiā literaliter Christus significatur, vt placet Hieronym. *Hieronym.*

Egressus es, vt saluares populū tuum per Iesū Christū tuū. Perspicuè deducitur, eos in bello esse victuros, qui Christiana professione lętātur, secūq; auxiliares Christi vires deferūt; & eos fore vincendos, qui relicta hac salutifera protectione sceleribus adhęrēt. Non enī hostes infideles nostras vrbes expugnāt, & de nostris armis victoriā reportāt; quandoq; id cōtingit, nos illis arma porrigimus flagitijs nostris, quę in nos intorquēt, quia Deo derelicto inermes ad bella pergimus. Furore maximo exardebat Holofernes, eo quod alijs subactis nationibus, quę illi parebāt, filij dū taxat Israel ad resistēdū se pręparabant, cuius fiduciæ causam perquirens Achior Ammonitarum princeps illā exponit. Iudith c. 5 v. 16.

Vbicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnat pro eis, et vicit, et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quãdo recessit à cultu Domini Dei sui. Sed planè desipit Achior: nam Israelitæ semper cum armis ad bella processerunt, ipsisque dimicantibus, victorias reportarunt. Quo ergo pacto sine armis pugnauisse affirmat? Ausculta Lyram. *Quia licet pugnauerint cum armis; tamen non habuerunt victoriam per arma, sed virtute diuina.* Prosequitur Achior, & consulens Holoferni addit: *Nunc ergo mi Domine perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet eos Dominus eorum tibi, et subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ; si vero non est offensio populi huius corã Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, et erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* Dei auxilio freti insuperabiles porsus sunt, & nullatenus poterunt expugnari; at ipso absente facilè illos superabis.

Lyra. Vers. 24.

514 Gedeoni de fuga cogitanti, & de victoria desperato apparuit Angelus, vt certum redderet de inimicorum expugnatione, sic ipsum alloquitur. Iudic. 6. *Dominus tecum, virorum fortissime: Vade in hac fortitudine tua, liberabis Israel de manu Madian.* Intempestiuè Angelus fortissimum vocat Gedeonem, cum iam iam se ad fugam pręparasset. Qui manus cum inimico cõserere formidabat, cur fortissimus nuncupatur? Enimuero et si aliàs fortissimus esset Gedeon, hostis excursionem expauescentem nullatenus tali debuit nobilitare vocabulo. At hæc fortitudo (inquit Lyra) non pręterita gesta, neque præsentem metum respiciebat, sed futuram, quam de hoste, Dei interueniente auxilio, reportaturus erat victoriam. *Non propter præterita, nec propter eius conditionem, quia præparabat se ad fugam; sed propter futura, in quibus habiturus erat ex Dei assistentia victoriam.* Idem significant verba illa *in hac fortitudine. Id est* (inquit Lyra) *quam habebis per assistentiam meam.* Quoties Deus dilectum habebat populum, ingens præstabat auxilium, quo profligabat inimicos: & quoties ipsum habebant infensum, ipsius adiutorio destituti in hostiles manus incidebant. Vtrumque in præcitato cap. inuenies, vbi & flagitijs oppressi vincuntur, & pœnitentes victores euaserunt. *Fecerunt autẽ filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manu Madiã septem annis, et oppressi sunt valde ab eis.* Et statim. *Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian, et clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.* Vbi Procopius adductus à Glosa. *Non dicitur inualuisse super populum Dei, dum præcepta custodiuit: cum ergo negligere cœpit, mox inualuit hostis.* Annuit Lyra. *Quando filij Israel peccabant, affligebantur; et quãdo pœnitebãt, liberabãtur.* Aduersa enĩ vel secunda fortuna nõ exercituũ robore aut infirmitate obtinetur, sed iustitia, qua placatus Deus opem & auxilium pręstat, aut iniustitia, propterquam nos deserit imparatos. Sic Numer. 31. vbi Moyses duodecim millia hominum selegit ad pugnandum cũ Madianitis, adeo viriliter dimicarunt, vt quinque principes cum omnibus eorum militibus occiderent. *Cumque pugnasset contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt.* At sexcenta millia hominum demptis pueris [vt constat ex cap. 12. Exod.] victi, & fugati sunt à Madianitis. Mira rerũ commutatio. Cur sexcenta millia hodie eiusdem populi profligati sunt, & heri duodecim tantum millia victores euaserunt? Non arma, non naturale robur tanti discriminis causa extitit, nam vtrobique eadem gens, eadẽque arma pugnarunt. Ausculta Orig. hom. 25. super Numer. *Vt scias, quia non in multitudine, nec in numero militum vicit: sed iustitia et pietas Israel est in eis, qui vincunt.* Sine Deo comite, quia ab ipso recesserant per peccatum, sexcenta milia profligantur; at duodecim millia confessione cęremoniali reconciliati victores exultant. Accinit Glos. ibi. *Aduerte Diuinæ virtutis*

Iudic. 6. v. 14. Lyra. In eodem cap. v. 1. Procopius Num. 31. v. 7. Origenes. Glosa.

tutis magnificentiam: filij Israel dum sexcenta millia fuerant armatorum, omnes victi sunt, quia erat in eis peccatum; nunc vero duodecim millia victores vincunt, quia non in multitudine vincit Israel, sed iustitia et pietas est in eis qui vincunt.

515 Antequam ad regnum eueheretur Saul, strenuum & animosum se militem ostenderat, primusque periculo exponebatur, ita vt à Philisthęis populo superato, tempore Heli, ex conflitu scissa veste apparuerit. 1. Reg 4. *Currens vir de tribu Beniamim ex acie venit in Silo die illa scissa veste.* Hic autem (ex traditione Hebręorum, quam refert Lyra) fuit a Sul, qui cum arcam captam vidisset, & Goliat ex ea legis tabulas abstulisse, zelo Dei motus illum fuit adorsus, & tabulas legis è manibus eripiens fugit vsque ad Silo. Hic ergo, qui adeo fortis & intrepidus pro Dei honore pugnauit, post ea quadraginta diebus blasphema & contumeliosa verba à Goliat audiuit, quin auderet cum ipso pugnam conserere. Quę tanti discriminis causa extitit, vt ex fortissimo milite Rex adeo timidus euaserit? Dubio absq; cōscientiæ statu: quia quando miles, innocens erat, sicut puer vnius anni, vt intelligit D. Hieronym. in quęst. Hebraicis illud. 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cū regnare cœpisset.* Sic enim ait Hieronym. *Erat innocens, quando regnare cœpit sicut filius vnius anni.* At postea ad immania flagitia fuerat prolapsus: exindeque seruata innocentia fortis & animosus apparuit; illa vero amissa timidus & pauidus extitit: quia nihil nisi innocentia & Dei amicitia præstat ad bellum. Sic vbi Iudæi ad Christum Dominum accesserunt, vt ipsum apprehenderent Matth. 26. *Ecce vnus ex ijs, qui erant cum Iesu extendens manum exemit gladium suum, et percutiens seruum principis sacerdotis amputauit auriculam eius.* Et statim: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Cur Petrus, qui paulo ante adeo impauidus, & animosus extitit, vt integram cohortem non formidaret, quin potius prouocaret temere, vt Magistrum defenderet; nūc timidus, & toto animo deiectus aufugit, & in discrimine positū Dominū relinquit? Tā cito deficit, qui strenuo ardore pericula despiciebat? Belle Simō de Casia cap. 57. *Quia reliquerūt, fugerunt: quia fugerunt, reliquerunt: hæc enim se inuicem causant, quia relinquens Deū relinquit securitatem: ideo agitur in timorē, ideo fugit.* Qui à Deo separatur, toto animo deficit, & ad quodcumq; periculum imparem se viribus agnoscit. Quando Petrus erat cum Iesu, animosa fortitudine hostes non horrebat. *Vnus ex ijs qui erant cum Iesu.* Quando vero eum dereliquit, *relicto eo*, pauidus & timidus aufugit; nam Deus est, qui animum infundit, & qui victorias parat. Ideo Iosue aduersus vrbem Hai pugnanti præcepit Deus, Iosue 8. *Leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam: cumque eleuasset clypeum ex aduerso ciuitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: Iosue vero nō contraxit manū, quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Mirum est, quod vbi perstrepit armorum fragor, & instat certamen, fortissimum ducē Deus à pugna cohibeat, & veluti ad protensum clypeum alligatum insistere vno loco otiosum velit. Cur non ipsum pugnare sinit, vt & militibus infundat animum, & partē sibi victoriæ arroget? Crediderim, vt ostenderet Deus magna ducē in bello non propria virtute parrare, sed Dei suffragante auxilio. Feriatus Iosue à pugna manum versus vrbem Hai protendens, veluti digito præsentem Deū ostendebat, cuius protectione res bellica feliciter conficiebatur: non enim armorum strepitu, & fortitudine vincitur hostis, sed Dei assistentia, & auxilio.

Simon de Casia

Iosue. 8. v. 1.

516 4. Reg. 6. legitur surrexisse mane ministrum Elisei, & egressum vidisse exercitum ambientem ciuitatis muros, & eques, & currus: at postquam ad preces Prophetę aperti sunt oculi eius. *Aspexit* (inquit textus) *et ecce*

4. Reg. 6. v. 17.

mons plenus equis, et quadrigæ igneæ in circuitu Elisei. Diligenter attende (ait Diu. Hieron. ad cap. 3. Habacuc) quod equi videantur & currus, & tamen in tantis millibus equorum & curruum nullus ascensor. Si phalerati videntur equi, quomodo nemo ipsis insidet? Quis equitat in tot ad bella paratis equis? Audi Hieronym. *Horũ equorum ille erat auriga, et ille rector,* D. Hiero. *de quo Psalmista canit Psalm. 79 Qui sedes super Cherubim ostendere.* Deus namque est, qui equitat, qui manus docet ad prælium, qui pro suis pugnat, & victoriam reportat. Idcirco viginti quatuor seniores, quos Ioannes in sua Apocalyp (cap. 4.) adorantes in sæcula sęculorum viuentem vidit, mittebant coronas suas ante thronũ Apocalyp. 4 v. 11. dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem.* Quod recte cõmentatur Card. Hugo. Card. Hug. *Mittebant coronas suas, victorias scilicet, quas de diabolo et peccato per ipsum obtinuerant, ipsi attribuendo, et quidquid boni habent, ad ipsum retorquendo: utrumque enim significatum per coronas, scilicet victoria, quia corona non datur nisi victoriæ. Interpretatur autem id quod dicebant, dignus es Domine, Tu es qui dignos nos facis.* Vbicumque secundi euentus ad Deũ referũtur, pro ipsisque debitæ repẽdũtur grates, ipsum vt deinceps nostra arma & victorias foueat, deuincimus: illo comite securi ad bella pergimus.

ANNOTAT. C.XX. MORALIS.

PLVS DEVS NOSTRAE SALVTIS solicitus est, quam nos.

517 PRO populo otio & dissidia torpente egreditur Deus cum Christo suo, vt in salutis portum ipsum deducat. *Egressus es in salutem populi, in salutem cum Christo tuo.* Hic v. 13. Quia flagranti desiderio, quam nos despicimus, salutem Deus nobis requirit: quandoquidem renuente populo ad ipsum ingredi, egreditur Deus, vt ipsum deducat: quod optime hic ponderauit D. Hieronym. *Quia hi, qui indigebant salute, ad eum intrare noluerunt, ipse egressus est de maiestate sua, et de loco suo, vt eos, qui foris erant, duceret in terram mansuetorum, regionemque viuentium.* Mira enim charitas est de illo discrimine vehementer dolere, de quo ipsi expositus nihil dolet. Hucusque Dei amor progreditur, vt de salute nostra, quam parui pendimus, diligenter sit solicitus, & animam pro nobis ponere non dubitet. Hãc Dei erga nostram salutem curam mire ponderauit D. Paulus ad Roman. 8. v. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Enimuero tam efficaci nostræ salutis desiderio Deus Pater Filium suum pro nobis tradidit, vt quantum est ex se, etiam vt Deus est, mortem obire decreuerit, & nisi obstaret Diuinitas, morti eum tradere non dubitaret. Quod pulchrè & ponderosè dixit D. Amb. lib. 1. de Iacob & vita beata c. 6. pręcit. verb. Pauli expẽdẽs. *Pulchro verbo* (inquit) *vsa est scriptura, vt Dei Patris erga te pium propositum declararet: qui morti pro te totum obtulit, quod in plenitudine Diuinitatis nihil ipse amisit, et te redemit. Considera affectum patrium, quod pietatis etĩ, quasi morituri Filij susceperit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, vt prope modum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille pro te dispensas susceperit, vt te diuinis inseereret, cœlestibus consecraret. Mire etiã addidit, Pro nobis omnibus tradidit illum, vt extenderet, quod ita omnes obligat, vt dilectissimum Filium pro singulis traderet.* Verba sanè ponderatione, & energia plena: nam piè audet Ambr. dum Patrem ex se Filium morti offerentem, vt nostræ prouideret saluti, introducit. Nec Diuinitati quidem quantum in ipso est, pepercit; quin potius affectiue sic Filium morti tradidit, vt quodammodo orbitatis hausisset dolorem, mortui Filij susceperit periculum. Quo nihil exaggeratius dici, excogitariue potuit.

D. Hiero. — Ad Rom. 8. v. 32. — D. Ambr.

Vt

518 Vt autem Filius non impar in dilectione erga homines Patri videretur, etiam quātum in se fuit, morti etiam vt Deus se obtulit, & quodammodo de fraudatis desiderijs discessit, quia mortem in ipsa *Diuinitate* subire nō poterat. Mœrore confectus, qui ex humana infirmitate procedebat, orauit ad Patrem, vt passionis calicem à se auerteret, mortisque euaderet cruciamenta. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. at vero eodē calice iam in cruce ebibito, æstuanti siti iterum ipsum bibere exābit. *Sitio.* Ioan. 17. Quid est hoc (inquit Bernar. de pass. *Dn.* cap. 13.) antequam calicē degustes, ò bone Iesu, ipsum auertere satagis, atque obnixe oras, vt trāseat; & postquam bibisti, ipsum rursus bibere concupiscis? Vt video, mirabilis hæc cupiditas est: nam mortis hausta tota ardentioris charitatis sitis extinguitur. Quid vltra bibere cupis, quandoquidem vltra progredi nequis? At in hoc magnum latet sacramentum, quia nondum magnitudinē suę charitatis impleuerat: etenim quantum in ipso erat, non tantum humanitatis, sed & *Diuinitatis* mortem affectabat, & nisi illius immortalitas repugnaret, per ipsum non staret. *Quando autem* (inquit Bernard.) *passionis calicem, quem anteà rogaueras auferri, iam exhausisti: Sitio dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendasti.* Perpessa morte adhuc dilectionis instat sitis, quia eius amor non solum humanam vitam ponere cupiebat, sed & *Diuinam* etiam, si mortis esset capax. Commendat suam erga nos dilectionem superstiti morte, subacta siti, quia mortis *Diuinitas* manebat expers: vita fūctus, adhuc charitas instat, quia Patris voluntas de morte in ipsa *Diuinitate* subeunda (si ipsa pateretur) nondum erat adimpleta. In tantum de hominis salute, & redemptione exultat Christus Dominus, vt nihil reputet, quod pro ipsis pertulit, sed videatur eos sibi potius haberet in munere, quam emptos pretio, vel recompensatione, quos honore, vita, quiete, anima & corpore emit: vnde nos merito venūdatos nuncupat Apostolus. 1. Corinth. 6. v. 20. *Empti enim estis pretio magno.* At ipse Dominus gratis à Patre datos homines vocat Ioan. 17. v. 6. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Quomodo grātis & liberaliter datos reputat, quos ingēti sui sanguinis pretio emit? suis plane meritis derogat, eos non mercedis, sed liberalitatis titulo accipiens, quos infinito redemit pretio. Optime Hugo de S. Vict. in Cant. c. antinomiam componit. *Charitas circa eorum salutem tanta fuit, quod cum eos pretio suæ mortis redemisset, non tam redemptos à se, quam à Patre sibi datos commemorat quodam loco dicens: Pater quos dedisti mihi.* Ac si sponte esset oblati, eos existimat, quia tali auiditate eorum salutis flagrabat desiderio, vt non tam pretio redemptos, quā ex gratia exhibitos reputet: ideoque quasi eorum salus sua esset, de illa maxime gloriatur. Inuenta oue, quæ per inuiam & senticosam terram errans perierat, aiebat pastor ille, qui illam quærere aduenerat Lucæ. 15. *Congratulamini mihi, quia inueni ouē meam, quæ perierat.* Si vtilitas ouis est, cur non ipsi gratulandum, sed pastori, qui potius laborem in reducenda oue, quam vtilitatem aliquam adinuenit? recte *D.* Greg. hom. 34. in Euangel. *Notandum, quod non dicit congratulamini inuentæ ouī, sed mihi: quia scilicet eius est gaudium vitā nostra, et cum nos ad cœlum reducimur; solemnitatem lætitiæ ipsius implemus.* Quasi non hominibus, sed ipsi esset exhibitum redemptionis beneficium, sibi arrogat exultationem & lætitiam inde prouenientem, quia plus ipse, quā nos de nostra gloriatur salute.

1. Corinth. 6. v. 20. Ioan. 17. v. 6. Hug. de S. Victore Lucæ. 15. v. 6. D. Berna. D. Greg.

519 Pergebat Christus Dominus ad cō summandum per passionem redēptionis opus, iamque discipulis prædixerat, quanta malā in Ierusalem à Scribis & senioribus passurus erat, & alacriter præcurrebat ipsis; sequebantur illi timore correpti. *Et præcedebat illos Iesus, et stupebant.* Marc. 10. v. 32. De quo stupēt discipuli, cum nō ipsis

Marc. 10 v. 32.

ipsis immineret periculum? Nō enim ipsos, sed se morti obnoxium prædixerat. Venuste Gaiet. *Non mittebat discipulos ante se, quasi timens, sed antecedebat, monstrans per hoc se sponte ad passionem et mortem progredi: propter quod ipsi discipuli stupebant videndo tam prompte ire ad locum passionis et mortis.* De mira alacritate, qua ad mortem pergit, stupent: nam sufficiens amoris argumentum est, mortem illatā alacriter perferre: de quo omnes Martyres gloriantur, nam illi non vitam posuere, sed ablatam libere obtulerunt; at Christus Dominus vitam posuit, quia libenter ad mortem iuit, ipsosque, pro quibus illam offerebat, prævcucurrit, & ipsos timentes antecessit. *Vt ostendat* (inquit Theophilatus) *quod ad passionē prævcurrit, et quod non refugit mortem pro nostra salute.* Discipuli etiam scientes se non esse passuros, pro salute sua tardiores ibant; Christus vero viam carpēs prævcucurrit, vtpote qui magis nostræ salutis solicitus est, quam nosmetipsi.

Caietan.

Theophil.

ANNOTAT. C. XXI. MORALIS.

GLORIATVR DEVS DE ANIMÆ deperditæ conuersione.

520 EGREditur Deus in salutem populi sui, & vt prædam ab inimico eripiat: caput percutit impietatis, & subacto ipsius imperio in libertatem gentem suam redigit, nā hoc maxime stemmate gloriatur, vt D. Hieronym. in expositione nostri Vatis expendit. *Percussisti caput de domo impij. Caput* (vt dixi) *principē huius mundi accipiamus, et domum ipsius mūdum, omnemque animam peccatoris, in qua diabolus habebat hospitium. Idcirco autem percutitur caput in domo impij; vt illo percusso, atque ejecto fiat domus Dei, et habitet ibi iustitia, et ambulet in ea: et hoc dignum est sentire de Deo, qui egressus est in salutem populi sui cum Christo suo, vt percusso huiuscemodi capite, ille fiat in nobis caput, qui est omnis viri caput, et Ecclesiæ suæ.*

D. Hiero.

De hoc (inquam) inter eius facinora maxime gloriatur, hoc eius trophcū est, animas inpeccatis inueteratas è faucibus dæmonis eruere, & super ablatam prædam exultare. Sic vbi iā morti proximus latronem exaudiuit obnixè deprecantem. *Domine memēto mei, dum veneris in regnum tuū* Lucæ 23. v. 42 statim ipsi beatitudinem pollicetur. *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur tam præceps glorię repromissio ei qui nuper cum commilitone nequā adijciebat cōuitia? Sic liquet ex Matth. cap. 27. & annotauit D. Amb. comment in Lucam. *Sed et illud soluendum, quod alij [scilicet Matthæus et Marcus] duos conuiciantes inducunt latrones; iste vnum conuiciantem, vnum repugnantem: fortasse et iste prius conuiciatus est; sed repente conuersus est.* Quid subito adegit in fidem flagitiosissimum hominem? Vt quid prodigiosam conuersionem operatus est Christus, & tam cito ei beatitudinem spopondit, qui paulo antea ipsum cōuitijs impetebat? *Hodie* (inquit) *mecū eris in paradiso.* Cur non procrastinat donum, non moratur regnum; sed absq; vlla cunctatione instantaneę fidei fiduciā remunerat? Belle Theofilact. id ponderauit. *Et quemadmodū quisque rex victoriosus rediēs ex triumpho optima prædarum fert secum: sic et Dominus prædatus portionem diabolicarum prædarum, scilicet latronem, ducit secum in paradisum.* Inter exubias, quas Dominus reportauit, & à faucibus dæmonis eruit, optima prædarum fuit latro, quam secum victoriosus detulit, vt hac mirabili conuersione triumphum adimpleret, & nobiliori victoria in cælum scanderet: quia nihil tam ipsi blanditur, quam spolia, quæ radicitus in possessione hostis erant, eripere, & insignes peccatores emollire.

D. Ambr.

Idem

Theoph'l.

521 Arcane satis hoc ipsū de Deo prædicabat Dauid Psalm. 147. *Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit: mittit christallum suam sicut bucellas.* Cassiod. Hug. Card. & D. August. de mirabili inueterati peccatoris conuersione, in qua Dei potē-

Psal. 147. v. 17.

Cassiodor. Hugo. Card. D. August.

tia

tia maxime elucet, illiusque bonitas gloriatur, hęc verba accipiunt. *Quid est* (inquit Augustin.) *ex niue vestem tam neam efficere? Quam de istis adhuc incredulis, et frigidis spei vestem charitatis et pœnitentiæ alijs efficere.* Et Hug. Card. *Est sensus, quod Deus facit per verbum suum de prædestinatis peccatoribus sibi vestem ad ornandam Ecclesiam, et calefaciendum frigidos flamma verborum suorum.* Quid enim mirabilius, quam ex ipsamet niue, ex qua frigus vehementius oritur, & quæ si corpus attingat, statim rigescet, vestē efficere ad arcendum frigus, quæ instat lanę corpus foueat, & calefaciat? *Mittit christallum suam sicut bucellas.* Quid etiam monstruosius, quam ex durissima christallo, quę vix ferro secari potest, panem suauissimum alijs

Idem. conficere? *Quid est christallus* (ait Augustin.) *nisi nix multorum annorum tempore obdurata?* Quid item peccator longo annorum numero pecatis adhęrens, & obdurescens, quam quædā christallus? Ex hac igitur christallo panem Deus mirabiliter efficit, ex quo aliorum vita sustentetur: nam flante eius spiritu, quæ obrigueranț, aquę fluunt. *Mittit Christallum suam sicut bucellas. Fuerunt aliqui* [pergit Augustinus] *nimis duri, non iam niui, sed christallo comparādi: et sic ipsi prædestinati sunt, et vocati: et quidam eorum ita vt pascerent alios, et essent vtiles alijs. Christallus erat Paulus, obstinatus, spirans minarum, et cædis; qui deinde factus est panis, niue, nebula, et christallo salutis à Deo. Emittet verbū suū, et liquefaciet ea.* Etsi nullus possit per se subsistere ante faciem frigoris eius, non tamen desperandū est: quia emittet Dominus Verbum suum carne assumpta, & duriorem liquefaciet christallum. Christallus quidem erat Paulus, christallus latro, christallus Magdalena, de quorum conuersione plurimum Christus fuit gloriatus. At non vult, vt ex illis sumpta occasione perseueremus in peccatis, quia in ipsis se habuit vt egregius pictor, qui ad portam imaginem statuit, in qua artis potentia elucet, non vt ipsam vendat, aut alijs porrigat, quamuis id in sua sit potestate: sed vt artis, & manus ostentationem faciat, & sic peritus in ipsa agnoscatur, atque gloria ex suis operibus resultante potiatur, in ipsisque complaceat. Vbi autē opinionem est aucupatus, ab studio & opere cessare solet, & raro, aut pro magno pretio labori incumbit.

Vbi Christus Dominus primo mirabiliter operans apparuit, quoscūque ægrotos ipsi oblatos ad salutem restituit. Sic habes Matth. 4. v. 24. *Obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus et tormentis comprehēsos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et curabat eos.* Mysterio nōvacat, quod cum primo Christus Dominus in terram venit, omnes ægrotos indiscriminatim sanauerit, omnibusque beneficia contulerit nullo pręmio, merito, prærequisitaue dispositione: deinde aliquid requirebat ab hominibus, vt ipsis salutem pręstaret, videlicet, fidem, & desiderium consequēdorum bonorum. Sic Matth. 9. v. 29. *Fiat tibi secundum fidem tuam.* Et sœpe aliàs. Cur qui tam liberaliter primò conferebat beneficia, quin ex parte recipientis aliquid exigeret; postea decursu temporis non nisi expectata, & cum magna fiducia petita illa conferebat? Non parum suę liberalitati derogare videtur expectans indigentis desiderium & fidem: nam generosa beneuolentia præces anteuertit necessitati occurrens. Pulchra similitudine Imperfectus [hom. 8. in Matth.] huius discriminis tradit rationem. *Sicut nouitius Medicus* [inquit] *intrās in ciuitatem, et volens ostentationem dare artificij sui, omnes venientes ad se curat, et non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione sua commendanda: cum autem manifesta fuerit fama eius bona, tunc secundum laborem suum incipit exigere mercedem: Sic et Dominus incipiēs prædicare, non secundum iudicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabat; postquam vero illum omnis Iudæa cognouit, beneficia sanitatum digno pretio fidei venundabat dicens vnicuique: Fiat*

522

Matth. 4. v. 24.

Matth. 9. v. 29.

Imperf.

tibi

tibi secundum fidem tuam. Ne gloriam ex conuersione gentium ipsi resultãtem amitteret, nullo vel fidei pretio miracula patrabat, quo tãdem homines alliceret, & ad sequelam inuitaret, quandoquidem gloria summa, & illustris fama in ipsum redundabat, nobilius ab inimico trumphum reportare satagebat. Quapropter annotauit Chrisostom. quod de vocatione dumtaxat Matthæi, Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis apud Euangelistas fit mentio; non vero de aliorum Apostolorum vocatione. Cur ita? Nõne omnes saltem interiori illustratione fuerunt vocati? Cur igitur de his tantum id exprimitur? Audi D. Chrysostom. *Quid est autem quod de alijs Apostolis nobis non dicitur, qualiter et quando sunt vocati, nisi de Petro, Andrea, Iacobo, Ioanne, et Matthæo? Hi enim maxime erant in conuenientibus et humilibus studijs: nec enim telonij officio est aliquod deterius, neque piscatione vilius* Vt excitantis gratiæ Christi magis energia eluceſceret, à deterioribus officijs vocat Apostolos, & de uocatione horum, qui ex infima plebe, & vilioribus studijs assumuntur, maxime gloriatur: quia ibi eius potentia magis ostẽditur, vbi naturæ conditio, & occupationis abiectio magis obsistebant.

D. Chrys.

ANNOTAT. C XXII. MORALIS.

ABERRAT, QVI PER VIRTVTIS viam absque Ductore incedit.

523 PLANE desipit quisquis in re virtutis absque magistro sapere præsumit. Vitiũ vel absque præceptore docẽte facile percipitur: virtus, quæ non naturę, sed gratiæ opus est, difficulter addiscitur, nisi prę̃ambula erudientis lux antecedat. Vnde eleganter Seneca lib. 5. naturalium quæst. cap. vltimo. *Virtus difficilis inuentu est, rectorem ducemque desiderat: etiam sine magistro vitia discuntur.* virtutis verus amator absque ductore non arripit viam: quia procliuis vadit ad lapsum, qui per ignotas vias absque duce incedit: per arduas semitas iturus eius indiget ductamine, qui iam illas calcauit Mulier illa, cui Eliseus multiplicauit censũ, vt creditoribus ipsam agitantibus satisfaceret, cum iam iam vasa quæ mutuo petierat, oleo redundarent, adijt Prophetam, vt quid agere teneatur ipsã doceat: sic enim habes. 4 Reg. 4. *Venit autem illa, et indicauit viro Dei: qui ait: Vade, vende oleum, et redde creditori tuo, et tu, et filij tui viues de reliquo.* Ad quid mulier Prophetam auscultat, postquam repleta sunt vasa? *Ad regratiandum sibi* (inquit Lyra) *ne ingrata videretur, et ad quærendum consilium, quid faceret de oleo: quia nolebat agere, nisi secundum dispositionem Elisei.* Quod Prophetam petat, vt pro beneficio exhibito agat gratias, non abnuo, hoc est enim rationi consonum; ast ad petendum consiliũ, vt de oleo disponat, superuacaneum videtur, cum ipsa optime sciret quid creditoribus deberet, & consilium non nisi de arduis disquirendum sit, Vt quid igitur frustra demoratur in debitorum solutione, & non nisi prævio vatis consilio de oleo disponere audet? Recte Caiet. ibi. *Non audet mulier inconsulto viro Dei vti oleo diuinitus multiplicato, vt vndique huius mulieris sanctitas monstretur.* Gratiam & supernaturalia dona in oleo agnoscit Glosa Moral. Ergo in eo pię mulieris elucet sanctitas, & probatur virtus, quod inconsulto Dei viro non audet vti huiusmodi gratia & dono Dei: verebatur enim nisi eruditionis auctoarium consuleret, à recto virtutis tramite aberrare. Eruditionẽ vatis requirit, vt ipsius sequela, & depositio propriæ prę̃sumptionis fastu sincera virtutis videatur amatrix. Egregiè periculum sine duce currentis agnouit Isaias cap. 53. v. 6. *Omnes nos quasi oues errauimus.* At vnde communis error, de quo tantum dolet, & męret Propheta? Iam enim indigitat. *Vnus quisque in viam suã declinauit.* Omnes à via aberrauerunt, nullusque debitam metam attigit, quia vnusquisque in viam suam declinauit, nullusque

4. Reg. 4. v. 7.

Lyra

Caietan.

Isaiæ. 53. v. 6.

Seneca

D. Hiero.

524

Actor. 9. v. 7.

Abb. Moyses

que alio præeunte inceſsit, ſed adhęſit proprio iudicio. Optime peccatores, qui à lege & voluntate Dei receſſerunt, errantium ouium, quæ nec paſtoris vocem audiunt, nec veſtigia ſequuntur, ſimilitudine notantur: quia diſperſus grex abſque duce errans per abrupta ſaxa ſe dat præcipitem. Vnde monebat D. Hieronym. epiſt. 4. Ad Ruſtic. nec lato vngue à magiſtro diſcedere. *Quia nulla ars* (inquit) *abſque magiſtro diſcitur, etiam muta animalia, et ferarum greges ductores ſequuntur ſuos.* Et paulo ante. *Nec ipſe te doceas, et abſque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in partem alteram declinandum ſit, et errori pateas.* Nullus ergo virtutis viam tutò aggreditur, niſi præeuntem inſequatur magiſtrum.

D. Hiero.

524 Saulo cœlitus vocato apparuit Dominus, non tamen de rebus agendis in prima conuerſione ipſum plenius informauit, ſed ad Ananiam informandum remiſit. *Surge, et ingredere ciuitatem, et dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. ver. 7. Cur Dominus non per ſemetipſum ad pietatem Paulum inſtruxit, quem per ſemetipſum ab impietate reuocauit? Hoc enim eruditionis officium præcipue ipſi competebat, vt opus incœptum perficeret, & gentiũ Doctor non niſi à ſapientiæ edoceretur fonte, ibique ſalutarem alijs propinandam ebiberet doctrinam. Pulchrè Abbas Moyſes apud Caſsianum collat. 2. cap. 24. difficultati occurrit. *Mittit* (inquit) *hunc ad ſeniorem, eumque illius potius doctrina, quam ſua cenſet inſtitui, ne ſcilicet quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſque ſibimet perſuaderet, ſimili modo quoque debere ſolius Dei magiſterio atque doctrina potius, quam ſeniorum inſtitutione formari.* Vt aditum præcluderet, ne quiſquam præſumeret à Deo immediate in virtute inſtrui, Saulum ad magiſtros remittit, vt innuat nobis in virtutis ſchola magiſtro opus eſſe, qui caliginem abſtergat, & per tutas atq; erroris alienas vias manu ducat: eſſet enĩ pernicioſa præſumptio abſque magiſterio humano Dei ducatum per arduas & difficiles ſemitas tantum requirere: quo ſpectat D. Bernardus in declamat. *Alius ſine duce, et præceptore ſpirituali remedium apprehendere facile cogitans, ambulat in magnis et mirabilibus ſuper ſe, vt vulgo dicitur, ſaliens antequam videat, caſurus antequam debeat.* Magno diſcrimini exponitur, qui ſcientiam virtutis ſibi arrogat, & ab alio ediſcere negligit. Hinc cœleſtis Sponſa ſcire cupiens ab ipſo Deo, vbi paſcat, vbi requieſcat in meridie, vt ſociam ſe ipſius præbeat, ad paſtores, & legis magiſtros remittitur conſulendos. Cantic. 5. verſ. 9. *Abi poſt veſtigia gregum tuorum, et paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Quaſi dicat: Scire cupis, vbi ego inueniar, paſtoritia tabernacula tibi eſſe poterunt diuina oracula, ex quibus quidquid deſideras, ſi non felicius quam ex me, humilius tamen ediſces, & proinde tibi vtilius ea auſcultes, & iuxta ipſorum monita ages.

D. Bern.

Cantic. 1. v. 8.

525 Ex diſcipulis Domini primus, qui Ioannem audierat, Andreas nempe, Simonem fratrem vocauit. *Et duxit eum ad Ieſum: intuitus autẽ eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. v. 42. Statim ac Chriſtus Dominus Simonẽ vidit Andream ſequẽtem, ipſum Petri nomine inſigniuit, quod præſagium fuit ſummę dignitatis, ad quam poſtea erat ſublimandus, & ex tunc iam ipſi primatum Eccleſiæ pollicetur. At cur non Andream, qui in collegio Apoſtolico erat prior, fratriſque Simonis magiſter, ſiquidem illum ad Ieſum adduxerat, delegit ad Eccleſiæ apicem; ſed Petrum denuo vocatum, & quem non tam expertum habebat. Cur Petrus faſtigium tenet, poſpoſito eius magiſtro? Venuſtè Alcuinus ibid. electionis motiuum rimatur. *Adduxit eum ad Ieſum, et dixit: Tu es Simon.*

Ioan. 1. v. 42.

Alcuinus

Simon. Ioanna gratia, Iona columba. Quasi dicat: Tu es obediens filius gratiæ, vel filius columbæ, id est, Spiritus Sancti, quia humilitatem de Spiritu Sancto accepisti, vt vocante Andrea, videre me desiderares. Non enim dedignatus es maior minorem sequi. Confestim vt Christus vidit Petrum Andream sequentem, illum destinauit in Ecclesiæ caput, & futuri pricipatus nomen imposuit, quia magisterium fratris non recusauit; sed ducente Andrea, qui minor erat ætate, vt tenent Beda, Alcuinus, & alij, ipsum fuit insecutus. Sic enim gratum Deo est, & nobis vtile, magistrum præeuntem sequi, vt & huiusmodi sequela ad dignitatis fastigium Petrus sublimetur. *Non enim dedignatus es maior minorem sequi.* Nam nihil Deus magis curat, quam vt intelligamus, quam nobis sit proficuum spiritualibus vti magistris, qui probata dexteritate in virtutis via nos erudiant.

526 Primas sedes duobus filijs filiorum Zebedæi mater ambibat, pro ipsisque assequendis obnixè deprecatur. Matth 20. v. 21. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, et vnus ad sinistram in regno tuo.* Filiorum suggestione mater postulabat. At cur Deus permisit, in tam fœdum ambientium errorem huiusmodi discipulos doctrina & sanguine cognatos collabi? Cur patitur tã execrabile vitium in suos assecias & clientes serpere? Ausculta Imperfectum. *Frequenter Dominus patitur discipulos suos aliquid non rectè aut dicere, aut agere, aut cogitare, vt ex illorum culpa occasionem inueniat docendi, et exponendi regulam pietatis, sciens quia ipse error eorum non nocet præsente Magistro: et omnes non solum in præsenti, sed etiam in futuro doctrina eius ædificat.* Vt vis & efficacia Diuini Magistri clarescceret, permisit, vt in errores quandoque laberentur discipuli, quia ipso præsente, & doctrinam ministrante nullus error officiebat: hoc enim sapientissimè curat Deus, vt intelligamus, quanti debeamus habere spirituales vitæ magistros: hæc enim est Diuini magisterij vis & efficacia, vt ex fœdissimis erroribus vtilitatem nobis acquirat. Deplorandi ergo plures, qui dum spiritualem vitam instituunt, magistrum respuunt. Hi quidem etiam dum sibi de virtute blandiuntur, iacent vitijs implicati; cum è contra vbi adest Diuinum magisterium, etiam dum miserandos lapsus deflemus, vtilitates debeamus sperare quam maximas. Quanti ergo habenda est res illa, qua exulante virtutes labuntur, qua præsente etiam vitiorum lapsus nobis statuunt constantem & felicem fortunam? Vnde Deus in salutem populi sui egressus perhibetur. Hic vers. 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Vt ipsum ductaret, & erudiret, ne absque duce & magistro passim aberraret.

ANNOTAT. C. XXIII. MORALIS.

MALORVM CONTAGIVM VEL Sanctos ladit.

527 IMPIORVM societas ingenuam virtutis indolem facile corrumpit, & in seruiles vitij mores degenerare facit. Malorum conuictus oculos virtutis fascinat, & malitiam affricat, cõtagium exhalat, quod vel sanctissimã vitam inficit. Vbi Deus Moysem ad Pharaonem mittere decreuit, inter alia, quæ ipsi tradidit signa in AEgyptiorum conspectu patranda, manum in sinum mittere præcepit, quę lepra candens egressa apparuit. *Mitte manum tuam in sinum: quam cum tulisset, protulit leprosam.* Exod. 4. Cur vt manus langueat, & inficiatur lepra, ipsam in sinum mittere iubet, & ab illo egressa infirmitatem contraxit? Numquid ægritudinem à pectore hausit, quod ipsum inuisere fuit necesse, vt exinde contagium in ipsam serperet? Sic enim capiendus videtur Theod. quęst. 10. in Exod. *Quid significat quod manus Moysi reddita est*

est leprosa? Familia Iacob in pietate educata est: profecta est in AEgyptum; sed illic impietatem AEgyptiorum didicit, et quasi leprosa facta est. Vix fieri potuit, quod diu maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia. Generosa Moysis familia in pietate educata, apud AEgyptum degens illius ebibit errores, & malo exemplo illustris illius sanctitas imbecillè degenerauit: quia constantior virtus à praua societate imporenter exarmatur, & pietas sensim in impietatem transit. Ideo hoc noxium consortium expertus Moyses ab AEgypto eggressurus dixit ad Pharaonem: *Exod. 10. v. 26.* *Cuncti gregespergent nobiscum, præsertim cum ignoremus, quid immolari debeat.* Exod. 10. Num ignorabat Legislator ex mundis animalibus victimas & holocausta fieri debere, quod se & populum id ignorare affirmat? Quis in obliuionem adegit firmam illam præceptorum notitiam, quæ apud pium populum vigebat? Ausculta eumdem Theodoret. in Catena Græca. *Theodor.* *Quid mirum, si tandiu versati inter AEgyptiorum superstitiones Hebræi suos ritus erant obliti?* Solerter Moyses cuncta pecora secum adducere satagebat, quia diu populus inter AEgypti superstitiones commoratus, sacrorum rituum erat oblitus, & cęremonię ipsi traditæ per dissuetudinem inoluerant, atque in prophanos cultos degenerauerant. Sic malitia pestilens serpit in proximos, vt infectos AEgypti erroribus omnis Dei cultura langueseeret. Sic malum exemplū præualet, vt & mortuos abeo infici timeatur: ideo enim Ioseph ossa ex AEgypto secum tulit Moyses, vt habetur Exod. 13. *Exod. 13. v. 19.* *Tulit autem Moyses ossa Ioseph secum.* Vbi ponderosè Oleast. *Oleaster.* *Non æquo animo ferebant sancti inter impios requiescere, neque cadauera sua permittunt inter impios haberi.* Veritus Moyses ne idololatrarū cōmercio prophanarētur ossa Ioseph, ipsa ab AEgypto eruere curauit: tanto pere impiorum cōsortium vitandum est, vt & mortui ab illorum consortio exulent, ne illis pestem vicinitate allinant.

Isaię 9. vers. 6. de suis sordibus conqueritur Vates. *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum.* Vnde hæ labiorum sordes sanctissimo Prophetæ adhæserunt? Ipse iam indicat. *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Ex malorum contubernio pollutus euasit Propheta, ac si originale esset populi delictum, quod in vicinos omnes serpit, quandoquidem neque pietati viri sanctissimi pepercit. Quod optime hic ponderauit D. Hieronym. *D. Hiero.* *Plangit se Propheta, quia non fuit dignus laudare Dominum Sabaoth cum Seraphim. Non fuit autem ausus laudare Dominum, quia labia habebat immunda: et propterea labia habebat immunda, quia cum peccatoribus simul versabatur.* Familiare cum peccatoribus commercium ipsam sanctitatem commaculat, & patrandorum scelerum fomes est: proindeque nullus huius veneni cōscius ipsum non formidat. Ad eumdem Prophetam mitti tur Seraphim, vt labia, de quorum pollutione querebatur, purificet. At non manu tangit, sed forcipe cauterium affricat, vt notauit idem Hieronym. *Idem.* *Mittitur unus de Seraphim, qui non manu, sed forcipe et carbone tangat os eius, et iniquitatem auferat.* Cautè Angelus inquinatum hominem tangere non audet, quasi à malitiæ contagio vel Angelo timendum fuerit. Sic Matth. 17. vers. 14. narratur, Christum Dominum lunaticum puerum sanasse, quem discipuli curare non potuerant, sic enim eius parens dicebat. *Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.* Cur discipuli ęgrotum curare nō valent? An necessaria illis ad miraculum efficiendum non suppetebat fides? Ita plane D. Hilarius. At vnde huiusmodi defectus oriebatur? *Hilarius.* *Crediderunt* (inquit Hilar.) *Apostoli; sed nondum erant perfectæ fidei, nam Domino in monte demorante, et ipsis cum turbis residētibus, quidam torpor eorum fidem relaxauerat.* Ab imperfectorū hominū consortio discipulo-

rum languebat fides: quia nulla est sanctitas, quam non inficiat pessima peccatorum societas.

529 Adeo impiorum praua conuersatio sanctitatem prophanat, vt & ipsum Dei sanctuarium ab illorum vicinitate reddatur immundum: quare Deus quotannis illud expiari iubebat Leuitic. 16. v. 16. *Expiet sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, et à prauaricationibus eorum, cunctisque peccatis.* Leuit. 16. v. 16. Caietan. Vbi grauiter Caiet noxium prauorũ commercium ponderat. *Tanquam pollutum non solùm ab immunditijs legalibus, sed à grauioribus peccatis reputat Deus sanctuarium suum ex hoc, quod est in medio eorum, tanquam immunditiæ, et peccata filiorum Israel redundauerint in domum Dei: propterea enim semel in anno statuit mundãdam domum suam, ita quod nihil exẽptum à contradictione immunditiæ relinquebatur in veteri lege: sed non solum immundabantur inanimata, et animalia, et homines; sed etiam ipsum Dei templum immunditiam contrahebat, ita vt semel in anno egeret mundatione.* Quin & ipsemet Deus coinquinari se dicit malorum societate. Sic Ezechiel. 22. vers. 26. *Coinquinabar [inquit] in medio eorum.* Ezech. 22 v. 26. Tam potens est colludentium malitia, vt à consortio prauorum Prophetarum, & sacerdotum Deus quodammodo inquinetur, vt exponit Diu. Hieronym. *Inter tales Prophetas, et sacerdotes medius Dominus inquinatur.* D. Hier. Quid mirum, quod homines timeant, Angeli vereantur pestilentes mores prauorum contrahere? Forte huc respicit, quod Christus Dominus de Angelis humilium tutelaribus locutus dixit Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Matth. 18. v. 10. Num Angeli, qui in custodiam peccatorum deputantur, Deum non vident, quod tantum id de patronis iustorum affirmatur? Enimuero dubio absque ipsum intuentur, cum sint beati. Cur igitur non de ipsis dicitur, quod Deum videant? Præclarè Theophil. Theophil. *Apparet autem ex hoc, quod licet omnes Angelos habeamus; peccatorum tamen Angeli, quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam liberè videre faciem Dei.* Id à peccatore quasi accipit Angelus, quod à culpa peccator, verecundiam scilicet, confusionem, ac metum. Hinc ex illorum consortio non tam libere audet videre Deum, etsi semper, vtpote beatus, illi assistat: quia culpæ reatum ex peccatoris societate, quam ex munere habet, sibi quodammodo affricat. Vt vel hinc discamus, quam longe sit impiorum commercium fugiendum, quippe quod Apostolicam, & Angelicam sanctitatem, imo & ipsum Deum aliquomodo inquinat, & inficit. Vnde comitem plebis suæ se se Deus præbet, vt ipsam erudiat, ab illaque omnem noxiam societatem exterminet. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Hic vers. 13.

ANNOTAT. C. XXIV. MORALIS.

NEQVE NIMIO TIMORE, NEque spe nimia ad cœlum itur.

530 GRAVIVS nocere solet, quod inexpectatum accidit: periculosum ergo est aduersum non timere euentum. Verum & timor pariter periculosa res est, nam animum eneruat, & prosternit. Ergo vtrumque necessarium est, & Diuinus timor, & supernaturalis spes: nam ab hac animus erigitur, & ab illo robur excitatur: nam vt sententiosè dixit Seneca. *Animus vereri qui scit, scit tuto aggredi.* Seneca. Timor si nimius non sit, fortitudinem ingerit: si nimia sit spes, imbecillitatem & inertiam, quia nimis audax fiducia infirmitatis est argumentum: vtriusque autem extremi expertem esse oportet, qui ad cœlum tendit, quia vt eleganter dixit Philo libr. de temulent. *Difficilis timiditas, et furens audacia, vtraque bona mentis expers: sicut lyra deficiet vnico sono discrepante; cõcinna*

uero

uero est, quando ad eundem pulsum eandem reddit musicam: eodem modo animæ instrumentum discrepat quidem, quando aut audacia nimis animose sonat; aut timiditas supra modum remissa in grauiorem sonum laxatur. Eandem sententiam repetit libr. de Abraham. *Nullæ res tam infestæ sunt ad inuicem, quam timor et spes: tamen hæ duæ conuenire debent inter se in eodem homine, vt satis remedium habere possit.* Ex optimo timoris & spei temperamento optima dispositio animę resultat. Otiatur laxior spes, vbi vacat timoris angustia: & depellitur timor, vbi nimis audax inuenitur spes. Quem spei armatura firmat, infirmum reddit timoris absentia. Timendus ergo Deus est, sed non ita, vt in desperationem declinemus; neque illi ita fidendum, vt in perniciosa securitate naufragium faciamus. Sic Cain, quem perpetuo formidabat, perpetuo fugiebat: neque vnquam metu perculsus, & exanimatus ad Deum, a quo fugerat, fuit reuersus. Sic pariter tremuit vniuersa terra ad conspectum Dei in carne crucifixi: tremuit, & stetit, & quando timebat, suis visceribus ipsum damnatorum infernum amplexabatur: nec tamen dum tota ad conspectum Dei patientis tremens quatiebatur, è corde suo damnatos spiritus euomuit; sed frigido timore rigescens arctius retinuit. Huius pernicioſi timoris symbolum extat octauus orbis, qui perpetuo super arietem & libram agitatur, vt aduertunt Astronomi, sed nondum ab orbe condito conuersionem integram effecit, nam in medio cursu idemtidem reuocatur: vnde idonee trepidationis motus dicitur. Sic ergo ea anima, quę timore solum carpitur, & obruitur, omnem penitus spei aditum intercludit, dum aduertit ad Diuinam iustitiam, & sua grauissima scelera continuo librans tremefacta contabescit, & contremiscit, perpetuoque pauet, neque vnquã reuoluitur, vt ad Diuinam misericordiam recurrat, eamque deprecetur. Spe ergo attemperandus est timor, vt fiducia respirans peccator aspiret ad patriam.

531 Vt in deserto Dominus populum ad promissam terram ductaret, columnam præbuit itineris ducem, quæ alterna vicissitudine nubis vmbraculum erat in die, & fax illuminans erat in nocte. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.* Exod. 13 vers. 21. Diuersa munera obibat: nam in die obumbrans mulcebat; in nocte vero ignis ferocia terrebat populum. Haut aliter qui ad promissam patriam pergit, inter vtrumque lucis & ignis, timoris & spei affectum debet versari, vt vires timore laxatæ spei dilatatione reficiantur. Sic de colũna illa philosophatur Clemens Alexand. orat. ad gentes. *Multiplices habet Seruator voces ad salutem, multiplices modos: et igne terret homines ex columna flammarum accedens, quod est simul gratiæ et timoris indicium. Si obedieris, lucem; si nõ obedieris, ignem.* Vtrumq; enim vna eademq; columna pollicetur, & suppliciũ, & remediũ: remediũ lucens; supplicium ardens: sic namque cœleste nobis monstrat iter, quia lucens nobis manifestat Diuinæ omnipotentiæ maiestatem, vt ab illa speremus; & insuper ardens flammas interminatur, vt timeamus. Porro qui timore tantum exagitatur, debilis & infirmus expallescit, & corruit, is autem spe indiget, vt animum fiducia erigat; qui autem nimia spe otiatur, & timore vacuus existit, ipso indiget, vt masculam fortitudinem assumat, & audacior ex timore euadat.

Exod. 13. v. 21.

Clem. Alexandr.

532 Hoc timoris firmamentum optimè in viro iusto percalluit Salomon, cuius fiduciam leoninam nuncupat Prouerb. 28. vers. 1. *Iustus quasi leo confidit.* Quid leo commune cum iustis habet, vt ipsi conferantur? Leo (inquit Pierius lib. 1.) maxima febri continuo cruciatur, illique obnoxius est, & vt plurimi annotarunt, ita febricitat, vt febrem antecedat tremor frigidus, sicut in tertianis solet contingere, vel ipsam comitetur, eo quod

Prouer. 28. v. 1.

leonis inferior pars terræ frigiditatẽ participet. In quo mire denotatur iusti confidentia, qui ita in Dei misericordia confidit, vt pariter timeat & contremiscat, dum Dei iustitiam contemplatur; proindeque inter Dei timorem versatur & spem. Animosior bellua (qualis est leo) mixturam habet timoris, vt eius ferocia corrigatur, & vel ipso timore, cui febricitans subijcitur, non plus quam par est, sit animosus: quia timor non animi est expers, quin potius vires administrat. Vnde audito quod Lazarus languebat in Bethania, & ad ipsam ire decernente Christo Domino, cęteriscque reluctantibus discipulis, timore solicitis, solus Thomas animosè ire non formidat. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, et moriamur cum eo.* Ioan. 11. v. 16. Vnde Thomæ tam audax resolutio, vt cęteris nutantibus, ipse periculum appetat, & mortem parui pẽdat? Belle S. Basil. de Seleuc. orat. 14. *Eamus et nos, et moriamur cũ eo. Reliquis erat infirmior.* At vnde colligit Thomã infirmiorẽ esse, quãdoquidẽ metus, qui alios inuaserat, ipsũ nõ tetigerat? Verum vnde huiusmodi infirmitas, nisi ex metu? Quia meticulosior & infirmior omnibus erat, ideo prę omnibus strenuè audet: infirmitas enim timoris audaciam gignit, quia timoris defectum animosa supplet spes. Audacter timet, qui pauorem ex infirmitatè deponit: maiori enim quã cęteri, Thomas cõcutiebatur timore, & ideo plusquã cęteri audet: quia in salutis via timor tẽperatus spe generosos spiritus gignit. Ideo ne populus timore deficeret, se ipsius comitẽ Deus præbet. *Egressus es in salutẽ populi tui.* Hic v. 13. Et ne plus ęquo speraret, arrogãtis impietatis caput cõtriuit, vt in ipso populus periculũ faceret, & timore, atque spe pariter fulciretur. *Percussisti caput de domo impij* &c.

Ioann. 11 v. 16.

S. Basil. de Seleuc.

ANNOTAT. C. XXV. MORALIS.

IGNOBILIVM PROPRIVM vitium est detractio.

ETSI nostræ insita sit alienæ laudis auaritia, tamen hoc vitium in hominibus infimę sortis maximè solet regnare, qui facilè aliorũ calumnię acquiescunt, & præcipites in detractionem feruntur; ad quem cumque enim proximi defectum eorum lingua prurit, & procliues sunt ad denigrandum murmurationis næuo aliorum honorem & famam. Vnde dixit D. Hieronym. *Vilium satis hominum est, et siccam laudem quarentium detractio, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant: et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum.* Inter alias plagas, quibus Deus percussit AEgyptum, sciniphes Deus immisit, qui continuo homines & pecora agitabant. *Percussit puluerẽ terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus, et iumentis.* Exod. 8. Orig. hom. 4. in Exod. pulchrè huiusmodi sciniphes cum detractoribus dialecticis comparat. *Hoc animal* (inquit) *pennis quidẽ suspenditur per aera volitans: sed ita subtile est et minutum, vt oculi visum nisi acutè cernentis effugiat: corpus tamen cum insederit, acerbissime terebrat stimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantẽ.* Sic detractor vilissima & abiectissima recula, quę vt ex puluere orta vix videri potest, subtilius verborum stimulis animam terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt qui pungitur deceptus, neque videat, nec intelligat vnde decipitur. Plaga hęc omnes respublicas peruadit, in quibus ij, qui ex terræ puluere surgunt, haud aliter quam sciniphes nemini parcunt, & ex terræ putrefactione geniti non nisi cũ stimulant, cognoscuntur: nisi cum famam lædunt, & honorem rodunt, à nemine videntur; & vt in pretio habeantur, alios vituperant, & propriam vilitatem aliena honestare prætendunt. Inuisus inuolat, qui alterius honori insidiatur, vt ex inexpectato spicula figat. 533

Deute 27. v.

D. Hiero.

Exod. 8. v. 17.

Origenes.

Theod

Voluit Moyses populum excitare ad reuerentiam & obseruantiam legis per benedictionem obedientibus confe- 534

Olea

conferendam,& transgressores maledictionibus multare. *Præcepit*(inquit text. Deuter.27.v.12.) *Moyses populo in die illo dicens: Hi stabunt ad benedicendum populum super montem Garizim, Iordane transmisso, Simeon, Leui, Iudas, Issacbar, Ioseph, et Beniamim: et è regione illi stabunt ad maledicendum in monte Hebal, Ruben, Gad, et Asser, et Zabulon, Dan, et Nephtali.* Non parua hic excitatur difficultas inter Interpretes, cur scilicet primas tribus designauerit Moyses, vt benedictiones & laudes intonarent ; secundas vero, vt maledicta & vituperia iactarent? Quid primæ meruerunt ; quid demeruere secundæ , vt tam diuersa & oppositа munera ipsis commendaret,& alijs ad benedicendum destinatis , alias ad maledicendum destinaret? Egregie Theodoret. quæst.34.in Deuter. quæstionem dirimit. *Notandum est*(inquit) *benedicendi facultatẽ concessisse tribubus ex liberis oriundis; ad maledicendum vero seruis seruos constituit.* Tribubus ex ingenuis ortis parẽtibus, vtpote quę nobilitate pręfulgebant, benedicendi facultatẽ impertiuit, quia nobiliũ est laudandi ardore flagrare, & in aliorum laudes effundi, ac de nemine verbũ malũ profari; ijs vero tribubus, quæ ex seruis & mãcipijs ortũ ducebant, liberã maledicendi concessit facultatẽ, quia seruorũ & ignobiliũ atque ex infima plebe natorum propriũ vitium & ingenium est detrahere , maledicere , & noxia linguæ garrulitate aliorũ famã & honorem maculare, atque nõ aliter quam sciniphem pungere , quem(vt dixit Orig.) volitãtem videre quis nõ valet,& sentit stimulantem. In tenebris enim huiusmodi sciniphes è puluere eleuati delitescũt, vt securius lędant,& à nemine videantur: his equidem merito maledicendi potestas conceditur , quæ cum sua natura & propensione optime congruit. Fere idem quod Theodoret. pensitauit Oleast. ad cap.27. Exod. *Quo in loco illud etiam aduertendum est , homines videlicet liberos et benedictos electos ad benedictionem imprecãdam; ex seruis vero natos ad maledicendum: vt tã benedictiones , quam maledictiones ex authoribus robur et efficaciam haberẽt.* Solerter Moyses munera adaptauit ingenijs: bene moratis atque nobilibus tribubus benedictionem commẽdauit; seruilis vero conditionis genti maledictionem, vt vehementius vtrãque impertirent: exultans enim & libenter ad laudes fertur generosa indoles;& ad maledictionem obscura & ignobilis: vnde S. Paulinus epist. 1. dixit. *Calumnia est importunum vacui culicis murmur.* Et Synesius Epist.44. detractionem *Cynædorum susurrum* vocauit: putat enim esse ignauissimũ hominum genus, quod de vita moribusque aliorum detrahit , & calumniatur , quamdamque illis inesse inclinationem ad murmur, & quoddã fatum, vt Cynædorum gregi adscribantur, veluti fæces & peripsema reipublicæ. Inde Dominus iudicaturus mundum benedictionem iustis impertiendam à se ipso confert Matth. 25.v.84. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Maledictionem vero super impios fulminandam non sibi adscribit, sed impersonaliter de illa loquitur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ibid. v.41. Vt quid benedictionem sibi arrogat; maledictionem vero renuit? nõ ne idem ipse est, qui supplicia cõfert, & præmia? Vtique. At maledictionis non vult author videri, ne maledicẽtis notam subeat,& à nobilissima sua natura non ad vituperia , sed ad laudes prona degeneret: ignobiles enim & nullo stemmate decorati ad maledicentiæ vitium facilime feruntur.

Narrat latenter Historicus sacer peßimum crimen, quod filij Iacob ex concubinis Bala & Zelpha procreati perpetrarunt , quodque Ioseph postea apud patrem accusauit Gen. 37.v.2. *Ioseph, cum sedecim esset annorũ pascebat greges cum fratribus suis adhuc puer, et erat cum filijs Balæ et Zelphæ uxorum patris sui.* Conueniunt Interpretes huiusmodi vxores, cum quarum filijs conuersabatur Ioseph,

535

Deuter. 27.v.12.

Theodor.

Oleaster

S. Paulin. Synesius

Matth.25 v.34.

Genes.37. v.2.

ancillas fuisse Iacob: associabatur autem illis, quia cum filij Lię ex libera essent, maiorem in paterna domo habebant existimationem, ac proinde ęgre ferebant, quod pater fauoribus prosequeretur Ioseph, quē iam despiciebant, quia mortua iam eius matre Rachel, Lia tantum dominabatur, vt aduertit Lippoman. in Cat. *Ioseph. ergo iam mortua matre sociabat se filijs ancillarum, videlicet Dam, et Nephtali, Gad, et Asser, qui à Lia sola dominante forsam despicabantur.* Hi autem concubinarum filij flagitium commiserunt, de quo Ioseph ipsos accusauit: quodnam autē illud fuerit, scriptura non exprimit, sed tantū indigitat infamiam inde resultantem, quę Iosepho innotuit, ex eo quod comes illorū erat: ideoque ignota manet species criminis, genus autē scitur, & quod peccatum infame esset, & tantum vili mancipio dignum. At vnde id colligitur? Auscultа Caiet. *Et scitur, quod non omnes fratres, sed filij tantum cōcubinarum delati sunt: propterea enim Moyses versatum Ioseph inter illos narrat.* Aliqui existimant, hoc crimen pessimum fuisse sodomiā; probabilius arbitratur Marius, cui adstipulantur nonnulli, murmurationem fuisse filiorū Iacob aduersus patrem, eo quod prę cæteris filijs diligeret Ioseph. Verum cur filij dumtaxat ex scorto & illicito ancillarum concubitu nati patris famæ insidiabantur, ipsique detrahebant? *Filij tantum concubinarum delati sūt.* Ob id sane: nam ignobiles, & infami natali procreati procliuiores sunt ad inuerecunde loquendum, & vel de ipso patre murmurandum; nobiles vero & ingenui ad laudes faciles, & ad honorandum propensi. Despecti ancillarum & concubinarum filij vel patrem dehonestare non verentur; at generosus Ioseph ex nobili matre ortus non solum detractioni non consentiebat, sed etiam seruile fratrum ingenium abhorrens, crimen apud patrem accusauit. Ideoque merito in seruitutem redigitur Chaldęorum princeps, qui male de Deo locutus, & Diuinitatem sibi arrogans seruilem conditionem ostēdit. *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Hic. v. 13.

Lipoman.

Caietan.

ANNOTAT. C. XXVI. MORALIS.

MVNERA CVM DISCRETIONE conferenda.

536 NON temere, sed magna prudentia officia & honores sunt conferendi. Liberalitas & munificentia accuratè merita candidatorum debet trutinare, atque pondere & mensura præmia distribuere: nā sine delectu & ordine porrigere ipsū deuenustat largitorem: quia sine discrimine omnia præstare diaboli est, qui cuncta Christo Domino fuit pollicitus Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Qui omnia porrigit, ostendit se illa non meruisse, & indignè esse in sua possessione: quod pulchrè annotauit Chrysolog. inordinatam Herodis prodigalitatem reprehendens. Vidit ille sallacem fœminam inhonestè tripudiantem, & illius impudicitia allectus dimidium regni, si ipsa exposcat, pollicetur Marc. 6. *Etiam si dimidium regni mei petieris, dabo tibi.* Miratur Chysolog. quod non iam integrum ipsi promittat regnum: nam regno & potestate erat indignus, qui ita præceps ad saltationem lasciuientis puellæ dimidium regni obtulit. *Et quare sibi partem seruauit, qui esse, et viuere nō debebat?* Nescio quomodo non integrum regnum promisit, qui, aut quia nesciebat largiri, aut quia prodigus videri cupiebat, propter nullum meritum regni dimidiam partem obtulit. Satis se regno indignum ostendit, qui quod habet largiendum, in vno tantum accumulat.

Matth. 4. v. 9.

Marc. 6. v. 23.

Chrysol.

537 Dauid habenas populi Israelitici moderante, prolixa fame, quę ad spatium trium annorum fuit prorogata, Israelitas Deus percusit, & crudeli plaga cruciauit: sic enim habetur 2. Reg 21. *Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter.* Diu

2. Reg. 21. v. 1.

cruciа-

crucizuit Expositores causã huiusmodi supplicij inquirere: nam Dauid gratus Deo erat, in ipsius obsequio semper perseuerans, & populum inlegis orbitam recte continens: vnde non apparet, quod propter delicta Regis, aut populi fames ingrueret, Abulensis huius euentus rationem inuestigans, quamdam Rabbi Salomonis expositionem affert, quam ipse nõ improbat: ille enim tradit, Dauid quẽdam habuisse priuatum hominem Vra vocatum, qui erat sacerdos, & quem maximis fauoribus prosequebatur, ita vt fere omnia regni munera, & officia in hoc vno homine cumularet: sacerdos enim in sacris literis idem valet, ac qui præualet in gratia Principis, & ad cuius voluntatem cũcta efficiuntur: sic enim vbi 2. Reg. cap. 8. dicitur, *Filij Dauid erant sacerdotes.* 1. Paralipom. cap. 18. idipsum historia referente habetur. *Porro filij Dauid primi ad manus Regis.* Huic ergo sacerdoti omnia regni emolumẽta indiscriminatim largiebatur Dauid: & quia propter huiusmodi diffusam largitatem Regem esse demerebatur, percussit eum Dominus vasallos ipsi auferens fame interfectos. Subijcio verba Abulensis. *Quæritur quare accidit ista fames? Respõdet Rabbi Salomon, quod ponitur hic de ista fame, quia ponitur supra de Vra sacerdote Dauid. Et accidit quod quandocumque aliquis dat omnia munera sua vni sacerdoti, inducit famem super orbem.* Rex munera & officia in vno tantum coaceruans, & exacerbat Deum, & se regnandi munere indignum manifestat: ideo enim Deus ab illo subditos aufert, & fame perire decernit, vt cõtigit Dauid: quia vnius compendium multorum est dispendium, & ab hoc vno negotio distribuendi cum attentione, & habita meritorum ratione munera, totius reipublicę felicitas dependet, quandoquidẽ, vt nos erudiat, licet omnium dominorum Deus Dominus sit, ea tamen ordinate, numeroque, & mensura distribuit. Hoc primum eius elogium prædicat Paulus ad Roman. scribens cap. 13. v. 1. *Non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.* Vbi subtiliter annotauit S. Amb dona Dei *non data, sed ordinata* dici: imo nec dona nominantur, sed ordines. At cur beneficia *Dei* non gratiæ, sed ordinationes vocantur? Quia idem est Dei dare, ac ordinate dare, quomodo, quando, & cui meretur, & expedit. Hĩc est, quod loquens idem Apostolus (1. Corinth. 12.) de donis, & charismatibus ab Spiritu S. præstitis dixerit, quod non omnia vno conferebat, sed singulis, ne dæmoni in hac inconsiderata liberalitate similis videretur, qui Christo Domino dixit, *Cui volo, do illa.* Nam voluntate, non ratione porrigere dæmonis est: & addiderit, omnibus, vt volebat, tribuere. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idẽ Spiritus diuidens singulis, prout vult.* Dare autem pro solo voluntatis arbitrio, & rationabiliter dare, tantum in Deo reperitur, nam eius velle idem est, ac ipsius intelligere. Vnde Apostolus rectè probat Spiritum S. esse Deum: nam non vni tantum, sed omnibus præstans, voluntate intelligenti confert, & intellectu benefico. Quod profunde & luculenter notauit Ceiet. ad præcitata verba. *Declarat diuersitatem quoque personarum, quibus idem Spiritus impertitur hæc dona: vnde ex hoc, quod diuidit vnicuique, significatur, omnia non dari vni.* Et Paulo infra. *Non reliquit tibi locum quærẽdi, cur huic dat, aut cur tunc dat, et sic de alijs quæstionibus, dicendo, Prout vult: voluntas enim Spiritus S. pro ratione redditur. Et hinc apparet Spiritum S. esse verum Deum: solius enim Dei est facere prout vult; reliqua namque voluntatem habentia habent regulam suæ voluntatis, solique Deo proprium est, quod sua voluntas est regula.* Intendit Apostolus probare Spiritum S. esse Deum, & id conuincit, quia vt ipsi libet, porrigit, nam eius voluntas est ipsamet ratio, ipseque intellectus, nam velle, & sapere tantum in Deo idemtificantur. Et infra Deum quisquis pro sua voluntate tantum largitur, irrationabiliter præstat: quia absque rationis

2. Reg. 8. v. 18.
1 Paralip. 18. v. 17.
Abulens.
Ad Rom. 13 v. 1. S. Ambrs.
Lucæ. 4. v. 6.
Ad Cor. 1. cap. 12. v. 11.
Caietan.

regula

regula munera distribuit: vnde pernicioſe res ſe habẽt, cum officia neque meritis, neque congruentia menſurãtur.

538 Pulchre Spiritus S. dignitatem cõferre, vxorem ducere nuncupat Prouerb. 3. v. 27. *Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt.* Batab. ex Hebræo legit: *Ne arceas beneficium à domino ſuo.* Quaſi dicat: Honorem, dignitatẽ, & officium nõ auferas ei, qui illius habet dominium. Et explicans quis ſit munerum dominus & proprietarius, ait: *Ab eo, qui beneficio eſt dignus.* Qui officia meretur, illorum habet dominium; ac proinde qui ea ab illo aufert, violentiam efficit, & furtum cõmittit: & qui dignitatem immerito habet, nullo titulo illam poſſidet, neque illius eſt dominus, quia directum dominium apud benemeritos eſt. At verbum Hebraicum hic appoſitum *maritum* ſignificat, ideoque nonnulli legunt: *Noli arcere gratiam, vel donũ à coniuge ſuo.* Ne à benemerito dignitatem, & præeminentiam auertas, qui ipſi maritatur, vt eam ſpondeas indigno: nam ſi ita feceris & ipſe & illa in malo conſcientiæ erunt ſtatu: non aliter ac qui vxorẽ à proprio marito aufert, & ſibi in concubinam aſſumit. Vnde S. Maximus (ſerm. 8.) refert, quod Democritus hominem videns gratiam, & beneficia conferentẽ omnibus indiſcriminatim, & abſque vlla perſonarum exceptione, ſic ipſi imprecatus eſt. *Male pereas, quia charitatem virginem meretricem feciſti.* Nihil tibi ex voto accidat, quia munera parui pendis, & dehoneſtas: quia cum ipſa virgines ſint ad nuptias & honorẽ reſeruata, ſi, vt par eſt, diſtribuerentur, ex quorum coniugio benemeritis deſponſata præclara opera in Dei, regis & reipublicę ſeruitium orirentur; inmeritis tributa in pernicioſo ſunt ſtatu, & prauo conſortio, vbi impudicè, & cum nullo decore viuũt. Munera enim in vxores benemeritis ſociata filios procreant & in magnam reipublicæ vtilitatem redundant. Non ergo ex mero libito, aut propter occultam ſympathiam & ſiderum influentiam cõferenda ſunt, ſed meritorum habita ratione. Nuper nati in Bethlehen Regis ſignum Magi referunt, nempe, quod ſtellam eius viderint Matth. 2. v 2. *Vidimus ſtellam eius in oriente.* Enimuero cœleſtis Regis erat ſtella, non ſtellę erat ipſe Rex: illa ipſi famulabatur; nõ Rex ipſe inſequebatur illam, vt optimè ibi ponderauit Magn. Greg. eos carpens, qui neceſſario ſidera influere arbitrantur. *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri; ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit.* Ortus Rex regum politiã inſtruere naſcebatur: diſcant ergo ex illo omnes Principes non naturali affectu voluntate, & ſympathia, ſed maximo iudicio & conſideratione munera & officia conferre. Sui ipſius ſit Princeps in huiuſmodi negotio, nõ ſtellarum miniſterio munera diſtribuat: ſtellæ ipſi videantur addictæ; nõ ipſe ſtellis: fatum ſit & fortuna recipientium meritum, & virtus; non aulicorum ſtella, aut ipſius largientis voluntas. Si forte ſidera influunt, ipſorum inclinationem cohibeat, præcipuè (vt obiter id attingam) in dignitatibus Eccleſiaſticis prouidendis, in quo magna ſolertia eligẽdorum merita ſunt trutinanda, ne ipſis competat vſurariorum in templo vendentiũ conditio, quorum cathedras Chriſtus euertit, ipſorum auaram rapacitatem deteſtans. *Cathedras vendentium columbas euertit.* Matth 21. Quod ad indebitam Præſulum electionem inflectit Orig. hom. 15. *Arbitror conuenire verbum de venditoribus columbarum eis, qui tradunt Eccleſias auaris et tyrãnis, et in diſciplinatis, et irreligioſis Epiſcopis aut preſbiteris.* Non leuem ſuſpicionem ſimoniacæ infectionis incurrit Princeps, qui indignis tradit gubernãdas Eccleſias, vel ad minus ĩcõſiderati & effrænis non aufugiet cenſurã: nũquã enim licet immeritis publica munera impertiri, & ſemper licebit non bene adminiſtrata corrigere, & abillis, ſi fieri poteſt, deponere indignos, Dei regimen imitando, qui aby-

Democrit. *Matth. 2. v. 2.* *S. gregor. Magn.* *Matth. 21 v. 12. Origenes.*

Babylonicum Principem, quem ipse eleuauerat, & cuius potestati Iudęorum populum subiecerat, ab ipsomet imperio indebite administrato depositum. *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Hic vers. 13.

VERS. 14. *MALEDIXISTI SCEPTRIS eius, capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad dispergendũ me. Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.*

ANNOTATIO C. XXVII.

EXPOSITIO LITTERAE

539 DIV. Hieronym. Hugo, Lyra, Haym. & Pagnin. quos sequitur Sanchez, & Recentiores nonnulli de Nabuchodonosore, & Babylonico imperio hæc verba literaliter interpretantur; licet Gueuara, Albert. Palatios & alij de Pharaone ea accipiant. Igitur ostendit Vates imbecilles futuras esse Chaldęorum vires, stulta & vana consilia, vbi Deus cum Persis contra ipsos pugnare aduenerit: illo enim auspice omnia secunda & prospera Persarum gentibus euenient. Quod in maledictione, quam aduersus Chaldęos fulminauit, satis exprimitur, nam horribilia cuncta quæ vexare solent infortunatos, in maledictione Dei includuntur: quare à Deo auersi, etsi ad pugnam armis roborati, & munitionibus instructi exeant Chaldæi, omnia illis miserè & infeliciter euenient, nihilque, vt desideratur, continget: nam omnibus eorũ armis maledixit Deus, & capiti omnium bellatorum, ideſt, duci, qui ad disperdendos veniebat Persas cum exultatione & lætitia, qualem prædo solet habere, cum in abscondito incidit in hominem miserum defensore carentem.

540 *Maledixisti sceptris eius.* Ideſt funditus omnes Principes & primates Chaldæorum perdidisti: per metonimiam enim *Sceptris* pro *Principibus* positum est, quoniam olim Reges & Principes sceptra gerere solebant: vnde indifferenter in sacra pagina principatus pro sceptro, & sceptrum pro principatu frequenter ponitur. Vide Isaię cap. 9. *Paruulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerũ eius.* Quod ideo dictum est, quia, vt aduertit Gueuara, dum sceptrum manu gestabant Principes, humero applicari consueuit. Pro *maledixisti* vertunt Pagnin & Tygurina, *perforasti.* Quod à maledicendi significatione non distat iuxta illud Iob 30. v. 17. *Nocte os meum perforatur doloribus.* Id est, excruciantur, & cõteruntur doloribus maximis ossa mea: quod enim perforatum est cũ secundum externam speciem firmũ videatur, impulsu tamen leui corruit. Sic Chaldęorum imperium Diuina maledictione confixum facile erat ruiturum. Significat ergo Vates nihil ferè in Chaldæorum Rege, & in toto illius exercitu non esse perforatum, cum supra se portarent Diuinam maledictionem, quę vires frangit, omnia perfodit, atque euanida reddit, & ab ipsomet apparatu, à quo vęsano consilio omnia sibi secunda Chaldæi promittebant, eius imminebat ruina. *Isaiæ.6. v.6.* *Pagnin. Tugurin.*

541 *Venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Agit hic Propheta totius sui populi personam, & periculum, quod suis conciuibus imminebat, contra ipsum impendere affirmat: quod dubio absque ingens erat, turbini venustè assimilatum, nam violenter inuertit omnia, & cum vehementius incumbit, à fundamentis plerumque ædificia diruit, & à radicibus arbores euellit: tamen illi regulariter ineſt vis ad dispergendum. Haud aliter ac turbo in Iudæę gentes irrupere Babylonij, vt noster Vates ponderosis verbis expressit cap. 1 vers. 7. Et non secus in varias mundi plagas dispersi à Chaldæis fuerunt Iudæi, quam leues stipulæ, & aridę frondes à turbine rotantur.

542 *Exultatio eorum, sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito.* Putabant impij, Iudęos ab illis esse consumendos, atque delendos, & ita exultabãt non

non aliter, ac diues, cum pauperem spoliare vult, qui & viribus inferior est, & neminem habet, cuius ope potentiæ diuitis resistat: idque in abscõdito facit, vbi nemo videre, & pauperi auxiliari possit. Ad prædam properabant Babylonij in turbinis modũ, ipsamque iam spe deuorauerãt, quia Iudæorum exubias iam possidebant: sed illorum lętitiam & exultationem turbauit Persarum potentia, qui è manibus prędam arripuerunt, & vbi se tutos Iudęos spoliare arbitrabantur, Dei auxiliarem manum senserunt.

543 Allegoricus sensus peruius est ex ijs, quæ dicta sunt, si Babylonicum hostem ad diabolum, & catholici instituti inimicos referamus, quorum Deus extirpauit, & perforauit vires, & sua maledictione trãsfixit. Hi enim dęmones, & Christianę religionis hostes exultabant, quia nouas exubias, & prædas ex Dominico grege reportabant, nullus enim illorum gaudium turbabat timor, quia maiorem potẽtiam non formidabant: sed plane fallebantur, quia erat Deus, qui videret, quam libere suas possessiones diripuerunt, & qui ablatam possessionem repetereret, quia ipsi facile est omnia illorum infirmare subsidia, quia neque militaris vis ipsi deficit, quam per Apostolos & Doctores sic exercuit, vt prædam ex faucibus inferni eriperent, & firmissima constantia omnes inimicos debellarent.

ANNOTAT. C XXVIII. MORALIS.

PROXIMORVM LAPSVS SVOS iusti reputant.

544 PERSONAM populi assumit Vates, & malum, quod contra contribules suos moliti sunt Chaldęi, contra se ipsum dicit esse comparatum. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic v. 14. Quia timorati viri, & qui feruida charitate proximorum curant salutem, illorum mala sua reputant, & de illis tam vehementer dolent, ac si ipsis accidissent. Persequebatur Dauidem Saul in deserto Maon, ipsumque vndique cinctum militibus habuit, ita vt nulla euadendi affulgeret spes. *Et ibat Saul* (inquit text. 1. Reg. 23.) *ad latus montis ex parte vna; Dauid autẽ, et viri eius erant in latere montis ex parte altera: porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.* Num illa firmissima spes, quam Deus sponderat Dauid de adipiscendo regno, defecit, quod à manibus hostis effugere desperabat? Nonne ex reuelatione Diuina acceperat certitudinaliter se Regem fore in Israel? Quo ergo pacto de huiusmodi veritate non solum hęsitauit; sed & certo habuit in hostiles manus incidere? Forte delusum se credidit, & Deum nõ stare promissis? Appage. Lyra difficultatem expedite extricat. *Dicendum, quod non desperabat euasionem pro sua persona, qui certus erat de impletione Diuini promissi: sed desperabat se posse euadere absque bello cum Saule: quod quidem bellum horrebat, quia horrebat de morte virorum suorum, et aliquorum, qui erãt cum Saule eum sequentium in hoc magis inuoluntarie, quam volũtarie.* Licet certus de Diuina esset promissione, sibique agnosceret non imminere fatale periculum; desperabat de suorum salute, quam maximè, & æque ac suam diligebat, ipsosque horrebat in bello cadere, ac subinde desperauit se posse euadere à facie Saul, quia timebat in pugna suorum & Saulis militum aliquos obituros, quos velut seipsum amabat, & quorum ruinam & exitiũ ita vehementer sentiebat, vt se putaret in illis obrui, proindeque cum illis charitate, qua erat deuinctus, occumbere. Haud aliter Noemo accidit, quem Deus inclusum in arcam futuræ propagationis auctuarium à foris clausit, & clauem secum detulit. *Et inclusit eum Dominus de foris.* Gen. 7. v. 16. Non leuis est difficultas, cur Deus Noemum forinsecus clauserit, & non ipsi reliquerit ianuam intrinsecus claudere, aut bitumine quascumque arcæ obturare rimulas.

1. Reg. 23 v. 26.

Lyra

Gen. 7. v. 16.

Cui

cui concreditur vniuersi restauratio, clauis arcæ denegatur? Num Deus timet, quòd in diluuij aquas se det præcipitem? Quid tunc ad huiusmodi temeritatem ipsum incitaret? Non morientium clamor, non cadauerum supernatantium horror, non formidandum naufragium. Præterea nullus erat in arca, qui eum impelleret ad ruinam: animalia pacate habitabant, ab vxore, & vxoratis filijs tale facinus non erat suspicandum. Vt quid igitur Deus ipsum à foris clausit? Optimè D. Chrysost. hom. 25. in Genes.

D. Chryſ. *Clausit [inquit] Dominus foris in secus illius arcam, vt doceat, quod securum fecerit iustum. Quod autem adiecit foris secus, ita vt non posset videre iustus generalem omnium interitum, qui fiebat, et maiori dolore conficeretur, et spectaculi tristis aspectu magis cruciaretur. Eius curam igitur gerens misericors Deus non permisit ipsum vel aquarum expectare sententiam, vel videre hominum excidium, et communem orbis interfectionem.* Ne iusto pateat miserа orbis strages, ianuam arcæ forinsecus Deus obserauit, sciens non minus fore cruciandum proximorum ingentem calamitatem aspicientem, quam si ipse in eorum consortio naufragaret. Ne misera fortuna Noemũ etiam infelicitaret, vel aspectum morientium inhibet, vt ipsorum periculum à iusto auertat, qui aliorum proprium sibi facit.

545 Reuelauit Deus supplicia, quæ populo Israelitico erant ventura, Ezechieli Prophetæ: & ille anxius prædictione, quam acceperat, inclamat

Ezechiel. 9. v. 8. c. 6. *Heu, heu, Domine Deus, ergone disperdes omnes reliquias Israel?* Quid hoc est, vir Dei (inquit D. Chrys. lib. 2. de prouident.) Cur doles, & affligeris? Fortè impendentia supplicia ad te venient? Cur ergo de malis aliorum doles, qui iustissime propter sua flagitia supplicia merentur? Cur ad præsentes pœnas tabescis certus, quod innoxius ab illis euades? *Ezechiel.* (ait Chrysost. vb. sup.) *cum iustus esset, sciretque Israelitas iniquissimos ex omnibus; videt tamen illos iugulari, et corruere, hoc idē passus est.* Etsi culpæ Propheta non esset consors, pœnæ tamen non fuit expers, quia quam Deus populo minitabatur, iam in se exercitā sentiebat. Charitas enim, qua populo afficiebatur, communem suppliciorum sensum effecit, & sibi putat nocumentum infictum, quod populi peccata exigebant, populi supplicia in se retorquet, & de alieno exitio quasi proprium esset, conqueritur. Hoc ipso charitatis stimulo & cõpassione puncta Esther infenso Regi Assuero pro populo Hebræorũ deprecabatur c. 7. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, et si tibi placet, dona mihi animam meã, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro.* Præceperat Rex omnes de populo Hebræorum interfici propter versutiam Aman; at pulcherrima Esther, vtpote regina, in edicto non erat comprehensa. Cur igitur pro sua immunitate rogat, & animam suam eripere conatur, cum nullo esset periculo obnoxia? Regis præceptum in ipsa non erat exequendum, & tamen de vita solicita obsecrat, vt ipsam tueatur. Cur ita? Hug. Card. *Quod enim suis fiebat, sibi factum reputabat.* Populi periculum sibi imminere rata, pro se ipsa exorat, quia non alienum, sed proprium reputabat. Etsi ipsa esset innocua, tamen suorum mortem sibi imminere credebat, & à lege immunis compatiebatur suis: quia vt dixit Paulus 1. Corinth. 13. charitas non sua, sed aliena curat. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Vbi D. Thom. lect. 3. *Qui diligit alios sicut se ipsum, bona aliorum quærit, sicut et sui ipsius.* Sua, quæ sunt proximi mala, charitas existimat, etiam mala culpę, in quo maxima vis amoris ostenditur.

Esther. 7. v. 3.

Hug. Cardin.

1. Corint. 13. v. 5.

546 Præcipiebat olim Deus [Numer. 6.] quod si coram Nazaræis subito aliquis moreretur, ipsi reputarentur immundi: ad quorum purificationem plures cæremonię & sacrificia exigebãtur. *Quia* (vt inquit text.) *peccauit super mortuo.* Quod à ratione videtur alienum: nam quo pacto culpam incurret Nazaræus, vbi ad mortem non concurrit, & casua liter

Num. 6. v. 11.

in eius præsentia contingit? Num ad culpam imputabitur, quod sine culpa & deliberatione euenit? Sufficeret immerito pœnam incurrere, qui neque opere, neq; consilio cucurrit ad culpā Vt quid igitur crimen, quod non patrauit, Nazaræo imputatur? *Quia debet imputare peccatis suis talem casum impedientem ipsum*, inquit Lyra. Non sat est, quod religiosa gēs, quę populi causam suscepit, vt iugiter preces fundat, quibus placetur Deus, compatiatur populo, nisi etiam ipsius peccata sibi attribuat, & mala culpæ, quæ in ipsum irrepserunt, sibi imputet. Sic accipit Andreas Cæsariens. illud Apocalyps. 6. *Ecce equus niger, et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Per *stateram* examen peccatorum accipit, vbi ipsorum malitia trutinatur, quam quidem iusti altè ponderant, vt peccata populi deplorent, pro ipsisque meritas pœnas soluant, & Deum reddant placatum. At quid est, quod equo nigro insideant iusti, quandoquidem alibi dealbati perhibentur? Audi prędictum Archiepisc. *Per equum nigrū denotatur mœror et luctus ille, qui vt credi potest, apud iustos de illis orietur, qui propter suppliciorum immanitatem à fide, quæ est in Christo, decisc ent.* Peccatorum populi nigredinem & turpitudinem sibi quodammodo iusti affricant, quia peccata populi supra se portant, & non modo pœnam ipsis debitam, sed culpam propriā reputant: quapropter nigredine sordidati apparent.

Lyra.

Apocal.6. v.5.

Andreas Cæsariēs.

ANNOTAT. C XXIX. MORALIS.

GRANDIS POTESTAS TIMEAT; humilis à timore est securus.

547 PER sceptra, quę Deus hic maledictione contriuit (*maledixisti sceptris eius.* v.14) superbus hominum principatus, & ambitiosa potentū dominatio intelligitur: sceptrū enim olim, & nūc regiæ dignitatis insigne fuit, & honore præcipuo colebatur antiquitus, quandoquidē per ipsū iurabāt promissa adimpleturi: & Cheronęi Agamenonis sceptrū venerabātur: imo Iacob adorasse legitur virgā Ioseph, & Esther extremitatē regij baculi ab Assuero porrecti osculata est, vt cōstat ex eius historia c.5. Deus ergo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiā, sceptris superborū maledicit, qui sibimet regię fastigiū dignitatis arrogant, qualis fuit ventosissimus Nabuchodonosor, quē è regno detrudit, & è culmine ad ima deiecit. Hæc est fortuna sublimē locū occupantiū: nā altiores montes fulmina feriūt, humiles valles tutiores sunt, & pericula ipsis parcunt, 1.Reg.4.v.12. terga vertunt Hebręi victricibus Philisthinorū phalāgibus, & cęsis triginta millibus Hebræorū Dei arcā captiuā referebant barbari cum magno populi dedecore & confusione: elabitur è prælio quispiā Beniaminita, qui sūmo sacerdoti Heli renuntiauit, Dei arcā captā esse ab inimicis. *Currēs autē vir de Beniamim ex acie, venit in Silo in die illa scissa veste, et consperſus puluere caput.* Hic autē mira audacia Philisthęos in sequēs arcā è manu Goliat arripuit, & cū ingenti populi exultatione & lętitia in Silo reposuit. Quęrūt Interpretes, quis fuerit iste vir de tribu Beniamim, qui tā illustre facinus perpetrauit? Lyra ex Hebręis Saulē fuisse existimat. *Dicūt Hebræi, quod fuit Saul, qui capta arca vidēs tabulas testimonij in manibus Goliæ, quas ex arca acceperat, abstulit de manibus eius, et fugiēs reportauit eas in Silo.* Miraberis meritò, quod Saul, qui cū priuatus esset homo, ita fuit audax, vt nō tantū Goliæ resistere, sed de victricibus eius manibus ausus fuit legis lapideas tabulas viriliter extrahere, iā rex electus à Dño, & propterea ad maiorē gloriā adipiscēdā ad strictus, ad eiusdē Goliæ occursū muliebriter expauescat, & per quadraginta dies maledicta & improperia, quæ in populū suū iactabat, tremens sustineat, vt habetur 1.Reg.17.v.11. Vnde strenuā & militarē fortitudinē depositā, & ita pusillaminis apparet ille ipse, qui temerario ausu superbissimū non formidauit gigātē? Qui priuatus talia perfecerat, quomodo effęminatus

1.Reg.4. v.12.

Lyra.

tus ad dignitatem regiam euectus pertimescit? Crediderim à sceptro pusillanimitatē hausisse, quia iam regnū timebat amittere. Qui personam priuatam agens magnanimus apparuit, publicam induens ad conspectum inimici expauescit: quia probe sciebat, quam sit periculis obnoxia suprema potestas, quam ab illis secura humilitas in angulo latens: antequam ascēderet ad regnū, sua humilitate se tuebatur, quæ raro periclitatur; postquā verò apicem dignitatis obtinuit, scitè se à nocumēto impendēte subtrahit, quia fortuna non arma vibrat, nisi vbi glorioſas expectat exubias.

548 Christus Dñs de suorum securitate solicitus, sic ipsos armat. Lucę 22. v. 36 *Sed nunc qui habet saccultū, tollat, similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladiū.* Fruſtra armantur, qui nihil habent defendendum. Cur qui adeo est pauper & abiectus, vt nec saccum habeat, nec paculos ad vitæ sustentationem nūmos iubetur, vt tunicam vendat, quò emat ensem? Ad quid pacificus Magister arma suis portare præcipit, quandoquidem vti armis inhibet? An quia vilis paupertas obnoxia iniurijs est, & ideo qui illa laborat, armari debeat contra potentiorū audaciam? An forte Christus pauperes & inualidos discipulos armat, quia plus ualent ad rem bellicā, qui minus valent in re honoris & diuitiarū? Forte ita: nā profecto intrepidus fertur ad pericula, qui nec tunicā possidet, quam amittere possit. Neminē timebit, qui nihil habet, quod perdat; qui autē multa habet, multa timet, quorū amittendorū metus sœpe exarmat fortitudinē, quā viribus & industria armauit ars & natura. Vulgo dicimus. *Quien tiene mas que perder, suele ser menos atreuido.* Humilitas & paupertas solet esse pugnandi vigor. Vbi Saul priuatā vitā agebat, vel ipsa pericula prouocabat; vbi autem regno potitus pericula vidit, exanimis, & euigoratus pauescit: quia secūdā fortunā timebat amittere, & aduersæ ictus non nisi in magnā potentiam exerceri certò sciebat.

Lucæ 22. v. 36.

Reg. 4. .12.

Mirabilem Dei protectionem & prouidentiam, quam erga homines habet, exaggerans Dauid dicebat Psal. 90. *Ipse liberauit me de laqueo venātium, scuto circumdabit te veritas eius.* De Christo Domino dæmonem in deserto debellante hæc verba accipit Euseb. libr. 9 demonst. Euangelic. demonstrat. 7. Vbi ponderat, quod tanquam priuatum hominem dæmon Christum Dominum sit adorsus, à cuius versutia se fuisse liberatum exultat, & grates rependit. *Liberatus est* [inquit Euseb. *Jolim de laqueis aduersantium potestatum, quæ venatores hoc loco appellantur, cum instar cuiusdam hominis ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Preme illa verba *cum instar cuiusdam hominis.* Nonne verus Rex in sede Dauidis erat Christus? Nonne securitatem sui principatus, & potestatem habet inexpugnatam? Cur ergo in desertum adducitur, vt se in bello tā quam vulgarem exerceat hominem? Cur dicit se liberatum, sicut cęteri homines, qui armis non eget se ipso protectus, & à nullo expugnabilis? Vt innuat periculo potestatē, securitati humilitatē esse addictā: enim vero dum instar vulgaris hominis ad certamen accedit, se liberatū agnoscit. Nō Christi cautela fuit regiā maiestatē deponere, vt cum callido hoste dimicaret; sed nostra eruditio: vt quā potestas in lubrico; quā in tuto humilitas versetur, ostendat, quāq; crebro suprema fastigia fortuna fatiget. Antequā Dauid ad regalē thronū eueheretur, expers prorsus timoris proponitur vrsū enī & leonē viriliter interfecit, superbissimū profligauit gigātē, impauidus nullū horrebat periculū: is autē iā regno proximus timidus à facie Saulis fugisse videtur, & in tutelam ac fidē Regis Moab cum filijs & parentibus suis se recepit, vt habetur 1. Reg. 22. num 3. *Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus.* Et statim additur, Dauid Prophetę Gad monitu fugā iterum contendisse. *Noli* (inquit) *hic manere; proficiscere, et vade.* Vnde ī vulgaris

549 Psalm. 90 v. 3.

Euſebius.

1. Reg. 22. v. 3.

garis oritur difficultas: nam si Dauid non satis tutam sibi Regis fidem putabat, cur apud eum suos permittit parentes morari, quin à mortis periculo illos subducat: si autem Regis probatam habebat fidem, cur apud ipsum cum suis non remanet; sed sibi arbitratur fugam esse arripiendam, & Vatis suggestione in terram reuertitur Israel, vbi periculum ipsi imminebat, quandoquidem ad offensissimum sibi Regem redibat?

Dionys. Carthus. Apte Dionys. Carth. *Iubetur abire, vt persecutionem sustineat, et vt in terra sua Iudæa laboribus exerceatur, eosque perferendo assuescat minimè commoueri, aut perturbari.* Ad regnum Deus præparabat Dauidem, ideoque illum laboribus & perturbationibus obijcit, vt assuescat minimè periculis imminentibus commoueri. Adeo potestas timiditati, ruinæ, & perturbationibus est obnoxia, vt necesse sit in timoribus esse versatum, ne postea ex improuisò ipsum adoriantur, & non spectatis malis succumbat.

550 Cum arca Dei Dauidis iussu in Ierosolymam duceretur, & bouum calcitratione declinaret, Oza sacerdos, qui ibi aderat, extensa manu eam tenuit, vt ipsius casum euitaret. Quid tunc? Ausculta cap. 6. 2. Reg. *Iratusq; est indignatione Dominus contra Ozã, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Quærunt Interpretes, cur Deus Ozam tantum percusserit, & non Ahio eius fratrem, qui ibi etiã aderat: *Ahio præcedebat arcam Dei.* & verisimile est fratrem coadiuuasse, ne arca rueret: enim vero vtrique arcę custodia erat commendata. Audi Caietan. *Describitur enim, quod Oza semper ibat at latus arcæ tanquam principalis ad curam arcæ in itinere: vt hinc intelligamus non esse mirãdum, si ipse qui caput erat, percussus postea à Deo est, fratre eius nihil mali passo.* Idem habet Lyra. *Sciendum, quod iste Oza solus fuit percussus, et non frater eius cum eo, quia principalis erat, et illa temeritas erat de eius ordinatione et mandato.* Vbi satis innuit fratrem Ozæ etiam ad subleuationem arcę concurisse; & tamẽ quãuis in temeritate essẽt fratres & similes, in pœna dispares & dissimiles euaserunt: quia Oza vtpote caput, & principalis morte percutitur; frater autem nulla pœna multatur. Ecce in potestate Ozæ periculũ. Ecce in humilitate fratris securitas. Quasi nullum nocumentum fastigium occupantibus parcat, nullumq; in humilitate iacentiũ recordetur. Adeo qui in sublimitate sunt, discrimini obijciuntur; adeò beati, qui priuata vita potiuntur.

2. Reg. 6. v. 7. *Vers. 4.* *Caietan.*

ANNOTAT. C. XXX. MORALIS.

LEX NON MVLTIPLEX debet esse.

551 IMpediunt se vndiq; leges: & si plures sint, se se vndiq; lędunt: perturbant coaceruatæ statũ reipublicę, & licẽtia ex lex ex multiplici lege nascitur. Si febris multis credatur Medicis, nunquã curabitur ęger. Centipes, brutũ ambulãs omnibus est tardius, & breuissimũ præ omnibus agit iter. Vbi vigent plurimæ leges, cum vix omnes possint obseruari, omnes violãtur, & à remedijs respublica ægrotat. Ideo Dauid Ps. 118. legẽ Dei amabilẽ & proficuã esse predicabat, quia perspicua & breuissima est, præcisisq; ambagibus recte dirigit. *Iniquos odio habui, et legẽ tuã dilexi.* Ex Hebræo vertitur. *Ramos odio habui, et legẽ tuã dilexi.* Nomẽ enĩ *Scaphĩ*, quo ibi vtitur Psalmographus, iniquos, & ramos ęque significat, vt aduertit Pintus ad c. 2. Daniel. Si autẽ inquiras, cur humanas leges ramos dicat? Respondet pręcitatus Author, quia à Diuina lege tãquã rami ab arbore deriuantur. Sed reor idcirco ramos appellari, quia eo modo, quo vt arbor sit frugifera, & vberrimos fructus ferat, agricola plures ab arboribus pręcidit ramos, qui inutiliter earũ virtutẽ extenuãt: cõdere sic paucas leges necesse est, vt populo sint proficuæ, & vnã tantũ, si fieri potest, esse oportet, sicut Dei lex vna est, quę propterea à Dauide diligitur. At multiplices humanas leges odio habet: quia nõ exacte possũt obseruari, & spretę quæ-

Psal. 118. v. 113. *Hebræus.* *Pintus.*

quędam tacita licentia sunt ad delinquendum. Prętерquam quod alię alijs contradicunt, & locum prębent malitiæ interpretanti, vnde varietas oritur opinionum, & exinde lites & dissensiones in republica. Nec minus confusa legum sylva laborat, quā vitijs. Propter grauissima populi flagitia minatur Deus ipsi leges nouas condere, & iam latas multiplicare. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, facta sunt ei arę in delictum, scribam ei multiplices leges meas.* Osee 8. vers. 11. Nunquam sine periculo innouantur leges: nam quot cōduntur, tot fomites sunt improbis ad violationem.

Osee 8. v. 11.

552 Deuter. 4. v. 2. exhortatur Deus populum, vt præcepta seruet, & vt ipsius obedientiā negotietur, sic ipsi per anticipatam veniam inhibet. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor; nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Nullā promulgatis legibus additionē faciatis, *vt custodiatis præcepta Dei vestri*, legit Oleast. At cur non addēdū legibus, vt obseruentur? Quod nihil adimatur ab ipsis, ęquū est, nam quas Diuina prouidentia ad regimē populi cōgruas iudicauit, dubio absq; necessariæ sunt, nec licebit ab illis aliquid detrahere. Verū quod denuo cōdantur leges, frustra prohibetur, nā id ad strictiorē populi disciplinā pertinebat. Cur neq; ex supererogatione licebit populo noua præcepta addere, ex quorū obseruātia nō leue resultaret emolumentum, quandoquidem id in maiorem populi vtilitatem & perfectionem redūdabat? Eximie Oleast. in annotat. moral. huius prohibitionis rationem versat. *Et considera* (inquit) *quam pulchram textus rationem afferat non multiplicandi præcepta, neque addendi ad legem. Vt custodiatis, inquit, præcepta Domini Dei vestri. Si præcepta immensum multiplicātur, seruare ea nequeunt homines; si vero pauca, facile seruantur. Vt ergo ea seruetis, nolo ad ea addatis, aut minuatis: qui enim addunt, insufficientiæ Deum arguunt; et qui minuunt superfluum eum aut nimium fuisse ostendunt.* Sic obstrepit longa legum series moribus subditorum, sic obedientiam retardat, vt quamuis ex legibus vltro faciendis aliqua in populo sequeretur vtilitas, id Deus prohibuerit: quia etsi probis id esset proficuum; improbis erat valde nociuum, qui periculo delinquendi passim exponebantur: ideoque succinctam voluit esse legem ad expeditum obedientiæ cursum: nā profusa potius ad casum, quā ad obseruantiam disponit, eo modo quo lōga nimis vestis pedibus intercepta cursorē intercipit, & retardat, & calcandam se se passim offert.

Deuter. 4. v. 2.

Oleaster.

Mundo sceleribus immerso, ea euertendi solicitus, traditurus Deus formam, sic lamentationem exorditur Isaiæ 10. v. 1. *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimant in iudicio pauperes.* Et post plurima alia, vbi de eorum remedio agitur, subiungit. *Cōsummatio abbreuiata inundabit iustitiā: consummationem enim et abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Ibid. v. 22. 70. legunt. *Verbum consummans et abbreuians in iustitia, quoniam sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ.* Quasi breuis & succincta iustitia legum iniquitati oppositа mūdi sit instauratio, quia præstigia & versutias ex legum multiplicitate ortas eneruat, & euertit. Hoc vnum labenti mundo extat remedium, confusum legum vulgum relegare, nam eis diripiuntur populi, & pauci boni pessimos multos alunt. Nam tribunalia innumeris legibus implexa Piratarum sunt maria, & prædonum sylvę. Qui plurimas leges cōdit, totidem spargit spinas, vbi omnes impingant & lacerentur. Huc respicit, quod Regi Dominus præcepe rit [Deuter. 17. v. 18.] exēplar legis propria mau conscribere, & apud se seruare. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomiū legis huius in volumine, accipiens exēplar à sacerdotibus.* Legis exēplar propria Regis manu exarandum precipitur, vt tenacius eius animo infiga-

553

Isaiæ 10. v. 1.

Vers. 22. Septuag.

Deut. 17. v. 18.

tur. Quod optime notauit Philo in
Philo. libr. de creatione Principis. *Postquam acceptam potestatem iubetur Deuteronomium, hoc est, legum compendium describere manu propria, quo magis ea præcepta inhæreant animo: nam legentibus elabuntur sententiæ, quòd lectio moras nō patitur; qui autem scribit, per otium imprimit, et infigit menti singula fideliter non in transcursu animaduersa, sed cunctanter: non prius cogitationē transeunte ad sequentia, quam bene pensatis, quæ præcesserant.* Pulchrè obligationem obseruandæ legis, & eam animitus amplexandi Principibus intimat Philo, & quam solerter eam trutinare, & meditari debeant. At cur transumptum apud Regem seruandum ab exemplari sacerdotis præcipitur transcribendum? Nonne Rex aliunde illud habere posset? Cōgrue iniunctum, inquit Moral Glossa,
Gloss. Moral. *Ne ad voluntatem suam faciat; sed secundum Diuina præcepta.* Posset enim accidere, vt Rex sua abutens potestate aliquid præscriptis legibus adderet, vt effrenæ dominationi nouis legibus & pragmaticis populum grauaret. Caute ergo inhibetur, vt nonnisi iuxta exemplar ab originali per manus sacerdotis transcriptum cōscribat transumptum, vt cupiditas amplandi leges, & magna inde pernicies populi proueniens præcidatur. Etenim quam malè se habeat populus plurimis legibus obnoxius, & quā acerbè ferat ipsarum multitudinem, optimè ponderauit Saluianus (libr. 1. de gubernat. Dei) minas & terrificū apparatum expendens, quibus Deus promulgaturus legem in monte Sinai
Saluian. apparuit. *Adde tonitrua* (inquit) *adde fulgura, terribiles buccinarum cœlestiū sonos, tremendum vndique totius aeris fragorem, polos sacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cominus Dominum, legē Diuino orè resonantem, incisas digito Dei litteras, rupices paginas, saxeum volumen, discentem populum, docentem Deum, ac mixtis pene hominibus atque Angelis vnam cœli ac terræ scholam.* Totus mundus conturbatur, cum legem Dominus promulgaturus aduenit, & quasi non patitur tota natura hominem lege domari; cum tamen breuissima esset: nam (vt annotarunt Lippoman. Abulens. & Hug.) in prima tabula præcepta ad Deum spectantia, quæ tria sunt; in secunda vero septem ad proximum pertinentia conscripta erāt. In vtraque autem (vt annotauit Diu. Hilar. exponens illud Matth. 25. *Tunc simile erit regnum cœlorum decem Virginibus.*) & boni, & mali, & qui ad dexteram, & qui ad sinistram collocabuntur, exprimebantur. *Moyses decem verba duabus tabulis conscripta acceperat; necesse enim erat omnia ea in vtraque conscribi, et duplex pagina inter proprietatem dexteræ et sinistræ diuisionem sub vno licet testamento bonorum malorumque signabat.* Lex in duabus tabulis diuisa & obseruantes, & transgressores significat, vt quodammodo innuatur, quòd qui leges condit, non solum ad obseruantiam instruit; sed etiam inobediētiam fouet. Vel succincta & breuissima lex (qualis diuina erat) ad decem præcepta tantum redacta, obedientes pariter & inobedientes signat. Quid non cauendum erit à confusanea legum multitudine? Quandoquidem fomites sunt ad delinquendum: & vbi plurimę agglomerantur, ibi peccata & transgressiones abundant, non præceptorum vitio, sed quia lex occasio & incentiuum est ad præuaricationem, quia rei prohibitæ quædam est in hominibus naturalis cupiditas, & maiori impetu irruunt, vbi maior obsistit vis. Non aliter Chaldæi, quibus Deus leges & modum præscripserat ad debellandos Hebræos, immania prohibens & atrocia, furore quodam prohibita fuerunt aggressi, & rationis limites effrenati calcarunt: de quo pulchra similitudine cōqueritur Vates noster. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic

D. Hilar.

vers. 14.

***

AN-

ANNOTAT. C.XXXI. MORALIS.

SIMVLATIONEM ET HYPOCRISIM toto animo Deus abhorret.

554 CONQVESTVS Propheta de ijs, qui in occulto praua opera perficiunt, ne in publico praui videantur (*Exultatio eorum sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito.* Hic v. 14.) illos carpit, qui ouina pelle induuntur exterius, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: qui virtutem simulant, vt cõmodius vitio inseruiãt: de quorum numero erat Anthipater, de quo dixit Alexand. *Foris Anthipater albo vtitur pallio; intus vero totus est purpureus:* Puta, propter ambitionem, qua purpuræ inhiabat: sic refert Pluthar. in apoteg. Hos, inquam, ęgre Deus fert, nõ secus ac ferre nõ potuit Diogenes quẽdã effęminatũ ac imbecillem Herculis exubias perferentẽ: cui propterea exprobrans dixit. *Nũc tu desinas virtutis stragulas pudefacere.* Et Horatius in aliũ hypocritam inuehens. *Introrsum turpẽ, speciosum pelle decora.* Solemne est in Scriptura hos simulatos homines vulpium nomine notari. *Dicite vulpi illi.* Lucę 13. Cuius rei causam congruentẽ reddit D. Amb. serm. 2. in Psalm. *Beati immaculati. Ceruorum cursus directior; vulpeculæ flexuosus.* Cętera animalia cursus suos faciunt directos, & per vestigia facile inuestigari possunt; non sic vulpes, quia dum ambulant ex vna in aliam partem, obliquis motibus insiliunt, ne per vestigia cauernæ & antra, quę ingrediuntur, agnoscantur, & possint à venatoribus capi. Non secus hypocritæ recto non incedunt itinere, quo grex catholicus ad Christum tendit; sed inflexo & tortuoso, ex operibus, quæ sancta videntur, in alia quæ euidenter praua sũt. Si hic orãt; illic rapiunt: si ieiunare indicant faciẽ extenuando artificiose; sine moderatione edunt: æqualem viuendi modum nunquam habent: proindeque nihil detestabilius Deo, quam ipsi, quia nihil Diuinæ essentiæ dissimilius. Dei namque natura (vt docent Theologi. 1. pte quest. 3.) infinite simplicissima est absque vlla prorsus compositione: quapropter eos diligit, qui in simplicitate & animi candore ipsi assimilantur; plurimumque odit quidquid compositionem & duplicitatem redolet.

Alexand.

Lucæ 13. v. 3.

D. Ambr.

555 Quærit D. Thom. (3 part. quæst. 37 art. 7. in corp.) vtrum columba illa, quæ in Iordane apparuit super caput Christi Domini, dum baptizaretur à Ioãne, vera fuerit, an ficta? Et concludit veram & realem fuisse columbã: cuius rationem esse credit satis efficacem. *Quia Spiritus Sanctus dicitur spiritus veritatis [vt patet Ioan. 16] ideo etiam ipse veram columbam formauit, in qua appareret; licet non assumeret ipsam in vnitatem personæ.* Spiritus enim veritatis nullatenus decipere poterat. Nec verisimile est Deũ ad res simulatas & fictas se posse accommodare, quandoquidem summopere illis aduersatur, & quidquid aliter, ac est, apparet, lõge à se relegat, quia eius simplicissimæ opponitur naturæ. Idem Angelicus Præceptor (3. pte quęst. 3. art. 1.) ambigit, an quęlibet ex Diuinis Personis carnem potuerit assumere, sicut de facto Persona Filij naturam assumpsit humanã? Et quamuis affirmatiuam teneat sententiam; tamen D. Anselm. (de incarnat. Verb. ad finem cap. 4.) oppositã tuetur, pulchramque ad nostram thessim rationem adducit. *Si Spiritus S. [inquit] incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus S. filius hominis: essent igitur duo filij in vnitate Dei, scilicet Filius Dei, et filius hominis: vnde quædam nasceretur dubitationis confusio, cum de Dei Filio loqueremur: vterque enim esset Deus et filius, quamuis alter Dei, et alter hominis.* Quasi dicat: Quia tunc foret ad extra, quod non erat ad intra, nam Spiritus S. ad extra esset filius, & ad intra characteristicam Personæ proprietatem retineret filiationi repugnãtem, idemque de Patre dicendum esset: ideo impossibile apparet, quod aliæ Personæ præter Filium carnem assumere possent: nam Filius vtrobique

D. Thom.

Idem.

idem est; in Deo autem quod non est, nequit apparere, ac si vere esset, nam omnia sibi mutuo correspondent, & ex prædicatis ad intra nullum ad extra aliter ac est, apparet. Tantopere ipsi displicet fictio & hypocrisis, vt repugnantiam inuoluat Spiritum S. carnem assumere, quia tunc cum ad intra non esset filius, filius esset ad extra, & interiora exterioribus non responderent.

556 Propter hanc, quam cum simulatione Deus habet repugnantiam, cignum prohibuit sibi in sacrificium offerri. Quod si inquiras: cur Deus aue adeo pulchram aspectu, & cantu canoram exosam habuerit? Ausculta Origen. hom. in Numer. *Prohibetur inter alia animalia cignus Israeli, qui cũ albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur: quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exterius prædicant, intus teterrima tabe luxuriæ maculantur.* Austeritatem præferunt hypocritæ, vt bona temporalia, gloriam vanam & honorem captent; cũ tamen interius carnis illecebris non parcant, sed ad illas auidius ferantur, quod maxime Deus detrectat. Sic cum Christus Dominus ex Bethania remigrasset, videns ficulneam, quæ non habebat nisi folia, illam maledictionibus impetiuit, quæ confestim aruit. *Et arefacta est continuo ficulnea.* Marc. 11. Si autem tempus huius maledictionis auscultes, inuenies non fuisse tempus ficorum, quod & Euãgelista expresse tradidit. Cur igitur ipsi imputatur ad culpam, quod fructum non haberet, & multatur propter ipsius carentiam? Sic enim ex textu liquet. At Cęsarius Arelatens. in expositione huius loci maledictam credit, non quia fructum nõ habebat; sed quia quando illum possidet, hirsutis foliis illum dissimulat. *Arborifici* (inquit) *maledixit Dominus, quia simulantium hominum representabat imaginem: intus enim dulcissimos fructus producendi virtutem retinens, rigida et cineritia in cortice apparet.* Nulla inter omnes arbores viuacior hypocritæ figura est, quam ficulnea: etenim truncus & rami eius cinere uidentur operti, folia tactui rigidissima sunt; intus tamen nulla arborum est, quæ dulciores ferat fructus. Non secus hypocritę exterius pallidi, macilenti, & cinere consperſi apparent, despecta & rigida veste induuntur; cum tamen interius delicientur, epulis fruãtur iucundioribus, & ad carnis quasque illecebras sint dediti. Merito ergo Christus arborem, quæ horum imaginem referebat, arefecit, vt ostẽderet, quam ipsi displiceret fallax apparentia, & dolosa hypochritarum species, quandoquidem neque ipsius vmbrę pepercit.

Origenes

Marc. 11. v. 20.

Cæsarius Arelat.

Venuste Ioannes (Matth. 3. v. 7.) hypocritas viperarum progeniem nuncupauit. *Progenies viperarum.* Quid commune cum hypocritis habent viperæ, vt ad illas referantur? Egregie id tradit Author Imperfecti in cap. 3. Matth. hom. 3. quę inter opera D. Chrysostom. versatur. *Viperæ à foris speciosæ sunt, et quasi pictæ; ab intus autem veneno plenæ sunt: et hypocritas viperarum genimina appellat: quia hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu; et venenum malitiæ portabant in corde.* Decoram virtutis faciem ostendunt, & vitiorum venenum latenter in pectore portant, ambiuntque à nemine videri, vt omnium negotientur ęstimationem. Ideo autem ab ipsorum negotiosa fallacitate pollicetur Deus iustum liberare Psalm 90. v. 3. *Ipse liberabit me de laqueo venantium, ànegotio perambulãte in tenebris.* Dubitat D. Bernard. (serm. 5. sup. Psal. *Qui habitat*) quodnam sit hoc negotium in tenebris latens. Quis vnquam id quod ipsi expedit, & desiderat, in tenebris negotiatur? Quis clam & inter noctis caliginẽ sua curat, & solicitat? Audi Bernard. *A negotio perambulante in tenebris, id est, hypocrisi: etenim ista de ambitione descendit, et in tenebris habitatio eius: quippe abscondit quod est; et quod non est mentitur. Negotiatur autem omni tempore.* Quasi dicat: Omnis hypocrita ambit sanctus reputari: in tenebris venit, quia ne agnoscatur, se se occultat;

557 Matt. 3. v. 7.

D. Chrys.

Psalm. 90. v. 3.

Idem

D. Bern.

tat, vt omni tempore sub pallio virtutis negotietur. Nulli eque negotiatores sunt, ac hypocritæ omnis eorũ intentio diu noctuque ad negotiandũ tendit, mundumque sub cœli specie cupiebat possidere. Quos Deus maximè detestatur: nam quod in cordis secreto latet, in facie videri vult. Hinc primum hominem conditurus, vitæ spiritum, quem infundebat, inspirauit in faciem. *Creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinẽ suam, et inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ.* Gen. 2. Nonne totam corporis molem viuificaturus erat spiritus? Vt quid igitur in facie tantum infusus perhibetur? Est qui existimet, taliter Deum spiritum dedisse Adamo, vt ipse spiritus in facie hominis videretur, innuens sic concupiscere animam à fictione alienam, vt quidquid in ipsa est, in facie cordis simulacro videri voluerit: vt de B. Virgine lib. 2 de Virginib. dixit D. Amb. *Ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.*

Gen. 2. v. 7.

D. Amb.

ANNOTAT. C. XXXII. MORALIS.

TAMETSI DEVS PIENTISSIMVS sit, in publica scelera maxime excandescit.

558 A DEO alienum & peregrinum à Deo est supplicia hominibus inferre, vt vel ipsosmet damnatos conuincat non à se, sed ipsorum sceleribus damnari. Quod eleganter annotauit Ambros. cap. 15. in Examer. *Deus enim operatur, quod bonum est, nõ quod malũ: ergo doceant te verba Diuina, quia operatur gloriam, pœnas reliquit. Honorificãtes me* (inquit. 1. Reg. 29.) *honorificabo, honorem bonorum operationis suæ esse describens. Et contemptores* (inquit) *mei non dixit, honore priuabo; sed honore priuabuntur, non suæ operationi deputans eorum iniurias, sed quod futurum erat ostendens.* Tametsi hoc ita perspicuum sit, vt longiori probatione non indigeat: sic Deo displicent publica flagitia, & quæ impudenter patrantur, vt in illa maxime excandescat, & de illis celerem sumere vindictam non dedignetur. Quę causa fuit, vt tot seuera supplicia in vtrumque populum immiserit, eo quod effræni licentia delinquebant, & omniũ scelera omnibus erant peruia in magnum Dei contemptum, vt eleganter dixit D. Bernard. in declamat. *Odibilis plane Deo frontosa temeritas, et impudentia execranda: propter quid enim irritauit impius Deum? exacerbauit Dominum peccator? Vt secundum multitudinem iræ suæ non requirat. Psalm. 9. Num propter fornicationem, incestum, aut sacrilegia? Nihil enim Propheta memorat; sed quod in corde suo dixerit: Non requiret. Sermo cordis affectio est: corde enim dicere, Nõ requiret, est non expauescere exquisiturum.* Non tam Deum ad iracundiã prouocat essẽtialis peccatorum malitia, quam effrænata in peccando licentia, sine vllo pudore, imo cũ magna impudentia crimina committere: quia in ipsius despectum, & in magnã populi redũdat perniciem. Vnde aggrauãs Scriptura prophanum cultũ, quem Salomon idolis exhibuit, nolẽs suas offendere vxores. *AEdificauit* (inquit textus. 3. Reg. 11.) *Salomon phanum Chamos idolo Moab in monte, qui est contra Ierusalem, et Moloc idolo filiorum Ammon.* At crediderim crimen Salomonis non modo non exaggerari extructo extra ciuitatem phano ad idolatrandum, sed potius minui: pernicioſius enim intra ciuitatem esset altare, vbi incensum adolebat, nam prauo exemplo idololatria vehementius serperet in proximum populum. Id ad minus crimen non habuit noxium, quod extra ciuitatem committeretur; verum id magis noxium habuit. Non frustra Scriptura montis meminit, qui erat contra Ierusalem, vt exinde omnibus habitãtibus ciuitatem notum esset flagitiũ in publico & eminenti loco, vbi ab omnibus prospiceretur, & absque vlla verecundia perpetratum. Auscultа Lyram. *In monte, qui est contra Ierusalem. Idest, in monte Oliueti: et ideo cultus idololatriæ de tota ciuitate Ierusa-*

D. Bern.

3. Reg. 11. v. 7.

Idem

Lyra

Ierusalē poterat videri, quod erat magnum incitamentum ad idololatriam, ad quam populus erat pronus. Non tam se Deus infestum manifestat Salomoni propter execrandum idololatriæ delictum, quam propter circūstantiā impudentiæ, qua in sua malitia gloriabatur, & propinandum omni populo idololatriæ porrigebat venenū.

559 De duabus filiabus Loth, quę se temulento patre impudice immiscuerunt, inquit text. sacer Genes. 19 *Peperit maior filium, et vocauit nomen eius Moab: minorque peperit filium, et vocauit nomen eius Ammon.* Gen. 19 v. 37. Conuenit inter Interpretes impudentiorem fuisse maiorem filiam, eiusque peccatum grauius & exitiosius. At vnde id colligitur? Nam vtraque patri se immiscuit, vtraque concepit & peperit, & vt apparet, minor magis culpabilis videtur, quia in sorore edocta occasionem criminis potuit effugere. Verum culpæ malitia ex circumstantijs metienda est, ex ipsisque liquet, maiorem filiam inuerecundiorem fuisse, quia turpitudinē suam exposuit, crimen reuelauit ostendens quod ex patre conciperet: quapropter Moab filius nuncupatur, qui idem sonat, ac *Ex patre*: & dum sine pudore de crimine gloriabatur, flagitiosior sorore euasit. Quod optime ponderauit Oleast. *Peccatum suum prædicauit quasi Sodoma. Non æquo animo Deus vnquā tulit eos, qui peccata prædicant, aut iactant. Legimus enim quam ægre tulerit Dauid, Ioab sanguinem Abner in calceis adiactantiam posuisse, et in cingulo, quod culpam vehementer auisse videtur.* Oleaster. Contra hoc inuerecundum peccatorū genus inuehitur Dauid (Psal. 58) Deum obsecrans, vt non misereatur peccatorum, quos peccauisse non pudet. Quasi venia reddantur indigni, quia vlterius malitia progredi non valet. *Non misereris omnibus operātibus iniquitatem.* Psalm. 58 v. 6. Quænam illa iniquitas est, pro cuius supplicio tam auidè exorat pientissimus Vates? Arbitror peccatum esse ex impudentia procedens, Deumque despiciens: nam de commisso crimine sibi blandiri, ipsum est tanquam honestum defendere, atque auersione & odio erga Deum gloriari: id enim subindicat verbum *operantibus*, quo eos carpit Propheta, qui quasi ex officio iniquitatem operantur, seque de illa iactant. Ad eum plane modum, quo strenui artifices de subtilitatibus artis gloriantur laude se dignos existimantes: sic qui petulanter peccant, optimos se reputāt peccandi artifices, & de malitia sua gloriantur, tenētes illa celeberrimos & laude dignos effici: quibus imprecatur Dauid Deum ad vindictam stimulans, ne impunita remaneat horum frontosa malitia. De quorum numero erit ille pessimus Ecclesiæ hostis Antichristus, qui peremptis Enoch & Elia eos omniū oculis exponet, quasi de sua malitia glorietur, vt habetur Apocalyp. 11. v 9 *Et videbunt de tribubus et populis et linguis et gentibus corpora eorum per tres dies et dimidiū, et corpora eorū non sinent poni in monumentis: et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et iucundabuntur, et munera mittent ad inuicem: quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos.* Apocaly. 11. v. 6. Adque verba Rupert. lib. 6. in Apocalip. inter atrocissima Antichristi crimina hoc vnum agnoscit irā Dei vehementius prouocare, quod, scilicet, de malitia sua glorietur impius, & despecto Deo, flagitia sua quasi virtutem exaltet. *Peccatum (inquit) peccatorum omnium deterrimum est impios lætari, cū male fecerint: et merito talibus multus et inexhaustus thesaurus repositus est iræ Dei viuentis. Hoc peccatum in illis occisores testimonium sanctorum grauissime denotat enunciatio hæc, qua nūc dicitur: Et videbunt, et gaudebunt, et iucundabuntur, et munera mittent inuicem. Quid enim indicāt? Vtique magnū scelus suum, scilicet, corpora sanctorum quos occiderunt, non posita in monumentis.* Rupertus. Tam vehemēter Deum exacerbat in commisso crimine lętari, vt in ipso totum & inexhaustum iræ sūę thesaurum reponat, quasi nihil iracundię non absorbeat inuerecunda in peccando licētia. Eos maxime abhorret, qui non reputant crimen commisisse,

aut

aut falsa vitiorum delectatione fuisse potitos, nisi id omnibus notum fiat, & quam Deus parui pendatur ab ipsis. Id saltem à delinquentibus propter fragilitatem exquirit, vt male agẽtes non mali videri ambiant: hæc enim cautela non parum crimina minuere videtur.

560 Isaiæ. 2. v 20 pollicetur Deus idola prosternere, & penitus ad præsentiã suę maiestatis euerti. *In die illa proijciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, et vespertiliones; et ingredietur scissuras petrarum, et in cauernas saxorum a facie formidinis Domini, et à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.* De conuersione Gẽtilium hæc accipit D. Basil. (commẽt. in Isaiam) qui adeo à dęmonis tyrannide erant possessi, tantaque stoliditate obcęcabantur, vt non solum bestiolas has, & hisce similes, verum etiam porros, allia, & cępas adorarẽt, vt scribit Plinius lib. 19. cap 6. At quęnam illę sunt petrarum scissuræ, quas Gentiles idolis abiectis ingressuri erant? *Latera* (inquit Basil.) *et foramina Redemptoris nostri.* Verum vnde gens illa perdita, & tot idololatriæ erroribus immersa tantum felicitatur, vt ad foramina salutis confugiens rãta ipsius vtilitate excipiatur? Quod nam meritum, & morum congruitas ad tam ingentem prosperitatem eam adduxit? Audi Basil. *Sententia superior indicabat, idola in arcanis locis recondi, præsens sermo eadem reijcit, quod mendacium prius conueniat pudore aspergi, deinde à corde est exulandum.* Quasi dicat: Pudor & verecundia, qua peccatum committitur, in causa est, vt à corde citius exulet. Peccabant enim ethnici idola venerantes, & quanquam deos orbatos oculis habebant, eorum simulacra in arcanis recondebant locis, vt ibi idololatriæ quasi pudore suffusi inseruirent. Crimen autem, quod aliqua verecundiæ specie committitur, quãuis grauissimum sit, aliquam timoris Dei speciem præ se fert; vnde non mirum, quod ipso auxiliante à corde euacuetur: nam vt dixit Cyprian *Benigno Domino sufficit vindicta pudoris.* Qui modestia & verecundia delinquit, veniam aliquomodo meretur, quia Dei, & suę existimationis studio sus videtur. Huiusmodi in peccando cautelam optime ponderauit D. Ansel. ad cap 29. Matth. id expendens, quod Iudas palam tradere militibus Magistrum noluit, sed quodam signo, & pacis osculo. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Matth. 26. *Habet adhuc* (inquit Anselm.) *de verecundia discipuli, qui non eum palam tradidit persecutoribus, sed per signum osculi.* Quasi dicat: Adhuc in modo & sagacitate, quam Iudas in tradendo Magistro obseruauit, doctrinam, quã in eius ebibit schola, indicauit: qua edoctus, esto illum tradere decreuerit, id tamen facere cum aliquo æstu & verecundia tentauit. Pudorem, quẽ à consortio Magistri affricauerat sibi, in crimine ostendit, & id minus malitiæ flagitium habuit. Sic enim vt culpam, quam perperrauit Noe, aliquomodo Scriptura minueret, id aduertit, quod *nudatus est in domo sua*; Gen 9. Vnde monet D. Amb (ad prædicta verba) peccata in occulto, & cũ verecundia commissa minus atrocia esse, quam quæ mundi oculis exponuntur. *Cautus est, quia etsi nudatur, in domo sua nudatur, vbi operimenta non desunt, vt vitia sua norit abscondere.* Hanc reor fuisse causã, cur Christus Dominus suscitaturus archisynagogi filiam, *Non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et patrem, et matrem puellæ.* Lucæ. 8 quibus ne miraculum reuelarent maxime commendauit: ad Lazari vero sepulchrum aduẽniens tantam accedere voluerit multitudinẽ, quibus adstantibus, & voce magna clamans *Lazare veni foras.* Ioan. 11 ligatum eduxit à tumulo, & cum suddatio cunctis intuendum proposuit. Cur tam in occulto puellã suscitauit, & tanta Lazarum publicitate? Auscultа Bedam sup cap. 8 Lucæ. *Sed et hoc notandum, quod quia publica vox a publico eget remedio, leuia autem peccata*

Plinius

D. Basil.

D. Cypr.

D. Ansel.

Isaiæ. 2. v. 20.

Matth. 26 v. 48.

Genes. 9. v. 21.

D. Amb.

Ioan. 11. v. 43.

Beda.

cata leuiori, et secreta queunt pœnitentia deleri, puella in domo iacens paucis arbitris exurgit, eisdemque ne miraculum vulgarent, indicitur. Iacebat extra domum Lazarus; intra domum puella iacebat: & aliter obiurgandi sunt, qui peccant in foro; aliter, qui in secreto: quia aliter & dispari malitia vtrique peccant. In resurrectione Lazari, qui publicum peccatorem referebat, semetipsum turbauit Iesus. *Ioan. 11. v. 33.* *Infremuit spiritu*, & lacrymas fudit, quia in publica peccata maxime exandescit, & ad velocem & publicam prouocatur vindictam. Vnde ipsum Nabuchodonosori infensum, & ad vltionem paratum exponit Propheta, quia nota illius scelera, & in delinquendo impudentia ipsum cogebant ad vindictã. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic. v. 14.

AN NOTAT. C. XXXIII MORALIS.

CRISPATI ET COMATI MOLles et effœminati, ad bella que inepti

561 TAM sũt à fortitudine alieni, qui prolixas comas nutriunt, nutritasque calamistro artificiose crispant, vt dixerit Seneca epist. 115. Lucillum vrgens, vt ab huiusmodi se se abstrahat fœminarum studio. *Seneca* *Nosti complures iuuenes barba et coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum.* Quasi iuuenes nostri æui indigitaret, qui toti sunt in colendis crinibus, ipsisque protrahendis, vt fœmineam referant imbecillitatẽ. Quibus mirè cõgruit, quod AElianus lib. 4. cap. 33. de leonibus tradidit: ex quibus qui profusiores crispioresque iubas habent, pugnę sunt inepti, timore frãguntur, & à naturali leonum generositate & fortitudine degenerant; qui vero simplices habent pilos, rectos & minimè tortos, reliquos viribus præstant, & facile superant. *AElian.* *Leo, qui habet crispiorem iubam, ignauior est, et imbecillior; qui vero procerior, piloque recto et simplici, generosior, et maiori animi robore præditus.* Adeo natura docuisse videtur in crispo illo apparatu volitantiũ cincinnorum non leones ignem spirantes, sed meticulosos lepores: non viros, sed elumbes, delicatos, atque fractos: non fortis animi excellentiam, sed assimilem fœminis mollitudinem inueniri. Quapropter viri omni exceptione maiores hanc capillorum curam, vt honestissimis viris indignam, abijciẽdam putarunt, probè scientes, Deum maxime abhorrere, quod homines muliebribus vtantur ornamẽtis. Vnde dixit Deuter. 22. *Maledictus omnis, qui muliebribus induitur.* *Deuter. 22. v. 5.* Ad quæ verba grauiter Tertullianus. lib. de idololat. cap. 16. *Nullum denique cultum à Deo maledictũ inuenio, nisi muliebrem in viro.* *Tertul.* Et D. Hieronym. (epist. 2.) calamistratas comas opponit ex aduerso pudicitię, quasi illa duo simul in eodem esse nequeant: scribens enim ad Nepotianum de vita Clericorum inquit: *Si Lector, si Acholitus, si Psaltes te sequitur, nõ ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceãtur.* *D. Hiero.* Et Clemens Alexãd. (lib. 3. pedagog.) merito in viris reprehendit huiusce modi capillorum ornatum, illum vocans *Illiberalem sexum, ac meritriciũ.* *Clemens Alexand.* *S. Basilius* Quibus cõsonãt. S. Basil hom. 24. *Cincinnatum et comptũ esse, atque appellari, æquè turpe censendum esse, ac impudicum esse.* Vnde vetus & commune prouerbium ortum habuit. *Nemo comatus, qui Cinædus non sit.* Vel vt ex Græco profert Sinesius epist. 104. *Sinesius.* *Nullus capillos, quin Cinædus sit, fouet.* Optime hos capillorum amatores & cultores carpit Seneca de breuit. vit. cap. 12. quam reipublicę sint nociui ostendens, & eorum inutile studium reprehendens. *Quis est istorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam suam? Qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Qui non comptior esse malit, quã honestior?* *Seneca* Concinnata, & ad amussim composita capillorũ fila ita curant, vt ne vnus extra ordinem vaguetur, totam rempublicam inordinari permittant. Piè ergo cõsulebat Tertullian. lib. de Virginib.

ginib. cap. vltimo. *Si Deus fuerit in pectore, cognoscatur et in capite* Nunquam Deus fertur capillis; imo vbi eorum minor est cura, certior adest, ex capiteque agnoscitur, an sit in pectore. Et ibid. ipse Tertullian cap. 12. reputat huiusmodi crispatos homines *Apertam profiteri mulieritatem*. Cui consentit Diu. Cyprian. de ieiunio, vbi in illos inuehitur, qui capillis muliebribus se in fœminas transfigurant. Vnde Cressus [vt refert Herodot. lib. 4o] consuluit Cyro Lydis præcipere, vt filios instrumenta musica pulsare, delitiosè psallere, & reliqua, quæ muliebrem imbecillitatem redolent, docerent, vt ex viris in mulieres degenerantes nunquam arma contra ipsum auderent arripere. *Impera, vt liberos citharam pulsare, psallere, cauponari doceant: et mox comperies, ò Rex, viros in mulieres degenerasse, nihilque metuendum, ne rebelles à te vnquam desciscant.* Summo dedecori olim erat virum muliebrem ornatum portare. Vnde Iulian. Imperator hoc supplicij genere terga vertentes milites multabat. *Desertores amictos veste muliebri per castra duxit distrahendos, ratus militibus, qui viri essent, huiusmodi pœnam et supplicium morte grauius futurum.* Quid non erubescere debent nostri temporis milites, qui ad bella procedunt muliebribus ornamentis, prolixa & culta coma, quasi suæ timiditatis supplicia iam deferant, & signa?

D Cypr. *Herodot.* *Iul. Imp.*

562 Terga vertit Absalon exercitus patris sui phalanges expauescens, nō audens cum illis manus conserere, in decorèque fugam arripiens, quem cum insequeretur Ioab, pendulus è quercu nodatis crinibus mā sit muloq; pertranseunte lancea ter trāsfixus interijt. *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, et magnam, adhæsit caput eius quercui, et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* 2. Reg. 18. Cur suspensus crinibus perit, qui ne crines perderet, pendebat? Laqueum mors armauit in capillis, quos tanto studio & diligentia curauit, comptèque nutriuit? Ita equidem, & merito, ait Hostiens. Drogo serm. de Sacramento Dominicæ passionis. *Crines suos ponderat pondere publico ducentis siclis: in eodem crine suspensus ad arborem inierit.* Qui crines tanta affectione curabat, crispatos ferro, pectine compositos, tamque profusos habebat, vt quotannis esset necesse eos tondere, quia prolixa eum grauabat cęsaries (vt habetur cap. 14. eiusdem libr 1. Reg. *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries)* non potuit non effœminate terga vertere in bello, & muliebriter fugam arripere. Merito crine suspensus interficitur, qui fractus animo, & effœminatus crinibus reddebatur ad bella. Exanimis ad hostis conspectum expauit, quia comatus miles nihil generosum audet, & indecorè certamen refugit. Dedecet enim virum fortem & ingenuum hæc superflua capillorum cura, ideoque illorum parcitas tam commendata est apud Patres, tamque venerabilis apud cordatos viros.

2. Reg. 18. v. 9.

Drogo. *Cap. 14. v. 26.*

563 Nec Deus moderationem in capillis nutriendis monere neglexit, nam pro illa extat lex Leuitic. 19. vers. 27. *Neque in rotundum [inquit] attondebitis comam.* Ex Hebræo legit Caiet. *Nec in gyrum atondebitis angulum capitis vestri.* Angulum autem capitis vocat demissas è temporibus comas, quę hinc inde pendebant. At cur calamistratos & crispos capillos prohibet, illosque arte & industria habere decoros? Auscultа Oleast. *Voluit Dominus, vt quemadmodum ipse eos hominiset faciem disposuerat, ita ipsi disponerent, atque collocarent capillos suos: vt scilicet super frontem totam esset vna incisio, et in circuitu capitis alia: aut voluit, eos esse omnino atonsos, quemadmodum nunc nostri ingedere solent.* Et in annotat. Moral. id magis expendens ait: *Quid tibi Domine et capillis nostris? Quid si in circuitu, aut quadrangulariter capillos incidamus? Noluit te destruere in facie figuramet dispositionem, quam*

Leuitic. 19 v. 27. *Caiet. ex Hebræo.* *Oleaster.*

fecerat ipse, et faciei tuæ decorem et pulchritudinem curauit. Capilli [inquit] *capitis vestri omnes numerati sunt.* Quasi dicat: Creauit te Deus cum pulchritudine hominis, non vult, vt te in fœminam transformes: quod quidem efficies, si faciem crinibus operueris, subindicans primò Deum hominem moderata coma, & vndequaque quasi tonsa creasse. Inque fert virum propter affectatam capillorum multitudinem in mulierem degenerare: hoc enim & ipsum Creatorem deuenustat, quandoquidem eius opera imperfectionis arguunt illa emendantes; & probos viros maxime dedecet. Vnde dicebat Paulus (1. Corinth. 11. vers. 14.) hunc muliebrem ornatum magnam viro esse contumeliam: quia ipsum imbecillem, fractum, & nullius valoris conuincunt. *Ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier vero si comam nutriat, gloria est illi.* Vbi Caietan. *Apparet enim, quod mollis, quod muliebris sit vir comatus, vtpote prolixo ac fulto capillo more mulierum.* Coma mulieres decet, quia in sacris velatæ coma apparebant; at viro indecens & ignominiosa est, non solum, quia capite detecto sacris assistebat, sed quia muliebrem in ipso imbecillitatem arguit. Mulierum, non hominum corda habent, qui longas nutriunt, & ponunt in statione comas. Forte ad capitis ornatum, & superfluam capillorum congeriem, quæ maximè milites decet, respexit Propheta, vbi Deum bellatorum capiti infensum introducit: nam apud Chaldæos, de quibus loquitur, solēne fuit profusiores nutrire capillos. *Maledixisti sceptris, eius capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic vers. 14.

1. Cor. 11. v. 14.

Caietan.

ANNOT. C. XXXIV. MORALIS.

MALVS SVPERIOR IMPIOS; Bonus pios iuxta se habet ministros.

564 QVI non Dei gloriam, sed sua emolumenta quærunt Principes, ministros sæpe eligunt, qui nec debitam seruant fidem in suo administrando munere, nec recta suadent: iustoque Dei iudicio fit, vt apud eos maxima polleant authoritate effœminati homines, turpes, cupiditatis serui, adulatores & nebulones, qui eos continuo decipiant in magnam populi perniciem. Principes vero, qui non suam, sed Dei gloriā ambiunt, ve races viros, & bene moratos sibi associant cum magna populi vtilitate, ita vt ex ministrorū probitate liceat arguere Principis generosam indolem: & qui eis caret, merito an sit bonus dubitatur. Quod eleganter dixit D. Bernard. libr. 4 ad Eugen. circa medium. *Veniamus ad collaterales tuos. Hi si boni sunt, sibi potissimum sunt; si mali, aque plus tibi: nec te dixerim sanum dolentem latera.* Hoc est: Non te bonum reputem malis innitentem ministris. Et paulo infra. *Nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis: non magis quam sanitas vicino serpente.* Vbi recte prauum venenato serpenti comparat socium: quia sicut ille corpori, ita & iste animo insidiatur.

D. Berna.

Idem.

565 Præcepit Moyses Iosue bellū inire cū Amalecitis, pro cuius prospero euē tu leuatis ad cœlū manibus preces fū debat: quę quidem leuatio ita erat efficax, quod *Cum leuaret manus Moyses, vincebat Israel; sin autē paululum remisisset, superabat Amalec.* Exod. 17. v. 11. At quoniam longæuæ ætatis pō dere Legislatoris manus iā grauabāt, illas super Aaronem & Vr positas habebat, ita vt appareret, quod non solū Moysis oratione de inimicis reportaretur victoria; sed etiā Aaronis & Vr adiutorio, quibus ad manus eleuandū vtebatur: etenim si pauculū fulcrum deficiebat, prę ualebat inimicus, & vincebatur Iosue. Quem quidem euentū optime versat Philo lib 2. allegoriar. id expendēs, quod ex illis duobus viris, quibus innitebātur manus Moysis, *Aaron ratio interpretatur, et Vr lumē, seu veritatem significat. Vult ergo*) prosequitur Philo) *Scriptura figurate docere*

Exod. 17. v. 11.

4. Reg. v. 11.

Caietan

Philo.

docere te actiones sapientis necessario fulciri ratione, et veritate. Esto Rex iustus sit & deuotus, omnique virtutum exornetur apparatu; si tamen manus, quibus operatur, quæ eius sunt ministri & munera obeuntes, rationi & veritati nõ adhęreant, nõ est cur in bellis victoriam expectes; time potius vltimam calamitatẽ: neq; in pace quicquam boni agendum erit, nam Princeps ad instar horologij, quod horas foris signat, & sonitu euulgat; occultę autẽ, quæ intus latent, rotæ in causa sunt, quod inordinatè, vel ordinate pulset: sic Princeps licet omnia præstet, eorum tamen, quę recte, vel inordinate agit, consilarij sunt ministri, quandoquidẽ resolutiones ab eorum fatuo, vel prudenti consilio dependẽt. Non secus ac horologium tunc eredi tur interius concinnate dispositũ, cũ rotę in suis deambulationibus neque pręcurrunt, neq; retardãtur: Princeps tunc bonus reputatur, cũ consiliarios habet & coadiutores, qui eũ recte dirigũt, & à iustitiæ orbita nõ discedũt. Magna ergo solertia illi sunt deligendi, à quorũ opinione Principis opinio desumitur. Pergẽtibus aduersus Moab tribus illis Regibus, de quibus agitur 4 Reg. 3. cũ in deserto Idumææ aqua deficeret, & æstuaret exercitus, quę siuit Iosaphat, an ibi esset aliquis Propheta Doñi, qui preces funderet ad Deũ pro obtinenda aqua: serui Regis Israel nũtiauerunt ipsi adesse Eliseũ, qui aquã super manus Eliæ solitabat fũdere. *Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Ad quid vbi populus siti cruciatur, & de illius agitur remedio, Eliseus describitur aquã super magistri manus diffundẽs? Congrue Caiet. *Ab hoc officio describitur Eliseus domesticus minister Eliæ: vt hĩc crederetur, quod non nisi vir sãctus esse posset tã domesticus Eliæ.* Vt sanctitatem Eliseĩ commendarent, sat ipsis videbatur, si ostenderent, ipsum Eliæ fuisse ministrum: nã optimus Præsul, qualis erat Elias, & zelo iustitiæ inardescens, nequiret non nisi optimos, & eiusdem spiritus participes iuxta se habere: quandoquidem boni Principes, & causæ publicæ studiosi non nisi eiusdem spiritus ministros eligunt.

4. Reg. 3. v. 11.

Caietan.

Hoc inquam documentum maxime Christus Dominus docere voluit, & in ipso magnopere commendauit Isaias cap. 11. *Et erit iustitia cinguli lumborum eius, et fides cinctorium renum eius.* Id est, pro cingulo regio auro, gemmis, & vniombus pretiosis insignito, iustitia & veritate erit succinctus, vt explicat Procop. Quia sicut cingulum vestes continet, & corpori applicat, ne fluant, & pedibus calcentur: sic veritas & iustitia rẽpublicam sustentant & fulciunt: nam vt dixit Cicero in paradox. *Ius et æquitas vincula ciuitatis sunt.* Sed ad nostrum institutum Chaldæus accommodatè vertit. *Et erunt iusti circa eum, et fideles, seu veritatem appropinquabunt ei. Id est, cuiuscumque gentis fuerint, illi familiariter adhærebunt, et instar cinguli, quo lumbos præcingimus.* Quasi dicat: Ea erit Principis, quem expectamus, præcipua laus, quod amici & priuati, qui ad eius latera ambulabunt, & in ipsius gratia præualebunt, fideles erunt & iusti; imo ipsa iustitia & veritas, omnesq; & soli illi, qui his virtutibus decorati fuerint, munera obibunt: vnde eius bonitas & egregia laus palam nobis innotescet: siquidem perfectus Princeps eximios apud se habet ministros, deceptores autem & fallaces à se longe abigit. Hinc est quod primis Ecclesię Pastoribus dixerit Christus Matth 5. *Vos estis lux mũdi.* At quid lux speciositatis habet, vt optimũ indicet Pastorem? D. Thom. hic. *Lux est delectabilis, aues garrire, bestias latere facit.* Quasi dicat: In eo eximius dignoscitur Prĩceps, qui lucis refert naturã, quod aues, id est, benemeritos & ingenuos viros exhilarat, & garrire facit, munera publica ipsis cõmendans, bestias autem, id est, bruteścentes homines aut propter naturalem stoliditatem, aut propter deprauatã indolẽ latere cõpellit, illos à regimine arcens: etenim dũ dies est, dũ lux splendescit, fere & insecta latent. Vnde dixit Dauid Ps. 103. *Ortus est sol, et congregati sunt,*

566

Isaiæ 11. v. 5.

Procopius

Cicero.

Chaldæus.

Matth. 5. v. 14.

D. Thom.

Psal. 103. v. 22.

et in cubilibus suis collocabuntur. At adueniẽte nocte è cauernis & antris egrediũtur, & insurgunt ad prædam,
Vers. 10. vt præmiserat Propheta. *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertrãsibũt omnes bestiæ siluæ.* Econtra vero homines in die apparẽt, & obtegũtur nocte. Sic vtiq; quãdo strenuus regnat Princeps, virtute prẽditi, veraces & fideles homines euehũtur ad regimen, apparẽt in luce, & in suo ordine vnusquisq; garrit; noxia animalia, homines videlicet inepti, deceptores latitãt, & longe relegãtur ab ipso. E regione vero iniquus Princeps, qui nõ lucis, sed tenebrarũ habet imperiũ, prẽstantissimos viros à se abigit, & pessimos ad prædã & direptionẽ populi instituit.

567 Cum cognouisset Ioathan Sichimitas pessimũ Abimelec in Regẽ constituisse, parabolã arborũ illis proposuit, quæ cũ Regẽ sibi quæreret, nullaq; imperiũ vltro oblatũ acceptaret, rahmnus libenter mũneri se se obtulit.
Iudic. 9. *v.* 14. *Dixerunt omnia ligna ad rahmnum: Veni, impera super nos.* Iudic. 9. In rahmno iniquum Regem Abimelec indigitauit, qui inter omnes fratres pessimus fuit, populũq; subiectũ tyrannica dominatione succendit. *Rahmnus*) inquit Lyra) *secundũm Isidor. est dumus paruus, qui vento agitatus ex se emittit ignẽ: sic Abimelec agitatus ira succẽdit populũ.* At cur pernicios⁹us Princeps, qualis Abimelec erat, potius per rahmnũ, quam per aliam arborẽ Ioathan tradidit agnoscendũ? Arbitror, quia rahmnus solũ venenatorũ insectorũ habitatio est: lacerta, angues, & idgenus plura rahmnũ habitant, ad illa mq; habẽt accessum, quin ipsius sentibus pungãtur; si vero appropinquent homines, illos lacerat, aduncat, & ferit: sic ad pessimos Principes tantũ pessimi ministri ingrediuntur. *Los malos solos tienen entrada.* Lacerta & noxia quęque animalia recipiunt, & protegunt; homines vero ingenuos, virtute prẽstantes lacerant, & pungunt, atq; à se longius relegãt. Cuius causam tradit Philo lib de sacrific. Abel. & Cain. *Rectã enim rationem gubernare solitã ac præcipere odit omnis amator affectuũ: sicut deterrimus quisque puer odit præceptores ac pedagogos, et omnem bonum monitorem, castigatoremque.* Præstantiores & bene morati viri iniqui Principis mores & inclinationes tacitè reprehendunt, ipsiusque praua consilia auertere satagunt: quapropter eos habet exosos, & à se relegare studet; in ipsorumq; locũ ministros sibi similes, & suæ prauæ indolis consortes introducit. Quod quidem agnouit Prophe ta in turba Nabuchodonosorẽ comitante, & ipsius impietatem per omnia exequẽte: cui Deus merito maledixit vtpote suo rectissimo regimini contrariæ. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic v. 14.

ANNOTAT. C. XXXV. MORALIS.

HVMILIS IN DIGNITATE asper, et superbus; Nobilis blandus, et humilis.

568 ASPERIVS nihil est humili surgente in altum. Caute timet, qui suam abiectionẽ agnoscit, ne quid ab ipso dignitatis, quam non meretur, adimatur. Nihil ethere blandius in solo est; at cœlo furit, indeque fulmina iacit. Vnde D. Chrys. hom. 30 in Ioan. *Illud non ignoratis, quod quãto quis humiliori gradu ad dignitates assumitur, facilius in superbiæ insaniam effertur, vtpote qui expers sit repentini et insperati honoris.* Cupit arroganter priscam denegatę nobilitatis obliterare notam, qui iam fortuna auspice ascẽdit ad summa, & superbissime turget, vt innata illiberalitas non agnoscatur, efferturq; inopinati honoris culmine. Vnde cecinit Claudian. lib. 1 in Eutrop. *D. Chrys.*

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes, *Claudia.*
Vt se posse putet: nec bellua tetrior vlla est,
Quam serui rabies in libera colla furentis.

Dum dignitatem exambit, ad humiliora

liora descendit officia; at supremo potitus, humido supercilio in omnes inuehitur. Quid humilius & blādius, quā Abimelec principatū ambiēs? Audi illū contribules suos alliciētē Iudic. 9. v. 2. *Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, vt dominētur vestri septuagīta viri, omnes filij Ierobaal: an vt dominetur vnus vir? Simulq; cōsiderate, quod os vestrū, et caro vestra sum.* Sic callide lenitatis speciē prę ferens ad fratres matris suæ allocutus est, qui decepti ipsū Principē cōstituerūt. Sed quid postquā ad regiā dignitatē fuit euectus? Auscultа textū. *Et venit in domū patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros super lapidē vnū.* Ibid. v. 5. Vix regnū obtinuit, cū tastuosè turgens, & desæuiens nobiles interfecit omnes, & se se cū Persis colligauit. *Cō duxit enim viros inopes et vagos, et secuti sunt eū.* Hęc enim sunt vilis ambitionis facinora, & sublimatæ humilitatis cōsequētię. Vnde merito ipsius frater loathā volēs insolentiā & ferociā Abimelec ostendere, & quā degenerauerit, postquā principatū fuit adeptus, ipsum in rahmno Sichimitis exposuit: quia, vt inquit S. Antoninus, *Rahmnus est genus rubi asperū nimis, in principio molle, postea indurescit.* Sic infimę sortis homines dignitates ambientes primò molles vidētur, ita vt nihil ipsis dulcius, nihil desiderabilius appareat; & negotiata fortuna obtēta superbiæ īpetus in pectore latētes manifestāt, & magna ferocia & crudelitate subiectū populū adoriūtur. Pulchrè hos agnouit D. Greg. in igne de cœlo descēdēte, & familiā Iob, omnēq; eius substantiā deuorāte. *Ignis Dei cecidit è cœlo, et tactas oues, pueros q; consūpsit.* Iob 1. v. 16 id expēdēs, quod nō solū oues, sed & pueros etiā cōsumpserit. *Quia dū mali Præpositi* (inquit) *suū cōtra veritatē honorē exigunt, ab omni rectitudine corda sequentiū subuertunt.* Qui in dignitate suę indignitatis sunt cōscij, inaniter superbiunt, & nihil in republica non euertunt: in munere absque ratione constituti absque ratione operantur, & elatior in ipsis excrescit intolerabilis superbiæ fastus.

Iudic. 9. v. 2.

Vers. 5.

Vers. 4.

S. Anton.

Iob. 1. v. 16.

D. Greg.

Christus Dñs edocturus Discipulos suos nō solū verbo, sed etiā exēplo, humilitatē, quā obseruare expediebat, exercuit, ipsorū pedes lauat in vltima cœna, vt hoc eximiū humilitatis seruitiū doctrina sit ipsis ad similia patrāda. *Exēplū enim dedi vobis, vt quemadmodū ego feci, ita et vos faciatis.* Ioan. 13 v. 15. Humilitatem, quam ipsis prędicabat, prius opere cōplebat, vt intimius eam affricaret Discipulis. At cur superbirēt, qui ex ignobili fortuna assūpti ad dignitatis insulas ascēderāt? Cur Christus Diuinitatē demittit, vt naturę vitiū cohibeat in Discipulis, & depositа superbiæ arrogātia seruorū more ministrēt? Crediderim, quia, vt dixit Apostolus Paulus 1. Corinth 1. v. 27. *Infirma mūdi elegit Deus, vt cōfundat fortia.* Sciebat quā proximo periculo sint exposīti ignobiles ad dignitatē euecti, vt in superbiā labātur: idcirco eos tā officioso studio prævenit, ne ab humilitate excidāt: fomitē enim, quē ab ipsis incunabulis traxerunt, extinguere satagebat, agnoscēs quā sit difficile, nō sapere abiecta naturę principia Ministeriū seruitutis exhiber, vt in Discipulis ex fœce plebis allectis naturalē superbiēdi appetitū cōprimat, ne immoderatè propriæ vilitatis īmemores efferātur: naturaliter enī in huiusmodi superbiæ stimulos incidunt, qui de humili genere & fortuna surgūt in altū. Sic Saul, qui antequā eligeretur in regē, se tā topere despiciebat, vt se abscōderet, ne regnaret propter humilitatē; postea tam degener in regno apparuit, vt plurima immania tēt aret flagitia, & egregiū virū (qualis erat Dauid) gliscceret occidere. Ipseq; Dauid, ātequā regnū esset aucupatus, humiliter se gessit; posteà verò elatus superbia populū numerauit. Sic Agar, postquā de domini cōcubitu cōcepit, ita se insolēter extulit, vt dominā suam parui penderet: *At illa concepisse se videns despexit dominam suam.* inquit text. Genes. 16. Mirum est, quod vilis & abiecta ancilla sic dominam contemnat, & mirabilius, quod ope & cōsilio eiusdem dominæ ad dignitatē

569

Ioan. 13. v. 15.

1. Corinth 1. v. 27.

Genes. 16 v. 4.

ascenderit, atque ex Abraham conceperit. & postea ipsammet dominã, cui erat deuincta, æstuosa superbia despicerer. At ex vili mancipio, & ignobili ancilla quid, nisi huiusmodi superbię fastus, erat expectandum? Plus superbiendo præsumit, qui minus habet, vnde superbiat: ideoque caute seruilis conditionis hominibus beneficia
Origenes. sunt conferenda. *Quia*, vt dixit Orig. in Catena Græca. *Non enim cuiusuis est meliorem bene ferre fortunam, aut ex humili euecti non superbire.* In satis enim spicæ, quę ob leuitatem sursum eleuantur, inanes & euanidæ censentur: sic qui in dignitate turgẽt, & eriguntur, nihil nobilitatis, nihil solidæ virtutis præ se ferunt.

570 Aliter nobiles in dignitate constituti facilimè à sublimitate descẽdũt & in ipsa deiectione generosam naturę indolem ostendunt. Quod pulchrè annotauit D. Chrysost. (hom 9 ad populum Antioch.) discrimen obseruãs, quod inter cœli astra, & terrena lumina versatur: illa etenim ex cœlesti origine procreata ad terras libenter descendunt, & ima vltro petunt; at lumina terrena sursum ascendere semper
D. Chrys. conantur. *In sole* (inquit) *totum Deus contrarium fecit: ipsius radios ad terrã conuertit, et lucem fecit inferius: lucernæ quidem flamma hoc ferre non potest; sidus vero tam magnum ad inferiora.* Enimuero sicut sol & illustrissima quęque cœli astra luces & radios ad inferiora demittunt, vt infimum locũ occupent; viles vero, quę in terra ardent, flammæ ascendere semper anhelant, & in imo perstrepunt: sicut aer in terra blandus & lenis, cum ad mediã ascendit regionem, totum orbem cõturbat: sic plerumque nobiles, & de generosa stirpe procreati de sua innata nobilitate securi se se humiliant, cum ad dignitates ascendunt, & ad infima officia descendere non dedignantur; secus abiecti & ignobiles, qui in dignitate constituti superbiæ tumore inflantur, & omnibus se prębẽt asperrimos & intolerabiles: in fastigium elati arroganter se extollunt, & in aduersa fortuna, quam ferre nequeunt, abiectissimè humiliantur; in qua nobiles suam generositatem magis ostendunt. Vnde indolem nobilissimæ tribus Iuda moriturus Iacob fuit auguratus Genes. 49. v. 9. *Catulus leonis Iuda, requiescens accubuisti, vt leo.* *Genes. 49 v. 9.* Hebræus vertit. *Genuflexit, sicut leo.* At *Hebræus.* nihil minus leoni competit, quam genua flectere, quia de stirpe regia gloriatus nullum reueretur. Verum in hoc nobilius stemma Iudę demonstratur: nam vbi aduersam fortunam est passurus, tanquam leo humiliatur, regalem generositatem etiam in aduersis manifestans, non vt canis blandiendo, neque vt simia adulando; sed vt leo, qui ad huiusmodi indecoras blãditias etiam postratus non descendit. Id enim proprium nobilitatis genium est; sicut abiectę conditionis in prospera fortuna fastuosa superbia omnes arroganter despicere, & duro supercilio vexare. Sic impijssimus Princeps Nabuchodonosor ventositate veluti turbo furens Iudæos dispersit, & vbique oppressit, quia tam vilis erat conditionis, vt meruerit in stolidam belluam degenerare. *Maledixisti sceptris eius capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Hic vers. 14.

VERS. 15 *VIAM FECISTI IN mari equis tuis in luto aquarum multarum.*

ANNOTATIO C. XXXVI.

EXPOSITIO LITTERAE

571 NARRAT Propheta modum captionis Babylonicę ciuitatis à Persis debellatę, quę per diminutionem aquarum Euphratis facta fuit, quem quidem Euphratem mare vocat more Hebræorum, qui omnem congregationem aquarum magnam mare vocabant, secundum illud Genes. 1. *Congregationesq; aquarum appellauit maria.* Sic Lyra & Hug. *Lyra. Hugo.* consequentius, quam Sanchez, qui prædicta verba accipiẽs de expugnatione Babylonis, putat hic mentionẽ fieri

fieri de transitu maris Rubri & Iordanis

572 *Viam fecisti in mari equis tuis.* Sermo est de equis Medorum & Persarum, quibus ad bellum contra Babyloniam pergentes insedebant, quique equi dicuntur Dei, eo quod à Deo sunt directi in executionem Diuinæ Iustitiæ. *In luto aquarum multarum.* Quia alueus Euphratis non erat totaliter desiccatus: vnde in illo lutum aderat derelictum ab aquis multis antea per ipsum fluentibus. Diuisum Euphratem ab Ezechiele sicut olim mare Rubrum à Moyse, vt captiuus populus hostium barbaram captiuitatem effugeret, tradunt Epiphan. libr. de vit. interit. que Prophetar. & ex eo Doroth. in Synops. Isidor. Chronic. Alexand. verb. Ezechiel. Dicunt enim apertum ab Ezechiele fluuium, quo suos eriperet, atque ad securam regionem traduceret, & in medijs fluctibus demersos fuisse Chaldæos, qui eodem alueo illos insequebantur.

Epiphan. Dorot. Isidorus

ANNOT. C. XXXVII. MORALIS.

MAGNIS BENEFICIIS SVPPLICIA Deus compensat.

573 MVLTAVERAT Deus Israelitas ob grauissima eorum scelera, adducti erant in Babyloniam, vbi captiui miseram degebant vitam: sed quoniã illius mos est, post inflictas pœnas magna beneficia largiri, quasi supplicia merita essent, adducit exercitum Persarum & Medorum, & mirabile portentum operatur, vt de ergastulo diræ captiuitatis liberentur Hebræi. Cum enim Euphrates non minus impedimenti esset egressuris à Babylone Iudęis, quam Iordanis olim in terram promissionis ingressuris, vel mare Rubrũ ex AEgypto egredientibus, profundissimusque alueus quasi agger esset oppositus Persis ad expugnandam ciuitatem, insuperabilemque transitum obijceret; Diuino imperio exsiccatus, & apertus est, vt suos captiuos ad vlteriorem ripam Deus traduceret, & in fluctibus demersos Chaldæos relinqueret: nunquã enim Deus, quos vindex visitauit, postea non magna consolatione visitat. Vt iràs Herodis effugeret, exulabat puerulus Iesus in AEgypto, & cum ipso pergere admonuit in somnis Angelus Ioseph. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, accipe puerum et matrem eius, et fuge in AEgyptũ, et esto ibi vsque dum dicam tibi: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Matth. 2. v. 13. Non vacat mysterio, quod potius in AEgyptum, quam in aliam regionem fugitiuus cum infantulo pergat Ioseph, vt terram illustret, quæ aduersus populum Dei semper extitit inimica. Nulla sane minus merebatur ipsius præsentiam, quandoquidem præ omnibus illi erat iuuisior. Cur quam toties percusserat propter patrata in populum flagitia, modo non abhorret, sed se illius exosę gentis contribulem præbet? Ausculta Authorem Imperfecti hom. 2. in cap. 2. Matth. *Sed etiam recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur, neque in æternũ indignatur, quanta mala fecerit super AEgyptum: ideo mittit Filium suum in eam, et dat illi magnæ reconciliationis signum, et perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas AEgypti vna medicina sanaret.* AEgyptum propter eius scelera antea percussam, & horribilibus plagis vexatam posteà sua pręsentia solatur, vt pro inflictis supplicijs beneficia rependat, ne omnino à pietate videatur alienus. Optimè agnoueuerat Sponsa Sponsi ingenium, cum dixit: *Læua eius sub capite meo, et dextera illius ãplexabitur me.* Vbi Theodoret. *Pro dextera supplicium, beneficiũ pro sinistra intelligimus.* Quasi dicat Sponsa: Ea est dilecti natura, vt cũ me pœna afficit, cum suppliciũ eius super caput meum descendit, confestim beneficijs me repleat.

Matth. 2. v. 13.

Imperf.

Cantic. 2. v. 6.

Theodor.

574 Puniuit Deus Magnum Zachariã vocis ablatione, eo quod non crediderit eius verbis, quę filium in lõgęua ętate, & geniali impotentia geniturũ pollicebantur: sic enim Angelus ipsi fatur:

Lucæ. 1. v. 20. fatur: *Et ecce eris tacens, et non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.* Lucæ. 1. v. 20. Transacto autem punitionis tẽpore, non tantum vox ipsi fuit restituta, verum etiam prophetię spiritu apparuit exornatus. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu Sancto, et prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel.* &c. ibid v. 67. At vnde Zacharias Propheta extitit? Sacerdotem esse sciebam, sed Prophetam ignorabam; nusquã enim vsque modo Propheta dicitur. Quis ergo crederet, ex diuturna taciturnitate prophetiæ donum hausisse, & ad loquelam organũ euasisse Spiritus Sancti? Amb id alte ponderauit, & resultans ex supplicio lucrum agnouit. *Bonus Deus, et facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia Diuina desperet. Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum, ille siquidẽ dudum mutus prophetizat.* Preme illa verba *Non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Quasi diceret: Non solum Deus supplicium pro incredulitate inflictum abstulit, verũ magno prophetię beneficio compensauit, ac si pœnam & vocis priuationem induceret, non vt affligat, sed vt occasio sit vberioris beneficentiæ. Tã est à Deo alienum plectere peccantẽ, vt non solum reddat, quod puniens abstulerat, sed cum ingenti lucro iacturam reparet, quasi restitutionis titulo, & damni emergentis compensatione. Tam sunt cõnexa pœnæ & beneficia, vt illarum ista videantur consequentiæ. Loquitur Isaias de Assur Assyriorum Rege, quem Deus in vindicem assumpsit ad punitionem populi, & in virgam iracundiæ suæ. *Væ Assur virga furoris mei.* Isaiæ. 10. & statim in eodem cap. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Mira hęc virgarum consequẽtia: Nam (vt renẽt Hieronym. Rupert. & alij) hæc secunda virga, quæ ad furoris Dei virgam subsequitur, beatissimam Virginem referebat. Iam ergo merito ambiges, cur vnam cum altera virga coniungat Propheta, cum tã aduersę sint conditionis: nam prima minas, furorem & supplicia fulminat, & Diuinæ indignationis iram exequitur; secũda tota pulchra & suauis est, pietatem & misericordiam exhalat. Quo ergo pacto ferè eadem clausula vtramque virgam amplectitur? Audi ibi Rupert. *Optima oppositio: supra ostẽditur ille spiritualis Assur virga furoris Domini, et in manu eius baculus indignationis eius: Ecce virga autem gratiæ, virga requiei Domini MARIA, et in illa flos, in quo habitet, super quam requiescat amoris plenitudo et Diuinitatis.* Postquam supplicium per Assyriorum Regem infligendum ostendit Propheta, ingenij Dei non ignarus magnum Incarnationis indicat beneficium. Furoris virgę virgam pietatis cõtexuit, nam solitat Deus supplicia beneficijs compensare, ita vt inflictæ pœna subsequendę misericordiæ sit prophetia, & ex afflictione liceat solatium augurari.

Isaiæ. 10. v. 5. Cap. 11. v. 1. D. Amb. Lucæ. 1. v. 20. Verſ. 67. Rupert.

Matth. 4. loquens Euangelista de principio prędicationis Christi adducit testimonium Isaię. *Terra Zabulon, et terra Nephthali via maris.* &c. vt innuat primo in his tribubus prædicationis verbum fuisse dissem-inatum. Si autem scire desideres, cur tam magnum beneficium prius Dominus his populis concesserit, quam alijs; ausculta ibi D. Hieronym. *Hi primi (inquit) audiuere Dominum prædicãtẽ, vt vbi Israelis fuerat ab Assyrijs prima captiuitas, ibi Redemptoris præconium nascerętur.* Beneficia Dei supplicijs respondẽt, iracundiæ misericordia: & cum primò illę tribus in captiuitatẽ fuerint redactæ, primò Dei miserentis prædicatione & doctrina fruuntur: *Quia (vt inquit Imperfectus) hæ tribus ante omnes transmigratæ sunt in Babylonia: conuenienter ergo quos ante omnes ira Dei percussit, primùm Dei misericordia visitauit.* Fugiente Agar à facie Sarai apparuit ei Angelus, qui cum interrogaret, vnde veniat, aut quo vadat, illaque responderet se fugere

575

Matth. 4. v. 15. D. Hiero. Imperf.

gere à facie dominæ suæ, iniunxit illi, vt in domum reuertatur. *Reuertere ad dominam tuam, et humiliare submanu illius. Et rursum multiplicans* (inquit) *multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.* Gen. 16. v 6. Autumat Caiet. perspicuè hic Deum innotuisse, ita vt nullus ancillę ambigendi remaneret locus. Verum vnde id colligitur? Audi Caiet. *Hoc enim Dei officium est, et in persona Dei Angelus hoc dixit, adiunxit siquidem tristibus læta: dixerat contraria voluntati Agar, Reuertere et humiliare; et adiunxit concupita, Multiplicabo semen tuũ.* Nescit Deus tristia non lætis admiscere, supplicia non beneficijs temperare, & ibi agnoscitur, vbi quod vna manu sauciatur, altera fouetur: quos pœna aliquomodo deuenustat, fauoribus & beneficijs postea nobilitat. Propheta Deo inobediens, cum ex legatione ad Ieroboã rediret, in manus incidit leonis, qui eum occidit, & postea cadauer seruauit, ne ab alijs bestijs deglutiretur. *Inuenit eum leo in via, et occidit, et erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, et leo stabat iuxta cadauer.* 3. Reg. 13. Dubitat D. Greg. cur leo, qui Prophetam occidere fuit ausus, tantopere illum mortuum reuereatur, vt non solum eum nõ deuoret, sed à carnijuoris feris custodiat: & sibi pulchrè satisfacit. *Qui occidendi causam habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodum cadauer iusti.* Vbi supplicio expurgata fuit culpa, statim Deus honorificans ad fuit, & cadauer Prophetæ non sinit offendi, sed honore & pietate ipsum prosequitur, quia ipsius punitionis sequela est beneficiũ & honor, quibus supplicio affectos solatur.

Genes. 16 v. 9.

Caietan.

3 *Reg. 13. v. 24.*

D. Greg.

ANNOT. C. XXXVIII. MORALIS.

MVNDIALIVM RERVM ABDIcatio mirabile Dei opus.

DVM Deum introducit Prophe ta viam equis suis sternentem, inter ninuosos maris gurgites, inter lutea aquarum impedimenta: *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hic vers. 15. Iustos à cura & solicitudine temporalium rerum Dei ope expeditos indicat, & omnia mundialia bona abdicãtes, minimeque luto, quod referunt, immersos. Sic Lyra in additione ad nostrum Vatem prædicta verba versat. *Christus fecit viam equis suis, id est, iustis, quos regit, sicut eques equum suum: et hoc dando eis exempla vitæ, et consilia saluberrima, per quæ possent vitare fluctuationes et pericula huiusmodi curarum et solicitudinum, prohibuit enim Christus solicitudinem futurorum et temporaliũ Matth. 8. Et sic facit viam in huiusmodi mari turbulẽto.* Opes & diuitias ab amicis suis Deus submouet, ne rerum affluentia materia sit delinquendi, & fomes peccãdi: voluit enim, vt nullius rei curam & solicitudinem haberent. Vnde addubitat Philo (lib. de opific. mundi) cur vltimo loco in serie creaturarum creatus fuerit homo, nam postquam omnia à principio condidit, ipsum creauit. Pręstaret præstantiorem creaturam, quę omnes in perfectione præibat, præire etiam in conditione. At non ita oportuit (inquit Philo) vt omnia homo recenter creatus haberet parata, & de nullo esset solicitus. *Mox vt natus est homo, paratum inuenit quidquid ad vitam opus erat, vt futura disceret.* Fecerat Deus hominem, vt in Creatoris meditatione vitam insumeret, & nulla alia diuersione deflecteret: ideoque expediens fuit omnia, quæ ad vitam erant necessaria, ante ipsum creare, ne alicuius cura solicitus à Dei contẽplatione diuerteret, & studiosus rerum tẽporalium distraheretur ab ęternis, & illecebra vitiorum inde serperet, sed continuo ad suprema mentẽ eleuaret. Quo respicit pręcepisse Deũ (Leuitic. 11 v. 10) Hebręis ex piscibus, qui pinnulas non habent, eos abominabiles esse, & neutiquam ex eis comedere licere.

576

Lyra.

Philo.

Quid-

Leuitic.11 v.10. *Quidquid autem pinnulas et squamas non habet eorum, quæ in aquis mouentur, et viuunt, abominabile vobis.* Cur inhibet pisces comedere pinnulis carentes, & pinnatos in cibum approbat? Recte D.Gregor.lib.5.Moral.c.8. D.Greg. *Pisces namque, qui habẽt pinnulas, saltus dare super aquas solent: soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod in imis deseruiunt, interdum ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant.* Vult Deus, vt crebrè mentis saltibus per contemplationem ad ipsum ascendamus, & detestatur in profundo temporalium rerum luto immersos. Illos in electorum numero adscribit, qui lutum diuitiarum excutiunt, & ab illarum se se pondere exonerant, vt absque impedimento conscendant ad ipsum: nam maxime illarum solicitudine prę pediuntur pedes viam salutis arripientis.

577. Est quidem rerum temporalium abundantia seminarium criminum: nam iam auaritiam suadet: iam prodigalitatis causa est: stimulat ad venalem luxum: ad libidinem irritat: gulę materiam subministrat: iram succendit: furorem in aliquibus excitat: fastuosam in alijs superbiam inflat: nullumque vitium est, quod diuitiarum copia non vigeat. Vnde sẽtentiosè dixit Seneca in libel. de paupertat. Seneca. *Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum à furoribus liberet?* Subindicans incitamentum ad quoscumque furores esse diuitias. Vnde auaro diuiti apud inferos cruciato nullam aliam pœnarũ causam reddit Abraham, nisi quod diues extiterit Lucæ.16. v.25. *Fili, recordare, quia accepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autẽ hic consolatur; tu vero cruciaris.* Lucæ 16.v.25. Quod crimẽ est diuitias possidere, quod nihil aliud auaro obijcitur, vt gehænnalibus flammis merito crucietur, nisi quod bona accepit? Enimuero tam sunt procliues, qui numerosas opes comparant, ad vitia, vt idem videatur criminosum esse ac diuitem, quasi diuitiarũ sequela delicta sint: idem enim fuit dicere, *recepisti bona*, ac cõmisisti mala. Hoc vnũ insimulatur crimen, quod diuitias possedit, quæ fomes sunt & incentiuum ad quæcumque opera praua. Vnde Christus Dominus diuitiarum curam, vtpote ęterna impedientium, & opere & cõsilio prohibuit: sic enim prophanatores templi, & mensas, quę ad lucra inseruiebant, semel euertit. Ioan.2.v.15. *Et cum fecisset quasi flagellũ de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque et boues et numulariorum effudit æs, et mẽsas subuertit.* Vbi Caiet. *Non sat fuit effundere pecuniam, sed et mensas numulariorum proprijs manibus dignatus est euertere.* Non ne indecorum visum fuit tãtę Maiestati flagello vti, & proprijs manibus pecunias & mensas euertere? Non satius esset alteri potestatem ad id faciendum delegare? Non (inquã) nã difficile esset inuenire, qui argẽtum despiceret, & aurum calcaret: & vlterius, vt innuat pecuniam parui pendere, & illius amorem abdicare, proprium suæ potentiæ opus esse, qui nos ab huiusmodi pecuniarum affectione solutos esse solicitat, quod opere & exemplo voluit firmare. Hanc reor fuisse causam, cur Christus Dominus nunquam dignatus est multiplicare pecuniam, sicut multa alia multiplicauit; imo neque illã manibus tetigit, quia cum omnium vitiorum sit occasio, exemplo nos voluit docere illam contemnere, & calcare, & id ipsum discipulis prohibuit, ne inter pericula versarẽtur. Quapropter fideles in primitiua Ecclesia recenter conuersi venundabant quotquot possessiones habebant. *Et ponebant ad pedes Apostolorum.* Actor.4. cuius rei causam reddit ibi D.Chrysostom. *Vt scirent pecuniã pedibus esse calcãdam.* Vnde cum adeo liberalis cum Petro extiterit, & cum quolibet alio Sacerdote, vt claues cœli ipsis traderit (*Tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth.16.) terræ clauẽ secum ad cœlum asportauit, ita vt si pluuia dispensanda est, vel oriturus sol, ipse non hominum, sed suo arbitrio faciat. Cur qui maius concessit, id,

Ioan.2. v.15. Caietan. Actor.4. v.35. D.Chrys. Matth.16 v.19.

id, quod longe minus est, abnegauit? Audi Caiet. *Non dedit regimen terrarum: sicut enim ipse Iesus abstinuit, et abstinet à sensibili regimine regni terrarum, quia adhuc non accepit possessionem, quamuis acceperit potestatem regni terrarum, sed sedet à dextris Dei, donec veniat tempus iudicij vniuersalis, quo accipiet possessionem regni terrarum: ita nec Petro permisit claues regni terrarum, sed regni cœlorum. Tota ergo Petri potestas refertur ad regnum cœlorum, quo fit, vt temporalia non comprehendantur sub potestate Petri, nisi relata ad spiritualia.* Cauens Seruator ne ex diuitiarum attrectatione aliqua in suos serperet vitiosa scintillula, ipsarum dominium ipsis denegauit, & quod plus est, abdicauit à se, quasi timeret illarum contagio infici, & ad vitium illarum possessione instigari. Sic Deus diuitiarum possessionem abhorret, ac si armamentarium sit omnium vitiorum, omnium cupiditatum illecebræ, omnium criminum auctuarium.

578 Sed adeo homines huic mundi aliũ rerum luto sunt irretiti, vt supra hominem censeatur, qui terrena bona contemnit & vltro à se relegat. Auidissimè ambibat dæmõ Christi Diuinitatem aliqualiter timari, quamquidem planè fuit confessus Lucę. 8. v. 28 *Quid mihi et tibi est, Iesu Fili Dei altissimi?* Quid in huiusmodi confessionem callidum hostem adegit, vt Deum palam profiteatur, qui iam dudum an Deus esset, ambigebat? D. Chrysost, (hom. 3. in Matth. ad illa verba *Hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me*) despectionem diuitiarum, quas dæmon obtulerat, Diuinitatem ipsi indubie demonstrasse existimat. Superatus enim hostis, postquam Christus opes despexit, iam Deum esse habuit compertũ: nec poterat ignorare nullum alium, qui Deus non esset, terrena bona tam generose despecturum. *Iam igitur* (inquit Chrysostom.) *victor Dominus auctoritate Diuina comminatus diabolum iussit abscedere. Vnde non immeritò principe suo iam deuicto postea clamant dæmonia: Quid nobis et tibi, Fili Dei altissimi? Quid venisti ante tempus perdere nos? Non enim poterant iam Dei Filium ignorare.* Ex tertio certamine cũ Christo inito, vbi oblatas opes calcauit, ipsum Deum esse certo agnouit. Vnde merito D. Ambros. (lib. 2. offic. cap. 14.) plus quam hominẽ esse arbitratur, qui diuitiarum copiam parui pẽdit. *Quid enim præexcelsius illo viro, qui auro moueri nesciat, cõtemptum habeat pecuniarum, et veluti ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc hominem super hominem esse arbitrantur. Quis est hic (inquit Ecclesiastic. 31) et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quomodo enim non admirandus, qui diuitias spernit, quas plerique saluti propriæ prætulerunt?* Non hominis, sed Diuinitatis specimen præbet, qui diuitiarum affluentiam spernit. Ad idem argumentum intorquet idẽ Amb. quod Deus missurus in AEgyptum Moysem, ipsi pollicetur Exod 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* At quo pacto Moyses Pharaonis Deus creatur? Quæ firma Diuinitatis signa ipsi defert, vt colatur tanquam numen, & humanę naturę limites transcendisse credatur? Audi Ambros serm. 8 in Psalm 118 *Quã magnum contemnere diuitias. Sed quãrarum hoc ipsum. Vtique et Moyses potuit Regis esse successor nutritus à Regis filia: potuit ergo esse non solum quasi Pharao, sed etiam et Pharao potuit esse, vterque enim homo, sed omnis potentia hominis in affectu. Moyses noluit Rex esse, cum posset; sed opprobrium Christi inestauris AEgypti arbitratus est præferendum (ad Hebræos 11) sed fugiendo potẽtiam potentior factus est. factus est enim in Deum Regi Pharaoni. Rex erat Pharao, sed Deus non erat: Moyses factus est illi Deus, hoc est Regi ipsi terribilis, quem Rex metueret, et timeret: sed hæc erat potentia sanctitatis: in talium congregatione Deus Deorum stat, atque discernit: et tu si vis tanquam Deus peccatoribus esse terrori, Regibus reuerentiæ, vt tanquam Deo tibi videantur esse subiecti, quia operaris in Dei nomine, contemne quæ sæculi sunt, et Dominicæ*

Caietan. *D. Amb.* *Exod. 7. v. 1.* *Idẽ. Amb.* *Luc. 8. v. 28.* *D. Chrys.*

nicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitijs. Hucusque Ambros. cui pudet aliquid addere. Sed ò tempora, quam pauci sunt, qui terrena despicientes hominibus terrori sint & reuerentiæ; imo quot sunt, quos & insensibilia reprehendant propter suã inexplebilem diuitiarum cupiditatẽ.

Isaiæ.23. v.4. *Erubesce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris dicens: Non parturiui, et non peperi, et non enutriui iuuenes.* Isaiæ 23. v.4. Quid mare Sidonem improperat? Quodnam vitium in eius habitatoribus reprehendit, vt ad verecundiam prouocet, quandoquidẽ ipsum mare ab illo immune audet increpare? Fruere iterum Ambros. de Elia & ieiun. cap.19. *Tanquam fatigati elementi vox ista dicentis est, Erubesce Sidon: hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior, et erubesce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates. Illi habent otia sua; nunquam vestra quærendi studia feriantur: et cum otiosa tempestas est; nunquam vestra otiosa sunt nauigia: versatur vnda sub remige, quando quiescit à flumine: Non parturiui (inquit) nec peperi, nec nutriui iuuenes. Quid me inquietant, quos nescio, quos non agnosco?* Quid elegantius ad irrequietam diuitiarum solicitudinem reprehendendam? Talis est hominum cupiditas, vt insensibile mare illam arguat, & queratur, quod ab hominibus perturbetur: nam cum ipsum quandoque quiescat; nunquã hominũ solicitudines, quibus inhiant opibus, quiescunt, sed in cõtinuo sũt motu, per vndas vndique velut pisces natantes propter caduca bona, quæ flocci pendere debebant.

D.Amb.

ANNOT. C. XXXIX. MORALIS.

QVOD LICET INGRATVM EST.

579 INEST à prima transgressione naturæ incentiuum ad non concessa cupiendum, & fastidiendum permissa. Quod licet omnibus exosum est; vehemẽtius gustum excitat, quod non licet. Selectum despicit gallina, cibum ipsi obiectum; & putrida grana in stercore legit: nauseat ad sapidum; & inhiat ad putridum. Quidquid nobis negatur cupimus. Ipsa cura custodiendi diuitias furem aduocat: interdictas aquas appetit æger, & ad prohibita propendet natura: quia non quod vtilius & sufficiens, sed quod nociuum & superfluum est appetit. quod sapiẽter dixit Seneca (epist.90.) frugalitatem consulens, cuius ipse acerrimus extitit amator. *Ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. Tecta, tegumentaque, et fomenta corporum, et cibi, et quæ nunc ingens negotium facta sũt, obuia erant, et gratuita et opere leui parabilia, modus enim omnium, prout postulabat necessitas, erat: nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura, quod poscit. A natura luxuria desciuit, quæ quotidie se ipsam incitat, et tot sæculis crescit, et ingenio adiuuat vitia. Primo superuacua capit concupiscere, inde contraria, nouissimè corpori animum addixit, et illius deseruire libidini iussit. Recessit enim ille naturalis modus desideria ope necessaria finiens: iam rusticitatis et miseriæ est, velle quantum sat est.* Illicita homines suspirant, quia superflua sunt; licitaque fastidiunt, etsi vtiliora. Sub misera seruitute gementes Hebræi de palearum defectu ad conficiendos lateres, in quorum labore deficiebãt, conqueruntur apud Pharaonem, qui deinde paleas porrigere prohibet Exod.5. *Nequaquam vltra paleas dabitis populo ad conficiendos lateres.* Cur tam auidè populus paleas desiderat, quibus deficientibus à labore laterũ quescebat? Cur Pharao illas inhibet, & populum sibi infensum à labore & fatigatione excusat, & vterque quod sibi nocet, tam vehemẽter ambit? Eximie Procop. rem versat in hunc modũ. *Solicitat diabolus eos, qui Deo opera dare studẽt: difficilem præbet malitiam, ne eius satietas fastidiũ pariat suo cultori. Nitimur enim in vetitum semper, cupimusque negata, et quo magis inhibemur,*

Seneca

Genes v.16.

Exod.5. v.7.

Procopius

bemur, eo magis cupidine ardemus. Paleæ, quæ vltro oblatæ molestę erant populo, quandoquidē ipsum ad laborē adigebant, negatę ad ipsarū desideriū prouocant, & diaboli astu Pharao illas inhibet, vt auidiùs eas populus exoptet, & fastidiū ex cōmuni vsu ortū in appetitū cōmutetur: nam ad prohibita semper homines anhelant. Plantauerat Deus homini paradisum voluptatis, in cuius possessionē eum introduxit, ab illo tantum exigēs pro tanti beneficij compensatione, vt ex omnibus arboribus comederet, vna dūtaxat excepta, cuius fructum prohibitum, & minime tactū esse voluit. *Præcepitque ei dicēs: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Genes. 2. v. 16. Iis assentior, qui existimant, hic duo adfuisse præcepta, comedendi vnū, alterū non comedendi: id enim satis perspicuè ex textu liquet. Quid opus fuit hominem obedientia adigere ad hoc, vt ex paradisi fructibus comedat, vitamque sustentet? Quod vel stolida animalia sapiunt, ipsa natura docente, desiperet homo, & fructus non caperet, vt ex illis nutrimenta perciperet, nisi mandatum præcessisset, quod ipsi fructus carpere pręcipitur? Num homo in feliciſſimo illo innocentiæ statu sic spiritu esset abstractus, & diuinis meditationibus intendens, vt necesse fuerit corporis alimētum præcipere, ne corporis oblitus ipsum nimis extenuaret? Forte ita. Sed arbitror, mādatum hoc positiuum de comedendo ex omni ligno obseruantiam alterius negatiui de non gustando ex ligno prohibito respicere: nam tam auidè homo non concessum concupiscit, vt si vnū tantū esset præceptum, totus in prohibito illo cibo appetendo esset. Habeat homo prohibitā abstinentiā reliquarū arborum, ne vnicè incumbat desiderio vnius fructus, quē habet prohibitū. Nō vni dumtaxat adstringatur obedientia mādato, ne penè omnia licita fastidiat, & vnū non licitū vehementius exoptet. Fortè inter plurima mādata versans ad illud transgrediendum inclinabitur, ex quo nō naturæ, sed personę lapsus sequatur. Tā non concessis homines inhiāt, vt si vnū tantū esset pręceptū, certè homo illud transgrederetur. quasi ex prohibitione res venustatem accipiant, & ex permissione fastidium.

Hic ad non licita appetitus, licet in omni genere vigeat, præcipuè in rebus venereis, vbi etsi pulcherrimæ sint, proprię fastidiuntur vxores, & alienæ, quamuis illiberales, auidè desiderantur: Dauid enim, & Abimelec licet proprias haberent vxores, non suas arripuerunt: & talis libido ingenij est, vt ea ipsi gratior sit fœmina, quę difficilior. Vnde Salomō (Prou. 9.) de voluptatibus carnis, & illicito toro locutus dixit: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, et panis absconditus suauior.* Ad aquas alienas raptu haustas, & ad panem inclusum arculis ne rapiatur, vehementius excitantur vecordes: & astuta illa atque libidinosa fœmina, quæ à Salomone inducitur, his seruatis studio pignoribus confertur, vt viuacius exprimat, quam acre sit in voluptate incitamentum ad id, quod nō conceditur, aut saltem difficulter habetur. Sic enim torpet lasciua venus, vt aquæ perlucidæ, quæ domi habentur, pro turbidis habeantur, & panis suauissimus pro hordeo deseratur: proprias siquidē quamplures vxores fastidiūt, & ad illiberales ancillas oculos adijciunt. Flagrauerat non paucis annis Sara filiorum desiderio, & cum iam se ad genialem torum impotentem agnosceret, consuluit Abrahamo, vt cum ancilla sua concūberet, fortè ex illa susceptura liberos. *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* Genes. 16. v. 2. Abstinuerat iam pridem Abraham à coniugali commercio, expertus vxoris suæ infœcunditatem. Non miror quod propria vxor, quæ zelare solet in marito, ne aspectus, vel verba cum altera ineat, & ob salutatam tantum rixari soleat, solicitet ipsum ad venerem cum ancilla: sed quod Abraham tanto tempore ab vxore abstinens ad ancillam, quæ forma & ingenio liberalis erat, neque animum, neq;

580

Genes. 2. v. 16.

Prouer. 9. v. 17.

Genes. 16. v. 2.

Procopius oculos saltem adiecerit. *Non more* (inquit Procop. eos carpens, qui relictis proprijs vxoribus ancillas ad lapsum solicitãt) *intemperantiũ, qui negligentia et odio suarum vxorum ancillas luxuriosiùs contrectant, in ancillæ concubitum ruunt.* Planè libidinis amans amens est, quandoquidem amare nescit, & elegantiori vxore relicta, ad vilem ancillam diuertit. Vehementer in hanc familiarum pestẽ inuehitur sæpe D. Chrysost. cuius illud est hom. 4. in epist. ad Roman. *Quemadmodũ sæpe fieri videmus, vt qui ciborum appetitionem amiserint, terram, ac lapillos comedant, quique impotenti siti correpti fuerint, vt et cœnum quoque nonnunquã ad bibendum appetant: ita et illi ad illegitimum amorem efferuuerunt.* Stupidi homines & prauè stolidi veneris illecebras in alienis mulierculis ambiunt, quæ licet totius pulchritudinis sint expertes, acriùs ipsos titillant, & ad voluptatem prouocant prohibitionis stimulo, relictis proprijs, & sæpe venustissimis vxoribus.

D. Chrys.

581 Sed iustissimus Iudex Deus, qui omnia iustissimo pensitat iudicio, æquissime permittit, vt adulter adulteram habeat vxorem: ista maritum, ille vxorem execretur, totaque familia corrumpatur. Quod arcanè dixit Ierem. cap. 7. v. 18. *Filij colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli, et libent Dijs alienis, et me ad iracundiam prouocent.* Vbi annotauit D. Hieronym. ideo diuersa officia filiorum, patrum, & matrum vel vxorum posuisse Prophetam, vt nulla sit ætas in familia, quæ ab impietate dissentiat. Tota domus ad exemplum patris corrumpitur, & vitium in capite vigens ad reliqua mẽbra descendit. Vbi fœditate luxuriæ inquinatur maritus, & fidem frangit consortio debitam, eamdem super se infamiam solitat portare. Vnde congruè huiusmodi libidinosos homines in equis luxuriæ luto immersis notat Propheta, quia huiusmodi animalia auidissimè luxuria stimulantur, & cum reliqua determinatum ad coitum tempus habeant, sola equa semper luxuriatur, vt tradit Arist. *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hic v. 15.

Ierem. 7. v. 18.

ANNOT. C. XXXX. MORALIS.

NON NISI DEO AVSPICE, ET acriter pugnante, importunæ carnis illecebræ superantur.

582 VIAM Deus in mari equis suis sternit, & à luto, quo erant immersi, eruit. *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hic v. 15. Quia quos destinauit ad gloriã, à carnis libidine eripuit. Sic Moral. Glosa. *In luto aquarum multarum, id est, carnalium fœditatum.* Est enim triumphus Dei virtute dignus, ipsique maxime adscribendus, à carnalibus illecebris semel gustatis hominẽ eripere, quę iure luto cõparãtur, quia hoc vitiũ maximę adhæsionis est, & quod homines plurimũ infamat. *Los pone de lodo* Hispanè dicitur. Rectè de illo cecinit Silius Italicus punic. lib. 15.

Glossa.

Silius Italic.

Necira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animi illapsa voluptas.

Quærit D. Thom. 1. 2. q. 73. an peccata carnalia minoris sint culpæ, quã spiritualia, & affirmatiuè difficultatẽ soluit cũ magno Greg. (lib. 31. Moral. c. 3) asserẽte, spiritualia peccata longè in malitia superare carnalia. Obijcit sibi ex D. Aug. (sup. Leuitic) quod diabolus maximè gaudet de peccato luxuriæ. Cur ergo si de maiori culpa magis gloriatur dæmõ, sensualis voluptas minus peccatum est? Respondet Angelic. Præcept. *Diadolus dicitur magis gaudere de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, et difficile ab eo homo potest eripi, insatiabilis est enim delectabilis appetitus, vt Philosoph. dicit in 3. Ethic.* Blanda tyrannis libido est, molliter adulatur, & captiuos homines reddit: difficile eius durę captiuitatis mites rumpuntur catenæ: adeo, vt D. August. (lib 8. confes. cap. 7.) cũ eas soluere intendebat, casti-

D. Thom.

castitatis pulchritudine allectus illam à Deo postularet, sed dum vincula frangere conabatur, carnis illecebræ adeo ipsum devinciebant, vt Deo diceret: *Da mihi castitatē, sed noli modo.* Quapropter viā ab huiusmodi laqueis emergendi sibi tanquā mirabile facinus Deus arrogat, & inter hæc luta inoffenso pede equos suos traducere, vt innuat victoriam castitatis indeclinando inimicam lasciuiam maximè eius auxilio esse tribuendam: nam cum hoc vitium immundissimū sit, diuina ope indiget candida castitas, ne ipso maculetur: nam quis lutum manibus contrectabit, quin coinquinatus euadat. Pręclarè dixit Tertullian. lib cont. Phisic. cap. 1. agens de luxuria. *Pudet de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est.* Quo nihil exaggeratius dici potuit ad ostendendam lasciuiæ impuritatem, quādo & defensio etiam & excusatio secum aliquid immunditiæ deferre videtur. Vnde D. Greg. (lib. 4. Dialog. cap. 11.) refert de quodam sancto Presbitero, quod cum in extremo esset periculo, fœminā ad se prope accedentē hisce verbis repulit. *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.* Quare nullibi Dei virtus tā perspicuè elucet, ac in fuga illecebrarum carnis.

D. Aug.

Tertull.

D. Greg.

583 Repetiuit Dauid vxorem suā Michol, vt sociale fœdus iniret cū Abner, & per internuntios hanc legationem misit ad Isboset 2. Reg. 3. v. 14. *Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputijs Philistijm. Misit ergo Isboset, et tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais, sequebaturque eam vir suus plorans vsque Bahurin. Et dixit ad eum Abner: Vade, et reuertere.* Caietan. notat ex Hebræo, qui hic vocatur Phaltiel, & Michol erat coniux, antea appellari Phalti, ita vt præcedenti nomini El, quod nomen Dei est, fuerit superadditum. *Notant Hebræi, quod iste appellatus est Phalti in primo libro, quoniam Saul dedit ei Michol in vxorem: modo autem appellatur Phaltiel, ita quod adiunctum est nomini eius nomen Dei El, ea ratione, quia nunquam cognouit Michol intuitu Dei, eo quod sciebat esse vxorem Dauidis, nec repudiatam.* Merito Dei nomine insignitur, qui à maritali toro se abstinuit, desponsatam sibi vxorem non tetigit, & à carnis incitamentis euasit: nam huiusmodi victoria nisi exuberanti Dei auxilio nequibat obtineri. Lacrymas, quibus ablatā vxorem prosequebatur, non mętens, sed exultans fundebat, eo quod castitatē seruasset, & à fœminæ consortio impollutus recessit: vnde euadens meritò interpretatur, quasi à necessario periculo eriperetur. Non omittendus Rupertus lib. 2. in lib. 2. Reg. cap. 12. qui pulchre Deo adscribit huiusmodi de carne reportatam victoriam. *Plorasse dicitur Phaltiel præ gaudio, eo quod eum Dominus custodisset, ne tangeret illam: nā vir (vt Hebræi tradūt) nō cognouit eam; quia si cognouisset eam, nunquā Dauid postea eam sibi sociasset, quia in lege penitus huiusmodi prohibetur coitus: ipse autem legis doctor erat de Bahurin. Et quando à Saule Michol ei datur, Phalti, id est, euadēs interpretatur: quando vero ab eo eadem Michol aufertur, Phaltiel, id est, euadens à Deo interpretatur. Et euadens à Deo dicitur, custodiuit enim eum, ne fieret trāsgressor legis.* Quasi inuideret Deus homini illecebras carnis superanti, proprium sui nomen indidit, vt sibi triūphum arrogaret, & ipsi attribueretur victoria. Tam est defficile, & quasi hominum vires excedens, voluptatis vitare contagia, & effrænem luxuriæ domare appetitum, vt Deus inter sua pręclara opera hoc recenseat, & per anticipatam pręseruationem à suis hoc vitium auertat, ne vel leui ipsius attractu inficiantur.

2. Reg. 3. v. 14.

Caiet. ex Hebræo

Rupertus.

584 Plura Deus reuelauerat casto Ioseph, antequam euenirent, adorationē fratrū, venditionē in AEgypto, & alia, quæ postea probauit euētus: nō tamē salacis & lasciuiētis domine tētationē detexit, sed alto silentio retinuit. Cur ipsū de futuro periculo nō admonet, ne inspectata pulchrę fœminæ suggestio illū facilius prouocet ad lapsum? Crediderī, ne ex tentatione carnis aliquod sibi inquinamētū affricaret. Nec

per somnia castum adolescentem decebat representationem habere inhonestam. Vtrę discursus, cæteraque pericula ipsi reuelentur, hoc illi prorsus tegatur, ne in lasciuis imaginibus periclitetur illibata castitas. Adeo viscosæ & periculosę naturæ hoc vitium est, vt timeatur ex illo vel in somno concepto aliquam lasciuię pullulare scintillam, & noxium respirare contagium. Vnde pulchrè D. Cyprian de ieiunio & tētatione. *Honestius (inquit) cum spiritu, quam cū carne luctamur: quia carnis amplexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui sibi adhæserit, aliqua ex parte contaminat, nec libidinis morsum quisquam euasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longè positos inficit.* Quā doque ex brachijs dęmonis egre diuitur innoxij, ex carnis vero amplexibus plerumque infecti. Ille, etsi inimicus, substantia ex sua natura pura est, & spiritualis, quia eius vitium non naturæ fuit, sed personæ: caro imbecillis infirmitate lethalis contagij, ita vt eos, qui ad ipsam accedunt, aliqua ex parte commaculet, & fera adeo infecta rabie, vt ex eius morsibus ratus euaserit illæsus. Vnde eleganter Sapiens Ecclesiastic. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Semel picem vel leuiter attingęs, etsi pluries postea se lauare intendat, vix penitus mundus erit. Ita luxuriæ dediti, etsi multoties se purgare laborent peccata cōfitendo, & lacrymarum balneo, adhuc maculæ reliquias retinent, & iterum post se carnis affectus deferunt. Vnde ne Ioseph ex hoc lasciuiæ toxico inficeretur, pallium, quod lasciuæ manus tetigerant, in ipsis reliquit, ne aliqua scintilla in ipsum exinde serperet, & totus flagraret, vt optime dixit D. Hieronym. lib. 1. cont. Iouinian. *Vnde et Ioseph, quia tangere volebat eum, AEgyptia, fugit e manibus eius, et quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat, abiecit.* Cui consonat Diu. Ambros. libr. de Ioseph cap 5. *Contagium iudicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulterę libidinis incentiua transirent.* Hinc Diu. Paulus Corinthijs permittit cum infidelibus non solum in colloquijs, sed etiā in conuiuijs cōuenire 1. Corinth. 10. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, mănducate:* & eisdē prohibet cū impuris & veneti deditis conuersari. *Si is qui frater nominatur, est fornicator, cū huiusmodi nec cibum sumere.* Cur à Christianis potius fornicatoribus, quā ab infidelibus fideles reuocare contendit? Nonne ingentius ex infideliū cōmercio imminebat periculū, quam ex consortio eorum, qui eamdem fidem acceperant? Fortè maius, sed nō proximius: magis enim declinandi sunt impuri, quā infideles: quia illorū cōtagiū facillimè ex attactu, ex visu, ex colloquio, ex quā cūque cōuentione in adstātes serpit.

D. Cypr.

Ecclesi. 13 v. 1.

D. Hiero.

D. Ambr.

1. Corinth. 10. v. 27.

ANNOT. C. XXXXI. MORALIS.

AD MERETRICES COGNOSCENDAS olim, nunc ad continentes prophetia opus est.

PVLCHRE dixit D. Bernard. ser. 585
86. sup. Cant. *Verecundia soror est continentia*; subindeq; incōtinentiæ soror erit impudētia. Et licet vtrūque plerùmq; verū sit; pro diuersitate tamen temporum fraternitas hęc fuit dissoluta: fuere namque olim plures inconrinentes verecundæ; nunc vero continētes inuerecūdæ plurimę: quia eò deuenit morum prauitas, & licentia, vt inter pudicas, & lasciuientes fœminas nullum versetur discrimen, adeo vt sicut olim ad publicas cognoscendas meretrices opus erat prophetia; nunc oporteat esse Prophetā, vt plures castæ agnoscātur. Quandoquidē siquę sunt pudicitiæ cultrices, in sermonis petulātia, in vestimētorū prophanitate, in gesticulata libertate impudētes apparēt, his se partibus nudātes, quas neq; in cubiculo pudicitia auderet respicere, quod planè pudet referre. Loquatur Sen. quod recusat Christiana modestia. *Video* (inquit lib. 7. de benefic. cap 9.) *sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor* Seneca.

pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurauit. Hæ ingenii summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant. Immerito plurimæ castæ reputantur, quæ meretricum ornatum, & frontosam impudentiam præ se ferunt, ita vt nisi vaticinio non agnoscantur pudicæ: quas quidem antiqua circumspectio & modestia reprehendit, quandoquidem & meretrices olim pudice videri studebant.

586 Longiusculam conuersationem habuit Christus Dominus cum mulie re Samaritana, & inter alia, quæ ipsi pandit secreta, quinque viros habuisse, & quidem omnes simul ſ vt anno. tauit Chrysostom. Jmanifestat. *Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir.* Ioan. 4. vers. 18. Cui illa: *Domine vt video, Propheta es tu.* Falleris mulier. Prophetia opus est ad cognoscendam publicam meretricem? Num peccatoris stoliditas tantum desipit, vt peccata adeo occulta esse credat, quòd vbi propalantur, vaticinium intercedere existimet? Eximie Maldonatus hic. *Cum enim dicit: Video quia Propheta es tu, tacitè confitetur vera eum dixisse, se in perpetuis adulterijs vitam duxisse. Quod qui nemine indice cognouerit, non posse non esse Prophetam.* Etsi peccatrix illa fœmina esset, sic impudicitiam occultare satagebat, tam verecunde & modeste suam occultabat lasciuiam, vt putet non nisi prophetiæ perspicacia videri. Simile quidpiam habetur Lucæ 7. vbi ad Christum Dominum accessit officia pietatis adimplens celeberrima illa peccatrix, de cuius attactu & lenocinio miratur Pharisæus, & Seruatorem prophetię spiritu expertem credidit: nam si ipso polleret, non sineret ab impudica fœmina attrectari. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ignorantiæ personæ adscribit Pharisęus, quod attactum impudicę fœminę permittat IESVS, existimans ipsius licentiam cohibiturum, si agnosceret, quanta laborabat infamia. Verum planè desciscit Pharisæus: nam si constanti opinione meretrix vulgo reputabatur hęc fœmina, & prostituta, impudice viuens; quomodo Christum non esse Prophetam arbitratur ex eo quod eam non agnosceret? Num ad cognoscendum publicè peccatricem prophetia opus erat? Ita planè: erat namque huic mulieri talis modestia, talis vultus & oris compositio, vt licet impudica foret, non nisi vates ipsius agnosceret lasciuiam. Tantopere curabat honestatem vultus, & ornamentorum circũspectionem, vt pudicitiam mentiretur in facie.

Vnde antiquitus cautum fuit, ne meretrices detecta facie ambularẽt: 587
omnes enim velatæ incedebant, ne libidinis apparatu spectantium oculos offenderent. Non eo impudentia deuenerat, vt meretricius, & theatralis Histrionum habitus palam portaretur. Vnde illud Iuuenalis Satyr. 6. de turpissima Messalina.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos *Iuuenal.*
Sed nigrum flauo crinem abscondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Et Iudas quæstui Thamar accessisse, fuit suspicatus, quia velato capite sedebat in via Gen. 38. v. 15. *Quã cũ vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricẽ, operuerat enim vultũ suũ, ne agnosceretur.* Is mos fuit non solum Hebræis, sed etiã alijs nationibus, qui minime laudabilis videtur: nam non parum reipublicę & honestati intererat meretrices ex facie & habitu agnosci, vt cauta cum ipsis haberetur loquela, & venenum omnes toxicans publicè incedens caueretur ab omnibus. Verũ tanta fuit occultandi impudicitiam cura, vt quasi pudore suffusa non fuerit ausa palam apparere, ne spectantium oculi prophano cultu, & im-

pudico ornatu inficerentur. Quod grauiter dixit Tertul. lib de cultu fœminar. cap. 12. euentum Thamar expendens. *Thamar illa (inquit) quia se expinxerat, et ornauerat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere, ideoquia sub velamento latebat habitus, qualitate quæstuariam mentiente, et fecit vt quæstuariam, et voluit, et cōpellauit, et pactus est. Vnde addiscimus aduersus congressus etiam, et suspiciones impudicas prouidendum omnino esse. Quid enim castæ mentis integritas in alterius suspitione maculatur? Quid speratur in me, quod auersor? Cur non mores meos habitus pronuntiat? Ne spiritus ab impudentia vulneretur. Liceat videri pudicam; certe impudicam, non licet.* Tertull. Ne intuentium oculi fascinarentur luxuria, ornamenta & vultus libidinem spirantia sub velamine recondebantur adeo, vt necesse fuerit diuinare, vel linceos habere oculos ad agnoscendam incontinentiam: & cui ex permissu hominum impudicam esse licebat, videri iure erat prohibitum, ne halitus pestilens mœchantium totam rempublicam inficeret. Tam eaū tē tunc vestium insignia cauebantur, vt operculi velamento celarentur & solum prophetiæ oculos non latere̅t. Nunc adeo impudenter agitur, vt prophetia opus sit ad pudicas fœminas agnoscendas, nam omnes præferunt in habitu meretricum formas, & quæ pudicæ sunt, in vultu impudicitiam mentiuntur, ita vt verecundiam exuisse videantur. Theogon. apud Stobæum dixit: *Pudorem mulier cum veste exuit.* Theog. ap. Stobæum. Nunc vero impudentiam cum veste induit. Lacrymabilis dolor, quod vitiorum virtus portet insignia, & impudicitię ornamentis induatur castitas. Nam siquæ pudicitiam seruant, lasciuiam in vultu referunt cum magno sue opinionis detrimento, nam difficulter creditur casta, quę impudica in habitu apparet: quia vt dixit D. Cyprian. de disciplina & habitu Virgin. *Ornamentorum ac vestium insignia et lenocinia formarum non nisi prostitutis et impudicis fœminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est.* D. Cypr. Et Tertul. vbi supra merito inuehitur in hunc errorem. *Lenocinia formæ (inquit) nunquā non prostituto corpori cōiuncta et debita, etiam scripturæ suggerūt.* Hāc indecoram & prophanā vestimentorū pōpam à republica relegari oporteret, & dumtaxat illis, quæ impudicæ censentur, permitti portare habitum lasciuiam redolentem, vt iam pridem cum ingenti laude, & reipublicę vtilitate Lacedęmonij fecere, vt tradit Clemens Alexād. lib. 2. pædagog cap. 10. *Laudo ego, et admiror veterem Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ solis meretricibus solidas vestes, et aurum mundum gestare permisit, à probis mulieribus mundi studiū auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet.* Clemens Alex. Nō sunt honesta prophanis admiscenda: omnia sint munda mūdis: pudeat meretrices videri, quæ continentes sunt, & vbi seruatur castitas, exulēt lasciuię apparatus & insignia impudicitiæ.

ANNOT. C. XXXXII. MORALIS.

MORTIS CASTITAS, VITAE impudicitiæ expers.

588 NOVAM vitæ genesim puritas efformat, & infœcūda ad prolem castitas ad vitam generādam fœcundissima est. Supra mortē se erigit pudicitia, & immortalis à funere euadit. Pręcipiebatur olim (Leuitic. 21.) Sacerdotibus, ne ad funera accederent, & vel à cadaueris intuitu oculos custodirent. *Ad omnem mortuum non ingrediatur omnino* &c. Leuit. 21. v. 11. Et nihilominus Moyses acerrimus legis obseruator, & defensor secum asportauit ossa Ioseph, & ex vno in alterum locum transferebat Exod. 3. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph* &c. Quod valde demiratur Isidor. Pelusiota (lib. 4. epist. 157.) in viro religioso, & toto obseruantiæ zelo inardescente. Sic audet Legislator legem transcendere, & summi Sacerdotis oculis cadauer passim obijcere contra Dei iniunctum præceptum? Quid ad huiusmodi

modi legis transgressionem Moyses respondet, quod ipsum excuset? Audi Isidor. illius nomine loquentem. *Non violo, non soluo legem; sed per hoc ostendo rem ipsam, quæ per scripturam ac verba legis significatur, diligenter esse attendendã: ego enim eum, qui castitatem coluit, pro mortuo non habeo.* Dum Ioseph strenuus miles castitatis stadium cucurrit, lasciuientem & impudicam dominam superauit, præstigia salacis fœminæ delusit, de mortis imperio triumphum reportauit, & pudicitiæ methamorphosi in vitam immortalem fuit transformatus. Nõ mortuis annumerãdus est, qui carnis illecebras & lenocinia illudit: nec Moyses præceptum de intuendo mortuo suspicabatur transgredi, quã doquidem illibata Ioseph ossa, quæ prærogatiua immortalitatis propter puritatem gaudebant, secum deferebat. Vnde de primo castitatis cultore, in quem inuidiosa rabie fraternus liuor insurrexit, mors ambigue narratur. *Insurrexit Cain, et interfecit ipsum.* Gen. 4 Vbi Philo (libr. quod deterior posteriori insidietur) subtiliter expẽdit, quod ly *ipsũ* æque & Abelem & Cain significat, potiusque ad fratricidam, quam ad Abelem referri: vt innuatur, quod mortem, quam virgini fratri inferre tentauerat Cain, in se ipsum intorsit: non enim ex vulnere inflicto moritur Abel, siquidem postea vox eius exauditur. *Vox enim sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* vocem autem emittere signum vitæ indubium est: quia virginitas & intemerata castitas mortis imperium ignorant. *Prima quidem* (inquit Philo) *Abelem occisum subindicat: si autem diligentius rem expendas, ipsum Cain à seipso. Proinde sic legendum: Insurrexit Cain, et occidit seipsũ. Et merito quidem: anima enim, quæ ex se ipsa tollit dogmapium, et virtutis amicũ, virtuti est mortua. Itaque Abel (quod vix credas) interemptus viuit: exemptus enim ex insipientis mẽte viuit in Deo vitam felicissimã. Attestatur nobis Diuinum oraculum, quod vociferari eum ait et clamare, quæ à mala socio passus est: alioquin si non amplius erat, quomodo loqui poterat?* In cadauere adhuc non amissæ vitæ seguntur notæ: adhuc mortiferis vulneribus saucia inter pallentia labia vox eructatur, quia nondum erat vita functus: castitatis priuilegio gaudẽs, quæ nescit interitum, & occasum ignorat, immunis a morte adhuc post mortem perhibetur, & vitales functiones neque ipsa mors finiuit, quia virginum prerogatiua est mortis dominio non subijci.

Iudic. 2. v. 8. mortem Iosue strenui populi ducis sic narrat Historicus sacer. *Mortuus est autẽ Iosue, filius Nun, famulus Domini centũ et decẽ annorũ, et sepelierũt eũ in finibus possessionis suæ.* Nulli alij funeris apparatus, nulla doloris signa in morte Iosue audiuntur, nulloque planctu sepelitur, cum tamẽ Iacob fletu dierum septuaginta, triginta Aaron, totidem Moyses, Samuel quoque planctu sepultus (1. Reg. 25.) commemoretur. Cur lacrymis viduatur tanti viri tamque strenui ducis mors, & tam inglorie moritur, qui tã gloriose vixerat? Præclare D. Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinian. *Moyses moriens plangitur à populo Israel; Iesus autem quasi victurus non plangitur: nuptiæ enim finiuntur in morte; virginitas post mortem incipit coronari &c. Immortalis est enim memoria illius.* Augusta immortalitatis corona redimiti virgines perhibẽtur, iniurias mortis non sentiunt, subindeque lacrymę frustraneę essent in ipsorum transitu: quia studiosus castitatis custos, & ipsius nitoris obseruator non moritur, neque mortis exuuię in eius obitu apparent. Vnde & de ipso Iosue adhuc post mortem vitæ gesta narrantur Iudic. 2. v. 6. *Dimisit ergo Iosue populum, et abierunt filij Israel, vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam, seruieruntque Domino cunctis diebus eius, et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore.* Ambigunt sacri Interpretes, cur hic quasi viuentis Iosue mẽtio habeatur, quem iam sacer Scriptor in superiori libro, vbi ipsius facta narrantur, mortuum

Gen. 4. v. 8.

Vers. 10.

Philo.

589

Iudic. 2. v. 8.

D. Hiero.

Iudic. 2. v. 6.

D.Aug. Lyra

tuum descripserit. D August. adduct. à Glosa, quem sequitur Lyra, per recapitulationem hoc iterari existimat, vt seruum populi statum Iudicum tẽpore describat, & quam benè se idem populus gesserit, Deoque seruierit seniorum atque Iosue tempore. Quapropter quamuis in rerum serie iam præcedenti libro mortuus Iosue supponatur, iterum ad historiam reuocatur, vt locupletiori notitia populi status agnoscatur: quod quidem litere congruit. Sed in re morali D. Hieronym. (vbi supra) priuilegium virginitatis, in qua floruit Iosue, & immortalitatis inde resultãtis hic agnoscit.

D.Hiero. *Cum in sepultura Iosue liber, qui ex nomine eius appellatur, expletus sit: rursum in Iudicum volumine quasi viuẽs, resurgensque describitur.* A mortis vultu iterũ virgo nouã lucis accipit vsurã: tumulus ipsi vitę officina est: vbi humatur corpus, viuacior exurgit castitas, & studiosus illius amator à funere immortalis euadit, & neque in morte lacrymas eruit, neque post mortem inter mortuos numeratur.

590 Clamauit populus ad Dominum (Iudic. 6.) auxilium expostulans contra Madianitas: cuius cum Dominus preces exaudiret, vt de victoria redderet securos, misit ad eos virũ Prophetam, qui locutus est: *Ego Dominus Deus vester, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis.* Magna inter Expositores est dissensio, quis nam fuerit iste nuntius, qui Propheta vocatur. D. August. (quæst. 31.) eo magis propendet, vt existimet, hũc Prophetam fuisse Angelum, qui mox apparuit Gedeoni; quamuis sibi obijciat, quod Angeli in Scriptura viri quidem sæpe dicantur, Prophetæ nũquam: quia licet prophetica cognitio sit clarior notitia fidei, tamẽ est ænigmatica; cognitio vero Angelorum, qui res cognoscunt in verbo, clara est & absque ænigmate. Quare verosimilius existimo, illum, qui vocatur Propheta, hominem fuisse, vt tenent Lyra, Caiet. & alij. Facit autem ad nostrum institutum quædam diuinatio (quam paradoxam & incertam vocat Abulẽs. quæst 11. in 1. Paralip.) Hebræorum asserentium, fuisse Phineem filium Eleazari Sacerdotis. Verum cũ Phinees Moysis tempore vixerit, quì potuit ad hęc vsque tempora perdurare? Quomodo qui iam plurimis sęculis elapsis mortuus fuerat, vitæ functionis valebat exercere? At non sibi persuadent Hebræi, potuisse mori amatorem, ac vindicem castitatis: is enim fuit Phinees, qui Principes populi veneri publice deditos in patibulo suspendit. Imo S. Petrus Damian. [epist. 11 cap. 2.] illum adhuc viuere existimat, sic exponens illa verba Numer. 25. v. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij in æternum. Pacem* [inquit] *sui fœderis illi Dominus dedit, quia sedata omnis carnis molestia viuere illum vsque in finem mundi in paradisi amœnitate cõstituit.* Adducitque in suam sententiam D Hierony. in quæst. Hebraicis ad. 1. Paralipom. 9 vbi cum de custodibus tabernaculi sermo esset, additur. *Phinees autem filius Eleazar erat dux eorum coram Domino. Monstratur* (inquit Hierony.) *hic Pinees adhuc viuere* &c. *Iure ergo* [pergit Damianus] *qui a machis repentinam intulit mortem, annotæ vitæ sortitus est longitudinem.* Quidquid sit de veritate huius sententiæ quam non approbo, planum ex ea fit, castitatis vindices & cultores dignos esse, quod nullo vnquã tempore moriantur. Non parum ingenia torsit illa Petri scisitatio circa Euãgelist. Ioannem, eius vitæ euentum scire desiderans, *Domine hic autem quid?* Ioan. 21. quoniam satis Petrus nouerat, quid dilecto discipulo erat euenturum: dixerat enim Christus iam pridem (Matth. 20.) mortem subiturum in calice satis expressam. *Calicem quidem meum bibetis.* Si ergo Petrus non ignorabat euentum Ioannis, si certum habet fore moriturum, cur non solus ipse, sed & cęteri discipuli arbitrantur à morte immunem iri? *Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur.* Ioan. 21. De illo ambigere audẽt, quod Christus assertiuè dixerat?

D.Petrus Damian.

D.Hiero.

Iudic. 6. v. 10.

Ioan. 21. v. 21.

Matth. 20 v. 23.

Ioan. 21. v. 23.

Lyra Caietan.

Abulens.

Quid

Quid in hanc mẽtem discipulos adegit? Dubio absque virginalis decor, qui in Ioanne relucebat. Audi D. Hieronym. *Ex quo ostenditur virginitatẽ non mori, nec sordes nuptiarum ablui cruore martyrij; sed manere cum Christo, et dormitionem eius translatum esse, non mortem.* Perennat mortalitatis iniurias nescíens virginitas, valet pudicitia vitam addere, & sustinere. Nec enim sibi persuadebant discipuli fore moriturum illustrem virginitatis custodem: hinc Petrus interrogat, hinc omnes superstitem Ioannem existimant, qui æternant virginum corpora balsamo castimonię condita. *Hæc enim est* (inquit D. Bernard. epist. 42. *instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur.* Vnde qui à luto illecebrarũ carnis eripiuntur, à mortis laqueo liberantur, vt noster prædicat Propheta, *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hic v. 15. Qui vero in cęno delitiarum detinentur, mortem sibi inferunt, vt eleganti metaphora dixit Salomon Sapientię. 1. *Deus mortem nõ fecit, nec lætatur in perditione viuorũ; sed homines impij manibus ac verbis accersierũt illam.* Qui aliquẽ longius stantem verbo vocat, si vocatus audire nequit, manibus signa facit, vt accedat. Longe à Nobis distabat mors, verum illam & voce & opere homines ad se vocarunt, præcipue lasciuij, & carnis voluptatibus irretiti, qui magis temperamentum corporis corrũpunt, & ad mortem properant. Quod fortassè agnouere Romani, qui (teste Plutharco) ad ianuas templi Veneris funera, hoc est, mortalia vendebant, vt significarent illam ipsam mortis causam esse, quæ deliciarum & voluptatum aduocata est. Hinc etiam diuina vltione vitium hoc mundo intulit diluuium, quo vniversum humanum genus perijt, octo dumtaxat animabus exceptis: ac etiam Sodoma & Gomorrha cum ciuitatibus adiacentibus propter hoc vitium interierẽ.

D.Hiero.

D.Bern.

Sapient. 1 v. 13.

Plutharc.

ANNOT. C. XXXXIII MORALIS.

COMMERCIVM VIRI AD MVlieris, et si per iocum sit, reus factí habetur.

CARO nostra ad inhonesta facillimè dilabitur, & qualibet luxurię scintillula totus homo flagrat, atque irremediabili incendio decinerescit. Quare & à verbis & à factis quomodolibet venerem redolentibus studiosè cauendum est, & parum nostræ fragilitati, aut lenitati occasionis fidendum: sępe enim emicans scintilla sulphureum fomitem vix attingens, ad fauillas magna ædificia reducit. Viri bene morati nimis scrupulosè se gerunt, ne verbum inhonestum, visus incautus, vel quid simile fomes sit ad libidinem, & neque per ludum audent inhonesta tractare: cũ venere enim iocari periculosum est, nam quod iocanter incipit, veraciter concludit, nec in ludo sistere queit: paulatim enim & fraudulenter ignẽ excitat, fouet, & nutrit, vsquedum misero incendio totum hominem exurit: leniter, & quasi per iocũ ei blanditur, quem postea decepisse gloriatur: præceps ludus amoris est, & vna sorte totus homo deperditur: cautè igitur viuere expedit, ne ab huiusmodi ludo homo illudatur, & reus criminis non prouisi reputetur. 591

Fame patrium Isaac solum vexante, ad Abimelec regem Palæsthinorũ pergit, & in Geraris humano receptus hospitio commoratur. Cum autẽ habitatores illius regionis eum interrogassent, an sua esset vxor, quam secum deferebat, sororem esse respõdit cauens, ne illius pulchritudine allecti ipsum interficerent, vt à coniugio soluta, ea fruerentur. Factum est autem post longum tempus, vt Abimelec Isaac vidisset cum Rebecca ocantem, & ad se vocatum, quod mentitus sit, reprehendit. *Cumque per tẽpus assissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelec rex Palæsthinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua, et accersito eo,* 592

Genes. 26 v. 8.

to, ait: *Perspicuum est, quod vxor tua sit. Cur mentitus es eam sororem tuam esse?* Genes. 26 v. 8. verba plane audacia & temeritate plena, atque regia modestia indigna, cuius elogium est, non temerè iudicare, & magna moderatione loqui. Quid quod Isaac cum Rebecca iocaret, vt exinde coniugē esse arbitretur, & ipsum fuisse mentitum, reprehendat? Imo ipse Rex mentitur, dum à ludo coniugium arguit, & assueueranter existimat. Rebeccam vxorem esse Isaac, non sororem, vt ipse prædixerat: nam ludus inter fratres nulla lege prohibetur, neque ex illo licet commercia tori, & venereas voluptates arguere. Cur igitur Rex nulla coniectura ductus in talem suspicionem inclinat? Verum in hoc facto mira Abimelec prudētia, & magna in iudicando temperantia elucet: sciebat enim sic periculosum esse fœminæ cum viro colloquium, & præcipitem ludum, vt impossibile sit non vltra progredi, & ad totas libidinis flammas deuenire: subindeque cum Isaac ludentem cum Rebecca prospicit, non malitiosè, sed rationabiliter arguit ipsos commercia tori non ignorasse: & ne temere in deteriorem partem inclinet, & fratres impudenter commiscere credere videretur, cōiuges esse absque hęsitatione affirmat. Quo miram solertiam & sagacitatem ostendit, veneris pericula detegens, & suæ modestiæ ac circumspectioni consulens. Sic periculosè libido serpit, vt impudicitiæ reus censeatur, qui vel per iocum mulierem tractat: vnde Lyra ad prædictum locum tenet ex Hebræo ly *iocantem* equiuocum esse, & æque vtrumque significare & iocum, & venerem. *Verbum Hebraicū, pro quo Hieronymus transtulit hic iocantem, equiuocum est ad ludum et coitum.* Cum tamen & ipse, & omnes Expositores pariformiter teneant, Abimelec tantum prospexisse amplexātem Rebeccam, & ludentem cum ipsa, inde non fratres, sed coniuges esse iutulit: nec fuit deceptus, nā nunquam sine vltimo periculo vir cum muliere ioculatur, & plerumque venus à ludo incipit, ne caueatur, vsque dū mollis flamma medullas est: iocari enim & luxuriari non lato vngue distant, quādoquidem euidens impudicitiæ argumentum ludus ēensetur.

Lyra

Moyse in monte moram faciente, populus Aaronem agitat, vt deos, qui eum præcedant, faciat: quod cum efficeret, post holocausta & hostias vitulo oblatas ad lauta conuiuia sedit populus, & statim ad ludos consurrexit. *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.* Exod. 32. v. 6. Quinam fuerit ille ludus, non omnes conueniunt. Dionys. Charthus. existimat à cibo deueniisse ad ludum, & à ludo ad res turpissimas, obscœnos & impudentes concubitus, à quo non dissentit Oleaster. Sed si res ita accidit, mirum videtur, quod Historicus sacer solum lusisse depromat, quod ad summum venialis culpa ex suo genere videbatur (& detestabile facinus impudicæ commissionis reticuerit, cum non solum flagitiū esset grauissimum, sed scandalosum nimis propter adstantium multitudinē. Cur igitur scelus popularis libidinis silet, & leuem noxam ludi exprimit? Forte infanda videtur luxuria omnes exurens, aut de re inhonesta agere veretur, ne suæ modestię detrahere videatur, & impudica etiam pudicè versari recusat, ne pruritu veneris depictæ venena libidinis in aures euomat, & aera toxicet lasciuiæ vocabulis? Forte hoc timet: nā ea modestia se gerunt, qui lingua Spiritus Sancti loquuntur. At Chartusianus sufficienter lasciuā populi licentiam expressisse putat, dum iocantem fuisse declarat, & à ludo inter vtriusque sexus personas luxuriam consummatam conuincit. *Corpore lautè refecto, cor mox ad inania relaxatur: spiritualia fastidit exercitia et interna: fabulari, iocari, et tandem luxuriari delectat.* Quasi à ioco virili & fœmineo ad voluptates venereas transitus sit necessarius, satis superque videtur ludum exprimere, vt lasciuiæ petulantia indigitetur. Sic procliuis ad impudica humana caro censetur, vt qui ludere cum muliere incipit,

593

Exod. 32. v. 6.

Charthus.

incipit, criminis damnetur, & reus facti non leui suspicione credatur.

594 Nimia Susannæ pulchritudine deuicti, & lasciuię ardore deperditi, annosi Iudices ipsam ambibant: quam cum nec insidijs, nec alia arte inducere valerent, venustissimæ puellæ famam commaculare solicitè satagunt, & impensè curant, eamque in pomario cum iuuene cubantem accusant. Adest Daniel, & opinionis Susannæ studiosus fas esse eam iuridicè conuinci, & damnari sugerit: sedensque vt testiũ depositiones audiat, eos seorsim iubet accedere, à primoque sic

Daniel.13 v.54. sciscitatur. *Nunc ergo si uidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquẽtes sibi.* Daniel. 13. v. 54. Siste Daniel, ne progrediaris, nam processum aberrare incipis, dum de colloquio testes inquiris: accusatores enim non verba, sed factum, non suspicionem, sed euidentiam insimulant: attende ad delationis tenorem, vt veritatẽ exquiras.

Vers. 36. *Et dixerunt Presbiteri: Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cũ duabus puellis, et clausit ostia pomarij, et dimisit à se puellas, venitque ad eã adolescens, qui erat absconditus, et concubuit cum ea.* Hoc corpus delicti est, de hoc testes interrogari debent. Cur dum Susannæ innocentię consulis, eã defendere aut nescis, aut non vis, vt deinde accusatores te iudicem non integrum, sed suspectum habeant, & recusent? Forte times crimen probari, & testes procuras ad nõ delata diuertere, vt inconsequentiæ arguantur? Quid interest, quod Susannam virum alloquentem vidissent, vt exinde delictum comprobetur? Quid refert solitaria locutio ad incusatum crimen inuestigandum? Multũ sane, ait Carthusianus: nam firmiter tenebat Daniel, quod si Sussannam de locutione in secretiori loco cum viro conuinceret, pœnæ obnoxia, & rea esset delicti. Solerter inquirit non factum, sed collocutionem, de qua si conuincerentur, lis erat finita, & factum comprobatum: colloquium enim maris & fęminæ reus criminis habetur. Vnde Daniel nimis honestè, & iuridicè segessit, dum obscœnum cauet nomina re factum, & à præcedentibus signis illud extorquet. *Castissimus puer* (inquit Carthusianus) *de re turpissima vrbanè profatur: quia ante copulam solẽt verba præcedere, et secretiora loca requiri.* Euidentiam facinoris non ab oculorum euidentia, sed à collocutione euincere satagit: quia palam & euidenter cõuincitur impudicus, qui quomodolibet cum muliere cõuersatur: quasi inexcusabilis culpa sit quęlibet lasciuiæ suspicio. Sic Luxurię ignis approximatione increscit, vt quodcumque verbum fomes sit ad conflagrandum, & qui verbis etiã leuibus & iocosis se immiscent, factis se immiscere credantur, & vel iocosa locutio criminis probatio sit, & euidẽtia facti. Vnde miror admirari PP. quod Christi discipuli mirentur de ipsius colloquio cum muliere Samaritide, quandoquidem sibi persuasum habebant, quamlibet hominis cum muliere familiaritatem nimis suspectam esse, & ex verbis facta conuinci: quare licet de Christi sanctitate nõ dubitarent, mirantur merito, quod periculo inter homines proximo casui se exposuerit,

Carthus.

ANNOT. C. XXXXIV. MORALIS.

TIMENDA CVNCTIS LIBIDO, eò quod totam Hominis vitam, et studium sorbet.

595 RECTE dixit Seneca de ira cundia lib. 3. *Vacat pudicitia: libido occupatissima est.* Carnis illecebrę omnia tempora implent, omnem hominem occupant, omnia vitę spatia, vt nihil hominis ad alia hominis ministeria relinquat. Quare necesse est, vt totus homo in ipsam insurgat, ne aliqua ex parte possessus à reliquis occupationibus abstrahatur, & scortationi tantum vacet. Bello inito inter Hebrẽos & Amalec, assiduè Moyses orabat in monte, & armis, quæ ad superandum hostem nõ sibi sufficiẽtia videbantur, adiungebat orationẽ. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat*

Seneca.

cebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Exod.17.v.11 Et cur cum contra alios hostes solis armis pugnabat Moyses; contra Amalec non solum telorum robore, sed etiam orationis vi dimicare intendit? Cur hic tam assiduę requiruntur preces, vt si prę lassitudine manus cadant, hostis vincat, & populus in discrimen cuadat? Consule D.Gregor.in lib.1 Reg.c.12. *Profectò magnũ certamẽ fornicationis ostenditur, quod tãta virtute, tãta difficultate superatur.* Amalec *populus lambens* à Gregorio interpretatur, qui fornicationis speciem, muliebresque blanditias significat: his autem, quæ dulciter gustatæ totum hominem occupant, totus debet obstare homo: non solum viriliter resistere expedit, sed assiduis orationibus, & toto animi & corporis studio obsistere, vt aduersis occupationibus, ne totus à lasciuię voluptatibus pręoccupetur, occupetur.

Exod.17. v.11.

D.Greg.

596 Vbi Samaritana mulier Christum audiuit vitæ suę cursum detegentem & scortationem cum quinque viris improperantem, ex secreti notione Christum Prophetam esse agnoscens, properat in vrbem, & Christum sic publicè euangelizat. *Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcũque feci. Nũquid ipse est Christus?* Ioan. 4.v.29 Fallit mulier, & dum Christi excellentiam prædicare contendit, plane mentitur: nam Christus solum incontinentiam, & lasciuiendi licentiam reprehendit, nihil de reliquis vitæ actionibus agens: quo ergo pacto verè dixit, omnia, quæcumque fecerat, ipsi reuelasse? Argutè Maldonatus nodum soluit: *Non dixit illi omnino omnia, quæ toto tempore vitæ suæ fecerat: sed dixerat quæ præcipua erant, quæque maxime erant occulta, et mulierem poterant commouere.* Sic dulces illecebrę vitæ functiones, totumque hominem sibi arrogant, vt nihil hominis ad alia munera relinquant, verèque dicatur omnia dixisse, qui inhonestam occupationem dixit: nam hęc dulci tyrannide omnia vitę spatia, omnia negotia, omnesque cogitationes vsurpat. Fortè mulier eorũ more locuta fuit, qui cum libidini nõ insetuiant, omni se prorsus peccato carere existimant, quasi nõ alia pręter carnis voluptatem sit peccati materia, & ab illa abstracti impeccabiles se reputent pluribus alijs superbiæ, vanitatis &c. delictis obnoxij; vel existimans se illecebrosæ carnis libidine irretitam ad alia crimina non posse diuerti: quia sic luxuria totas hominis potentias absorbet, vt ad alia reddatur iners, & difficillimè ab ea diuellatur.

Ioan.4. v.29.

Maldon.

Ille quondam Sansonis ingressus in domum meretricis, qui refertur Iudic.16.v.1. Christi Domini ad inferos descensum significauit, vt D. Gregor. hom.31.in Euang.& D.August.serm. 107.de temp. testantur. Si autem inquiras, cur meretricis domus infernus dicatur? Ausculta pręcit. August. *Pro inferis ponitur domus meretricis: quia neminem repellit, omnes intrantes ad se trahit, quia ignem inferni habet domus meretricis.* Non aliud nisi ignẽ, quo cruciantur, damnati cogitant, & meditatione continua versant: sic qui libidini indulgent, nihil aliud cogitant, nisi tenaces carnis illecebras. Addiderimque, meretricis cubiculum inferno conferri: quia ad ipsum descendere facile est; at ab illo eripi impossibile secundum illud Nason.6. AEneid.

597

D.Greg.

D.Aug.

Nason.

Facilis est descensus auerni:
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Omnes resurgendi facultates homo lasciuię deditus perdit, in belluãque degenerat, vt in ipso Sansone ponderauit Paulinus epist.4 ad Seuerũ, qui illecebrosus effectus iumenti munus obibat. *Etenim homo in errore positus, et à iustitia relapsus, iustè vt Sansõ sapientiæ pariter et gratiæ virtute destitutus cæcitate punitur, et mola: quia dignus est opere iumentario, qui semetipsum lumine rationis orbauerit.* O insanam luxuriæ cęcitatem, quæ extra se hominem educit, nec ad se redire permittit; sed inferni instar perpetuo

S.Paulin.

petuò retinet, totasque ipsius facultates vsurpat. Vnde impudicis imprecatur Dauid Psalm. 54. *Descendant in infernum viuentes.* Quasi dicat: Qui incontinentię sectantur præstigias, in barathrum detrudantur, ab illoque omnis eorum voluptuosa vita absorbeatur.

Psalm. 54 v. 17.

598 Lucæ. 17. v. 26. agens Christus Dominus de nouissimis mundi diebus, illos diebus Noe & Lot comparauit. *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis. Edebant, et bibebant, vxores ducebant, et dabantur ad nuptias. Similiter sicut factum est in diebus Lot* &c. Vbi rectè commentatur Theophilactus. *Insinuatur per exempla diluuij, quod cum venerit Antichristus, illicitæ voluptates in hominibus increscent, et dissoluti erunt delitijs vacantes.* At non alia tunc vrgebunt scelera, quòd sola luxuriæ licentia venit arguenda? Planè erunt immanissima alia hominum flagitia. Cur ergo solius incontinentiæ Christus Dominus mentionem facit? Quia hæc præcipue Dominum ad vindictam prouocabunt, meritò dixeris. Sed arbitror, huius tantum flagitij mentionem fieri, quia etsi alia non desint punienda, hoc vnum incontinentię vitium omnes homines possidebit, & ita veneris voluptati erunt addicti, vt in illa occupatione absorbeantur tori, quemadmodum in diebus Noe & Lot libidinis se totos dederunt. Sic libido homines occupabit, vt nihil ipsorum extra huiusmodi vitium videatur iudicandum, taliliter, vt non iam homines iudicentur, quandoquidem commutatis muneribus non caro spiritui, sed spiritus carni obtemperabit. Quod in eodem vitio constitutus deplorabat Dauid Psalm. 101. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Quæ tanta hæc rerum inordinatio, vt longa suspiria, & profusas lacrymas hauriat? Quid quòd ossa carni adhæreant, vt tam vehementer doleat contritus? Rex? Audi Caiet. alib. dat. *Naturalis ordo est, vt caro adhæreat ossi, et ossa sustentent carnem; iste autem conqueritur, quod ossa adhærent carni, quod ossa sustentur à carnibus: quod metapphoricè denotat, solidiorem hominis partem, quæ est mens et ratio, adhærere inferiori et fluidæ parti, quæ est appetitus sensibilium, et temporalium bonorum, ita quod sustentetur ab illa.* Carnis illecebræ id efficiunt, vt superior hominis pars, anima nempè, appetitus voluptati obediat, & mens, qua nobilitatur homo, ad seruilia carnis munera descendat, & egregiam indolem absorbeat, in belluinosque appetitus degeneret. Reliqua vitia etsi detestabilia omnino sint, aliquam hominis speciem præ se ferunt: at luxuria hominem totum alienat ita, vt nihil virile in ipso appareat, vt dicebat Seneca libr. de breuit. vitę cap. 6. *Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniusta, vel bella, omnes isti virilius peccant: in ventrem ac libidinem proiectorum inhonesta labes est.* Non humanam, sed stolidissimam indolem arguit lapsus luxuriosus, hominis genium infamat, qui ab illo miserè bruteścit.

Theophil.

Caietan.

ANNOT. C. XXXXV. MORALIS.

ADVLTERIVM VEL A BARBARIS detestatum in barbariem degenerat.

599 ILLICITA cum aliena vxore venus, alienus tori cōcubitus vel ab ipsa natura abhorretur, & nō tā cōiux, quā ipsa offenditur, ab eaq; & ratione degenerat, qui alterius vxoris admiscetur cōsortio, vt grauiter dixit Ambros. lib. 5. in examer. c. 7. *Nolite quærere, viri, alienū torum, nolite insidiari alienæ culpæ, graue est adulteriū, et naturæ iniuria. duos primū Deus fecit Adā et Euam, hoc est virum et vxorem, et vxorem de viro, hoc est de costa Adam, et iussit ambos esse in vno corpore, et in vno spiritu: quòd vnum separas corpus, vnū diuidis spiritum, naturæ adulteriū est.* Refert AElianus lib. 11. naturæ animal cap. 15. vel bruta animantia illicita tori cōmercia sic detestari,

D. Ambr.

vt in adulteros lethaliter insurgant: tradit enim elephantem, cum altoris & domitoris sui vxorem alteri viro commixtam vidisset, ambos adulteros cornibus transfixisse, & reliquisse in stragulis constupratis lecto adulterino iacentes, vt cum primum suus rector venisset, manifesto nefarium facinus, & se illius vindicem agnosceret, cruenta cornua perspiciens. Similiter porphirionem tradit idem AElianus, tam acerrima riualitate ardere, vt zelotypia accensus mulieres, quæ sunt sine viro, vigilanter obseruet, & statim ac stuprum fieri cognouerit, se strangulet. Vnde D. Ambros. lib. 1. de Abraham dixit: *Adulterium etiam feris, ac barbaris detestabile est.* Nulla est vel barbara gens, quæ tam abominabile flagitium non abhorreat. *D. Ambr.*

600 Patria relicta ingressus Abraham in AEgyptum sororem vocat coniugem, vt securus in aliena & barbara regione degeret. *Genes. 12. v. 12.* *Dixit Sarai vxori suæ: Noui, quod pulchra sis mulier, et quod cum viderint te AEgyptij, dicturi sunt: Vxor ipsius est, et interficient me, et te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, et viuat anima mea ob gratiam tui.* Genes. 12. v. 12. Plane desipit Abraham existimans mortem non euasurum, si ipsius vxor ab AEgyptijs agnoscatur Sara; cum potius ex illius noto coniugio plurima commoda ipsi resultarent, nam propter vxoris pulchritudinem ipsum magnis fauoribus prosequerentur AEgyptij. Vnde igitur mortem formidat, cum plures sint, qui alienas vxores diligunt, quin maritos interficere moliatur; imo amicos habeant, donisque & muneribus ipsorum domus adimpleant? Optime *Lyra.* Lyra in detestatione adulterij cõmentatur. *Sciebat enim Abraham, nefas esse apud AEgyptios adulterium, et morte plectendum, et minus reputabant homicidium viri, quam accedere ad vxorem alicuius ipso viuente: et ideo ad hoc periculum euitandum dixit vxori suæ: Dic, quod soror mea sis.* Tam immortale odium erga adulterium inerat AEgyptijs, vt nemo illud perpetrare auderet, & minus detestabile facinus mortẽ coniugis, quã vxoris stuprum iudicarẽt. Vnde prouidè Abrahã mortem sibi ab AEgyptijs inferri credebat, vt soluto coniugij vinculo illa libere frueretur, quandoquidem ipso superstite nemo id tentare auderet. Quia vel à barbaris (qualis erant AEgyptij) cũ aliena vxore scortari detestabile erat facinus: vt vitã tueretur, se à coniugio liberũ ostendit, nã magno discrimini erat expositus apud AEgyptios auidè illius vxorẽ ambiẽtes, si maritali vinculo, quod nefas erat violare, eã impeditã cernerent: veriti enim alienũ torũ, vt illa potirentur, ipsum de medio tollerent; sin aliter de Sarę concubitu desperarent.

Pro expianda vxore adulterina labe, aut eius suspicione deturpata, lex extat Numer. 5. vers. 14. *Spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, et offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ.* Cur pro sedando zelotypiæ ardore ex adulterio accẽso non triticum offertur, sicut mos in alijs erat sacrificijs, sed hordeũ? Quid hordeum cum scortatrice vxore habet affine, vt illo expietur nefaria vxoris infidelitas? Auscultа Abulens. hic quæst. 24. *Ista farina, quæ hic offerebatur, non erat de tritico, sed hordeo, quod est contra communem legem aliorũ sacrificiorum: et ponebatur hordeum, quia hordeum est cibus bestiarum: sic autem inquirebatur hic crimen bestiale, scilicet, an fœmina sequens desideria bestialia declinasset ad alium virum.* In ipsa libaminis specie deformitas vitij apparebat, & non triticea, sed hordeacea materia offerebatur, quæ stolida animalia nutrit, vt adulteras fœminas in bruta degenerasse agnoscerẽtur, & quam à natura & humanitate aberrant, qui hoc vitio deturpantur. *Num. 5. v. 14.* *Abulens.*

602 Et licet in quocumque personarum genere nefarium scelus sit à coniugis fide deficere, in nobilibus, & qui sanguinis claritate, ac gloriosis stem-

frem matibus excellunt, detestabilius est. Diu profuga Hebræa gens ex AEgypto in terram promissionis pergebat: cum autem moraretur in Sethin, inhonesta labe populus se immiscuit cum filiabus Moab, quod ægrè Deus ferens præcepit Moysi, vt Proceres suspenderet in patibulo. *Tolle cunctos Principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis.* Numer. 25. vers. 4. At si omnis populus peccauit, cur non omnis plectitur? Cur solis Principibus infertur supplicium? Præstaret aut omnes punire, aut omnibus indulgere, vt æqua lance iustitia, aut misericodia exerceretur. Eximie Diu. Petrus Damianus (lib. 1. epist. 6.) quam sit inter nobiles exitiosam flagitium adulterium, hinc arguit. *Dominus* (inquit) *cum omnis Israelitica plebs non dispari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit; aduersus autem solos Principes in furorem se dignæ animadversionis erexit: quia reatus adulterij in personis clarioribus debet durius vindicari.* Vt grandiorem fuisse Principum noxam ostenderet, ipsos dumtaxat puniri iubet, tum quia impunè impudenti salacitate antistant, & noxio exemplo subditos scortatores esse, permittunt: tum quia grauioris criminis mutua cum alienis vxoribus commistio inter nobiles rea est. Vnde à nobilitate abit, qui tam nefario implicatur facinore, & insulas dignitatis amittit. Idcireo Dauid antequam adulterium committeret, Rex nominatur 2. Reg. 7. *Misit ergo Dominus Nathan ad Regem.* Postquam autem Vriæ totum adulterauit, non vltra Rex appellatur, sed viduato nomine dignitatis, personæ nomen tantum auditur. *Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid, qui cum venisset ad eum* &c. 2. Reg. 12. Cur tam dispari nomenclatura tractatur, nisi quia & regali honore, & regio nomine iã erat indignus, & in priuatum hominem, imo in belluam degenerauerat, qui honorem Vriæ non fuit veritus? Quare regio diademate spoliatus obnixè deprecabatur, vt principali spiritu, quem iam perdiderat, confirmaretur. *Et spiritu principali confirma me.* Psalm. 50. Restitutionem expostulat regalis dignitatis, quam adulterium contra vicinum perpetratum abstulerat. Qui alieni honoris thalamum violauit, non modo regnum, sed & generosam indolem perdidit: iureque imperium in alios amisit, qui imperium in alienam vxorem vsurpauit. Vnde merito obseruabis, quòd cum ex omnibus fere tribubus Israel aliqui ad regimen euaserint, nullus ex tribu Ruben aut Simeon suprèmam potestatem obtinuit, vt notauit Lyra ad c. 7. 2. Regum. Cuius ratio esse videtur, quod Ruben patrium cubile incestarit. Genes. 35. Vnus autem de tribu Simeon nomine Zambri ad pellicem Madianitidem intrauit: tribus autem tali infamia laborantes indignæ videbantur, vt ad regiam dignitatem ascenderent, quandoquidem iam possessa propter tale vitium amittitur.

Sed ò tempora. Ò mores. Olim nemo adulterium impunè perpetrabat; nunc tantum abest, vt non adulter puniatur: quod lepidè dixit Seneca sui sęculi vxoriatas fœminas reprehendens epistol. 97 *Quærebatur, an post adulterium aliquis posset tutus esse? Apparuit sine adulterio tutum esse non posse.* Eò deuenit impudens licentia, & infamis maritorum honoris obliuio, vt sit, qui non modo suam non sentiat infamiam; sed qui procuret. Hos pudeat audire Tertullian. in apologet. cap. 39. *Omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores: in isto loco consortium soluimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant; sed et sua amicis patientissimè subministrant.*

***

Num. 25. v. 4. — *Psalm. 50 v. 14.* — *Lyra.* — 603 — *Seneca.* — *Tertull.* — *2. Reg. 7. v. 3.* — *Cap. 12. v. 1.*

VERS. 16. *AVDIVI, ET CONturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.*

ANNOTATIO C. XXXXVI.

EXPOSITIO LITTERAE

604 GVEVARA & alij apud ipsum totam hanc propheticę periodū vsque ad finem capitis arbitrā tur, lætantis atque gestientis vocibus & affectibus esse plenam. Sed magis arridet sententia Iansen. quam sequūtur Sanchez, Ribera, & alij, Prophetā scilicet præ horrore malorum, quæ euentura Babyloni audierat, adeò grauiter commotum esse, vt venter eius conturbatus fuerit, & labia à per cepta voce tremuerint: tristes enim & atroces etiam hostium casus naturaliter horrorem incutiunt, præsertim viris sanctis & timoratis, qualis erat noster Vates. Vnde Isaias Babylonis quoque præuidens ruinam gemebundus affatus est cap. 21. *Propterea impleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis: corrui, cum audirem: conturbatus sum, cum viderem: emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.* Condolet Propheta super Chaldæorum incommodis, affectuque humano & pio cōmouetur. Sensus ergo est: Te reuelante audiui futuram tam diram calamitatem hostium nostrorum, vt ob eam à me præuisam præ horrore conturbata sint in me omnia interiora mea, & propter vocem tuam, quam auribus meis percepi, etiam labia mea contremuerunt, vt ad loquendum inepta sint facta. At parum est, vt nunc ad tempus horrore futurorum malorum grauiter commouear ita, vt veluti putredo ingrediatur in ossa mea, & ebulliat, atque erumpat sub me, hoc est, vt horror omnia interiora mea depascatur, & in exteriora erumpat, modo id mihi aliquando detur, vt requiescam in tempore tribulationis venturæ super impios, qui nos opprimunt, & nunc ascendere possim è Babylone ad populum nostrum fortem & bellicosum, & cum eo rursum obtinere terram promissionis: futura est enim tanta terrę hostium nostrorum desolatio, vt ficus non floreat, & non sit germen in vineis: fructus oliuę frustrabitur, & illius expectatio: agri non producent cibum: auferentur de ouili greges ouium, & non erit armentū in præsepibus.

Isaiæ 21. v. 3.

605 *Audiui, et conturbatus est venter meus; à voce contremuerunt labia mea.* Ventris nomine solent Hebræi viscera significare, quæ in perturbationibus animi commoueri solent dolore & miseratione: quale est illud 3. Reg. 3. *Commota quippe sunt viscera eius super filio suo.* Vnde perturbari dicitur venter, cum aliquo horum tristium affectuum concitamur, vt Psalm. 30. *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus:* & sępe alibi. Illa igitur seuera denuntiatione taliter cohorruit Propheta, vt tunc temporis omnia eius viscera commouerentur timore concussa. Cui consonat id, quod subiungit. *A voce contremuerunt labia mea.* Hoc est, propter vocem tuam, quam audiui, ita labia mea præ metu contremiscunt, vt vix hæc ipsa verba effari queam: quia [vt experimur] in magno timore vix labia queunt verba efformare, & ad summum vocem audimus tremulam & exilem.

Psalm. 30 v. 10.

606 *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat.* Cum contemplaretur Vates horrendam Dei vindictam, quam eo tempore de hostibus suis sumet, timore commotus orat, vt in se mala, quę audierat, inflectat. *Ingrediatur putredo* &c. Id est, veniant in me omnia mala, ita vt si necesse fuerit, ossa mea putredine impleā tur, & càro mea vermibus scateat, vt tandem requiescam in die tribulationis, seu capti-

captiuitatis, vt ex Hebræo transfert Gueuara. Hoc autē sibi imprecatur, quia hæc grauissima plaga est, quam magis solent horrere mortales, cū lenta tabe talia viua corpora patiuntur, qualia exanimata cadauera, quæ sanie fluunt, & vermibus scatent.

607 *Vt requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.* Videbat Propheta illa omnia non fore perpetua, sed finem habitura, eumque felicem, & requiem exinde sibi pollicetur, cupitque ad illum populum ascendere, vt sit vnus ex ijs, quos Deus accinxit, & armauit, vt feliciter aduersus omnes hostes pugnaret. Vnde Hieron. legit. *Ad populū fortē, bellatorē, et pugnacem.* Additq; omnia hæc facile ad vltimū iudicij diē allegoricè cōtorqueri posse.

D. Hier.

ANNOT. C. XXXXVII. MORALIS.

MAIORA MALA FACIVNT, VT minora pro bonis habeantur.

608 FVTVRAS vltimi diei miserias contemplatus Vates sibi ipsi imprecatur, & putredinē ac vermiū congeriē potius eligit, quā in tremendum illū diem incidere, idque requiei loco habiturum insinuat. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, vt requiescā in die tribulationis.* Hic v. 16. Vbi Hieron. *Diem autem tribulationis puto consummationem esse mundi.* Ad ingens illud malum præcōceptum mala, quæ sibi desiderat, tanquā bona sibi elegit sustinēda, nā maiora & grauiora mala minora bona faciūt apparere. *Nemo miser* [aiebat Seneca] *nisi cōparatus.* Dixerim ego: Nemo cōparatus miser: vt enim qui cum feliciori se cōfert, sibi videtur infelix: sic qui cū infortunato se cōparat, beatū ac felicē se iudicat. Vtriusque ratio boni & mali natura est: etenim sicut maius bonum, quod minus est, malum facit vt appareat, vnde qui minus habet bonum, comparatiuè ad maius existimatur infelix: ita quod maius malum est, minus efficit, vt bonum reputetur, & profecto qui illud habet, si cum habenti maius malum conferatur, felicem se existimabit, idque lætanter habebit, & libenter eligit: quemadmodum Propheta mala deligit, & sibi optat, quoniam comparatione maiorum, quæ in die tribulationis euenient, non mala illi, sed bona potius videbantur. Vtrumque in bono, & malo licet intueri, nam contrariorum eadem est ratio. Et primum eleganter dixit Tertullian. (lib. de resurrect. cap. 58.) Ionæ profugi euentum expendens. *Ionas* (inquit) *deuoratus à bellua maris, in eius aluo naufragia digerebantur: triduo post incolumis exputtur.* Premendum illud *naufragia digerebantur*, quod enērgia plenum est. Sic legendum puto; non *dirigebantur*, vt nonnulli leguot. Quasi ad immane periculum, ad ingens præconceptum nocumentum, ad ceti horribilem deuorationem, quæ vehementius terrebat, cætera naufragia digererētur. *No solo los tragarà, sino los digeriera.* Quia prioris discriminis magnitudo alia subsequē tia mala in bona commutauit, & elegibilia effecit.

Tertull.

609 Instanter recusabat Moyses Israelitici populi principatum, tum propter incredulitatem Hebræorum: tum propter durum Pharaonis ingenium. Sed miraculorū patratrice virtute sibi cōcessa, nō erat cur abhorreret tyrānū; & tamen adhuc renuit principatū, linguæ tarditatē, & ineloquentiā obijciens. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, et nudius tertius, et ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, et tardioris linguæ sum.* Exod. 4. Cui Dominus, vt absque hęsitatione pergeret, expeditam loquelam sic pollicetur. *Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus est mutum et surdum? Nonne ego? Perge igitur.* Plane si Dei ratio attentè inspiciatur, neque intentū cō uincit, neque cum illis, quæ præcesserant, cohærere videtur: nam Moyses linguę impedimentū obiecerat, vt se excusaret. Vt quid igitur Deus, vt ipsum posse facere facundum ostendat, se fabricasse mutum, & surdū, exponit? Cur cum ad vocis impedimētū

Exod 4. v. 10.

Lyra. medela expoſcitur, muti, ſurdi & cęci mentionem Deus facit? Lyra ib. *Oſtendens, quod poſſet ſupplere eius defectum. Ac ſi diceret: Ego qui feci os hominis, poſſum tibi dare eloquentiam.* Nõ ſolum Deus intendit potentiam oſtẽdere, qua defectum à Moyſe allegatum ſupplere valebat; ſed ſimul devocis impedimento eum ſolari: & idcirco muti ac ſurdi, qui maiori impedimento laborant, recordatur: quoniã cordato viro nullum in malis eſt ſolatium adeo efficax, quam in laboribus recordari, quod alij alia longe maiora, ac grauiora ſuſtinent. Subindeque cum Moyſes de tarditate linguę quereretur, nullum ei ſolatium ſuauius potuit accidere, quam eos in memoriam reuocare, qui penitus obmutescunt, nec loquuntur: nam ingentius malum vrget, vt minus tanquam bonum amplexetur. Hoc enim eſt bonum malorum ingenium, vt quæ grauiora ſunt, leuiora in bona commutent.

610 Refert Baruch Iudęos, qui in Babylone ſub Nabuchodonoſoris tyrãnide erant captiui, pecunias Ieroſolymam miſiſſe, vt qui ibi aderant, victimas emerent, & aromata, ſacrificiaque libarent pro ſalute ac vita illorũ Principum, qui Babyloni cum moderabantur imperium. *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, et pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram, et vt det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, et ſub vmbra Balthaſar filij eius, et ſeruiamus eis multis diebus.* Baruch. 1. v 11. Dira atrocitate Iſraelitas vexauerat Nabuchodonoſor, impius in Hebræum populum extiterat, ita vt dixerit Azarias in oratione, quę habetur Daniel. cap. 3. *Tradidiſti nos Regi iniuſto et peſſimo vltra omnem terram.* Quare ergo vitam illi longæuam, & ſecundam fortunam exoptant, & pro Principe peſſimo, & tyranno, qui eos retinebat captiuos, eorumque regnũ, Principes, & Sacerdotes in miſerã ſeruitutem adduxerat, & templum ſpoliauerat, tam impensè orant, & ſolicitè illius proſperam fortunam procurant? Exiſtimant nonnulli, metu Regis id feciſſe, nec fuiſſe auſos animi ſui dolorem & triſtitiam aut loquendo, aut ſcribendo prodere, quod proprium eſt illorum, qui ſeuero aliorum premuntur dominatu: ſic Sãchez. Sed argutius commentatur Lyra, id vero animi affectu Hebrẽos poſtulaſſe exiſtimans: quia (inquit) ex eo pacifico ſtatu dependebat pax terræ Babylonicæ, & per conſequens pax Iudęorũ: propter quod petebant orari pro vita Regis, & filij eius ſecundum monitionem Ieremię 29. *Orate pro ciuitate, ad quam tranſmigrati eſtis, quia in pace illius erit pax veſtra.* Sciebant Regum in deteriorem ſtatum in dies ſucceſſionem ire, vt eleganter deplorauit Horat. lib. 3. Oda 6.

Baruch. 1 v. 11.

Daniel. 3. v. 32.

Ieremi. 29 v. 7.

Horatius.

Damnoſa quid non imminuit dies?
AEtas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Rogant ergo, & exoptant vitam Nabuchodonoſor, & eius filio Balthaſar, quamuis tyranni eſſent, timentes ne alij ſuccederent Principes, qui peius & ſeueriùs illos tractent: id enim vt aduertit Lyra denotant verba, quę ſequuntur. *Et inueniamus gratiam in conſpectu eorum, vt non cogant nos idolatrare: ſed permittant nos Deo pacificè deſeruire.* Quaſi dicant: Hi licet captiuos & oppreſſos nos habeant, tamen pacificè Deo deſeruire permittunt, & pecunias ad vos tranſmittere ad emenda ſacrificijs neceſſaria: alij forte venient, qui non ſolum captiuitate nos premant, ſed etiam penitus expolient, & ad idololatriam compellant, ex quo grauiori præconcepto malo, quod ad præſens vrget, nobis velut bonum apparet, pro quo debetis Deum rogare, ne increſcat alijs peioribus tyrannis ſuccedentibus. Ingentius damnum, quod nobis imminet, nos cogit hoc in bonorum locum ſubrogare.

Lyra.

Haud aliter quam maius malum, quod minus eſt, bonum facit apparere; ingentius bonum, quod minus eſt, in-

611

in malum transformat. Adoleſcentulis ſibi amicitia ſociatis dicebat Spō-
Cantic. 1. v. 6. ſa Cantic. 1. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Quod expendens Lyra legit. *Obſcura et abominabilis Deo.* At quo pacto ſic à venuſtate abit, vt abominabilis videatur, quæ tota pulchra & formoſa alibi deſcribitur? Cap. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, et macula non eſt in te*, de ipſa fert Sponſus. Vnde in tantam fœditatem degenerauit, quæ nullo aliàs apparebat maculata næuo? D. Bernar. ſerm 28. in Cant. *Decolorauit me Sol, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum appropians illi, ex eo me obſcuram deprehendo, et nigram inuenio. Cæterũ aliàs quidem formoſa ſum. Quid fuſcã dicitis ſolius Solis pulchritudini ſuccũbentem?* Sanè pulcherrima & venuſtiſſima erat Sponſa; ſed in comparatione diuinę pulchritudinis, cum relatione ad ſummum & ineffabile bonum, fuſca & denigrata ſibi videtur: nã mẽte verſans inenarrabilem illam pulchritudinem, dum ad ſe ipſam oculos inflectit, non niſi inuenuſta potuit apparere, quandoquidem bonitas excellens inferiorem in malum degenerare facit. Vnde dicebat AEliphas apud Iob cap 4. Iob 4. v. 17. *Numquid homo comparatione Dei iuſtificabitur, aut factori ſuo ſuperior erit vir?* Vbi Diu. Gregor. *Humana iuſtitia Diuinæ comparata iniuſtitia eſt: quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur; ſed in ſolis radijs poſita tenebratur.* Quaſi ab incremento maioris boni decreſcat inferius, & cum malis naturam mutuet.

612 Qui olim in domo aliqua lepra erant infecti, antequam Sacerdos ad explorandam lepram ipſam ingrederetur, non reputabantur immundi, vt habetur Leuitic. 14. v. 35. *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius eſt domus nuntians Sacerdoti, et dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea: at ille præcipiet, vt efferant vniuerſa de domo, priuſquam ingrediatur eam, et videat vtrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo ſunt: intrabitque poſtea, vt conſideret lepram domus.* Ad quem ritum ſolerter inquirit Philo (lib. quod Deus ſit immortalis) cur ante Sacerdotis introitum quæ in domo erant munda, poſt ingreſſum viri purificati, perfecti, ſolicitique pro omnibus ſacrificare, immunda iudicentur. *Contrarium* (inquit) *videbatur veroſimilius, vt ad præſentiam viri ſancti res in meliorem ſtatum mutarentur, et ex impuris pura fierent; at nunc nec in eadem quidem conditione permanent, ſed ſuperueniente Sacerdote deteriora redduntur.* Difficultati autẽ quam ſibi obiecerat, perbelle ſatisfacit. *Equidem incunctanter dico, nihil eſſe tam conueniens, quam vt ad introitum Sacerdotis contaminentur, quæ in domo ſunt, non contagione moris, ſed euidentia virtutis. Nomine Sacerdotis intelligo non tã eum, qui hoſtiam ſolet offerre, ſed etiam patrem, præceptorem, et quemcũque, cui incumbit aliquorum vitia redarguere.* Ita enim ſplendeſcere debet Præſul nitore virtutis, vt etiam ij, qui antea videbantur ſancti, impuri in eius conſpectu appareant, & ſola ipſius præſẽtia ſubditi arguãtur. Profecto vt atomi in aere delitescentes ad lucis præſentiam conſpiciuntur: ita quæ optima & præclara ſunt, faciunt, vt mala quæ obtecta erant, innoteſcant; vel quod minus bonum ad maioris conſpectum malum videatur. Sic poſtquam Eliam excepit hoſpitio Sarepræ vidua, poſt filij obitum dixit ad Prophetã: *Quid mihi et tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt remorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. Miratur Theodoret. (quæſt. 52.) quod de ingreſſu Prophetę vidua conqueratur, eo quod illius defectus detexiſſet, & necaret filium: nam quomodo ad præſentiam Vatis vidua peccata ſua in memoriam reuocauit, & filium amiſit? *Tuo* (inquit Theodoret.) *lumine aperta ſunt mea, quæ occulta erãt peccata.* Ad ſplendentem Prophetæ ſanctitatem, luciſque virtutem imperfectiones viduæ, quę antea erant reconditę apparuere. Vel minor illius virtus vitium videbatur: nam ingentis boni hoc proprium eſt, quæ mino-

3. Reg. 17. v. 18.

Theodor.

ra

ra sunt, mala respectiuè facere, & quę mala obtegebantur, detegere.

613 Ingressus Paterfamilias, vt videret discumbentes, quos ad lautum inuitauerat conuiuium, & sordida veste hominem indutum aspiciens, ipsum foras tanquam indignum eijci præcipit. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. Si imperauit Rex pauperes intrare & claudos, quid mirum, quod sine veste nuptiali aliquem inuenirent? Imo mirũ esset, si illam aliquis haberet: pauperes namque & mendicantes dissutis vestibus semper incedunt. Cur ergo illum punit, quem ex conditione sciebat sordida veste indutum aduenturum? Vrgetur difficultas: si ille miser antea quando intrauit, veste carebat nuptiali, & tanto conuiuio digna, impurus & peccator erat, cur non tunc punitur, & audacię pœnas luit; sed postquam accubuit ad mensam? D. Ambros. serm. 14. *Ligatus in tenebras expellitur non solum, quod peccator erat; sed quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicauit.* A iustorum consortio peior euasit, quia etsi esset malus, tamen bonus sibi videbatur: at bonorum consortium ingressus, dum locum sanctitatis sibi arrogat, non potuit nõ pessimus apparere. Non tam iniquus cum ingrediebatur, censetur, quam cum inter bonos collocatur. Ambigitur ab omnibus, cur Christus Dominus ficulneam illam damnauerit, cuius meminit Lucas cap. 13. *Succidite ergo illam, vt quid terram occupat?* Que ratio fuit tã acerbæ sentẽtię, nam alię sunt infructuosę arbores, quę inutiliter terram occupant, & tamen nulla pœna multantur? Gilbert. serm. 23 in Cantic. *Forsitam et ficulneam illam sterilem, quam Dominus iussit succidi, fertiles de vicino plantæ condemnabant.* Frugiferę arbores ipsi associatę in causa fuere, vt eius sterilitas peior apparuerit, & ex aliarum bonitate eius infructuosa sterilitas condemnatur.

Matth. 22 v. 12.

D. Amb.

Lucæ. 13. v. 7.

Gilbertus

ANNOT. C. XXXXVIII. MORALIS.

PVDOR EST PRO AETERNA gloria non præstare, quod pro peritura facimus.

614 NEMO fuit vnquam sanorum (inquam) virorum, qui humano gloriæ amore non caperetur. Non solum magni in re militari duces, & egregij in administratione reipublicæ ciues gloriæ inhiant: sed etiam Scriptores fermè omnes hanc gloriam, & immortalitatẽ veluti præmium vbertimum suarum lucubrationum spectare videntur. Quis enim Philosophorum huius auræ amore vnquam caruit? Quis vnquã summus Imperator, aut quis clarus miles extitit, qui glorię ambitu, quidquid arduum est, non gesserit, quidquid laboriosum non despexerit? Quisnam Platonem ad tanta, tamque ardua discenda animauit? Quis illius discipulum Aristotelem post tam multa, tãque præclara à se ferè in omni scibilium genere conscripta, magistro, & ei, à quo filij loco & honore semper habitus fuit, contrariari, & magistri aduersari opinionibus coegit, nisi gloria? Inuidit profecto tãtus gloriæ zælus ei, à quo superari solo illa ętate se posse sentiebat. Quis Diogenem ad tam miserum vitę genus perduxit, vt mori potius, quam viuere videretur? Quis Epicurum summæ & continentissimæ vitæ hominem coegit, quo doctior appareret, de voluptate ita differere, vt in illa summum bonum esse constitueret, nisi gloria? Quis Scębolam Regis occidendi cupidum, cum incędę errasset, manum vrere persuasit? Quis Coclitem victori exercitui solum resistere fecit? Quis Curtium in hiatũ se proripere? Quis Marium Consuli, à quo obseruabatur, inuidere? Quis Syllam aduersũ Mariũ tanta bella mouere? Quis Cęsarem armis cinctum maximam orbis partem inuadere? Quis illius ętatis Scipionem? Quis Catonem sibi manus inferre? Quis Hannibalem Alpes trãsire? Quis Alexandrum? Quis Herculem

lem? Quis Cyrum? Quis Persęum tanta subire belli discrimina, nisi gloria mundana? Hanc fortunæ, tempori subiectam, fluxam, & tragico fastu plenam, à veritate alienã, & quę (vt cum Chrysostomo loquar hom. 50. in Genes.) *Nihil differat ab vmbris et somnis*, homines tam auidè ambiunt: illam vero gloriam, quæ æterna est, sęcuta, solida atque in perpetuã æternitatem duratura, minime curant; quod ipsos pudere debebat, nam verecundia est, pro fulgentissima gloriæ corona obtinenda non id præstare, quod pro petitura diligentissimè exsequuntur. Si pro terrena mortem libenti animo pertulerunt: quis non pro cœlestis regni corona ad exsantlandos labores excitabitur? *Tanti vitrũ* (inquit Tertull. ad Martyres) *quanti verum margaritum? Quis, ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogari, quantũ alij pro falso?* Quo prouerbio vtitur D. Hieronym. epist. ad Letã. *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* Illudque repetit in epist. ad Saluinam. *Si tãti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum?*

615 Vt nostram inertiam Christus reprehenderet, nosque ad cœlestia procuranda vehementer excitaret, dicebat Matth. 24. v. 42. *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Et statim. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, et non sineret perfodi domum suam.* Sed quorsum hæc, quæ proposito dissonare videntur? Nam excusatoria apparent patrisfamilias, & consequenter nostri. Si enim illi non imputatur domus expilatio, quia nescit horam aduentus furis: similiter & nos excusabimur, vtpote qui nescimus, qua hora filius hominis veniet. Caietan. commẽtatur. *Parabola hæc affertur ad manifestandum periculum nostrum ex innota hora, et necessitatem continuæ vigiliæ: periculum quidem, quia si sciremus horam, vigilaremus illa hora: sicut paterfamilias, si sciuisset horam, non incurrisset damnum.* Hoc nos admonet, quanta vigilia expedit nos esse solicitos, ne ex improuiso fur aduenit, nostraque diripiat. Sed D. Chrysostom. [hom. 78.] hinc nostram pigritiam arguit, nosque verecundia suffundit. *Ad erubescentiam dicit de fide nostra, qui vigilantiores sumus circa fures, quam circa animam.* Si paterfamilias agnosceret, qua hora fur veniret, exsomnis esset, & vigilans pro damno temporali auertendo, & tamẽ homines horam ignorantes futuri iudicij, vbi iactura gloriæ imminet, alto sopore dormiunt, nec parantur, ne æternam gloriam amittant. Tam auidè ambiunt terrenam gloriam, vt ad leuem latrunculi suspitionem inuigilent, ne illam deperdant; & tanta desidia ad cœlestia bona rorpent, vt vereesse sit vel exemplo & appetitione terrenarum rerum illos excitare, vt saltem pudore suffusi ea requirant. Sic vbi (Lucæ 14.) homo ille nobilis cœnam magnam præparauit, misit seruos suos vocare inuitatos, qui se excusare cęperunt: alius, eo quod vineam emerat, & necesse erat illam adire: alius, quia probare voluit iuga boum, quæ emerat: alius denique, quia vxorem duxerat. Iratus autem Dominus claudos & cæcos iubet adduci, & iuramento adstringitur ad excludendum, quos prius vocauerat, & illos inter reprobos ex tunc numerauit. *Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Si autem attentiùs perpendantur occupationes, propter quas ire recusant, inuenietur, illarum nullam ex suo genere fuisse malam, aut prohibitam. Cur ergo tam seuerè puniuntur, qui malo operi non vacarunt? Acute Caietanus. *Vbi colliges, prudens lector, nullum istorum trium vacasse malo operi ex genere, sed omnes et singulos præposuisse sua (scilicet vitam, iuga boum, vxorem) conuiuio cœlesti.* Perituras res æternis præposuerunt, idcirco æternis suppliciis mãcipantur, vt æterno suffundatur pudore. Nam qui terrena bona cœlestibus præfert, dignus est, quia non puduit talia præponere, vt illis, quę neglexit, perpetuò careat. Nescio quo innato impe-

Tertull.

D. Hiero.

Matth 24 v. 42. Vers. 43.

Caietan.

D. Chrys.

Lucæ. 19. v. 24.

Caietan.

impetu ad terrena currimus; & ad cœlestia torpemus, hæc desidiosè negligentes, illa auidissimè desiderantes, cum fas esset commutare affectus.

616 Hanc cœlestium bonorum auiditatem monebat Paulus 1. Corinth. 9. *Omnis* (inquit) *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant; hi vero incorruptã.* Vnde manifestè colligitur, maiori cura & solicitudine incorruptam à nobis coronam esse prosequendam, quam terrena ambientes corruptibilẽ prosequuntur. *Quod est* (inquit argutè Lyra) *si faciunt hoc propter temporale præmium, multo magis debemus hoc facere propter æternum, abstinendo ab omnibus impedimentis nostræ salutis.* Quam quidem sententiam iterum repetit Apostolus ad Philip. 3. *Propter quem omnia detrimentũ feci, et arbitror vt stercora, vt Christũ lucrifaciam.* Vbi D. Chrisostom. adductus à Glosa. *Quid hoc* (inquit) *de lege dico? Nonne bonum est mũdus? Nõne bonum est præsens vita? Verumtamẽ si abducant à Christo, pro damnis habeo.* Omnia enim temporalia æternis sunt postponenda, & nihil beatum credendum, nisi quod in beatitudinem dirigit: nam pro ea assequenda, quæ laboriosa uidentur, beata reputari debent. Orta fame super terram, post sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, pergenti Isaac in Palęstinã apparuit Dominus, & sic affatur: *Ne descendas in AEgyptum; sed quiesce in terra, quam dixero tibi, et peregrinare in ea.* Genes. 26 Non parum negotium facessit huiusmodi prohibitio: nam vrgente fame tempore Abraham, pręcepit ipsi, vt pergeret in AEgyptum, vt constat ex cap. 12. Genesis *Egredere de terra tua.* &c. Cur ergo Deus filio inhibet, quod patri imperauerat? Maximè cum non minus, sed ingentius periculum Isaac in patrio solo permanenti immineret, vtpote qui locupletiores quam pater, eo tempore, quo ire in AEgyptum prohibetur, familias haberet, greges & pecora. Si ergo maius periculum timebat Isaac, nisi se transferat in regionem abundantem, qualis erat AEgyptus; cur ipsi prohibetur, quod patri non modo permissum, sed imperatum fuit? *Ex præcepto Diuino* (inquit Lyra) *noluit quod descenderet in AEgyptum: causam autem huius dicunt Hebræi, quia Isaac [vt supra dictum est cap. 22.] fuerat Domino consecratus, quando fuerat oblatus in monte: et ideo non erat decẽs, quod exiret terram promissionis, et ideo remansit in Geraris, quia tota Palæstina continetur intra terminos terræ promissionis.* AEgyptus terrenarum voluptatum vmbram gerebat; terra autem promissionis cœlestem patriam referebat: Isaac ergo, qui à patre oblatus & consecratus fuit, quique quantum in se fuit, mortem sustinuit, nec victimam pro Deo esse recusauit, indecens erat, vt in mundo viueret, iam inter beatos & terræ promissionis incolas numeratus. Terrenas AEgypti delitias paruipendat, vt æternis fruatur: nam pro illis omnia sunt despiciẽda, pro nihilo, quidquid mundus habet, habendum. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* dicebat Paulus ad Hebræos 11. Quod expendens D. Thom. dixit. *Nullus potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum: per contemptum principaliter vincitur mundus: et ideo quia fides ostendit nobis insensibilia, propter quæ contemnitur mundus, vt ait Ioannes epist. 1. cap. 5. vincit mundum fides nostra.* Quia eterna bona nobis fides representat, spemque excitat ingrediendi promissam patriam, & mundi contemptum parit, per quem vincitur: idcirco pro illa gloria in ęnigmate ostensa sancti decertant, pro illa diaboli machinamenta, carnis illecebras, & mundi vincunt inanem gloriam, omnia enim despiciunt pro gloria adipiscenda, quam respiciunt cœli amatores: at qui rebus terrenis inhiant, non alia curant, & similes sunt AEgypti agricolis. *Quia* (vt inquit Seneca lib. 4. natural. quęst. in præfatione) *in alijs regionibus agricolæ pluuiã desiderantes cœlum aspiciunt; at in AEgyp-*

1. Corint. 9. v. 25.

Lyra.

Ad Philip. 3. v. 8.

D. Chris.

Genes. 26 v. 2.

Cap. 12. v. 1.

Lyra

Ad Hebr. 11. v. 33.

D. Thom.

Seneca.

AEgypto nemo aratorum aspicit cœlũ, illorum cœlum fluuius est. AEgyptiorũ cœlum est Nilus, quia non ex cœlo pluuiam, sed ex Nilo aquarum expectant incremẽta. Similem in modum cœlum mundi amatorum Nilus quidam est, voluptatibus illicitis, diuitijs honoribusque affluens, horum nemo cœlum respicit; cœnum aspiciunt, ipsius voluptabrum auidè suspirant, anguntur, & euiscerantur, vt terrena sequantur bona, de cœlestibus nihil curantes. Econtra spirituales viri nihil sustinere recusant, vt tandem optatis fruantur bonis. Quare Propheta sibi vltimam plagam & miseriam desiderat, vt in nouissimo die cum gloria requiescat. Sic enim ea verba *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis*, quæ habentur hic vers. 16. cõmentatur D. Hieronym. in secundo & breuiori huius loci commentario illis verbis. *Non solum hunc tremorem libenter patior, verumetiam quod Iob possus est, hoc libenter sustineo, idest, putredinem corporis, ita vt innumeris scateat vermibus, vt sic à meis expiet peccatis, et in die tribulationis requiescam, et ascendam ad cõsortium eorum, qui in Christo præcesserunt.* D. Hiero.

ANNOT. C. XXXXIX. MORALIS.

CINIS EXHOMOLOGESIS ADiutor, Diuinæ pietatis illex, et valedissimus hostium expugnator.

617 SVA peccata agnoscens Propheta, & animo pœnitenti atque contrito illa confitens, putredinis ac cineris recordatur, in quem tandem abiturus erat: iugi meditatione nouissima mortis in memoriam reuocabat, & exinde æternam requiem, & auxiliatricem Dei misericordiam sibi pollicetur. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat.* Hic v. 16. Nam in puluere & cinere, quibus dãnantur homines in mortem, Dei subuenientem dextram adinueniunt, & in ipsa pœna salutis remedium experiuntur: nam Deum, quem timẽt punitorem, adiutorem habent & clemẽtem: cineres namque, qui continuò mente versantur, & perenni cogitatione lambuntur, vberioris pietatis sunt indices, delitiarum gladij, ac dæmonum expugnatores. Inter alia, quę Zachariæ Deus ostenderat, vt in spẽ erigeretur, se ipsum manifestat vetusta ac sordida veste indutum cap. 3. vers. 3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem Angeli.* Zachariæ 3. v. 3. D. Hieronym. (ex Hebræorum sentẽtia) refert, Sacerdotem hunc, qui Propheta solari aduenerat, sordida induisse vestimenta, *Vel ob contagium illicitũ, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captiuitatis.* Sed cur qui preces ad Deum fundebat, vt diuinã misericordiam mereretur, Deumque populo infensum placaret, despicata, ac squalente veste in diuino conspectu apparet indutus? Fruere Tertulliano lib. 9 de pœnitẽtia egregie differente. *Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, et frequentatur, exhomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, ne quidem vt ignaro, sed quoniam satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mãdat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare.* En cineres, quibus Deus ad clementiam flectitur, & hostes, qui nos vexant, facillime superantur. D. Hiero. Tertull.

Voracissimum illud monstrum Bel, quod plus ciborum, quam Rex ipse deceptus, insumebat, & callidorum sacerdotum fallacia tot hominũ myriades decipiebat, non alio quam cinere per pauimentum rempli insperso expugnatum fuit. *Factum est igitur* (inquit text. Daniel. 14.) *postquã ingressi sunt illi, et Rex posuit cibos ante Bel, præcepit Daniel pueris suis, et attulerunt cineres, et cribauit per totum templum.* Non armorum robore, non alia arte, sed cineris exigui appositione horrendum monstrum debellatũ 618 Daniel. 14 v. 13.

cua-

cuasit. Quod recte ponderans Isidor. Pelusiota lib. 1 epist 69. ait. *An non ventris appetitus, et carnis desiderium Belis quoque cultores et adoratores per cinerem conuictos ac deprehensos exitio adduxit?* Ad puluueris iactum iacuit inimicus quia nullo alio telo tã certo profligatur latens vitium, quam cineris ac mortis memoria, præcipue gulæ voracissimus appetitus, qui ventris ingluuiem solicitat. Quem quidem antiquitus (vt Author est Pierius lib. 29. cap 10.) in cocodrilo hianti ore pingebant: is enim cibo satus, quem immodicè sumit, & somno sopitus in litore fluminis se prosternit esculẽto semper ore, ad quem auiculæ trochili, qui senatores & reguli dicuntur, pabuli se gratia conferunt, inuolantesque dentes depurgant, atque ita magis & magis ad potentiorem hiatũ scabendi dulcedine prouocant: quod, leneumon perpetuus eius hostis, si quando fuerit conspicatus, saltu se in guttur eius immittit, intraque progressus, cor eius morsu lancinat, moribũdãque mox feram derelinquẽs abit incolumis. Sed mirum est, quibus se armis præparet bestiola ad pugnam. *Ab induto thoracem* (inquit Plutharc.) *ad prælium milite parum differt: tanũ sibi circumdat cœni, tamque densam sibi circumlinit tunicam aggressurus cocodrilum* Idem habent AElianus lib. 10. cap. 148. & Aristot. lib. 9. de hist. Animal. Etenim nullum aptius, efficaciusue remedium est ad expugnandũ voracem ventris ingluuiẽ, cæteraque vitiorum monstra, quæ nos premunt, ac cœnum & cinis mente concepta: si enim hoc armentur homines telo, facili negotio vitia quæcumque profligabunt. Quo respicit ritus ille Leuitic. 1. vbi iniungitur vesiculam gutturis auis in sacrificium oblatæ inter cineres, qui ex holocaustis resultabãt, recondi. *Vesiculam vero gutturis proijciet prope altare in loco, in quo cineres effundi solent.* Nam vesicula (vt aduertit Lyra) illa pars est, vbi auis cibũ congregat: hæc autem, quæ gulæ vitium significat, cum cineribus meritò adiungitur, vt cineris memoria refrenetur appetitus, & vitiorum illudantur prestigiæ.

Isidorus Pelusiot. *Pierius* *Plutharc.* *AElian. Aristot.* *Leuitic. 1. v. 16.*

Vt nos virtutis curriculum ambulare doceret, ducatumque præberet Christus Dominus, *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Psalm. 18. At cur giganteus cursus Christo adaptatur? Pulchre venerab. Beda in hũc locum. *Gigantes serpentinos pedes habuisse describuntur, in quo terræ adhærentes, et humiles, licet sint fortes, notantur.* Non alia, quam gigantis fuit Seruatoris nostri exultatio, vt nos doceat gigantẽ fortitudinem induere in spirituali certamine, quibus terra suppetias ferebat, & instruebat robore. Magna enim hominum erit prudentia, si vt serpẽtes terram meditatione lingant, dum vt gigantis pedes eorum humi adhęrescunt, & infiguntur terræ: sic enim insuperabiles & victores euadent. Fortassis alludit Beda ad Anthæi palestricæ artis exercitatissimi, & Herculis luctam, de qua Philostratus libr. 2. Icon. *Vincit autem eum de terra tollens: quoniam terra ipsum eleuans, atq; erigens cum moueretur, adiuuabat.* Anthæus licet ligatus & constrictus Herculis lacertis, mansit inuictus, vires suggerente terra, cui pedes nitebantur, terra ipsum eleuans & erigẽs præbebat adiutricem manum. Haud aliter si in certamine spiritualium hostium, qui te à salutis æternæ via remouere nituntur, ad terram inclinaueris postratus, puluereque animo comprehenderis, præbebit humus auxiliares copias, quibus aduersarios superes: nec exiguum erit diuinę pietatis indicium, si acerrimos hostes vicerís. Ergo ob id caput nostrum ab Ecclesia cõsignatur puluere, quo mortalis nostræ admonemur conditionis, ne thesaurizare videamur siue pulchritudinem, siue scientiam, siue cogitationes atque phantasmata: *Siquidem in capite hominis tanquam in arce, vbi mens et sedes animæ creditur esse, religio et quoddam numen esse fertur,* vt Author est Alexand. ab Alexand. lib. 2 genial. cap. 19. Vnde fortasse nata est illa opinio seu superstitio apud Scythas, qui eos felicissimos optimosque viros

619 *Psalm. 18 v. 6.* *Beda* *Plutharc.* *Alexand. ab Alex.*

vitos esse existimabant, qui in sui capitis ossibus aurum multum continerent: quodque magis mirum est, suis ex capitibus deauratis bibebant, & hęc introspiciebant, verticem frontemque suam manibus attollentes, vt refert Plato in Euthydemo pag 183. Hoc ergo puluere nos munit Ecclesia, vt mortis recordatione veras diuitias comparemus, & feliciter nostros expugnemus hostes, iberioremque Dei clementiam experiamur. Ideo vt Paulus misericordię vires acceperet, & strenuus exinde militię Christianæ miles euaderet, prius iacuit in terra postratus. *Cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi.* &c. Puluerem amplexatur, & amico fœdere terram sibi conciliat, non solum corpore, sed mente in illius cogitationem cadens, vt inde validissimus athleta resurgat, & cordis spatia, quæ vitia impleuerant, mortis occupet meditatio: eo modo quo Iosias, postquam ab idolorum cultu recessit, statuas illorum euertit, & ne vltra idololatriæ esset occasio, *Repleuit loca eorum ossibus mortuorum.* 4. Reg. 23. Idola namque vitia nostra sunt, quę magno studio à nobis colluntur, & in corde tanquam in altari collocantur, totq; ipsis aras erigimus, quot sunt prauæ nostræ affectiones, & quæ non possumus exterminare, nisi eorum loco mortuorum cadauera subintrent, iugisque mortis recordatio. Vndè Diu. Hieronym. ad præcit. verba. *Quod vnusquisque cupit, ac veneratur, hoc illi Deus est: altare ergo cordis mortuorum ossibus replet.* Non alio telo foras ejicitur, & eliminatur hostis, nisi cineris iactu: putrida ossa arma sunt, quibus à cordis arce remouetur, quibusque contritus animus victoriam reportat.

Actor. 9. v. 4. *4. Reg. 23 v. 14.* *D. Hier.*

620 Debellaturum Deum Gentes introducit Habacuc cap. 3. v. 6. Quodque vt perficeret, prius terram metiri cœpexit. *Stetit, et mensus est terram, aspexit, et dissoluit Gentes, et contriti sunt montes sæculi.* Victoriam canit Propheta in hoc triumphali carmine, quam Christus morte à Gentibus reportauit: sed tamen cum victoria audiatur, nulla bellica instrumenta videntur, non parantur arma, non telorum strepitus resonat; sed funes tantummodo videntur extensi, quibus terram metitur. Quid, quæso, cum hostium strage, illorumque victorijs mensio terræ habet affine, quod nullus alius belli apparatus videtur? Egregie Rupertus. *Quid enim est Dissoluit, nisi ad pœnitentiam emolliuit? Et quid est, Cōtriti sunt montes sæculi, et incuruati sunt colles mundi, nisi ad pœnitentiam contristati sunt Principes sæculi? Metiendo terram aspexit Gentes, misertus est Gentes.* Quasi ad mensuram terræ, & cinerum, Gentium misertus sit Deus: nam vbi terram tangunt, & assidua contemplatione in mente versant, ab ipso puluere excitati superbiam deponunt, turgentes spiritus deijciunt, ac humili confessione expiare crimina valent. Hoc ergo puluere Deus Gentes emolliuit, hoc telo mundum subiugauit, & sedulo curat, ne à nobis huiusmodi cogitatio discedat. Vt de Ezechieli gloria Dei fruituro dicebat Angelus cap. 2. *Et tu fili hominis* &c. Quod multoties repetit. Quærit D. Gregor. in Ezechiel. cap. 1. hom. 12. cur tam frequenter humanę fragilitatis Prophetæ fiat recordatio? *Quid est enim Prophetæ ad spiritualia subleuato semper fili hominis dicere, nisi ei infirmitatis propriæ memoriam facere, vt conscius conditionis infimæ eleuari non debeat de magnitudine contemplationis suæ?* Succinit Tertul. (in Apologet. c. 33.) memor illius ritus, qui in triumpho Romanorum Imperatorum fieri consueuit. *Hominem se esse triumphās in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo: Respice post te: Hominem memento te.* Quasi non alio, nisi recordatione conditionis humanę tutò victoria frueretur, quę quidem in cinere maximè solidatur. Vnde dicebat Christus Dominus Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terrā, et quid volo, nisi vt ardeat?* Pro armis igne vtitur ad debellandum mundum,

Habac. 3. v. 6. *Rupertus.* *Ezechie. 2 v. 1.* *D. Greg.* *Lucæ 12. v. 49.*

dum, calorēque fouet in nobis & feruorem deuotionis, quo suam quisque miseriam recolat, fragilitatemque expendat, ducta similitudine ab agricolis, qui in agros siluis dumisque horrentes ignem emittūt, vt suis obruti cineribus fœcundentur: quod eleganter dixit D. Chrysolog. serm. 164.

D. Chrys. *Quatenus sola longa exhausta ieiunio, ipso suo cinere saginata pinguescerent, et post diuturnam duritiem tenera redderentur et mollia, ac sic euangelico apta cultro semini redderentur commoda.* Vtilius homini nihil est, quam propriam imbecillitatem, & vltimam resolutionem in cinerem cogitare. Hoc [inquam] fomentum est & nutrimentum virtutum: valet ad profligandos hostes, & ad ingentiorem Dei comparandam clementiam. Nā quemadmodum Abraham Hortel. tradit in teathro, quidā populi non alia vtuntur pecunia, nisi ossibus mortuorum, quibus quæ ad humanam vitam necessaria erant, emebant: sic Dei misericordia, quæ noster cibus spiritualis est, mortuorum ossibus, hoc est, mortis ac cineris memoria comparatur. Vnde dicebat Propheta: *Conuertimini ad me in cinere et cilicio: quoniam benignus ac misericors est dimittere peccata nostra Deus noster.*

621 Hinc S. Mater Ecclesia ab Spiritu Sācto edocta impensè curat, & solicite satagit, ne vnquam puluis nostræ mortalitatis à cogitatione excutiatur, & à memoria excidat, illis verbis:

Ecclesia. *Memento homo, quia puluis es, et in puluerem reuerteris.* Verùm difficile apparebit, quod homo in virili ætate pulcherrimus, fœmina venustate ac pretiosis vestibus exornata se iam puluerem esse persuadeant. Quod futurus sit puluis, facile quisque discit experientia; at quod dum viuit, puluis sit, nemo arbitrabitur. Verum Diuina veritas semper constans & firma erit, non solum enim homo erit, sed in præsenti temporis differentia puluis est: non tantum respectu æternitatis, cui iam coexistunt cineres; sed quia res ex origine nomina mutuant. Sic Exod. 7. serpens Aaronis virga nuncupatur, quia ex virga in serpentem transiuit: sic homo vocatur puluis, quia ex puluere ortum duxit, illiusque seruat naturam. De illis nefandis ciuitatibus, quas Dominus de cælo igne succendit, refert Tertullianus (in Apologet. c. 40.) illo cinere, qui hodie adhuc fumat in testimonium ipsarum nefandi sceleris (vt habetur Sapientię 10.) arbores nasci pulcherrima poma deferētes, quę si tangantur, in cineres conuertuntur. *Olet adhuc incendio terra* [verba sunt Tertulliani] *etsi quæ illic arborum poma oriantur; cæterum contacta cineresçunt.* Sic humana pulchritudo extima tantum specie pulchrescit; tacta vero ad fauillas reducitur. Quo spectat id, quod legitur in Græcis apotegm. cum enim quispiam irrisor quempiam Philosophū videret subtiliter de rebus naturalibus disputantem, quasi per iocum illi dixisse fertur: Edissere nobis, quot libras fumi habet hoc lignum: cui seriò respondit Philosophus, & quidem sapienter: *Expende cineres.* Nēpe pondera huius corporis cineres, & reliqua fumus est. Quasi dicat: Nihil ponderis, solidum nihil est in quouis corpore præter cinerem: cætera vana sunt, futilia, & inania, fumus denique. Hac ergo cogitatione oportet nos esse munitos, vt victoria de hoste parta Dei misericordiam consequamur.

Tertull.

ANNOT. C. L. MORALIS.

IN MORTE VEL MINIMA peccata nos premunt.

SOLENT Pictores, dum exercitus èminus depingunt, cum iuxta artem per diminutionem res pingendę sunt penes visus distantiā, pro magno corpore paruum effigiare, pro hominum galeis, armatorū capitibus parua & minutissima pingere capita, cęteraque minuere, ita vt linea sit pro lancea: at cum iuxta & ad proportionē pingunt, ita corporū 622

pro-

procritatem extendunt, vt vel depictus, & armatus miles timorem incutiat. Parum nos peccata terrent, dum viuimus, quoniam in animo per diminutionem nobis figurantur: cum illa non nisi à longè prospiciamus, parua & exigua videntur, at in mortis hora, cum iam iam extremum instat iudicium, nobisque ex vicino peccata nostra obijcimus, sua magnitudine nos terrent, & deformitate conturbant. De elementis differens Philosophus lib. 3. de cęlo dixit: *Elementa in suis locis naturalibus nec grauitant, nec leuitant.* Nullum elementorum graue est in sua sphera: mergitur natator, & quamuis super se vniuersum Oceanum sustineat, haud sentit, quia intra illud est; ad littus exit, & amphoram aquæ portare nequit. Maximum lignum in mari vel à puero mouetur, quod in littore à pluribus, ijsque valentibus hominibus nequit moueri. Propter consuetudinem, & quia in naturali loco peccata sunt, dum homo viuit, ea non sentit homo; cum ad vitæ littus accedit, & mortis portum ingreditur, vel minima peccata illum opprimunt, maximaque & importabilia apparent, quę leuiora censebantur.

Aristotel.

623 Dauid altè meditatus nouissimi diei representationes, dicebat Psalm. 48. vers. 6. *Cur timebo in die malą, et iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Diem malm vocat diem mortis ac iudicij, vt commentatur Genebrard. At quid per calcanei iniquitatem denotetur, non omnes conueniunt. Caietanus leuiora peccata significari autumat, ea nempè, quæ inter cætera longè inferiorem habent malitiam, in calcaneo denotata, quia calcaneus inferiorem corporis locum occupat. Verum quo pacto his obiectis terretur Vates, & ad illorum conspectum formidat? Vt exaggeret, quam metuenda sit illa hora, quandoquidem in ea vel leuissimæ imperfectiones, & minima peccata illum timore concutiunt. *Cur ergo (inquit Caietanus) sic timebo, quòd iniquitas etiam minima circumdat me timore? Iniquitate calcaneorum significatur iniquitas infimæ partis, puta peccatum venialis. Exaggerando inducit minima peccata inducentia magnum timorem.* Venialis noxa, & leuissima labes magnum in morte timorem inducent, quia non iam paruæ, sed maximæ apparebunt, & quæ exigua censebantur, ad oppugnandum validissima erunt. Quod rursus contemplabatur Propheta (Psalm. 108. vers. 23.) dum dixit: *Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum.* Vel vt Hebræus vertit, *sicut vmbra inclinata.* Transactæ vitæ imaginem retro aspiciens, veluti vmbram, cum iam sol ad occasum pergit, præsentem habuit. At quę hęc cum vita vmbræ declinatæ similitudo? Egregie D. Gregorius: *Sicut sol cum inclinat, maiores vmbras facit iuxta id Virgil: Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.* Quę nunc vix peccati vmbra videtur, prolixa peccati veritas apparebit. Leuiores noxæ in immẽsum protendentur, & quemadmodum vmbræ ad solis obitum protrahuntur, & lõge maiores, quam in meridie apparent: sic leuioris defectus deformitas amplioribus lineis diffundetur. Nihil tũc non magnum & formidabile apparebit. Cum annorum virilitas, & optima valetudo vigebant, vix peccati vmbra videbatur, at vespere, inpremente, & mortem minãte infirmitate, & numero, & magnitudine supra modum increscent peccata.

Psalm. 48 v. 6.

Caietan.

Psalm. 108. v. 25.

Hebræus.

D. Grego.

624 Vitæ cursum ad pœnitentiam paratus conferebat Dauid Psalm. 50. & primæuę ac florescentis ætatis peccata recensens, quinquies peccatum singulariter repetit: *Miserere mei Deus, dele iniquitatem meam. Amplius lauа me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me. Et malum coram te feci.* At cum in fine se se agnoscit, & mortem pulsantem audit, iam non vnũ dumtaxat, sed plurima peccata sibi perpetrasse videtur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Libera me de sanguinibus.* Qui primò vnum tantum sibi peccatum obiecerat, &

Psalm. 50

semel lapsum quinquies reputabat, vnde iam plurima flagitia exhorrescit, & abeis liberari expostulat? Quis auxit peccatorum numerum, vt iam multiplex appareat, quod modò pluries vnum videbatur? Propinquitas sanè ad tumulum: cum enim in medio annorum se agnoscebat, semel deliquisse fatetur: at ita excreuit peccatum mortis approximatione, vt iam plura videãtur, & ea quæ vix imputabilia erant, iniquitates maximæ censeantur. Nam quæ vitæ tempore propter affectionem ad terrena confusè intuebatur, perspicuè in horæ mortis inspecta maxima apparent: tunc enim callidus hostis vel exiguas culpæ notas, quas obseruatas habebit, vaferrimo æstu magnas, & omnino venia indignas representabit. Quod horrescens idem Dauid obnixè Dei auxilium pro illo certamine petebat Psalm. 7. *Libera me, ne quando rapiat vt leo animam meam.* Quod pulchrè exponit Diu. Basilius: ait enim generosos Dei athletas, vbi per omnem vitam suam cum infandis inimicis, qui videri nequeunt, colluctati satis superque fuerint, postquam omnes eorum subterfugerint infractiones, prope vitæ finem constitutos à Principe sæculi huius *Exquisita diligentia examinari, vt si qua comperiantur retinere ex initis certaminibus vulnera, aut si quas discolores notas, siue impressiones peccati in his deprehenderint, detineantur, et à beatæ vitæ cursu retardentur.* Vnde dixit Diu. Gregorius libr. 33. Moral. *Diabolus tanto crudeliùs sæuit, quanto magis mundus senescit.* Tunc enim acri immanissimi hostis certamine nostri deteguntur oculi, qui vitæ illecebris erant obcæcati. Sic enim refert Aristotel libr. 1. de histor. Animal. cap. 9. talpam habere oculos, sed opertos corio, quod si quis detrahat, optimè videt, *Quippe cum omnino quidem nec videat, nec perspicuos habeat oculos: verum si quis prætensam membranam detrahit, locum oculorum aperit.* Author de mirabilibus sacræ Scripturæ tanquam quid mirum refert, quod illud eorum, quo clauduntur oculi talpæ, rumpitur præ angustia, quando incipit mori, & sic moriens oculos aperit, quos clausos in vita habuerat, eaque clarè videt, quæ ignorauerat. Haud aliter quæ nostris oculis huius vitæ voluptatibus opertis erant occulta, instante iam iam vicina morte, perspicuè videtur. Sic de rotis, quibus celebris ille Ezechielis currus gradiebatur, habes cap 1. v. 18. *Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.* Vbi multi cum Theodoreto legunt: *Dorsa earum plena erant oculis.* Si autem inquiras, quę rotarum pars reputanda sit dorsum, non inuenies, earum aliquam dorso conferendam: nam cum rotæ sphericæ sint, & vndequaque eadem figura fabrefactę, nulla alicui animalis corporis parti potest assimilari, cui non assimilentur & reliquæ. Et adhuc dato quod dorsa in rotis possint designari; cur oculos gerebant in dorso, non in facie, vbi natura in viuentibus, eos constituit? Sane vt arcane moneamur, mortem in proximo attactam pupillarum chrystallum abstergere, & ad perspicue videndum quæ in vita latebant, disponere: nam dum rotę cursu volubili identidem voluebantur super terram, & puluerem lambebant stratum, pars rotę posterior, quę à terra surgebat puluere conspersa, oculis apparebat plena; pars vero anterior, quæ nondum terram attigerat, carebat oculis, aut illos habebat clausos & ad videndum ineptos. Sic nobis certe contingit: nam oculi, qui in toto vitę curriculo obcęcantur mortem in longinquo habentes, vbi primum eius puluerem prægustant, & vicinam præsentiunt, claréscunt, vt peccatorum magnitudinem intueantur. Acuit sensus mortis acerbitas, & planè apparet nostrorum delictorum deformitas, atque ea, quę vix peccata videbantur, horribilẽ mõstrositatẽ prę se ferũt. Sic enim Propheta, qui in paruis deliquisse cre-

creditur, dum ea mortis tempore intuetur, tremore concutitur, quasi aliam formam ab instante mortis tempore mutuent. *Audiui, et conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea.* Hic vers. 16.

ANNOT. C. L. I. MORALIS.

II TANTVM CVM MORTVIS aliquo connectantur vinculo, præstantioraque misericordiæ opera exercent, qui suffragijs eorum recordantur.

625

SOLEMNE fuit apud omnes nationes, viuidis dolorum signis defunctorum funera frequentare, quo adhuc amico fœdere, aut sanguinis vinculo teneri ostendebant. Vnde lucem capit difficilis Michææ locus cap. 1 v. 16. vbi de mortuis pijs officijs prosequendis habetur sermo. *Decaluare, et tondere super filios delitiarum tuarum.* Consueuerunt enim olim Gentiles populi oblatam à capite cęsariē in cognatorum atque amicorum sepulchrum inferre: sic enim putabant piè defunctorum manibus suffragari. Quod à Gentibus sumpsisse Israelitas credibile apparet, cum alia plurima ab Ethnica religione didicerint, longè à patria relegati, & inter alterius religionis cultores. Exemplo nobis est caluitium, de quo hic loquitur Vates: cum enim prohibitum esset Deuteronom. 14. vers. 1. *Non vos incidetis, neque facietis caluitium super mortuo*: id tamen fecerunt Israelitæ: nec enim credendum est, meminisse Prophetam caluitij, illudque Samariæ comendasse, ironicè fortasse (vt aliqui autumant) nisi ea in illo populo essent vsitata, & quasi legitima lugendi forma. Quod autem Gentes in suorum funere detonsam sibi comam in sepulchrum intulerint, tam apud Græcos, quam apud Latinos scriptores frequenter audimus. Homer. libr. 23. Iliad. ab Achile detonsam comam in Patruelis rogum coniectã esse scribit, & Catullus in Argonaut.

Michææ 1 v. 16.

Deuter. 14 v. 1.

Illius egregias virtutes, clarasque facta
Sæpe fatebantur natorum in funere matres,
Cum in cinerem canos soluent à vertice crines. *Catullus.*

Virgilius 4. Enæad. Didonem moriẽtem sic depingit. Sic ait: *Et dextra prensum secat.* Et Ouidius epistol. Canaces. *Virgilius.*

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis,
In tua non tonsas (sed euulsas) ferre sepulchra comas *Ouidius.*

Similiter Seneca in Phædra action. 5. scen. 1. *Seneca.*

Placemus vmbras: capitis exuuias cape,
Laceræque frontis accipe abscissum coman.

Quibus adstipulatur Dionysius Halicarnasæus, loquens enim de funere Virginię ait: *Exiliebant ex ædibus mulieres, et virgines deflentes hunc casum, floresque aliquæ et coronas aduersus lectum in ijcientes, aliæ zonas et balteas, aliæque vittas virginalis comæ, et quædam etiam retortos crinium detondentes capillos.* Ad hanc fortasse consuetudinem alludit Propheta, qui ita iubet parentare his, qui aut moriuntur hostili ferro, aut eò rediguntur, vt haberi pro mortuis possint (cum exules, & qui vitam agunt ærũnosam, & sordidam, censeri debeant pro mortuis) vt singulorũ exequijs capillorũ aliquam partem impendant. Cum autem sit mortuorum infinitus numerus, vt singulis pars aliqua exigua capillorum impendatur, magna sit illorum quantitas oportet, atque ideo iubet, vt quidquid in toto corpore capillorum est, ad ipsas etiam radices euellatur, vt moneat, quam impensè cura mortuorum viuentibus incumbit. Ergo vt aliqui dicantur defunctorum manibus parentare, expedit, vt capillos, quibus cogitationes frequenter denotantur, in cognatorũ, atq, amicorũ sepulchrũ inferant, suffragiaq; salutaria ipsis subministrent. At qui non ita faciunt, sed mortuorũ obliuiscuntur, nullo sanguinis, aut

Dionys. Halicar.

aut amicitiæ vinculo connecti conuincuntur: quos quidem vel ipsa bruta animantia arguunt, quæ se inuicem adiuuant, & in necessitatibus subleuant. Aues enim videntes socias suas debiles ab æstu, & calore solis terræ postratas, opponunt se radijs solaribus, vt eis vmbram præstent, donec resumptis viribus assurgant. Illi ergo sanguinis, vel amicitiæ vinculo cum mortuis connecti censentur, qui pro consanguineis & proximis in acerbissimis purgatorij cruciatibus existentibus, ac maximo pœnarum feruore postratis, assiduis orationibus & suffragijs apud Diuinam clementiam vmbratiles alas extendunt; donec resumptis viribus à loco, in quo iacent, pœnarum, & miserię resurgant.

626 Dauid omni amicorum & parentũ destitutus auxilio, vt suam orbitatem exaggeraret, dicebat Psalm. 30. v. 13. *Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Cur ab amicis & cognatis oblitus se cum mortuis quorum nullus recordatur, & ab omniũ memoria exciſis se confert? Caiet. *Aduerte cõparari obliuionem sui obliuioni mortui à corde: mortui enim etsi sint in recordatione nostra, in lingua, in libris, in laudibus, in sepulchris; nunquam tamẽ in corde, vtpote quibus nulla nostri cordis affectio vtilis apparet. Et intendit per hoc explicare integritatem obliuionis, vt sicut mortuus longe est à memoria cordis nostri: ita ipse totaliter datus erat obliuioni.* At quę erat hæc Dauidis totalis obliuio, de qua tam vehementer conqueritur? *Nullus enim* (ait Caiet.) *mittebat ad eum.* Quoniam exterriti amici & cognati, & Saulis iras formidantes non audebant alimenta mittere ad Dauid extrema necessitate laborantem, idcirco dicit se ab illis obliuioni esse traditum, tanquam mortuum, quia à viuentium memoria excidit: quasi amicitiæ, & cognationi renuntiasset, quandoquidem hæc pia officia intermittebant, nullusque ipsi accurrere, & necessaria ad vitæ sustentationem mittere curabat. Haud aliter qui suffragia defunctis in extrema inopia constitutis, quando quidem mereri non valent, mittere negligit, nec illorum recordatur, neque parentat illis, amicitiam & cognationem renuntiasse conuincitur, præstantioraque misericordię opera omittere.

Psalm 30 v. 13.

Caietan.

Abulens.

Super mortem Saulis pia affectione ductus profusas lacrymas effudit Dauid: cumque audisset, quod viri Iabes pias exequias in eius funere effecissent, non vltra se continuit, sed gratias rependere confestim misit. *Et nũtiatum est Dauid, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul: misit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelijstis eum.* 2 Reg. 2. Quid est *misericordiam hanc*? Magnam, scilicet, præclaram, & eximiam. At vnde illud opus tam præclara meruit laude celebrari, alię enim sunt misericordię functiones, quę propter excellentiã obiecti præclariores sunt? Verùm hęc longe in excellentia alias superat. Audi Abulens. quæst 8. in præcit. cap. *Tulistis* (inquit) *cadauer illius de terra Palæstinorum, de muro vrbis Batsan, et cadauera filiorũ eius. Erat autem ista magna misericordia.* Si eximia misericordia, & præclarissimum opus pietatis fuit, cadauera de Palęstinorum terra ferre, quæ sanè nihil mali sustinere poterant: quanto erit excelsius defunctorum animas à pœnis illis nostris suffragijs eruere, quas in purgatorio acerbissimè patiũtur, easque in gloriosa mansione collocare? Perrexit Ruth consilio soceri in aream Booz, cumque ad dormiẽdum accessisset iuxta manipulorum aceruum, abscondit se, & discooperto pallio ad Booz pedes se conjecit. Et ecce nocte iam in media expauit homo, conturbatusque mulierem interrogat quęnam sit? Quę sic respondet: *Ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium super famulam tuam, quia propinquus es.* Cui ille: *Benedicta es à Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti.* Ruth cap. 3. Non facilè percipiunt Expositores, quidnã in hoc loco sit, misericordiam priorẽ poste-

627

2. Reg. 2. v. 5.

Abulens.

Ruth 3. v. 9.

posteriore superare. Priorem misericordiam vocat, Authore Lyra, quia Ruth bene se habuerat ad virum suũ, dum viueret, & ad socrum suam, sicut audierat Booz ab ijs, qui ipsi narrauerant, vt patet ex cap. 2. eiusdem libri: secundam autem misericordiam vocat bonum affectum, quem habebat ad suscitandum per secũdas nuptias nomen defuncti, quod quidem denotant verba illa *Expande pallium tuum super ancillam tuam. Per hoc* [inquit Lyra] *requirebat de sponsationem: hic enim erat modus tũc temporis, quod sponsus contrahens sponsalia ponebat extremum vestis suæ super sponsam.* At cur maior prima hęc secunda misericordia vocatur? Ausculta Lyram. *Et hæc vocatur maior prima: quia maior misericordia est, benè se habere ad aliquem per mortem eius, quando non potest se iuuare, quam dum adhuc viuit.* Maior profecto misericordia est, opem ferre defunctis, quam viuis: quoniam illi non se possunt vltra iuuare, quippequi extra viam & statum merendi captiui detinentur. Illis ergo parentat, & præclara misericordia subuenit, qui illorum recordatur, & pia officia erga illos exercet. Vnde ne à defunctorum memoria videretur alienus, illorum meminit Propheta, & pia compassione commotus non aliter quam cum ipsis requiescere exoptat. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Hic v. 16.

Lyra.

Reg. 2. 5.

ANNOT. C. LII. MORALIS.

PERFECTI VIRI EA EST CONditio, vt quot gradibus fauore ascendit, tot propria abiectione descendat.

628 ANIMVS verè magnus non elatione comprobatur, sed humilitate: ab hac enim dimetienda est eius statura, vt dum gratia eum extollit, ipse se deijciat, & dum ad sũma eleuatur, ad ima descendat. Cur sũ retrogado debet se inuitare, & quot gradus gratia & fauore ascendit, tot propria abiectione humiliari: prudentioris enim iudicij, & sanctitatis perfectæ pondus securius illud est, humiliter de se sentire, & parum se existimare, cum in magno pretio ab alijs habetur. Hęc est generosa virtutis indoles, quæ neque fauore extollitur, neque disfauore abijcitur: nã illud ignobile arguit ingenium, hoc autem seruile & abiectum, vt dixit D. Gregorius. *Sancti viri neque elatione sunt liberi, nec ex timore submissi.* Nunquam sic efferuntur, vt porrecto pede, sibi manum assumant. Delegitur ad delegationis & principatus munus Moyses, quod instanter recusans dicebat: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Exod. 3. v. 11. Si à munere declinare intendebat, quia se imparem viribus & meritis iudicabat, satis erat dicere: Habeas me, obsecro, excusatũ, ego pascendis gregibus occupor. Cur attonitus ad propriam vilitatem recurrit, & ira se incapacem existimat muneri, ad quod assumitur? Quia perfectus vir, qualis erat Moyses, dum maiori honore afficitur, humilius de se sẽtit, & loquitur, inquit Lyra. *Quis sum ego?* Ponitur *his verbis stupefactio Moysi: ac si diceret: Omnino sum insufficiens ad tantum officium.* Quantum electione crescebat, tantum se indigniorem reputabat.

D. Grego.

Exod. 3. v. 11.

Lyra.

629 Antequam Dominus Petrum ad pontificatum assumeret, varijs monitionibus illum prẽmunibit: inter alia autem illud videtur põderatione dignum, quod Paulo antequam eum deligeret Bar-Ionã nominauit, quasi hęc esset vltima ad dignitatem dispositio. *Beatus es Simon Bar-Iona:* quod quidẽ pronomen (vt fere omnes sentiunt) filium columbæ, & Ioannis filium æque significat. Quid ergo voluit Dominus hac geminata significatione docere, nisi eum fitium esse Spiritus Sãcti, qui columbæ speciem præ se ferr, & Ioãnis filiũ, qui eius pater naturalis fuit? Cur igitur vno & eodẽ nomine vtrãque personã comprehendit, & vtrã-

Matth. 16. v. 17.

que Petri filiationem, gratiæ videlicet, & naturæ vno verbo depromit, nobilitatemque patris, quem gratia dedit, & humilitatem eius, quem dedit natura (quippequi piscator fuit) vna voce comprehendit: nisi vt Petrus excelsum statum, ad quem eum gratia prouexit, non possit aspicere, quin humilitatem naralium intueatur? Videat, videat Petrus, eodem vocabulo filium esse Spiritus Sancti, vt magnitudinē suam possit agnoscere; & humilitatem naturalis originis, vt se patuipēdat, & gradibus, quibus sublimatur, descēdat. Fortè huc respicit, quod in superba & sumptuosa machina Salomonis templi, quod quidem miraculum fuit artis, & sapientiæ trophæum, duę columnæ æreæ erigebātur. *Statuit duas columnas in porticu templi* 3 Reg. 7. Mysterium autem fuit, super capita columnarum in corona arundinum ęris euacuati malogranata intet retia prima arte elaborata ostentari. *Quasi in modum retis septena retiacula in capitello vno, et septena in capitello altero.* Quod retia fuissēt, quæ malogranata cingebant, non vacat mysterio: & quidem non minus pulchrè oculis & propietate apparerent in canistro perforato, vbi plerūque fructus asseruātur, aut indiseo, in quo illis frequenter vtimur: fructus enim in retibus nūquam reponuntur. Sed videamus, quid huiusmodi colūnis figuretur. Venerab. Beda Apostolos in eis significatos existimat. *Apostolos namque significāt fortes nimirum fide et opere.* Malogranata, cum fructus sint à natura corona redimiti, imperium Ecclesiæ, ad quod Petrus fuit eleuatus, designant: retia autem pignora sunt suæ humilitatis, & natiuæ abiectionis, cum ab eis fuerit extractus, vt apicem Ecclesiasticæ dignitatis occuparet: adiungere autē malogranata retibus in porticu templi, nihil fuit aliud, quam eum erudire, tot gradibus se submissurum proprię vilitatis memorem, quot dignitas eum euexit: atque adeo, quod cum à piscatore Pontifex efficitur, à Pontifice se piscatorem efficiat. Nam illud est argumētum perfectę sā ctitatis, magnitudinem humilitati conciliare, & à fastigio ad ima descendere.

3. Reg. 7. v. 21.

Vers. 17.

Beda

De hoc enim maximè gloriabatur Dauid, nam ad thronū Regiæ maiestatis euectus, humilitatis pristinæ, & pastoritij muneris non obliuiscitur. *Non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei.* Psalm. 130. Sed age videamus, quomodo paruitatem primā agnoscebat. Promiserat Saul filiam sui principatus hæredem ei in vxorem porrigere, qui Philisthęum interficeret, & opprobrium auferret ab Israel. Vltro se se offert Dauid certamini, tentat quampluries Martem induere, & Saulis armis incedere; sed frustra: nam illis omnino se præpeditum sentiebat. Pastoris tandem armis præuentus certamen aggreditur, lapides in peram pastoralem mittit, fūdam apprehendit, & à brachio experto primum lapidem iactat, Philisthæum prosternit, caput eius ampurat, Sauli defert, triumphis coronatur, acclamationibus extollitur, & tandē vxorem ducere filiam Regis, & regno potiri meretur. Indubium est, in illius principatus fundatione monarchiam Ecclesiæ fuisse prędentam, cum Christi illius institutoris Dauid gesserit typum. At quibus fundamentis vtrūque regnum stabilitur? Primum enim Dauidici regni fundamentum funda fuit, & petra: nam cum in ea parte fūdæ, quæ ad modū retis texitur (Hispane *pala* vocatur) petram adaptauit, & eam in Philisthęum iactauit, ipsum interemit, quo facto principatum promeruit. Similiter primum fundamētum Ecclesiæ petra fuit, *Tues Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam*: & pari modo retia, quandoquidem eo tempore, quo Petrum in Pontificem assumpsit, retia, quæ reliquit, ad memoriam Magister reuocat, dum patris piscatoris recordatur: nec illum piscationis munus relinquere patitur, sed illud commutat. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Igitur Dauidis imperium, & Petri principatus eisdem fulciuntur fūdamētis. Sed quare hoc? Cur Dauidis

630

Psal. 130. v. 1.

Matth. 16. v. 18.

Marc. 1. v. 17.

dis regnum adeò potens & trophæis mundana tam ignobili fundamento erigitur? Cur ad Petri principatum ita gloriosum, & penè Diuinum tam imbecilla adhibentur fundamenta? Credideritn, vt vterque ad veram, & perpetuam magnitudinem atque eam ætatem deuenisset: regni enim sublimitate & corona multoties tempora intumescunt, & elatione turbantur. Maneant ergò in dignitate vestigia vilitatis antiquæ, & abiectionis pristinæ: habeat Dauid fundam, & Petrus petra, vt ambo humilitatis principiorum recordentur, & in die, quo sublimantur, præcipitia infimæ conditionis aspiciant, quo dilabantur, vt quò magis eos fauor extulerit, eò magis deijciantur. Nouerat enim Christus Dominus Petri conditionem, eum eo tempore, quo omnium Apostolorum nomine, quam remunerationem esset

Matth 19 v.28. acceptur, interrogauit, respondit: *In regeneratione cum sederit filius hominis, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim filios Israel.* Limitatam nimis iurisdictionem, & paruam præeminentiam pollicetur: nam in ea eos æquauit Reginæ Saba & Niniuitis: ampliorem autem dominationem Paulo promisit, vt eius peregrinationes remuneraret: *Nescitis,*

1. Corint. 6. v. 3. *Quod Angelos iudicabimus: quanto magis sæcularia?* Superiorem iurisdictionem Paulo præ cæteris tribuit, quibus Israel tantum iudicaturos promittit. Cæterum hic fortasse Petro interrogãti, & eius humili conditioni voluit se Christus accommodare, quod insinuauit Chrysolog. *Quia et ipsum etiam*

Chrysol. *edocuit legibus, et consuetudinibus Apostoli, et Iudæi.* Quasi dicat: Ideo Christus suos discipulos Iudices Israel tãtum constituit, quia ad hoc magis eorum desiderium propendebat. At cur ita præcipuè in Petro, qui omnium gentium caput efficitur? Ob id enim Contulit illi Christus supremam dignitatem, cuius iurisdictio Diuinam æquat, Petrum aspicit non elatum, sed tam præexcelso honore confusum, & vt ipsius palato loqueretur, cum eum iudicem facit, Israelis tantum constituit, vbi humilem & abiectam ad tempus habuit, vt sedem in perpetuum natalibus conferat, & ignobilis incunabuli recordetur, qui quantum illum extulerat gratia, tantum sui ipsius cognitio deijciebat.

Pergebat Iacob in Mesopotamiam ita perterritus, vt Deo polliceretur, ipsum in Deum recognoscere, filii necessaria tributaret, & incolumem seruaret: *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reuertarque sospes ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. v. 20. Valde fatigantur Interpretes his conditionibus, quas apposuit Iacob, nã Dominus eas absolutas fecerat hoc ipso capite vers. 15. *Ecce ego custos tuus, quocunque perrexeris, et reducam te interram hanc.* Dominus promittit ipsum absolutè seruare, & Iacob ad huc dubitat? *Si fuerit.* Dominus, quod reducet; & ipse, si reduxerit: Dominus, quod dabit; & ipse, si dederit: forte dubitat de promissis, & Deũ existimat non stare verbis, quod abhorrere esset in fide? Non ita: ait Augustinus. Non ex diffidentia Iacob ita loquitur, sed ex modestia & humilitate: nam Sancti tam reuerenter Dei dona accipiunt, quod de illis dubitet, vt non meruisse manifestent. Potius ex illis humiliantur, quam superbiũt. Ex Dei oraculo certam habebat Iacob suam protectionem, at ex suis meritis de illa dubitabat. Quantum in gratia crescebat, tantum à propria conditione humiliabatur. Varijs Christus elogijs exaltauit Baptistam, eò vsque, vt omnibus hominibus eum prætulerit. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Matth. 11 v. 11. Verũ alibi ipsum sic deprimit, vt omnibus postponat cœlestibus incolis. *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Credis hac postpositione Ioannem deuenustari? Credo hoc fuisse præexcelsius illius elogium, & reliquorum cõpendium. Hæc summa laus: nam eo sanctior est præstantior, quo ipse minorem se agnoscit. Christus autem voluit

luit ostendere Ioanneni se minorem omnibus supernis ciuibus reputare: quia ibi Christus non intendit sanctitatem Ioannis comparatiuè coarctare, nam impertinēs foret, inter Baptistæ elogia, & laudes suæ sanctitatis aliam perfectiorem obijcere, nullusque nominatur, qui maior illo sit. Sed artificiosè Christus illum esse prestātiorem cæteris manifestat, & vltimam ipsius prerogatiuam palam ostendit, eamque conuincit ex eo, quod cū tot tantisque ipsius fauoribus esset cumulatus, tamque ingentia dona accepisset, se omnibus inferiorem credebat. *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Quasi dicat: Eò vsque deuenit Ioannis excellentia, vt cum omnibus sit maior, minorem se omnibus reputet, quod maxime ipsius sanctitatem comēdat: nam ad supremos euectus fauores, ad profundiorem se demittit humilitatem, quod maximū sanctitatis argumentum est. Huius doctrinę non ignarus Propheta, vbi se Diuinarum reuelationum participem agnouit, & Deum ipsi fausta pollicentem audit, ad humilitatem proprię & miserabilis conditionis cōfugit. *Audiui, et conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat.* Hic. v. 16.

ANNOT. C. LIII. MORALIS.

NON FAS EST, ANTE LABOREM quiescere.

632 ORDINATE Propheta prius sibi labores, & ęrumnas exoptat, & infausta sibi imprecatur: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat.* Et postea requiem & exultationem lucroso cōmercio exambit: *Vt requiescam in die tribulationis.* Hic. v. 16. Nam iniuste quis antequam in laborū palestra fortiter dimicet, requiem & voluptatem desiderat: otium enim debet præcedere labor, & merita anteire brauium. Moyses superna loquela affatus sic mundi machinam terminauit Genes. 2. v. 2. *Requieuit Dominus die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Cur non ante extremum creationis diem labori aliquantulum Deus parcit, & requiem sibi destinat? Prestaret, post vniuscuiusque dici laborem requiem assumere, vt sic fatigatio & quies quotidiana vicissitudine alternarentur. At more humano, & differta politia Deus se gessit, & tametsi Deo fatigatio non cōueniat (quippequi in se ipso quiescit) tamen Moyses cum sex dies enumerasset, quibus Deus mundi machinam fuit molitus, quiescendi verbo vti aptum illi visum est: siquidem in sex precedentibus diebus tot res in mundi fabrica Deus condiderat, & quasi impēsè laborauerat: vt Dei exēplo nos doceret, non fas esse requiem assumere, nisi prius labores & fatigationes præcesserint. Sic Oleaster pręcitata verba moralissimè versat. *Est tertiò hic, quod aduertas, non esse scilicèt quiescendum, nisi prius satis laboraueris: quemadmodum et Creator tuus. Super pluribus diebus laborandum, paucis quiescendum: operatus est enim rerum omnium Artifex sex diebus, et uno solo quieuit. Quo exemplo eos arguit, qui parum, aut nihil laborantes, quasi toto tempore vitæ suæ otiari volunt.* Qui à fatigatione vacat, indignè se otio ingerit, & nisi labores pręcedant, immeritò requies possidetur: honor namque inquisitus labore maximè delectat; at non meritis solicitatus potius dedecori, & confusioni deseruit. Genes. 2. v. 2. Oleast.

633 Iacob in patriam redux timore cōcussus, ex itinere lassus alto sopore dormit: sed vide, quo tempore corpori indulgeat. *Cumque venisset ad quēdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occasum, tulit de lapidibus, qui iacebant, et supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.* Genes. 28. v. 11. Soleter aduertit textus, quod antequam dormiret Iacob, iam sol occubuerat. Verùm cur non ante solis occasum quieti indulsit, & fatigata membra sopori tradidit? Prestaret enim in die requiescere, & nocte iter agere, vt fratris insidias deluderet, & securio-

Genes. 28. v. 11.

ripede viam carperet: per diem enim in antris latere non esset difficile, & nocte difficile esset agnosci. Fruere Hugone Card. pulchre somnum & vigiliam alternante. *Hug.Car.* *Nota, quod dicitur: Cum venisset ad locum quemdam, voluit quiescere post solis occubitum: non in die, quando laborandum est, vt faciunt voluptuosi; sed finito labore.* *Matth.20. Cum sero factum esset dixit Dominus vineæ procuratori: Voca operarios, et redde illis mercedem: sic debet esse post laborem requies. Sed Isaiæ 4. Lucifer antequam laborasset, dixit: In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti. Vbi Bernard. Miser, quid laborasti, vt sedere debeas?* Idcirco circunstantiam temporis, in qua Iacob dormiuit, textus manifestat, vt nos doceat, nõ nisi trãsacto labore quiescendũ esse, & post diei vigilias: quod quidem in domo Dei solemne est; diabolica autem versutia, sedem ambire nullo labore præuio, nulla fatigatione præambula. Quò planè respicit lex illa lata Leuitic. 12. Quæ mulieribus partubus fatigatis requiem designat. *Leuit. 12. v.2.* *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septẽ diebus, iuxta dies separationis mẽstruæ: et die octauo circumcidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ: omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Cur quę marem peperit, triginta tribus diebus impura reputabitur, manebitque eo tẽpore in domo requiescens; quæ vero fœminam bis totidẽ? Forte hoc propter imperfectioris prolis natiuitatem factum esse existimabitur. Sed Theodoret. (quæst. 14. in Leviticum.) propter rationabilem œconomiam, & in subsidium ingentioris laboris, cui maior requies debet respondere, sancitum esse, autumat. *Theodor.* *Arbitror, legem iubere, illam quiescere, vt quæ modum in mirum laboraueri, et acerbos dolores pertulerit. Discrimen autem illum dierum quidã sic interpretati sũt: nẽpe, grauius laborare mulieres, dum fœminã pariũt: propterea legem duplicatum tempus illis indulsisse.* Quietis regula labor est: & meritò qui plus laborì incumbit, plus mercedis & quietis præstandum est. Propterea quem otiari delectat, fas est nihil largiri.

Filiorum honoris solicita accessit ad Iesum Zebedæi vxor, dexteram & sinistram filijs expostulans: cui Christus intempestiuam petitionem fastidiens: *Nescitis* (inquit) *quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. Multa hic agglomerant Expositores, vt discipulorum insciciam reprehendant. Rabbanus adductus à Glossa sic scitè philosophatur. *Rabban.* *Nesciebant etiam quid peterent: quia sedem gloriæ à Domino quam nondum merebantur, inquirunt. Delectabat eos culmen honoris; sed prius habebant exercere viam laboris. Vnde subdit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Arcanè Christus illorũ socordiam reprehendit, tentans eos, an sint laboris sufferendi capaces: nã stultitia summa est, requiem ambire, ni laboribus eam mereantur. Iure repelluntur à requie, qui nondum labores gustauerant. Huc respicit, quòd Christo Domino Regis titulus in cruce affigeretur, & Iesu nomen in ligno fuisset exaratum, *Hic est Iesus Rex Iudæorum.* *Matth.27 v.37.* Matth. 27. non autem in sepulchro, in quo arma solent depingi, & nobilitatis insignia: imo & officia eorum, qui ibi humantur, lapidibus solent insculpi, ne eorum memoria decidat. Cur præclara Christi stẽmata in cruce portat, nec ad sepulchrum descendunt? Diu. Hieronym. epist. ad Gerunt. *Quid est sepulchrum? Locus quietis, vbi iuxta mundi rationem defunctorum corpora collocantur.* *D. Hier.* Duo continebat Iesu nomen, & gloriam Christi, & redimendi debitum: voluit ergo notum esse, quam exactè muneri suo satisfecerit, nolens honorificum titulum in sepulchro collocari, vbi quiescebat; sed in cruce, vbi patie-

634

patiebatur, & laborabat, vt honorem non nisi ex labore ostenderet: nam vbi iste inuertitur ordo, miserrimus candidari exitus comprobatur. Id inprimis insimulat in diuite illo epulone Euang. Lucas (cap 16.) quod purpura & byssо indutus incederet: vnde suam condemnationem auspicatur. *Induebatur purpura et byssо, et sepultus est in inferno.* Id autem in primis laudat Sapiens (Prouerb. 31.) in viro perfecto, quod byssо & purpura induatur. *Byssus et purpura indumentum eius.* Cur si vterque iisdem vtitur vestibus, saluatur alter; alter damnatur? Aut vestes neque ad meritum, neque ad culpam imputentur; aut quibus est earum idemtitas, eadem correspondeat merces. Verùm vestimentorum successio tanti discriminis causa fuit: auarus enim prius purpura induebatur; postea byssо. *Induebatur purpura et byssо.* E contra iustus byssо prius; & postea purpura. *Byssus, et purpura indumentum eius.* Byssus autem, seu linū, vnde conficitur, vt ait Hugo Carnot. serm. de signis indumentorum sacerdotalium. *Multis castigationibus et ablutionibus redditur candidum.* Purpura regale ornamentum est, ac subinde felicitatem significat; byssus vero laboris & ęrumnarum aduersitatem denotat. Qui ergo prius in hac vita purpura induitur, in altera byssо laboris & miserię induetur; è contra vero qui labores tanquam linum in hac vita sustinet, postea in gloria perpetua felicitatis æternæ purpura indutus corruscabit: quia in domo Dei non nisi post laborem datur requies, & otium post fatigationem.

Lucæ. 16. v. 16.

Prouerb. 31. v. 22.

Hugo. Carnot.

635 In ardentiori hora diei lassus ab æstu, cum Samaritide locuturus sedebat Iesus. *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Ioan. 4. Magnam energiam continet illa particula *sic*. Placet Toleti mēs, quæ causam sessionis indigitare autumat: quasi dicat: Propterea sedit, quia fatigatus erat. Particula enim ergo ex præcedentibus sessionem infert. Sedit, quoniam à primo mane vsque ad sextam horam fatigatus fuerat. Vnde Chrysostom. in Catena. *Sessio autem propter laborem facta est.* Ideo sedisse dicitur, quia prius laborauerat: quasi iniustum esset, quietem sibi vsurpare, nisi labor præcesserit. Hoc autem vt nostram politiam instruat: nam iniuste sibi quis arrogat quietem & honorem, quem laboribus non fuit promeritus. In cæteris epistolis, quas Paulus diuersis nationibus scripsit, Apostolus Iesu Christi absolutè nominatur; at Romanis scribens non huiusmodi præscriptionē apponit epistolę, nec se gloriatur Apostolum esse, sed tantum vocari. *Paulus vocatus Apostolus* ad Romanos. 1. Cur mutauit stylum, & non audet se Apostolum vocare, quod maximè eius scripta commendabat, & maiorem suis testimonijs conciliabat auctoritatem? Recte D. Anselm. hic. *Quia nondum Romanis prædicauerat.* Quasi puderet, nomen illud celebre sibi vsurpare, cum nōdum apud Romanos in prędicatione laborauerit. Cauet honorem possidere, quem erga Romanos nondum meretur: ne quis velit quiescere, antequam laboret, præmiumque sibi arrogare, antequam fatigetur. Hic fuit Petri error (Lucæ. 9.) Qui ante consummationem laborum gloriam possidere ambibat: vnde merito reprehenditur. *Nesciebat quid diceret.* Vbi eleganter D Leo. *Quia tempora patiendi non potest felicitas præuenire regnandi.*

Chrysost.

Ad Rom. 1. v. 1.

Matth. 4.

D. Leo.

ANNOT. C. L. IV. MORALIS.

PRAEMIA ALVNT VIRTVTES.

636 LANGVET animus, & euigoratur virtutis studium, vbi prędclara opera manent impręmiata. Nisi mercedis spiret aura, nemo ad vltra merendum accingitur. Sic refert Hecatæus lib. 11. de Animal. cap. 30. cignos dulcissimè canere, sed non nisi flante Zephiro. Prędmia virtutes augent: nisi Mecęnates adsint, deerunt certe Marones. Dulcis hominum pectora stimulat honor, ingeniumque acuit, & virtutem fouet. Vnde dicebat

Hecatæus

Seneca

Seneca. Seneca lib.de vit.beat.c.16. *Sed ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi multũ processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctãti, dum nodum illum exoluit, et omne vinculũ mortale.* Nisi fortuna rideat in agone certanti, à feruore desistit, & præclara opera efficere negligit. Nemo nisi mercedis spe ardua facinora aggreditur. Profusam hominũ liberalitatẽ erga numinis cultũ expendens

Isaiæ 66. v.3. Isaias, dicebat c.66. *Qui immolat bouẽ, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat.* Et plane mirum est, quanta homines largitate pecunias suas in sacrificijs, & cultus Diuini ornamentis expendant, & quã auarè in alijs pietatis operibus se exerceant: cuius causã existimat Oleaster ad præcit. locum

Oleaster. *Quia à Deo remunerationẽ expectant, quã non à pauperibus.* Venale quidem omne obsequiũ est, & prẽmio mercedis impenditur. Videas homines erga Deum maximè liberales, qui vel obolum renuunt paupẽri erogare: quia à paupere nullam, à Deo maximam remunerationem expectant: mercedis spes calcar est ad præclara opera perficienda, & expectata retributio executionem solicitat. Quod pulchrè dixit idẽ Isaias c.40.

Isaiæ 40. v.10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, et opus illius coram eo.* 70 legunt. *Ecce merces eius cum eo, et opus in conspectu eius.* Vbi primò Deus cum mercede, & prẽmio laborum apparet, non dubium, quin opus eius illico & confestim peragatur: ex parato enim præmio sic accenditur operis desideriũ, vt statim opus feruere incipiat, & iam perfectum credatur: ad conspectum enim remunerationis iam opus absolutum credas, quia expectatio mercedis omnes eius difficultates exarmat. *Ecce merces eius cum eo, et opus in conspectu eius.* Non est cur labor affligat, vbi animus spe melioris fortunæ sustentatur. Præmium virtutis illecebra, & solatium laboris est. Vnde dixit D. Hieronym. ad Demetriadem:

Septuag.

D. Hier. *Omne opus leue fieri solet, cum eius pretium cogitatur, et spes præmij solatium est laboris.*

Felicitatem, quam homines in Dei obsequio & obedientia assequuntur, auguratus Dauid dicebat Psal.138. v. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorũ.* Egregiam Diuinę gubernationis œconomiam commendat ex eo, quod amici & omni honore digni remunerẽtur, debitaque mercede afficiantur, atque primates iustorum efficiantur potentes. Verum quid ex hac munerum dispensatione sequatur, attende. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Quod festiuè expendens Caietan. dicebat: *Vere sic est: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes, et vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti, et vbi iusti honorãtur, ibi multiplicantur iusti.* Nulla alia semina ad propagãdos benemeritos tã fœcunda iaciuntur, ac præmia primis laborantibus collata. Hęc maximè generosos spiritus gignunt, excitant, iacentes, vt ardua quęque aggrediantur, vt dixit Cassiodor. *Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes, nèque quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratus non relinquitur.* Inflammat spes futurorum animos, gustus possidendi lenocinatur labori operandi, mercedis stipendium difficultates quaslibet emollit, & expectata voluptate amara quæque dulcescunt.

637

Psal. 138. v.17.

Caietan.

Cassiodor

Angelo Philadelphiæ Ecclesię Pręposito pręcipitur Apocalyp.3. in virtute roborari, vt tãdẽ fiducialiter agat, & ne à virtutis tramite discedat, hoc ipsi suggeritur. *Ecce venio cito: tene, quod habes, vt nemo accipiat coronãtuã.* Cur iã in proximo esse, & cito venturum pollicetur? Non sat esset de vltimo aduentu reddere securum, quin propinquitatem ostenderet, vt viriliter in virtute perseueret, & tentationibus non succumbat? Forte sufficeret. At sciebat, quã sit efficax proxima remunerationis spes ad ardua quæq; superãda, & ideo brauiũ oculis obijcit, vt intrepidè pugnam aggrediatur,

638

Apocal. 3. v.11.

& vicina futurę cõsolationis spe difficultatem agendorũ emolliat. Quod optimè ponderauit Richardus Victorinus. *Rich. Vict.* *Quia in tribulatione positus erat, vtpote qui inter infideles, et in medio nationis prauæ et peruersæ manebat, et tentationem venturam esse audiebat: recte, ne in pressura deficiat, se cito venturum, videlicet, ad remunerandum denuntiat: ait ergo: Ecce venio cito. Quasi diceret: Viriliter omnem sustine tribulationem pro me, quia ecce venio cito ad remunerationem.* Mutuat presens calamitas à futura felicitate saporem, & iucundum est ad mercedis intuitum discrimini se se obijcere: proposito enim pręmio omnia fortiter sustinentur. Vnde Diu. Cyprianus lib. de mortalitate aduersa sustinere vrget, proposita cœlestis patriæ corona. *D. Cypr.* *Quis peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Nostram patriam paradisum computamus: quid non properamus, et currimus, vt patriã nostram videre possimus? Illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus: ad hæc fratres charissimi auida cupiditate properemus, et cum his cito esse, vt cito ad Christum venire contingat, optemus.* Non solum fruenti, sed etiam luctanti beatitudo dulciter sapit: nam labore parta gratior & iucundior est ipsã ambienti, & promissa omnẽ terrorem fugat in aduersis, ita vt auida genero sitate pro illa assequẽda labores superentur. Vnde cum Dñs Prophetæ polliceretur inter diras calamitates ipsũ agitãtes securitatẽ & requiẽ, hęc certa futuræ retributionis spes dolorem solabatur, omnẽq; pellebat angorẽ, & metũ ex animo, vt ardua quęq; nõ dubitaret sustinere. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, vt requiescã in die tribulationis.* Hic v. 16.

ANNOT. C. L. V. MORALIS.

DELITIIS ET VOLVPTATIBVS languescunt animi; virtute roborãtur.

VLTIVM inimicũ fortitudinĩ est, carnis illecebræ & voluptates eneruant vires, easque reddũt imbecilles, & à virili fortitudine degeneres. Sola virtus validissima est, generosos alit spiritus, ad nullumque discrimen expauescit, omnia vincit, omnia superat, & insuperabilis sẽper permanet. Hostili manu conserta inter quinq; Sodomorũ Reges, solus Lot captus in bello remãsit, Reges autẽ Sodomę & Gomorrhæ fugã indecorè arripuerũt: *Itaq; Rex Sodomorũ et Gomorrhæ terga verterũt.* Gen. 14. v. 10. Certè solus inter Primates Lot fugere recusauit, & inter triũphatoris exuuias potius voluit referri, quã terga inimicis ostendere. Non cum alijs Proceribus sibi amico fœdere sociatis fugam arripuit; sed dũ illi suæ indẽnitati cõsulunt, ipse in discrimine perseuerat: temerè inimicorũ phalanges adoritur; cum tamen superandi nõ haberet spẽ, & consultius esset, inimicorũ manus collegarũ exẽplo effugere, quã periculũ lacessire. At solus Lot inter cõmilitones nefanda non erat labe fœdatus, ideo solus ipse inconcussus perseuerat, cęteris fugientibus, quos impuritas ipsa, carnisq; voluptas imbecilles, & effœminatos effecerat. Sic Græciæ lumen D. Chrysost. hom. 35. in Gen. *Quare cũ effugerent Sodomitæ alij, solus iustus Lot in captiuitatẽ adducitur, non simpliciter hoc, neq; frustra; sed vt discas his euentibus et Patriarchæ virtutẽ.* *D. Chrys.* A virtute, qua nutritur homo, talẽ animositatem acquisiuit, vt in certo periculo perseueraret, ne indecorè terga vertere videretur. Delitiæ & voluptates, quibus Sodomitici Reges erant addicti, taliter eos reddidit imbecilles, vt non puderet, ignominiosam fugam capere.

Israelitico populo in AEgypto degẽte, & nimis multiplicato, *Surrexit interea Rex nouus, qui ignorabat Ioseph, et ait ad populũ suũ: Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est.* Exo. 1. *Exod. 1. v. 9.* Inermes Hebręos formidabãt AEgyptij, & se illis impares iudicabãt. At vnde stultus Rex sibi persuasit, quemlibet Hebręũ quolibet AEgyptio valẽtio-

riorem esse: quandoquidem vterque sub eodem degebat climate, & robustiores se existimare deberent AEgyptij, cum solidiori vterentur cibo, quā miseri captiui, fracti & imbecilles propter assiduos labores? Ausculta Lyram. *AEgyptij* (inquit) *luxuriosi erant, et inordinatè viuentes: et ex hoc debiliores fiebant in corporibus, et minus apti ad productionem prolis, et pauperiores in temporalibus: filij autem Israel contrario modo viuentes erant fortiores in corporibus, et multiplicabantur in prole et diuitijs.* Veneri & voluptatibus vacantes AEgyptij, exanimati de sua fortitudine diffidebant, & inferiores se filijs Israel, qui moderatè & religiosè viuebant, iudicabant. Quia virilis ardor extinguitur, & euigoratur vitiorum illecebris, & voluptatum lenocinio. Econtra vero vbi Hebræi voluptuosis delitijs fuerunt immersi fortitudinem amiserunt, in mulieres degenerantes. Quod arcanè Deus dixit (Michææ. 2. v. 9.) Vbi conqueritur de populum Israeliticum, persequētibus & incommodantibus. *Mulieres populi mei eiecistis de domo delitiarū suarū.* 70. legūt. *Duces populi mei deijcientur de domibus delitiarum suarū.* Quod D. Hier. exponit de quibusdam domibus delitijs & voluptatibus deditis, in quibus populi Principes propter malas adinuētiones suas lasciuiebāt. Si autē inquiras, cur mulieres appellētur, quos Septuagīta duces vocāt? Existimādū est, quia ita delitiæ & impudēs licētia peccati eos effœminauerāt, vt qui strenui duces populi erāt, mulieres iam reputētur, vtpote quorū voluptas eneruauerat animos bellicosos ac viriles extīxerat spiritus.

Lyra. Michææ 2 v. 9. Septuag. D. Hier.

641 Ezechiel 31. v. 4. draco ille magnus, qui tertiā partē stellarū secū trahebat (vt dicitur Apocal. 12.) omnes profecto trahere nitebatur. *Riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis.* Hoc est, omnes decipere tentauit, omnes in suā sententiā pellicere voluit, omnes de paradiso eradicare. Sed quos tādē Angelorū expugnauit, & ad suā sequelā induxit? Ausculta textū. *AEmulata sunt eū omnia ligna voluptatis.* Ib. v. 9. Ille quidē draco omnia ligna cęlestis regionis oppugnabat, omnes sui voti assecias efficere conabatur; sed tantū omnia ligna voluptatis expugnauit. Quare cæteris obsistentibus, hæc sola suggestioni cōsentiūt, & voti cōpotes facillime superantur? Cur hęc nō aliorū exēpla sequūtur; sed degeneri imbecillitate in peiorem partē ferūtur? Quia vbi triūphat voluptas, nulla ad resistendū pessimis dogmatibus adest fortitudo. Quod rectè expendebat Rupertus lib. 1. de victor. Verb. Dei c. 11. *Notandū, quod non ait: EAmulata sunt eum omnia ligna regionis; sed omnia ligna voluptatis: quia cūctos quidē Angelos decipere, et ad suū fauorē deducere tētauit: sed adulati sunt ei tantūmodo Spiritus illi, qui gloriā suā quærebāt, nō Dei, quos delectabat seruire potius creaturæ, quā Creatori.* Natura semel illicebrosis occupationibus tradita armis caret, quibus se defendat, & facile cuicumque persuasioni cedit; quia sola virtus semper inuicta gloriatur.

Rupertus

Deceptū se populus dicebat in deserto Moysis insidijs, & non alio fine, nisi vt moreretur, in vastissimā solitudinē deductū. Nauseabat super cibo, qui cęlitus emissus omnē suauitatis saporē referebat, murmure suū Principē agitabat. Quāobrē misit Dñs in populum ignitos serpētes, quorū morsibus plurimi moriebātur: accurrunt autē multi de populo ad Moysem, vt interpellet pro eis, quod libenter efficiens medelam hanc à Dño accepit. *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Numer. 21. v. 8. Ad cōspectū autem serpentis non solum qui veneno iam erant infecti, sanabantur; sed qui innoxij illum aspiciebant, innocui discurrebant à morsibus. Vnde inanimato æris simulacro tanta inerat fortitudo, vt veros & ignitos serpētes exarmaret, & venena in pectoribus latētia extingueret, cōfracta eius malitia, ne vltra noceret? Cur nō alia, sed ęris materia pro fabricā do serpēte, qui aliorū venena extingueret, deseruit? quia serpētes noxij, qui prius populū infesta-

642

Num. 21. v. 8.

bant, vitium referebant; qui vero postea in subsidium populi erigitur, virtutem figurabat: hæc autem tam valens est, vt facilè inimicas vires eneruet. Hæc sola ex insuperabili materia conflatur, armataque incedit: quia solus ille pectus habet æneum, quo viriliter dimicet, qui culpę virus non recondit in pectore. Venenosę Dipsę, quæ peccatores adumbrabant, & peccati toxicum portabant in corde, ad splendorem metalli imaginem serpentis habentis rabiem deponunt, & non vltra nocere audent. Vnus autem serpens, qui Christum Dominum referebat, & ab omni prorsus culpa erat immunis, ipso solum oculorum nixu culpæ virus superauit: quia virtus vel in figura tantum acriter pugnat, & gloriosè triumphat; vitium verò inermes, & effęminatos reddit homines. Vnde Vates virtute munitus ardua quęque, & difficilia adoriri non formidat, probè sciens, ex certamine virtutem victoriam & coronam semper reportare, & tantum audet, vt pericula lacessire non dubitet. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subterme scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Hic vers.16.

VERS. 17 *FICVS ENIM NON florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, et arua nõ afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus, et non erit armentum in præsæpibus.*

VERS. 18 *EGO AVTEM IN DOmino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.*

VERS. 19 *DEVS DOMINVS FORtitudo mea, et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

ANNOTATIO C. L. VI.

EXPOSITIO LITTERAE.

SVPRA posuit Propheta modum captionis Babylonis ex debellatione ciuium: hic idem ostendit ex defectu victualium, & incommoda proponit, quæ auersatur vita mortalium: Dominus enim ante aduentum Cyri & Darij induxit terræ sterilitatem, ita vt deficerent terræ fructus, atque arborum prouentus, qua inducta penuria fortalitia non potuerunt sufficienter muniri, vt inquit Lyra. 643

Ficus enim florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, et arua non afferent cibum. Eos fructus recenset Vates, qui Palæstino solo familiares erant, ficum nempe, oliuam & vitem. Ficus autem ideo dicitur non florere, quia fructum non afferet, vt transferũt 70: nam ficus inter omnes arbores non floret. Oliua autem mentiri dicitur per translationem: idem enim hic mentiri est, ac fallere, spemd eludere, cogitationem, votum, & similia: quod accidit, quando aliter res contingit, quam sperabatur. Promittit ager, imo promittit sibi aliquis ex agro vbe res prouentus; exusta tamen, aut aliquo alio modo afflicta seges spem illam eludit, & hiantem deserit agricolam: tunc ager, aut seges mentiri dicitur. Quare oliua tunc mentitur suo possessori, cum spem prouentus maximi, aut hostium importunus aduentus, aut alia quęuis temporum iniuria pręcidit. Quod prophanis vsitatum est: sic Horat. lib.3. carm. od.1. 644 Septuag.

Non verberatæ grandine vineæ
Fundusque mendax. Horatius

E contra vero fidelem appellat agrũ, qui, quod promisit, bona fide refert lib.3. od.16.

Puræ riuus aquæ siluaque iugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ.

Clarius autem lib.2. epist.2.

Verum vbi oues furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando.

His consonat id, quod sequitur. *Abscindetur de ouili pecus; et non erit armen-*

armentum in præsepibus. Quod ideo accidit, aut quia defecit herba in arido, atque sitienti solo, aut quia infelici aborsu mortui nascuntur fœtus, aut quia hostes ab ouilibus pecudes, & à præsepibus boues abigebant.

645 *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Gaudere in Domino est de illius in nobis imperio, protectione, & gubernatione lætari: quidquid boni lætique interius, aut exterius nobis contingit, illi ante alios referre, & pro acceptis ab eo beneficijs gratias illi cum incunditate rependere. Quasi dicat Propheta: Omnes arborum & segetum fructus, poma omnia, vinum & oleum, genera frumenti vniuersa, denique cuncta animalia esui apta, pecora, scilicet, & armenta ab hominibus deuastabuntur, abductisque aut cæsis agricolis nunquam in posterum restituentur: hæc mala cuncta Chaldæos oppriment, vt gens Iudæorum in libertatem educta cum exultatione & honore ad amœnam Palæstinæ montana, & ad populum Maiorum suorum ascendat. Quam libertatem à Iesu Seruatore sperabat Pro-
D. Augus. pheta, vt Diu. Augustin. exponit lib. 18. de ciuitat. c. 32 Vel sensus est: Tristentur alij, vbi agrorum & fructuum spem perire vident, pecora abigi, & humanæ vitæ sustentationi necessaria diripi, quia in his omnem salutis spem locatam habent: at ego qui tantum in Deo spem firmam habeo, ab eoque vnicè dependeo, etiam si omnibus caream, omnibusque naturæ ac fortunæ commodis sim orbatus, cum Deus & Saluator meus pro me steterit, gaudebo, & exultabo: quia facile ipsi est meam inopiam subleuare, quandoquidem potentiam suam, & singularem prouidentiam iam experior, dum oppressam, & profligatam video Chaldæorum audaciam, & Iudæorum ærumnosam fortunam ad glorioſum statum reuocatam.

646 *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos, quasi ceruorum.* Non aliunde spero fortitudinem, quam à Domino Deo, qui me fortem efficit, & velocem instar cerui. Id est, dabit mihi pedes veloces ad superandos montes, qui inter Babylonem & Ierosolymam sunt: cerui namque (vt ait Euthym. ad Psalm. 17.) cum venatores fugiunt, in excelsos montes properant, & ibi tuti consistunt, atque à timore liberi. Alludit autem Propheta ad illud Psalm. 17. v. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, et super excelsa statuens me.* Ex Dei enim auxiliante manu alacritas in sufferendo quæcumque naufragia resultat, quia etsi desint vires, Deus suorum fidelium robur est.

Euthym.

Psalm. 17 v. 34.

647 *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Excelsa sua Ierosolymam vocat, aut Iudæam, quia regio montuosa est, & idonea ceruorum habitatio, quorum pedes sibi ac populo suo sperabat Propheta. Deducet autem Iesus populum victor, in quo gaudendum sibi esse Propheta cecinerat: quia licet Cyrus arma tractauerit manu ad profligandos Chaldæos, illius tamen dexteram Deus apprehenderat, in quo Deus absconditus agnoscebatur, vt habetur Isaiæ c. 45. Tali autem lætitia populus è Babylonia reuersurus erat in Iudæam, vt sicut in exitu à patria, & in longa via querelis ac planctu personabat: sic etiam in reditu iubilantium chorus quodam quasi hymenæo plausu compleatur. Quare *in psalmis canentem* dicit fore populum à Deo victore.

648 Ribera multis probat, legendum esse *victori*, & sensum reddit: Deus deducet me, id est, populum (populi quidem personam Propheta agit) in psalmis canentem, aut citharizantem sibi victori, aut Christo Seruatori, cuius fortitudini ac bonitati id acceptum refero. Sel Vulgatus (cuius lectionem approbat Ecclesia) habet *deducet me victor.* Ita vt sensus sit: Deus qui vicit, reducet me in patriam, illius singularem virtutem, ac potentiam triumphali cantico celebrantem. Sic enim tres pueri erepti à fornace grates Deo rependentes cecinerunt: & sæpe alibi.

ANNOT. C.L.VII. MORALI.

IVDAEORVM MAXIMA INFELICITAS, terram fodere, et fructum ex ea non colligere.

649 TERRAE sterilitatem, quam Dominus erat inducturus Babylonico solo, ità vt etsi terram colerent, omnes deficerent ipsius provētus (*Ficus enim non florebit.* &c. Hic v. 17.) ad miseram Iudęorum fortunā refert Hieronymus in breui huius loci commentario: indeque infelicē eorum sortem arguit: nam terræ labori incumbentibus, & illius fructibus viduatis, alius colliget victualia inde proueniētia. *Ficus* (inquit) *Vinea, et oliua erat synagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis proferebat, sed Domino ad eā veniente virtutis fructum ferre neglexit. Mētietur opus oliuæ: aliud enim permittentis, et aliud facientis dicentis ad Moysem Exod. 24. Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus, et nolentis in eum credere, qui à Moyse prædicatus est, abscindetur. Apud Iudæos sunt præsepia cœlestium litterarum: sed quia pabulū cœlestis intellectus in bis non sapiunt, qui iugum Euangelij baiulent, adsunt.* Idem habet latius in commentario, & postquam probauit ficum esse synagogam, probat vineam fuisse expluribus locis, præcipuè Isaiæ 5. *Vinea facta est dilecto, expectauit vt faceret fructus, fecit autē spinas.* Propter peccatum ergò crucifigendi Christum exterminauit eam aper de sylua, & ferus depastus est eam. *Oliuam* tandem fuisse probat ex Paulo ad Roman. 11. sic inquiens: *Oliuam quoque populo synagogæ liquidò comprobabit, qui in Apostolo fractos oliuæ ramos legerit, et nos de Oleastro insertos, vt in ramis intelligamus multitudinem Iudaicam fuisse succisam, in radicibus Apostolorum electiones esse seruatas, in quibus nos inserti manebimus si fecerimus fructus, et dicetur de nobis: Filij tui, sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Ps. 127. Agnoscit ergò D. Hieronym. in verbis Prophetæ reprobationem, & pœnam Iudæorū, quam nemo est, qui ignoret: propter impium enim occisionis Christi facinus sinè lege, sinè Rege, sinè Sacerdote, sinè templo, sinè ciuitate; imò (quod omnium malorum caput est) sinè Deo tenebris densissimis obcęcati, omnium Gentium ludibrium, miseri, vexati, serui, ipsis etiam Turcis, ac Mauris miserandi, in molesta, ac desperata iam Messiæ spe intolerabilem, omniquè afflictione plenam traducūt vitam, & tandem ad inferni ignem, vbi æternæ perfidię suæ pœnas luāt, puniendi descendunt: quorum maxima fuit infelicitas, terram eruere, ex qua vberrimi salutis nostræ fructus emanarunt, & illos non colligere, sanguinem Christi effundere, & illius effectus esse expertes.

650 Satis perspicuè Seruatoris personā agens id prædixerat Dauid Psalm. 21. *Foderunt manus meas, et pedes meos.* Vbi adnotarunt Cassiodorus & Incognitus, non sine mysterio dixisse *foderunt*, non *fixerunt*, aut *vulnerauerunt*, quæ aptiùs cruentam Iudæorum rabiem, & immanissimam Christi mortem significare videbantur: quoniam sicut terra fossa aratro, aut ligone vberiores fructus facit, sic Christi caro vndique vitæ opimos germinauit fructus. Vndè alia vertit littera *arauerunt*. Iudęi igitur terram inutiliter foderunt, vndè alij attulerunt prouētus, & ex illorum labore reportauerunt fructus. *Foderunt* (inquit Hieronym.) *et fructum magnum inuenerunt, id est, salutem Gentium.* Id ipsum non inuenusta metaphora repetit Dauid eodem Psalmo prędicato de ipsis agens Iudęis: *Quoniam circumdederūt me canes multi.* Iuxta vim Originalis *canes venatorios* legit Hieronymus. Quod mirificè Iudæis competit, qui cum Christum ad crucem vsque fuerint insecuti, non subsistunt acclamare, donec vitam exhalent, ad instar venatici canis: nam ipsorum populus nō præda fruitur, non eam gustauit, sed cum ipsam inuenerit, & comprehenderit, Gentibus edendam, & potiendā præbuit.

Psalm. 21 v. 18.

Hieronym.

Psalm. 21 v. 17.

Nostri

651 Nostri Vatis metaphoræ insistens vanum Iudęorum laborem deridet Micheas cap. 6. vers. 15. *Tu seminabis, et non metes, tu calcabis oliuam, et non ungeris oleo, mustum, et non bibes vinum.* Iudæos eo tempore, quo apud Babylonios exularunt, prophetia carpit, illorumque pœnam post aduentum Christi indigitat. Nam in Babylonica captiuitate detenti cum ferent, & colerent agros, calcarentque vbas, non sibi, sed dominis labor ille fructum afferebat, quod vltima laboris exaggeratio est. *Grauis est dolor* (inquit Sanchez ad prędicta verba) *cum labores nostros prædantur alieni, et vbi nos esurimus, alij de manuum nostrarum labore saturantur.* Sanè quasi grauissimum malum, & infelicitatẽ maximam id sibi imprecatur Iob, nisi verùm sit, quod ipse de se prædicat cap. 31. vers. 8. *Si in manibus meis adhæsit macula, seram, et alius comedat.* Hùc respicit id, quod præcipitur Deuteronom. cap. 20. vbi Deus ędificatores domorum, vinearum plantatoresà prelio amouendos fore decernit. *Quis est homo, qui ædificauit domũ nouam, et non dedicauit eam: vadat, et reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius dedicet illã. Quis est homo, qui plantauit vineam, et nec dum fecit eam esse communem, et de qua vesci omnibus liceat? Vadat, et reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur, et alius homo eius fungatur officio.* Si autem huius pręcepti motiuum indagare velis, audi Oleastrum. *Disce punitionem Dei esse, si labores tu, et alius auferat, vt luxurietur in bonis tuis, quibus laborasti.* Vehementem enim dolorem excitat in bonis labore partis alium luxuriari, & defraudatum sudorem videre. Maxima namque Iudęorũ extitit infelicitas, quod ipsi terram coluere, & alij fructus collegerunt, ipsi Christum crucifixerunt, & Gentes illius salutiferos fructus comederunt, ieiunis ipsis remanentibus.

652 Elegantèr D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto ad institutum nostrum celebrem prosequitur allegoriam de vellere Gedeonis, mox cœli rore madido, remanente area sicca, deinde sicco, tota area rore perfusa Iudic. cap. 6. v. 37. *Ros* (inquit) *in vellere fides erat Iudæa, quià sicut ros Dei verba descendunt: ergo quando totus infructuosus æstus Gentilis superstitionis arebat, tũc erat ros ille cœlestis visitationis in vellere; postea verò quàm oues, quæ perierunt domus Israèl (vndè puto figuram Iudaici velleris adumbratam) oues, inquam, illæ fontes aquæ viuæ negarunt, vox fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorum, meatusquè suos fons ille diuinus in corda Gentium deriuauit.* Id ipsum præfiguratum agnouit Sophronius Archiepiscopus Constantinopolitanus (orat. 1. De Christi natiuit.) in eo quod accidit, cum Dauid aquam optauit de cisterna Bethleem, quæ erat iuxtà portam, quam hianti ore cupiebat 2. Reg 23 v. 16. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxtà portam.* Cum autẽ aquam attulissent tres illi bellatores strenui, qui castra irruperunt Philisthinorum, Dauid noluit bibere, sed libauit eam Domino. *Aquam* [inquit] *ex cisterna, quæ erat in Bethleem, desiderabat, et Christus erat: cisterna hæc sacratissimam Virginem designabat, quæ et vtero gestatura, et Deum paritura erat.* Sed cùr noluit allatam bibere? Cur aquam tanto dispendio partam, tam ingenti labore quæsitam, & tanto ardore desideratam bibere recusat? *Quià prophetiæ lumine illustratus*, inquit Sophronius, *fore præuidebat, vt Iudæi aquæ illi viuĕti, omniaquè viuificanti, secundum carnem è Bethleem oriturę, è lacu virgineo nascituræ, et in lucem proditurę* [hoc est Christo] *fidem denegaturi essent.* Optauerunt Iudæi aquam istam, iugi oratione illam expetebant, Christum ardenter desiderabant: apud eos natus est, aquã viuã inuenere; sed illam infelices bibere noluerunt, & bibendam Gentibus reliquerunt, quod summa infelicitas, & infortunium est.

***

ANOTAT. C. L. VIII. MORALIS.

PLERVMQVE PLEBEII NOBILES in virtute superant.

653 SAEPE spica carens granis, & vana sese attollit in altũ; depressa, & humilis (quia fertilis) ima petit: breuiora gramina in montibus nascuntur altis; sata vberiora ferunt cõualles: quos non referunt fructus cacumina, humiliora loca offerunt. Sic multoties virtutis messe proceriores populi carent; & infimę sortis, ac pleuei homines vberrimas segetes faciunt. Cętera elementa igni inferiora corpora producunt plurima: aqua, terra, & aer viuentia generant, & nutriunt; at ignis, qui nobilior est, nascitur nihil. Vnde Arist. lib. 5. Politic. cap. 1. *Qui reuera boni, et nobiles sint, nusquam centum reperiuntur.* Et D. Ambros. lib. de arca cap. 32. *Multos ebrios fecere diuitiæ, nobilitas et potestas superbos.* Et Sydonius Apollinarius lib. 8. cap. 13. miraculi, & portenti loco habet esse quempiam genere nobilem, nec tamèn superbiæ labe contaminatum, quam laudem summa orationis venustate Nunchio Episcopo tribuit. *Agere narraris sine superbia nobilem, sine inuidia potentem, sinè superstitione religiosum, sinè iactantia litteratũ.* Ea de causa D. August. (serm. 127. de tempore) malam vocat, atque ignobilem nobilitatem. *Mala nobilitas, quæ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem.*

Aristot. *D. Amb.* *Sydonius.* *Apollin.* *D. Aug.*

654 Exod. 6. vt populum liberaret, ad Pharaonis conspectum ire præcipitur Moyses: vt autèm se à legationis munere eximeret, Deumquè à proposito reuocaret, sic ipsum conuincere satagit. *Eccè filij Israel non me audiunt, quomodo audiet me Pharao?* Non uidetur consequenter arguere. Fortè ex populi attentione dependebat Regis assensus? Cur non audiet Pharao, tametsi populus non audiat? Audi Oleastrum ad hunc locum. *Commune est, vt verbum Dei apud populares magis fructificet, quam apud Reges, et Magnates, et auidius audiatur.* Neruosè à maiori ad minus arguit Moyses: quasi dicat: Si plebeij, qui procliuiores sunt ad virtutem, & pietatẽ, attentiusquè audiũt te, & auidius Dei monita exequuntur, ad verba mea aures habent demissas; quomodo eas attiget Princeps? Quod Populus despicit, quomodo non fastidient Proceres? Inuersa argumentatione philosophatur Ieremias, apud Dynastas assensum exquirens, quem non inuenerat in populo. *Forsitam pauperes sũt, stulti facti sũt. Ibo ad maiores, alloquar eos: ipsi enim cognouerunt viam Domini; ed ipsi simul confregerũt iugum, ruperunt vincula.* Ieremię cap. 5. Planè se decepit, nam quos suæ doctrinę acquiescere putabat, magis proteruos inuenit: quià quò maior est dignitas personæ, eò maior solet esse à virtute recessus. Accipe D. Hieronym. *Quos magnos putabam, inuenti sunt peiores discipulis: et quanto maior auctoritas, tanto maior insolentia Pastorum.* Magna fortuna aures obturat; minima acuit: vndè validissime inclamat Salomon Prouerb. 8. v. 4 *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.* Per viros, Proceres & Magnates populi, sãguine, aut fortuna eleuatos Salazar intelligit: per filios verò minutissimæ plebis, & infimæ conditionis homines. At cur ad Magnates alta voce clamitat, ad Plebeios autẽ demissa alloquitur? Audi Salazar. *Cum affatur Proceres, atque Prineipes, vtitur verbo clamito, Hebraice Krach à verbo Kara quod est vociferari. Cum vero alloquitur obscuros homines tantum modo dicit, Et vox mea ad filios hominũ: hi enim quamlibet etiam demissam Dei vocem audire solent; illi verò non nisi ad ingentem clamorem intendunt aures.* Non nisi ad tubalem vocem excitantur, qui magna fortuna fruuntur, quià profundè super vtramquè dormiunt aurem; cum ad demissam solitet inferior turba acquiescere.

Exod. 6. v. 12. *Oleaster* *Ieremias. c. 5. v. 4.* *Hieron.* *Prouerb. 8. v. 4.* *Salazar*

655 Palam de cœlorum regno cũ Nicodemo Christus differuit, viamquè demonstrauit. Ioannis. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Et tamẽ

Ioan. 3. v. 5.

ille

ille ignorans remãsit,& dubius suscitatur. *Quomodo possunt hæc fieri?* At mulierculę insipienti ad hauriendam aquam accedenti vix se daturũ aquã, quam si semel bibisset, numquam sitiret, pollicetur; cum illa altè virtutẽ illius aquę agnoscẽs,& illius flagrãs desiderio dixit: *Dñe da mihi hanc aquã.* Ioan.4. Pulchrè Samaritidis perspicaciam, & Nicodemi insipientiam expendit D.Chrysostomus homil.31.in Ioan. *Credidit continuo mulier: longe Nicodemus sapientior: ille Quomodo possunt hæc fieri inquit, nec manifestum spiritus exemplum à Christo adductum accepit; mulier verò mox non spectata confirmatione ad Christi sermonem tãquam certum accipiendũ properat.* Erat Nicodemus natura nobilis, fortuna Princeps, erat Samaritana humilis,& de abiecta plebe: idcircò ista adhuc in metaphoris instructa, mox credidit erudienti; ille vero neque perspicue loquentem Christũ percipiebat: quia tardiores sunt ad virtutem, qui sanguinis claritate, aut prospera fortuna fruuntur. Quos quidem vel ipsa elemẽta insensibilia redarguũt: sic Psal. 113. fluenta aquarũ alloquens Dauid dicebat: *Quid est tibi mare, quod fugisti, et tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Ad que verba hęc subiũgit Hugo. Cardinalis. *Quæstioni autem huic respondet, dicens: A facie Domini mota est terra.* Quasi aquæ dicerent: Si terra, quę elementum est ignobile, crassum, & infimum, in monte Sinai ad Dei præsentiam in reuerentiæ signum tremuit,& cõcussa est: cur aquę, quæ nobiliores sunt, non idem faciãt, cum æquum sit, nobiles in virtute, & pietate plebeios antecellere? Vnde Vates noster vineæ sterilitati ficuum & oliuarum fructuum penuriam adiungit, quia viduatis fructibus minoribus plãtis, quę sępè feraciores sunt & humiles adũbrant, consequens est, vt proceriores fructus non referant, quã doquidem in virtute à plebeijs superantur. *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, et arua non afferent cibum.* Hic vers.17.

Ioan.4. v.15.

D.Chrys.

Psal.113. v.5.

Hugo. Cardinal.

ANNOT. C.L. IX. MORALIS.

ANTICIPATA VIRTVTVM OPERA fructus Deo gratissimus.

NON pigris animis cœlum prępparatur, quia curis & solicitudinibus emitur. Qui negligentia torpet, profusæ liberalitatis munera non assequitur: nam deuotionis anticipata opera illa deferunt: primitias enim diuinæ gratię accelerata virtus colligit. Non satis est recte facere, nisi etiã prępmature fiat: maiores enim fructus percipit negotiosa deuotio, virtus præcoqua muneribus primis coronatur, gaudet,& exultat. Paulo ante suam mortem cum esset Christus Dominus in Bethania in domo Simonis, accessit ad eum Magdalena,& non tantum pœnitens, sed liberalis, & officiosa vnxit eius pedes: quod quidem obsequium in tantum gratum extitit Saluatori, vt immortali fama,& laude gloriosa eã iudicauerit dignam. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerso mundo, et quod hæc fecerit, narrabitur in memoriam eius.* Matthæi 26. Superba mausoleola solent homines erigere, vt in illis illorum memoria immortalis perennet; cæterum Maria paruo vnguento æternam famam nũquam excisuram promeruit. Vrget tamen, quod cum Magdalena non minori pietate, & animo obsequioso multoties sit operata, non tãli fuit remunerata honore; nunc vero paruo vnguento prępmium ita glorioſum obtinuerit: plus enim videbatur meruisse, cum relictis mundi illecebris sua peccata fuit confessa: maximè cum & tunc aromata pretiosa profuderit, dignior videbatur remuneratione illa humilis obedientia, quam cum audiret Magistrum in suo domicilio excipi, charitate feruida ad eius pedes accubuit: nam tunc locum, quem elegerat, ipse Dominus approbauit. *Maria optimam partem elegit* Lucę 10. v.42. Nihilominus neque animosa pœnitentia, neque feruens oratio, neque prompta obedientia tam glorio-

656

Matth 26 v.13.

Lordan.

Lucæ 10. v.42.

so

so prẹmio cumulantur, ac vnctio in Bethania facta. Tanti autem discriminis ratio mihi videtur, quam ipse offert textus, *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Quasi diceret Dominus: Non viuorum cæremoniahæc vnctio debet reputari, sed præparatio corporis ad sepulturam euntis. Fuit enim mos Hebrẹorũ, & aliarum nationum, cadauera aromatibus condire, vt à corruptione liberentur: at huiusmodi vnctio non corpori antequam moriatur, sed post adhibetur. Maria verò vt erat animo generosa, & morę impatiens, anticipata sollicitudine id præuenit, & in signum suę gratitudinis corpus Dominicum, dum adhuc viueret, vnguentis prẹparauit ad tumulum. Ideoque hoc inter sua opera primam existimationem promeruit: quia præuio obsequio prẹoccupauit spem recipientis, & id exercuit, quod de generoso spiritu dixit Seneca lib. 2. de beneficijs. *Primum est antecedere desiderium cuiusque: proximum sequi: illud melius, occũpare antequam rogemur.* Ideoque cum Maria non solum vnxerit corpus Domini, cũ iam cadauer extitit, sed prẹuenerit vngere tribus diebus, antequam morerentur, singulare prẹmium, famę videlicet immortalis, & ẹternæ memoriæ hoc opus inter cętera illi promeruit: quia anticipatę virtutis elogium est, totam Dei beneuolentiam allicere. Ideoque præcepit Deus omnes fructuum primitias illi defferri, quia prẹmatura opera virtutum figurabant.

Matth. 26 v. 13.

Seneca.

657 Refert textus sacer Genes. 4. exercitia Cain, & Abel primogenitorum Adæ, quæ sic describit. *Fuit autem Abel pastor ouium, et Cain agricola.* Ambrosius ad hunc locum in dubium vertit, cur textus sacer ordinem naturę inuerterit, & prius nominauerit Abel, quam Cain, qui antiquior erat ætate. *Quare non fit ordo nominum, qui est ordo naturæ?* Et ipsemet sibi respondet: *Quia etsi Abel tempore iunior, virtute præstantior.* Superabat Abel fratrem in virtute, ideoque debuit prius nominari. Sed qua virtute eum antecelluit? Crediderim, festinata oblatione: quod idem textus innuit, subjungens, quod Cain, cum esset agricola, de fructibus terræ obtulit; Abel autem, quia pastor erat, primogenita immolauit de primogenitis gregis sui. Deusque ita complacuit in sacrificio Abel, vt manifestis signis illud approbauerit; in sacrificio autem Cain maximè displicuit: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius; ad Cain autem, et ad munera eius non respexit.* Cur ità? Si vterque frater de laboribus suis sacrificia libauit, quarè vnum acceptauit, & alterum abhorruit? Satis perspicuè textus rationem innuit: licet enim Abel minor esset ætate, fuit prior in holocausto, & obtulit antequam offerret Cain, cuius oblatio serotina fuit, morosa, & negligẽs. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain.* Tardè obtulit, remissè, & penè coactus, ideoque ingrata fuit eius oblatio, & plus demeruit, quam obligauit: nam vt dixit Seneca oblatio morosa, & quę in manibus tribuẽtis diu detinetur, beneficij rationem amittit. *Ingratum est beneficium, quod inter manus donantis hæsit.* Abel autẽ statim obtulit, ne tantum de pretio à sacrificio adimeret, quantum de mora accresceret. *Obtulit de primogenitis gregis sui.* Ita velox se gessit Abel in redditione sacrificij Deo debiti, vt primogenita ab vberibus matris pendentia obtulerit, & à die natiuitatis Deo sacrauerit: quod quidem Dei beneuolentiam ipsi promeruit.

Genes. 4. v. 2.

Ambros.

Ibid. v. 4. et 5.

Ibid. v. 3.

Seneca.

Gen. v. 4.

658 Nouerat Sponsa delitias esse Sponsi huiusmodi festinatos fructus, cum dixit Canticor. 8. *Dedi tibi poculum ex vino condito, et musto malorum granatorum.* Aduersari sibi videntur huius hemistichij partes: nam si Spõsa gustui adulari desiderat, ad idque vinum aromatibus præparatum habet; quomodo illud musto admiscendum pollicetur, quod maximè gustũ exacerbat? Vinum enim diuturnitate generositatem, & valorem acquirit.

Sic meliora dies, vt vinum, poemata reddit.

dixit Horatius: & Seneca gulosum reprehendens: *Cur apud te vinum ata-*

Cantic. 8. v. 2.

Horatius Seneca.

te

te tua vetustius bibitur? Cur ergo mu-
sti poculum, quod insuaue, & insipi-
dum est, Sponsæ propinat Sponso, vbi
ipsius delitias procurat? Quia probe
nouerat ipsius appetitum, potumque
illius palato magis iucundum, & fa-
miliarem esse opera flammantia, non
temporis vetustate confecta, mustum
statim ac exprimitur, & à torculari
extrahitur, primæ ætatis virentes vir-
tutes. Nam & deitates fabulosæ non
admittebant hostiam, quæ non esset
tenera, & virgo, vt dixit Mantuanus:

Mantua. *Nunc grege de intacto septē mactare iuuencos*
præstiterit.

Fructus, qui iam præ maturitate deci-
dunt, mensæ Dei inepti videntur: abor-
tiua enim plerumque, & præmatura
plus placent, sera displicent, & fasti-
diuntur. Vnde pigros Iudas (insua Ca
nonica num. 12.) arboribus autumna-
libus conparauit. *Arbores autumnales,*
quæ fructus cum iam fastidiuntur,
tribuunt. Vbi Hugo Charensis igna-
uos ad virtutem comparandam repre
Hug. Cha-rensis. hensos agnoscit. *Arbores autumnales*
vocat, quarum fructus vsque post autē
num non colliguntur, quasi tardi, et hye
males, non primæui, sed æstiui: sic pigri
ad bonum in statu vitæ præsentis non
faciunt fructum: vnde seruantur ad
hyemem gehennalis pœnæ. Sic pericu-
losum est ad vltimum vitę protrahe-
re virtutum opera, vt timendum sit,
ea tunc despici, & nullum fructum
nobis allatura. Virgines illæ fatuę,
non quia virtutum oleo carebant, à
nuptijs repelluntur, sed quia pigritia,
& socordia præoccupatę serò acce-
debant. Vnde meritò dolet Vates,
quod plantæ post longam ætatem, &
adulta corpora habentes nullos ex se
referant fructus. *Ficus enim non*
florebit, et non erit germē in vineis. 2.
Hic vers. 17.

ANNOT. C.L.X. MORALIS.

TANTI AESTIMAT CHRISTVS Dominus hominis salutem, vt pro illa faciat, quidquid pro sua faceret, si indigeret, et suam reputet gloriam.

MIRA sunt, vt admirari licet in 659
precedentibus prodigijs, quę
Deus pro Iudęis à captiuitate
Babylonica liberandis patrauit; sed
mirabiliora, quæ pro hominum salu-
te reparanda effecit. Tanquam pius
pater, maximus hominum æstimator,
illorumque firma defensio, & muni-
men, omnibus se periculis ex posuit,
ne homines indefensi periclitarentur:
nostras super se infirmitates porta-
uit, vt tueretur nostram valetudinem.
Vnde dicebat Isaias cap 57. *Brachium* *Isaiæ c. 53*
domini cui reuelatum est? Vere languo- *v. 1.*
res nostros ipse tulit, et dolores nostros
ipse portauit. Cur brachio protegen-
ti Seruatorem confert Propheta, non
scuto, vbi ictus cum minori discrimi-
ne excipiuntur? Idonee Oleaster. *Solet* *Oleaster.*
enim brachium omnibus periculis et ma-
lis obuium pro salute corporis obiectari:
sic et Christus, qui nostra fortitudo erat,
se se languoribus, et doloribus nostris
obiecit, ne ad nos vlla occurrens læsio
perueniret. Ad quoscumque hostiles
incursus brachium se se offert, vt cor-
pus tueatur: in brachio portatur scu
tū, quo totus homo protegitur, ictus-
que recipere non recusat indemnita-
ti cæterorum membrorum consulēs.
Non secus Christus Dominus, vt ho-
minem seruaret innoxium, tanquam
brachium vndequaque ipsum muni-
uit, & in seipso prius impetus ipsum
adorientes confregit: tanti enim ho-
minum salutem fecit, vt nihil præter-
ipsam existimaret pretio dignum.
Morti iam proximus potestatem, quā
accepit à Patre, prouidè recognouit,
fortasse vt testamentum non inconsi-
deratè conderet, sed iuxta facultates,
quas possidebat. *Sciens quia omnia* *Ioan. 13.*
dedit ei Pater in manus. Ioan. 13. vers. 3. *v. 3.*
Quod alibi in Matthęo repetitum in-
uenies cap. 11. *Omnia mihi tradita* *Matth. 11*
sunt à Patre meo. Quid est omnia? Val- *v. 27.*
dè sudant Interpretes, vt omnia hæc
interpretentur, de quibus hic Chri- *Theophil.*
stus mentionem facit. Theophilactus
ad præcitata Ioannis verba insolito
calamo scribit. *Omnia dedit ei Pater*
in manus: hoc est, quod credidisset salu-
tem fidelium. Ergo nisi Christus salu-

tem

tem hominum fuisset operatus, non haberet omnia; imò nihil habere diceretur: nihil enim habet, qui omnibus caret? Si ergò hominum salus est omnia Christo, omnibus caruisset, nisi hominum salutem fuisset lucratus. Hyperbolica exaggeratio videtur, & ipsissima veritas est: nam cum Christus Dominus decretus sit, vt salvaret homines, & ad hominum salutem faciendam Persona Verbi Humanitati sit vnita, ipsorum hominum salute eximiè munerata est sanctissima eius Humanitas. At quid luculentius pro hac re, quam sic Christum æstimare hominum salutem, vt hominum salus occasionaliter omnia Christo dicantur?

660 Ex hac existimatione provenit, vt quod pro se ipso, si indigeret, faceret, id totum pro hominum salute sit operatus. Vnde ipsemet Ioannis 9. dicebat: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.* Vbi Caietanus. *Appellat totum tempus ab initio primi aduentus vsque ad tempus secundi aduentus diem, ad similitudinem diei sensibilis.* At omnia, quę Christus operatus est in toto curriculo vitæ suæ, illum oportebat operari? Nobis sanè oportebat; illi verò quare? Quoniam id ipsum, quod pro se ipso liberando, si indigeret, faceret, pro liberandis hominibus pertulit, suamque hominū redemptionem existimauit. Vnde Zacharias cap. 9. de Christo locutus dicebat. *Ecce Rex tuus venit tibi Saluator.* Vbi quędam Hebræorum Glossa pro eo, quod nos legimus *Saluator, Saluatus* legit: exponens verò huius rei rotionem addit. *Salus Israel, salus Dei.* In tantum enim nostram salutem curauit, & operatus est, ac si non nostrā tantum, sed ipsius Dei salus esset, qui saluatus dicitur, dum nos saluat. Hoc planè sibi vult locus ille Psalm. 97. vbi de Christo dicitur: *Saluauit sibi dextera eius.* Quę verba de nostra reparatione & salute fere omnes interpretā tur. Sed quid est, quod sibi asserat attulisse salutem? Deus ne redemptione indiguit? Audi ibi Theodoretum. *Immensa benignitate vtens, suum quæstum hominum vitam duxit: propterea non dixit: Saluauit ipsum dextera eius; sed saluauit ipse sibi.* Quasi salus & vita hominum, vita & salus Dei esset.

Iam ergo si omnia Christo fuit hominum salus, si suam reputauit hominum redemptionem: nō mirum, quod illam suammet reputet gloriam, & beatitudinem: quod perspicue dixit D. Paul. ad Roman. cap. 3. vers. 23. *Omnes peccauerunt, et egent gloria Dei.* Quid est gloria Dei? Gratia, & venia Dei dicendum videbatur. Sic D. Hieronym. libr. 6. comment. in Isaię, vbi citat. hunc locum: sed emendatissimi codices Latini habent *gloria.* Sicquè legunt Patres, & expositores omnes: non quasi homines non egeant prædicto gratię beneficio; sed quia dum Deus illud prestat, suam ostentat, & manifestat gloriam. Accipe Carthusianum. *Egent gloria Dei: hoc est, miseratione, diuina videlicet gratia, per quam Deus glorioſus apparet, qui de sua liberrima voluntate saluat electos, et gloriam suam ostendit in nostra miseria, ac necessitate.* Remissionem nostrorum criminum Dei gloriam vocat Apostolus, quasi nostra salus Dei gloria, & salus sit. Ipsius ergo intererat captiuum hominem à seruitute liberare, & impensè illius salutem inquirere, quandoquidem de propria gloria erat solicitus. Quod Moysi multò anteà prędixerat: petijt ille à Deo, vt gloriam suā illi manifestaret. Exo. 33. *Ostende mihi gloriam tuam.* Cui Deus: *Ego ostendam tibi omne bonum tibi.* Sic legit Hebręus. Posteà pręcipit, vt se sub foramine petræ absconderet, vt transiens illi suam gloriam ostendat. Transit, & ad eius conspectum remuneratus Moyses dicebat: *Domine Deus misericors, et clemens, et patiens multæ miserationis, qui auferis iniquitatem, et scelera, atque peccata.* quibus verbis quod desiderabat, accepisse fatetur: at hęc, quę Moyses viderat, beneficentiam erga hominem ostendunt, non Dei gloriam, quā Deus ostendere fuit pollicitus. Quo ergo pacto Dei promissio adimpletur in his, quæ viderat Moyses? Quiā certò scie-

661

Ioann. 9. v. 4.

Caietan.

Zachar. 9. v. 9.

Psalm. 97. v. 1.

Theodor.

Paul. ad Rom. 3. v. 23.

Hierony.

Carthus.

Exod. 33. v. 18.

Ibid. c. 34 v. 6. et 7.

sciebat Dei gloriam esse hominum liberationem, & misericordiam, qua eorum peccata condonat: hac enim visa satis superq; se remuneratũ agnoscit, & Deum promissa adimplere.

662 Post solemnem in Iordane baptismum, quem celebrauit Ioannes, ipsiusmet Authorem tingens fluentis, Dei gloriam apparuisse testatur Matthæus cap. 3. v. 16. *Baptizatus autem Iesus, confestim ascẽdit de aqua: et ecce aperti sunt ei cœli.* Remigius ad prędicta verba quæstionem excitat: *Nũquid tunc primò aperti sunt ei cœli etiam secundum humanam naturam? Fides enim Ecclesiæ et credit, et tenet, quod non minus aperti sunt ei ante, quam post.* Si ergò cœlestes valuæ semper Christo reseratę extiterunt, quomodo tunc aperiri dicuntur, cum à baptismo recedit? Ausculta Remigium. *Ideò ergò dicitur, quod aperti sunt ei cœli: quia omnibus renatis aperitur ianua regni cœlestis.* Scilicet: tunc maximè dicuntur cœli Christo aperti ad videndas beatas Dei glorias, quando renatis à fonte baptismatis ianua cœlestis aperitur: quia sic hominum salutem diligit, vt eorum glorias suas reputet. Tunc cœli dicuntur vni Christo aperti, cum pijs hominibus panduntur: ac si prædestinatorum glorijs Christus bearetur. Hęc summa Dei gloria, summa beatitudo est, viam sternere, vt ad cęlestem patriam homines properent. Vnde Dauid cœlos Dei gloriam prædicare dicebat Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Cur non sicut cœli, elementa Dei gloriam ostendunt, & illius prędicant beatitudinem? Omnes enim creaturæ vestigia sunt, quibus Dei maiestas, & gloria indagatur. Cur ergò elementa, quę portiones sunt vniuersi principaliores, Dei gloriam non concinunt, & cœlis tantum huiusmodi prærogatiua reseruatur? Crediderim, quia (vt inquit Philosophus libr. de cœlo) elementa in suis motibus bonum particulare vniuscuiusque quęrunt, non cõmune: hinc loca ambiunt, quę melius ad sui conseruatio nem aptantur: cœli verò in suis circularibus motibus non ad bonum particulare attendunt, ideoque nouum locum numquam adquirunt, sed intra seipsos mouentur, & solũ bonum vniuersi procurant. Cœli ergò Dei gloriam opportunè annuntiãt, quasi indigitent, nihil magis Deo esse glorioſum & æstimabile, quam vniuersis benefacere, & solum hominum quęstum gloriam illi esse. Vndè parta de Babylonijs victoria tanquã triũphator exultare dicitur, quia in libertate Iudaici populi redemptionem humani generis prævidebat. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Hic v. 19.

Matth. 3. v. 16.

Remigius

Psalm. 18 v. 1.

ANOTAT. C.L.XI. MORALIS.

FERE OMNES TEMPORALIVM; pauci sunt, qui æternorum sentiant iacturam.

663 NATVRALI propensione vrgetur homo ad temporalia, & caduca bona adipiscenda, nullo obice retardatur, vt ea possideat, & pari auiditate ac ea comparauit, dolet, cum amittit: cuiusque temporarię rei angitur iactura: quę impensè procurat, amare perdit, & tota sollicitudine terrena suspirans decęlestium amissione non dolet. Hoc a primo parente vitium emanauit, qui postquã nuditatis pœnã incurrit, sic Deo scisciranti vbi esset, respondit. *Vocẽ tuã audiui, et abscondi me, eo quod nudus essem.* Gen. 3. Nõ meret eo quod Deũ haberet offẽsum, illius vindictã non pertimescit, neque ęternorũ iacturã, quam suo flagitio promeruit, lacrymatur; sed nuditatẽ tãtũ deplorat, quę quoddã erat temporale nocumentũ. Quod põderãs Rupert. lib. 4. in Gen. c. 4. dicebat: *Notandũ, quod culpam suam tacuit, quæ causa erat suæ pudẽdæ nuditatis: sed questus est se esse nudũ, vt Deũ potius incusaret, quod talẽ iacturã hominis formasset.* Et paulo infra. *Timet, ne agricolari sibi nõ liceat, ne terrã, quã solũ amat, vel præsentẽ vitã pro admisso facinore perdat.* Nõ ãgitur de animę nocumẽto; timet tẽm-

Gen. 3. v. 10.

Rupertus

temporalibus bonis priuari, & corporis operimentum perdidisse. De hoc ipso conquerebatur Sponsa Cant. 5.

Cantic. 5. v. 7. *Tulerant pallium meum*, id est, *temporalia bona*, ait Hugo Cardinalis ad

Hug. Cardinalis. c. 4. Lucæ. *Pallium amisisse torquet homines, de tunica, quæ interior animæ habitus est, non curantes.* Pauci sunt, qui de animæ nuditate, plures, qui de tẽporalium bonorum amissione conquerantur. Duplicẽ Paralytico Christus contulit sanitatem, nã & corporis valetudinem restituit, & animæ.

Matth. 9. v. 2. *Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9 & tamẽ vt aduertit Chrysol. (ser. 50.) non legitur pro tanto beneficio gratias egisse. Quare? Audi Chrysologũ.

Chrysol. *Audit veniã, et tacet Paralyticus, neq; vllã repẽdit gratiã: quia plus corporis, quam animæ tendebat ad curam.*

664 Paulus cœlesti eruditus schola, superna doctrina imbutus dicebat 2. Corinth. 12. *Vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et quid? Cœlestis

Corinth. 2. 12. v. 4 eruditio poterat non esse omnibus proficua, quod erubescit Paulus eam referre? Multùm intererat doctrinę, quã prędicabat, narrare, quæ in arcano cœlorũ gymnasio ediscerat. Vt quid igitur refugit, cõmunicata sibi aperire mysteria? Acutè D. Ambros.

D. Ambr. *Videte non gratiã loquendi illi homini defuisse, sed his, qui audiebant: et ideò nõ competere iudicatus est, vt loqueretur in terris, quæ audisset in cælo.* Quasi diceret Apostolus: sibi eloquentiã & facundiam non defuisse, vt de ijs loqueretur, quę in cœlis viderat; sed auditoribus capacitatem, & dispositionẽ defecisse ad ea percipienda temporalium implicatis desiderijs: quapropter de ęternis bonis, quæ solum ęstimanda sunt, loqui non licebat ijs, qui terrena solum æstimant, & toto desiderio anhelant. Veluti infirmus, qui, quod salutare est, renuit, & mortiferos, atque noxios cibos magna auiditate appetit: nauseant fere omnes ad cęlestia prægustata bona, & stomachantur sapido cibo; terrena vero, & nociua toto animo suspirant, cum tamen illa semper sint prędferenda. Hoc sanè sacrificium Cain ingratũ reddidit: sic enim ad ipsum loquitur Deus, Genes. 4. *Nõne si bene egeris, recipies; si autem malum, statim peccatum in foribus aderit?* Septuaginta legunt: *Nonnè si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti?* Deformitas ergò non in sacrificio, sed in diuisione stetit. Quo ergò pacto male diuisit, qui benè obtulit? Audi Ambrosium. *Rectè Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, et indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, qui ante omnia debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret Auctoris: etenim diuisionis hic ordo est, vt prima secundis, non secunda primis præcurrant, et cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur: sed quia Cain confudit hunc ordinem, dicitur ei: Peccasti.* Inordinatè Cain fructus distribuit, & prius sibi vberiores elegit; posteà verò imperfectiores libauit seipsum Creatori præponens, cœlestibus temporalia. Pernicio sus ordo, & qui diu inter homines viget, terrena ambientes, illorum iacturam deplorantes, & pro nihilo, quę dum taxat vera sunt, habentes. Hæc, quæ homines brutis ęquant, praua desideria arguebat Ioel cap. 1. vers. 18. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non est pascha eis: sed et greges pecorum dispertierunt.* Stolidos hominum conatus carpit, ac terrena & temporalia bona anhelantes. Sed cur horum lachrymæ, ex defectione temporalium brutorum lacrymæ dicuntur? Accipe Rupertum ibi. *Brutis animalibus, et gregibus armenti similes eos vult haberi, quãuis homines sint: quia ingemiscere nesciũt, nisi pro penuria cibi, nullũ habẽtes dolorẽ de peccatis suis, et hoc solũ esse miserũ, hoc dolendũ reputant.* Nõ alijs, quã stolidissimis brutis veniunt cõparãdi, qui ipsis in appetitione terrenorũ assimilãtur, nihil prętęr caduca & fallacia bona curantes, cęlestiũ obliti; cũ ea, quę in pretio sunt posteriora, in desiderio etiam debeãt poni.

Genes. 4. v. 7.

Septuag.

D. Ambr.

Ioel. 1. v. 18.

Rupertus.

Non sic iusti, qui pro nihilo terrena habentes, de illorum amissione 665

non

non dolent, quod Parœmiastes Salomon scitè dixit Prouerb.12. vers.21.

Prou. 12. v.21. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Hoc est: nullum temporale nocumentum eum ab interna animi lętitia deturbabit. Sed cur temporale damnum iusto illatum accidere, dixit Sapiens? Rectè Hugo Cardinalis.

Hug. Cardinalis. *Sicut accidens adest, et abest præter subiecti corruptionem: ita præsens prosperitas, et tribulatio viro iusto adest, et abest præter eius contristationem.* AEternorum tantum iactura angitur iustus, & cõtabescit; quæ tẽporalia sunt tranquillitatẽ animi non conturbant: tã placide infortunatis se accõmodãt euentibus, quam prosperis. Inundãtibus diluuij aquis super terrã, vt, serenitatis quam expectabat Noe, signum deferret: *Dimisit columbam, at illa venit ad eum ad vesperã, portans ramum oliuæ* &c. *Post septẽ alios dies emisit colũbã, quæ nõ est reuersa.* Quod versans D. Chrys. ęqualitatem Noe in vtroq; euentu optimè expendit.

Genes. 8. v.10. et 11 et 12.

D. Chrys. *Vide, quomodo iustus in omnibus consolationis accipiat notam: nam vt bona spe recreatus est, cum redit columba, et oliuæ folium in ore ferret: ita et cum egressa non redit, maximum illud indicium fuit, quod sufficientem inuenerit refocillationem, et quod aquæ in vniuersum desierunt.* Tam in prospero, quam in aduerso euentu consolatur iustus: quia solum Dei iacturam sentit, cætera negligit, & pro nihilo habet: quia nullum aditũ ad terrenorũ dolorẽ admittit, hęc cęlestibus semper postponit, Christi Dñi vestigia retinens, qui cũ veniisset ad suscitandũ Lazarum (Ioan.12.) & obuia illi esset Martha, cũ ipsa latè colloquitur. *Domine, si fuisses hic* &c. Ad quid venis, ò Dñe? Nonne ad suscitandũ Lazarũ? Cur ergò cum Martha per otium detineris? Pulchrè Basilius de Seleucia.

Ioan. 11. v.21.

Basil. de Seleuc. *Magis spectabatur, vt Martha, et Maria, et cæteri, qui præstò erant, resurrectionis mysterium discerent, quam vt Lazarus ad vitam rediret: ob id ergò ante excitationis miraculum variè verbis philosophatur.* Differatur temporale, vt spirituali defectui succurratur: plus enim Christus satagebat spirituale mysterium circunstantibus docere, quam Lazarum suscitare. Idcircò prius detinetur in illo edocendo, quam miraculum operetur: nam quæ ad animam spectant, temporalibus sunt præponenda. Ideoque tametsi Propheta videat victualia omnia defectura, terrę, & arborum sterilitatem, dummodo Dei auxilium, & opem sibi adesse agnoscit, cum exultatione temporalium iacturam patitur. *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Hic v.18.

ANOTAT. C.L XII. MORALIS.

MALI CIVES PROPTER LVCRA fructus abscondentes, aut inimicis deferentes rerum penuriæ causa sunt.

AVAROS homines, & qui fructus terrę recondunt, vt penurię tempore maiora pretia lucrentur, non immeritò talpę similes dixeris, qui terram fodit, vt fructus terræ ibi absconsos habeat, & in causa est, vt in republica deficiant; quin potius propter auaritiam, & lucrum ad inimicos deferunt, propia patria fame animam exhalante. Nihil prosunt segeti maximi imbres, si terram talpæ fodiunt, vt labantur vndę, & terram non fęcundent. Sata ferunt fructus, natura necessaria largitur, & nihilominus nullus fructus videtur, quia eos recondunt homines talpę, vt quęstum faciant, & ad hostes propter lucra indè prouenientia transmittunt. De secundò ex quatuor Paradisi fluuijs, qui Phison nominatur, inquit textus cap.2. vers.11. *Nomen vni Phison, ipse est, qui circuit terram Hebilac, vbi nascitur aurũ, et aurum terræ illius optimũ est.* Phison idem est Latinis, ac *oris commutatio.* Hic ergò fluuius regionem rigat, & fęcũdat Hebilac, id est, terrã Assur, vbi præcipui hostes populi

666

Genes. 2. v.11.

Israel habitabant, vt rectè notauit Oleaster in commentar. huius loci alibi datus. *Vbi et aliud considerat, quod præcipuos hostes suos prius irrigari nouimus, quid populo eius fecerit Assur, et alij vicini terræ promissionis, ad quos Paradisi flumen tam copiosè mittit.* Meritò ambiges, cur ille fluuius tam abundanter fluenta mittat ad hostes, Deo & ipsius populo infensissimos, illiusque sata prius irriget quam cæteras regiones. Auscultа Diui Ambrosium ad Psalmum 1. fortè nostrum institutum respicientem. *Meritò os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum.* Ad terram auro, & argento abundantem, vbi nulla fides seruatur, & doloso commercio homines se inuicem decipiunt, fluenta mittit Phison copiosa, alijs regionibus arescentibus, quasi indigitans, auaritiam causam esse, vt malus ciuis velut Phison fidelitatem patriæ debitam rumpat, vt aquarum fructus ad hostes mittat, patria fame pereunte. Ad hoc talpa fructus recondit, & in culpa est, quòd aquarum copia ad segetes non accedat, sed per occultos meatus inutiliter labatur. Terra, quæ aurum gignit, & argentum, auaritiã prouocat, vt ad illam fructus transmittat, ipsis viduata, quæ illos produxit.

Oleaster. D. Ambr.

667 Non inuenustè id ipsum dicebat Oseas cap. 12. v. 1. *Ephrain pascit ventum, et sequitur æstum: tota die mendacium et vanitatem multiplicat, et fœdus cum Assyrijs iniit, et oleum in AEgyptum ferebat.* Est Samaria, quę AEphrain tribui competit, olei feracissima: in oleo autem, vt aduertit Ribera, cæteri terrę fructus, cæteraque munera intelliguntur; vnde explicatius 70 lectio, vbi noster Vulgatus habet *Oleum in AEgyptum deferebat*, vertit, *Munera in AEgyptum deferunt.* Verum cur Ephrain frumẽta, quę Samaria abundanter suis incolis offerebat, ad AEgyptiòs mittit, qui implacabiles hostes Israelitico populo extiterunt, illumque continuis bellis, & dira captiuitate vexarunt? Tam infida sibi illa tribus fuit, vt futuram famem, & miseram penuriam non præcauens, terræ prouentus ad inimicos transmittat? Credo, huius auidæ cupiditatis textum rationem insinuare, dum Ephrain ventum pascere, ac sustentare, aut illo nutriri affirmat. *Ephrain pascit ventum.* Cui ventus esca est, aut ventum alit, qui vanam mundi gloriam, & hominum existimationem sectatur, nil mirum, quod veluti Ephrain eructet mendacia, quod totus effundatur in dolos & simulationes, quod patriæ fidem non seruet, quod fructus terræ fraudulenter ad hostes mittat, vnde aurum captet, ad gloriam, & inanem faustum conseruandum, vel obtinendum. *Ephrain pascit ventum, et sequitur æstum: tota die mendacium, et vanitatem multiplicat, et fœdus cum Assyrijs iniit, et oleum in AEgyptum ferebat.* Hic (inquam) qui voluptuosè & pompatice viuũt, reipublicæ proditores sępè sunt, & famelico vulgo pereunte, sterelitate patriæ solum vexante, fructus asseruant, aut ad hostes transferunt, vt maiorem inde quæstum faciant, vnde ventum suæ vanitatis pascant. Idque sępe efficitur ab ijs, quibus incũbit publicis necessitatibus prouidere, & annonam fideliter dispensare: vnde non modica laus Cassiodoro, in formula Prefecti, visa fuit cuiusdam Prætoris, qui sine quæstus faciendi cupiditate Romanis ciuibus cibaria distribuebat. *Triticeas quidem copias præfectura prætoriana procurat; sed non minor laus est, dispensationem probabilem facere, quam frumẽta colligere. Sic Ceres dicitur frumenta inuenisse, Pan primus fruges coxisse perhibetur.*

Oseas 12. v. 1. Ribera. Septuag.

668 Imminente futurę famis periculo, quod in fructuosis annis superauerat, frumentum prouidus Ioseph asseruari cutauit in AEgypto, ea tamẽ prouidẽtia, quod vnaquęq; ex principalioribus ciuitatibus sufficiẽtẽ sterilibus annis annonam in horreis reconderet. *Omnis etiã frugum abũdãtia*

in

in singulis ciuitatibus condita est. Genes.41. vers.48. At cur non præcipit fructus deferri ad Metropolitanas vrbes, ibique ampliſſimis horreis adſtructis aſſeruari, vt ex eis aliæ ciuitates, & minora oppida neceſſitatis tempore extraherent, ſibique prouiderent? Ad quid omnes vult eſſe præuentas, & tritico exuberantes, quandoquidem fructus melius diſtribuerentur, ſi per minorem miniſtrorum numerum id fieret? Præclare de more Oleaſter ſolertiam Ioſeph hic agnoſcit. *Solent ciuitates aliquando aliarum cibum comedere, et aliæ abundant, et quæ protulit, fame perit: quare conſultum eſſet, vt vnaquæque vrbs, quæ ſuum eſſet, comederet, et alias de ſuperfluo aleret.* Sępiſſime iniquorum ciuium auaritia inſtigante, proprij ciuitatis fructus aſportantur in aliam, & hoſtibus prouidetur, fame pereunte, quæ protulit. Prudenter igitur Ioſeph præcauens huiuſmodi artem, fructum vniuſcuiuſque ciuitatis in ipſa aſſeruari, & neceſſitatis tempore inſumi prępcepit, ne graſſante fame, quæ alimento carerent, neceſſaria exceſſiuo pretio emerent, & vacua terrę frugiferę relinqueret horrea cupiditatis rapaciras, copiaſque ipſas redderet inopes. Quod vtinam non tam frequenter eſſemus experti: nam quos natura copioſos fructus porrigit, auaritia per occultos meatus abſcondit, & foras mittit, atque ad hoſtes transfert. Vnde meritò conquerebatur Vates, eo quod arua non afferrent cibum: quod quidem non ſolum ex terræ ſterilitate accidiſſe puto, ſed ex auaritia ciuium, qui terræ fructus aſſeruant, & congregant in horreis, fame republica pereunte vt ex illis maiora lucra reportent. *Mentietur opus oliuæ, et arua non afferent cibum.* Hic v.17.

Genes.41. v.48.

Oleaſter.

ANOTAT. C.L.XIII. MORALIS.

SANCTORVM CVM DEO DE bonis operibus eſt concertatio: ipſi Deo illa attribuunt, iuſtis Deus.

669 QVIDQVID pulchrum & amabile eſt, charitas in re amata vult laudari, & pia largitate propria facinora in alium refundit. Non ſolum non ſibi arrogat, quę aliena ſunt, ſed in dilecti honorem, quæ ipſa agit, redundare ſatagit. Vndè arcane dixit Paulus, ſe non quærere quæ ſua ſunt, ſed quę aliorum. Hinc certamen exurgit inter mutuò ſe, ac perfecte diligentes: nam vterque alteri illuſtriora opera attribuit. Hinc inter Deum, & Sanctos acris concertatio, qua mutuo ſibi ipſis opera referunt. Vtrumque videas in Apocalypſi, vbi Ioannes cœlitus eleuatus cœleſtem Ieroſolymam, eiuſque præclaros ciues inſpexit: *Vidi turbam magnam* &c. Et paulò infra de Beatis ſermonem inſtituens ſubiungit: *Amicti ſtolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Apocalyp. cap.7.v.9. Quod ſplendida veſte ſuperni ciues induantur, bene eſt; at cur ipſi palmas in manibus deferunt? Si Deus eſt, qui vires & auxilia Sanctis præſtitit ad expugnandos, & vincendos inimicos; cur Sanctorum palmas collocat in manibus? Qui opem, robur & arma miniſtrat, ipſe eſt victor, ipſeque victoriæ ſigna debet portare. Congruentior videtur modus loquendi Diui Pauli, cum de victorijs, quas Chriſtus de inferno reportauit, agens, ait, ſecum veluti exuuias deferre captiuos, qui ibi detenti erant, ſibique triumphum arrogauit. *Traduxit illos confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* ad Coloſſenſ.2.v.15. Fecit illos triumphatores, ſed in ſemetipſo, non in illis: quia cũ illis vires prępſtiterit, eius erat victoria, non illorũ. Quomodo ergo in cœleſti patria palmis, quę ſigna victorię ſunt, apparent exornati. *Et palmæ in manibus eorum?* Quia in cœlis coronat Chriſtus nõ tã iuſtorũ obſequia, quã ſua auxilia: illi laborẽ poſuerũt, ipſe cęlũ aperuit, ipſe vires prępſtitit, & victores fecit, ſed iuſtis victoriã tribuit. Paulus vero iuſtorũ nomine Chriſto omnem victoriam vult deferendam. Id ipſum reperies in eadem Apocalyps. cap.4. num.10.

Apocal.7. v.9.

Ad Col.2. v.15.

Vbi de viginti illis quatuor seniori-
bus, qui adorabant viuentem in sęcu-
Apocal. 4. v. 10. la sęculorum, dicitur: *Et mittebant co-
ronas suas ante thronum dicentes: Dig-
nus es Domine Deus noster accipere gra-
tiam, ac honorem, et virtutem.* Ad quæ
D. Grego. verba D. Gregorius lib. 22. Moral. c. 10.
congruenter excribit. *Coronas ante
thronum Dei mittere, est certaminum
suorum victorias non sibi tribuere, sed
Authori, vt ad illud referant victoriam
laudis, à quo se sciebant accepisse vires
Hug. Car-* certaminis. Idem habet Hugo Car-
dinalis. dinalis ad prædicta verba. *Mittebant
coronas suas, victorias scilicet, quas de
diabolo et peccato per ipsum obtinuerãt,
ipsi attribuendo, et quidquid bonum ha-
bent, ad ipsum retorquendo. Vtrumque
enim significatur per coronam, scilicet
victoria, quia corona non datur nisi vi-
ctoriæ: interpretantur autem id, quod di-
cebant: Dignus est Domine, Tu es, qui
dignos nos facis.* Ecce Sancti coronas,
victorias, & præclara opera sua Deo
attribuentes, quasi ipsi nihil egerint.
At quomodo verum erit id, quod ait
Gaius Papa in epistola decretali ad
Felicem Episcopum tom. 1. concilior.
Gaius Pa- de isto euentu loquens: *Acceperunt iu-
pa.* sti, non dederunt coronas*: quibus ver-
bis Christus viriliter dimicantibus co-
ronas dedisse, dicitur, quia ipse eas ha-
bet, ac propriè in eis vincit? Vtrumque
Apocal. 19. v. 12. verum. Christus (Apocalyps. 19. n. 12.)
multa habere diademata dicitur; &
Zacha. 6. v. 11. (apud Zachariam cap. 6. v. 11.) plures
coronæ in capite Sacerdotis ponun-
tur: plures ergò habet coronas, vt plu-
ribus eas largiatur: at cũ eas tribuit, à
Sanctis accepisse dicitur. *Mittebant
coronas suas ante thronum.* Efficit vt
Sancti victorias reportent, & ab illis
dicit illas reportari.

670 Animaduersione dignum est, quam
prolixius narret Christus Dominus iu-
storum benefacta in iudicio remune-
Matth. 25 v. 34. 35. et 36. randa, & in singulis immoretur. *Veni-
te benedicti Patris mei, possidete paratũ
vobis regnum à constitutione mundi:
esuriui enim, et dedistis mihi manduca-
re: sitiui, et dedistis mihi bibere: hospes
eram, et collegistis me: nudus, et cooper-
uistis me: infirmus, et visitastis me: in
carcere eram, et venistis ad me.* Matth.
25. v. 34. Origenes (tract. 34. in Matth.)
rectè expendit, quam longius iustorũ
benefacta prosequatur Christus Do-
minus; cum tamen reproborum flagi-
tia cursim, & breuissimè attingat: &
Origenes. discriminis rationem subiungit. *Quo-
niam misericordia Iudicis erat, benefa-
cta quidem hominum largius prædica-
re, et ampliare; malefacta autem eorum
transitoriè memorari, et breuiare.* Sed
quod difficultatem non paruam inge
Matth. ib. v. 37. 38. et 39. rit, iustorum responsio est: *Domine
quando te vidimus esurientem, et pauí-
mus: sitientem, et dedimus tibi potum?
Quando autem te vidimus hospitem,
et collegimus te? aut nudum, et cooperui-
mus te? Aut quando te vidimus infir-
mum, aut in carcere, et venimus ad te?*
Ibid. v. 37. Fortè verbis Domini discre
debant, quod ignorare manifestant
id, quod Christus in eorum gestis lau
dabat? Absit. Cur ergò negant se fe-
cisse id, quod Christus ab ipsis factũ
esse affirmat? Rectè Glossa. *Quia pa-*
Gloss. Rom. 8. v. 18. *rum videtur illis omne bonum, quod fe
cerunt: vnde dicitur ad Roman. 8. Non
sunt condignæ passiones huius temporis
ad futuram gloriam* &c. Et Origenes
Origenes. vbi sup. *Humilitatis causa laude bene-
factorum suorum indignos se procla-
mant; non obliti eorum, quæ fecerunt.*
Non diffidebant de Christi ve rbis,
neque sua opera ab eorum memoria
exciderant; sed propterea à laude se in
dignos profitentur, volentes, vt omnis
Christo tribuatur, qui robur dedit, &
auxilium: ipse verò Christus auxilio-
rum, quæ suppeditauit ad benè ope-
randum, nec meminit, vt omnimodè
benefacta Sanctis tribuerentur.

Mulieri, quę sanguinis fluxum pa- 671
tiebatur, & à fimbria Christi Domini,
quam tetigerat, salutem fuit aucupa-
Marc. 5. v. 34. ta, dixit ille. *Fides tua te saluam fecit.*
Marc. 5. v. 34. Quibus verbis salutem
mulieris ipsius confidentiæ, ac deuo-
tioni attribuit; cum potius ad suam
virtutem esset referenda, quæ miracu
lum patrauit Idcirco [Luc. 8. v. 46.]
Luc 8. v. 46. et c. 6. v. 19. dixit, sensisse virtutem de se procedẽ
tem, & cap. 6. num. 19. dicitur. *Omnis
turba quærebat eum tangere, quia vir-*

tus

tus de illo exibat, et sanabat omnes. Si ergò salutifera ipsius virtus valetudinem conferebat, & ægram sanguinis fluxu mulierem ad sanitatem restituit: cur non suæ virtuti, sed fidei recipientis salutem attribuit? Audi D. Chrysostomum homil. 6. in Marc. *Videte humilitatem: ipse sanat, et illi refert, quod sanauit: Fides tua te saluã fecit, fides tua te sanauit.* Illa tangit Christum, vt salus eius virtuti tribuatur, à qua sanè proueniebat: Christus ad mulieris fidem sanitatem refert, vt eius merita eam videantur comparasse. Vterque pio duello, Christus, & mulier inter se concertant, & mutuò sibi ipsis miraculum attribuunt.

D. Chrys.

672 Anxiebantur duo illi Pharaonis eunuchi in carcere detenti, timentes ne somnia sua signa essent maioris mali ipsis futuri: quia incarcerati communiter formidant peius eis euenturum, & quoniam ibi inclusi non poterant ad augures, & maleficos recurrere, qui per artem magicam talia sõnia exponebant: ingrediens ad eos Ioseph, cum tristes intueretur propter interpretum defectum, dixit illis: *Nũquid non est Dei interpretatio? Referte mihi, quid videritis.* Genes. 9. v. 8. Circà quæ verba D. Chrysostomus addit: *Non de me promitto vobis aliquid me dicturum; Deus est, qui reuelat: narrate igitur mihi. Vide intelligentiam, et humilitatis excellentiam, non dixit: ego vobis dico somniorũ euentus; sed quid? Deus non est solus, qui somnia reuelat?* Sic Sancti, quæ bene operantur, ad Deum referũt, cum quibus Deus pio ac misericordi duello contendit, illis egregia sua facinora adscribens. Mirum est, quanta manus Moysis virtute virgæ ediderit mirabilia, vt enim illa patraret, præcepto Dei virga semper vtebatur. *Eleua virgam tuam, et extende manum tuam.* Exod. 14. v. 16. vbi Caietanus pium erga Moysem Dei affectum agnoscit, & illius laudis generosum ambitum. *Poterat Deus cõferre Moysi, vt sine virga faceret miracula; sed maluit vt mediante virga illa faceret, ad hoc vt sensibiliter cognoscerent homines, quod ipse Moyses faciebat miracula, quandoquidem elevata, seu applicata virga per manum Moysis, statim sequebantur miracula.* Sic Deus generosam iustorum indolem rependit, vt quę solus ipse facit, & solus efficere valet, ipsis attribuat, vt talionẽ reddat Sanctis, qui omnia, quę operãtur, in Dei laudem refundunt. Hac mẽte prędītus noster Vates non sibi arrogat victorias ab inimicis reportatas, sed Deo attribuit. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canẽtem.* Hic v. 19. Sic notauit ibi Hieronymus. *Nullam nisi in Christo habeo virtutem: in illo quippè me virtutem facere confido, et sicut cerui spinosa trãsiliunt, ita ego pericula delictorum Domini virtute transcendo.*

Genes. 9. v. 8.

Exod. 14. v. 16.

Caietan.

Hierony.

ANNOT. C. L. XIV. MORALIS.

RES SVMMI DOLORIS EST, æquales feliciores contueri.

673 RECTE dixit Tacitus lib. 2. historiæ: *Insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam æquos in æquo videre.* Nemo est, qui inique non ferat fortunæ priuilegia, & in paritate meritorum imparem felicitatem: licèt enim teneant nullum aliena infelicitate felicem fieri, vt dixit Seneca epist. 94. *Non est quod credas, quemquam fieri aliena infelicitate felicem.* Alterius felicitate infelicitari, qui illius se vidit expertem, non est dubium. Vnde AEgyptij (vt traddit Pierius lib. 22. cap. 22.) patrem æquali lance filios munerantem in hirundine significabant: quia hæc præ reliquis auibus natos æquat in cibo, ne vnus alteri inuideat, & dolorem excitet, quos pares natura fecit, inæqualiter fouens. *Hirundo mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impertiens, ea adhibita diligentia, ne qui semel accepit, bis accipiat, atque ita, vt par sit omnibus sportula, procurat.* Est enim summa infelicitas, parem in meritis feliciorem in prẽmio cõtueri, & pro equali labore imparem recipere mercedem.

Tacitus.

Seneca.

Pierius.

674 Num. 14. vers. 24. murmurauerat populus aduersus Moysem & Aaronem, exterritus à decem ducibus exploratoribus. Parant ducem constituere, vt remigrarent in AEgyptum: tunc autem Iosue, & Caleb viri strenui itase populi peruicaciæ opposuere, vt ab illo lapidarentur, nisi in tabernaculo, ad quod confugerant, à Deo protegerentur. Irascitur Deus, populum vult penitus delere, à quo Moysis deprecatione desistit, ea tamen conditione, quod nullus promissam terram ingrediatur præter Caleb, & Iosue, quorum primum laudibus summis sic extollit. *Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, et semen eius possidebit eam.* At percontari libet: Si Iosue pro Dei honore populo se etiam viriliter opposuit, non minus quam Caleb; cur Deus in laudibus Caleb se diffundit, de Iosue verò nec minimum facit verbum, præterquam de ingressu eius in promissam terram? Si æqualis fuit merito, cur in laudibus est inæqualis? Egregie Oleaster ad hunc locum: *Non meminit Iosue, sed solius Caleb, quia eum ducem populi futurum decreuerat.* Erat vterque æqualis meriti, ac virtutis: Iosue verò ducem populi cõstituerat Deus, vt illum ductaret in terram promissam: aptissimè ergò Caleb, qui à principatu excludebatur, laudibus honorat, & extollit, ne tristetur æqualem feliciorem esse videns. Dignitatem, quam denegat Caleb, laudibus rependit, vt quodammodo æquales in remuneratione euadant, ne benemeritus Caleb dolore tabescat, æqualem aspiciens ad fastigium eleuatum: quia inferiorem se in præmio pari in merito intueri summa infelicitas est.

Num. 14. v. 24.

Oleaster.

675 Pro conseruanda prole, & generis successione hæc extat lex Deuter. 25. v. 5. *Quando habitauerint fratres simul, et vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubat alteri, sed accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* D. Chrysostom. (homil. 49. in Matth.) existimat, hanc legem in fratris mortui solamen à Deo conditore fuisse excogitatam, vt cum aliqua consolatione discederet. *Intolerabilis (inquit) esset luctus, et inextinguibilis defuncto, quando sine liberis secedere videbat, cum liberi tantum maxima mortis consolatio sint.* Quasi liberi à fratre geniti solatium essent defuncti, quandoquidem eius nomen in ipsis conseruari præcipitur. Sed Tertullianus (in Monolog. c. 7.) hanc legem non fauorabilem, sed pœnalem esse autumat: quæritque, cur non extraneus, sed frater deberet esse, qui fratris mortui semen suscitaret, vxorem ducens, quæ defuncti fuit vxor: sibique venustè eo, quo pollebat, acumine respondet: *Maledicti iudicantur, qui non naturæ reatu, sed mortis præuentu orbi decessissent: ideo illis ex suo genere vicaria, et quasi posthuma proles supparabatur.* Quasi dicat: Si mori absque liberis erat maledictio, & infortunium, sicut illos habere summa felicitas, & benedictio, ex vxore fratris defuncti relicta frater illos habeat, vt magis maledictio ingraueſcat, dum pares natura, impares in felicitate apparẽt: quia grauior maledictio, & vltima miseria est, æqualem videre feliciorem.

D. Chrys.

Tertull.

676 Matth. 9. v. 19. Publicani ab Hebræis dicebantur, qui publica pro Principe colligebant vectigalia, auarum hominum genus, & omni odio sum populo; cum Iudæi non suę gentis Regi, sed Romano Imperatori tributa pendere cogerẽtur. Vnde illa orta est quæstio, an liceret tributũ Cæsari dare Marc. 12. v. 14 Publicanos autem pro publicis & perditis peccatoribus habitos fuisse, constat Matth. 19. v. 10. & sæpè alibi. Fuit ergo Matthæus aliquando publicanus, & in telonio sedebat, sed ex publicano Apostolum, & Euangelistam Dei gratia fecit: sic enim narrat ipse cap. 9. v. 9. *Et cum transisset inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine* &c. Quod quidem repetentes Marcus cap. 2. v. 14. & Lucas cap. 5. v. 27. ipsum Matthæum *Leui* appellant: apparet autem

Matth. 9. v. 9. *Marc. 2. v. 14. et Luc. 5. v. 27.*

tem honorificentius fuisse cognomẽ *Leui*, quam nomen Matthæi: numquam tamẽ se Leui, sed semper Matthęum modestiæ & humilitatis causa appellauit, vt obseruauit D. Hieronymus: ipse autem Matthęus suscitationem filię Principis synagogæ narrans cap.9.v.19. inquit. *Et surgens Iesus sequebatur eum, et discipuli eius:* Marcus verò cap.5. v.37. eumdem euentum referens ait: *Non admisit quemquam secum, nisi Petrum, Iacobum, et Ioannem fratrem Iacobi.* Idẽ habet Lucas. Iam ergò quæres; cur si cęteri Euangelistę tres nominatim fuisse electos aduertunt ad videndũ illud miraculum, id tacet Matthęus? Cur qui in alijs euentibus narrandis prolixior fuit reliquis Euangelistis, modò omittit referre, quod alij exprimunt? Auscultа D. Chrysostomũ in cat en. *Marcus quidem, et Lucas dicunt, quoniam tres accepit discipulos, scilicèt Petrum Iacobum, et Ioanẽ; Matthæum autem non assumpsit, ampliorẽ eius concupiscentiam ita mittẽs, et quia imperfectius adhuc dispositas erat: propter hoc enim illos honorat, vt alij similes illis efficiantur.* Qui adeò humilis & modestus erat, vt non se Leui, sed Matthęum semper compellauerit, honorem & excellentiam refugiens, cum alios æquales, & condiscipulos assumptos vidit, & prærilegiatos ad inspiciendum miraculum, tacet, & non illos, sicut cęteri Euangelistæ, nominat, ne sibi affricet dolorem: quia maximus est, æquales ad feliciorem statum eleuari, & ita acerbus, vt modestissimus & humillimus Euangelista illum vincere non audeat, & recuset sibi illum infigere.

D.Hier. Matth.9. v.19.

Marc.5. v.37.

D.Chrys.

677 Post glorioſum à funere triumphũ apparuit Christus Dominus discipulis suis, absente Thoma, ipsisque plagas ostendit, & mysteria cœlestia reuelauit. Adest posteà Thomas, cui referunt vidisse Magistrum: at ille eorum dictis discredens: *Nisi videro, inquit, fixuram clauorum, non credã.* Ioann.20. Et cur Thomas discipulorum testimonio fidem non adhibet, quos in veritate probatos habebat? Cur apparuisse Magistrum non sibi persuadet, cum euidentia in attestãtibus? Auscultа Ioannem: *Thomas autem cum audisset, à condiscipulis suis* &c. vbi pulchrè Gualfridus in libr. Allegoriar. *Ex quanta credimus æmulatione illam prorupitin vocem: Nisi videro, non credam.* Fauorem suis cõ discipulis exhibitũ negat Thomas, ne æqualibus maiorem felicitatem fateatur. Mauult incredulus videri, & pertinax, quam in fortuna inferior, ne super inæqualitate fauoris sibi dolorem excitet inde proueniẽtem, quia fortunę inęqualitas maximè torquet candidatos. Hinc sicu fructibus viduato, & vinea, & oliua, & arua sterilescunt in nostro Vate, quia natura pares, par est, vt fortuna pares faciat. *Ficus enim non florebit, et nũ erit germen in vineis. Mentietur opus oliuæ, et arua non afferent cibum.* Hic v.17.

Ioann.20 v.25.

Gualfrid.

ANNOT. C.L.XV. MORALIS.

QVI CADENDI OCCASIONEM non aufugit, etsi non cadat, cecidisse videtur.

RES periculosa est inimici consortium. Occasio proxima sic crimina suggerit, vt pro crimine habeatur. Vnde dicebat Bernard. libr.4. ad Eugen. *Nec tuta tibi ita bonitas obsessa malis, quam sanitas vicino serpente.* Serpit enim in proximos occasionis virus, & ignem nõ refugiens, quamuis illęsus euadat, creditur exustus. Reus facti reputatur, qui à periculo faciendi non abstinet. Inter alios, quos Virgilius apud inferos depinxit, illi sunt, qui ad mortem fuerunt damnati ob falsum testimonium illis impositum.

678

Bernard.

Hos iusta falso damnati crimine mortis.

Virgilius.

AEnead.6. Mirum quod inter damnatos numeret illos, qui propter falsam impostu ram condemnati sunt, & quod boni cum essent, tanquam mali puniantur; cum potius qui falsum

sum imposuere testimonium, ibi deberent cruciari. Qui innocētes sunt, cur propter falsa crimina ibi detruduntur? At preclare Poeta hos apud inferos vidisse ait: quia tametsi boni essent, cum occasionem prębuissent, vt pro malis haberentur, bonorum merita amiserunt: qui enim periculum non vitat, qui peccator potest iudicari, peccati non est expers, & occasioni proximus dignus est, vt apud inferos torqueatur. Ob suspicionem adulterij nobilissimam vxorem Pompeiam repudiauit Cęsar, & cum adulterium probare non posset, quęrentibus causam repudij respōdit apud Plutharcum in eius vita *Domum meam volo et suspicione carere.* Ne malus reputetur Christianus, pericula quęque declinare debet, quia nulla maior est impudentia, quam bonū esse, & ita viuere, vt ipse sibi falsa imponat testimonia: qui enim eorum motiua non amputat, sibi imponit, & occasioni proximus reus reputatur. Cum Moyse in monte cum Deo moram faciente, legisque tabulas illius digito scriptas recipiente, Aaron vitulum populo adorandum proponeret, admonitus à Deo Moyses de populi idololatria, statim de monte descendens, cum castris appropinquaret, *Vidit vitulum, et choros: iratusque valdè proiecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis.* Exod. 32. v. 19. Mirabile est, quod vir mitissimus, & qui modo in monte in Dei colloquio profundam sufferendi ebiberat disciplinam, ad tantam se se excitauerit iram, vt Dei tabulas, quas vix acceperat, & reuerenter tractare debebat, confringat, lacerasque ad rādicem montis spargat. Præstaret eas incolumes seruare, vt ipsarum monitis populum repararet illapsum. Cur ad populi contra Dei tumultuantis conspectum legis tabulas confregit? Optimè Philo Iudæus lib. de temulentia. *Omnis, qui castris propinquat, vitulum videt, et choreas, et mox ipse quoque commouetur: in typum enim, eiusque sectatores incidimus, quotquot propè corporea castra volumus gradum sistere.* Quasi dicat: Qui propè peccantes moratur, necesse est, vt tabulas legis Dei frangat: propinquitas enim ad idolatram populum Moysem impulit, vt tabulas legis laceraret: quia vicina ex aduerso peccandi occasio sic hominum corda inclinat ad flagitium, vt idem sit in periculo esse frangendi legem, ac eam fregisse: crimina inspicere, ac ea perpetrasse. Vndè loquens Christus Dominus cum discipulis suis de futuro Antichristo Matth. 24. vers. 26. dicebat: *Si dixerint vobis, ecce in deserto, nolite exire.* Cur non consulit, vt exeant, ac ipsi discredant? Nonne hoc maioris virtutis, constantię, atq; fortitudinis erat argumentum? Quia profecto si exeant, ac propè accedāt, decipientur: propè fraudem, & signa ab Antichristo patranda existere, decipi est. Noluit ergo suos huic periculo exponi, quia certò sciebat casuros, si proximi essent casui: nec solum cadendi occasionem præscindere satagit, sed illius memoriam penitus abolere, ne eius recordatio fomes sit ad peccatum.

Plutharc. Exod. 32. v. 19. Philo. Matth. 24 v. 26.

679

Oseę 2 v. 16. Omnem populi idololatriam extirpare intendēs, dicebat: *In die illa vocabit me vir meus, et non vocabit vltra Israel. Et auferam nomina Baalim de ore eius, et non recordabitur vltra nominis eorum.* Quorsum hæc profanorum numinum extirpatio, vt nomina etiam eorum obliterentur? Sufficeret idola conterere, & simulacra abdicare. Ad quid eorum nomina delentur? Fortè nomen adorationis est capax, aut vir, quem adamauit, quod vtrumque Israel penitus aboleri conspexit? Rectè Hieronymus causam indigirat. *Ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, et virum nominans idolum cogitet.* Deo iam sacri, & ad meliorem frugem redacti omnia veteris vitę monimenta debent delere ita, vt nec vestigium, neque nomen præteriti periculi remaneat: ne leuis scintillula ignis iam extincti occasio sit ad conflagrandum, nec recordari libet eorum, quę semel offendicula fuere.

Osea 2. v. 16. Hieron.

fuere. Vnde sacrificaturus in Bethel sanctus Iacob, vt antiquæ superstitionis obliteraret vestigia, simulacra, & eorum ornamenta ab omnium oculis subtrahere curauit, Genes. 35. v. 4.

Genes. 35. v. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, et inaures, quæ erant in auribus eorum, ac ille infodit ea sub terebinthum.* Cur idola, eorumque xenia, vt planè populus ab idololatria mundaretur, sub terrâ abscõdit? D. Ambrosius in Exod. *Vt nullus auditet superstitionem Gentilium.* Non solùm idololatriam, sed & periculũ, quod in auditu, & visu simulacrorũ erat, prudenter vitare satagit: quia probè sciebat Iacob, cum quanto discrimine antiqui lapsus memorentur notæ. Zelo inardescens sollicitè procurat pericula idololatriæ impossibilia reddere, recondens simulacra, vt nequeant ad idololatriam redire, Dei doctrina eruditus, qui vsq; adeò timet suos in periculo constitui, vt miracula patret, quibus occasiones præscindat.

D. Ambr.

680 Grauis inter Expositores versatur difficultas circà contritionem aurei vituli, vt scelus idololatriæ à populo auferretur, quam refert textus sacer Exod. 32. v. 20. *Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, et contriuit vsque ad puluerem.* Nam aureus vitulus, qualis ille erat, comburi nequibat, quandoquidem aurum in igne non comburitur, sed liquefit, & expurgatur. Abulensis, quem fere omnes sequuntur, existimat, Deum miraculosè vitulum aureum in igne cõbussisse, ita vt non liquefieret, sed in cinerem conuerteretur, & puluerẽ. Verum eximde non minor insurgit difficultas: nam miracula sinè necessitate, & graui vrgente motiuo non sunt patranda. Quid igitur Deum adegit, vt miraculosè vitulum aureũ in puluerem redigeret? Sufficeret enim, vt populus non vltra ipsum adoraret, malleo conterere, aut fusorio opere illum conflare, & in aliam transmutare formam. At hic energia imminentis periculi latet: non enim sat videbatur, vt populus ab impio cultu abstineret, vitulum deformare, lacerum & confractum ostendere: nam in illius particulis adhuc erat periculum relabendi: eas aspicientes Hebræi facilè impellerentur ad cultum. Vt igitur omnis reincidendi præscinderetur occasio, sedulò procurabat Moyses impossibilem reddere occasionem: ad idque adiutricem habuit omnipotentiam diuinã, quæ miraculum efficere non recusauit, aurum in cineres medio igne redigens, quatenus impossibilem redderet populi relapsum. Tanta enim 681
ineſt vis occasionibus, vt nisi Deus miraculosè accurrat, impossibile appareat ab eis emergere. Quod agnoscens Propheta veloces pedes, quales habent cerui, habere lætatur, quibus occasiones, & pericula fugiat. *Et ponet pedes meos, quasi cerui-* *Plinius.*
rum. Hic v. 19. Quia vt inquit Plinius lib. 8. cap. 32. *Cerui mira solertia pericula vitant, et cum ea approximare sentiunt, quantum pedibus contendere valent, aufugiunt. Vbi se præpingues sensere, latebras quærunt, fatentes incommodum, pondus, et alia. Semper in fuga quiescunt, stantes respiciunt, cum propè ventum est, rursus fugæ præsidia repetentes.*

ANNOT. C.L.XVI. MORALIS.

SIC CADENDI OCCASIONEM pertimescere debemus, vt et impossibilem caueamus.

IN periculo nemo tutus reputatur: neque cadere formidat, qui offendicula non timet. Qui non se ab occasionibus labendi subducit, præcipitijs adulatur. Natura nostra prona est ad malum, neque impulsu indiget, vt ruat. quare ab occasione cadendi studiosè fugiendum est. In hac pugna inter carnem & spiritum non decertando, sed fugiendo victoria reportatur: nam qui de se confidit, sæpè labitur. Nullum inimicum, etsi imbecillis sit, paruipendere expedit, quamuis nocere non posse videatur: nam quod proprio robore non obti-

obtinet, nostra confidentia assequetur. Leuis contempta occasio potentiorem exarmat. Nihil est, quod non sit cauendum; & non solum à periculo est declinandum, sed ab occasione remotissima, imo impossibili fugiendum. Neque hæc cautela hyperbolica videatur: nam quæ olim fuit occasio peccandi, etsi iam non sit, illius recordatio maximè lædit: ideoque ab illa recedendum est, ne cogitatione vincat, quem realitate non valet.

682 Christi miraculis deuictus quidã adolescens eum sequi, & sectatorem eius doctrinę esse pollicetur, quem cum Magister inter suos annumerasset, & ille posteà deprecaretur, vt sibi liceret patrem suum sepelire, egre auditur, & quod mortuos deserelinquat mortuos sepelire præcipitur. *Luc. 9. v. 60.* *Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixit ei Iesus: Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* Lucæ 9. v. 60. Quę quidem responsio, nisi Euangelistæ testimonio fulciretur, Saluatore videbatur indigna, & extra omnem spem: nam cum ex vna parte ipse Dominus inter misericordiæ opera mortuos sepelire, & eorũ cadauera humare memorasset; & ex alia naturali debito parentum filij sint deuincti obsequio: non credibile apparebat, quod Christus Dominus adolescentis orationem repelleret, & illi opus & ab ipso, & à natura præceptum prohibuisset: maximè cum & ipse Dominus in huiusmodi opus sic gratum se ostenderit, vt Magdalenã magnopere extulerit, & immortali fama remuneraret, quia eius corpus pręuenit vngere ad sepulchrũ. Cur igitur modo cum adolescentem pręparatum vidit, vt pręceptum charitatis in patrem adimpleat, eum à tali reuocat proposito, & patrem sepelire non sinit? Chrysologus ser. 19. difficultatem attigit, & Christi nomine ad obiecta respondit. *Chrysol.* *Filius fidei ad domum perfidiæ redire non debuit.* Quasi diceret: Qui semel à perfidia, & gentilitate ad fidem Christi transiuit, ad domum in qua fuit educatus, & Ethnicis erroribus eruditus, redire, non expedit, ne relapsus ad pristinam cęcitatem trahatur, & patrem videre, à quo fuit edoctus, occasio sit reincidendi. At hæc ratio nõ satisfacit: nam quam occasionem Christus veretur, vt ab ea adolescentem auertere procuret? Pater enim, quem cauet, & qui filium in pristinis erroribus poterat instruere, mortuus supponitur. Cur igitur cautioni inutili filio patrem humare inhibet? Sane, vt eius saluti consulat, & nos eruditat: licet enim de morte patris cõstaret, & per consequens periculum relabendi abesset; tamen domum redire prohibet, vt ab occasione reincidendi etiam impossibili adolescentẽ auertat: ne dũ paternum cadauer cõtrectat, & aspicit, primi cultus recordetur, & ab illius memoria vincatur. Propter quod *filius fidei ad domum perfidiæ redire non debuit.* Et vt nos cautè viuamus, & periculum non modo imminens, sed impossibile declinemus. Audito nuntio, qui tragicã fortunam his verbis nuntiabat Iob: *Filijs tuis et filiabus vescentibus, et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit è regione deserti, et cõcussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt.* cap. 1. v. 29. Magna tolerantia sustinuit, & de salute spirituali filiorum sollicitus (ait D. Chrysostomus hom. 1. de Iob) ruinam domus adit, vt filiorum corpora exhumaret. *Iob. 1. v. 19.* *D. Chrys.* *Circumfodit, et quæ fuit liberorum membra.* Mira pietas in liberos inter tot strages & ruinas cadauera diligenter inquirere. Et ad quid vir sanctissimus tam sollicitè filiorum ossa detegere procurat? Fortè vt exequias funerales, preces, & sacrificia super ea fundat. At nõ ita, ait Chrysostomus, sed vt membra fœminea lacerata à masculinis discernat, ne mista permaneant. *Discernit liberorum membra, cauens ne fortè masculinis membris fœminea coniungat.* Magno studio, ac diligenti cura membra confracta minutim examinat, & distinguit *Chrys.*

guit virorum, ac fœminarum, vt ea in tumulo seorsim colloceet: quasi periculum commistionis vtriusque sexus esset veritus. At huiusmodi cautela superflua videtur: quia contactus frigidorum cadauerum nullam libidinis scintillulam excitare valet. Quid igitur, quod permista remaneant, cum leuis affectus, & gelidus attactus nullum periculum minetur, & occasio, quam cauet, funere impossibilis reddatur? Tamen etsi hæc ita sint, solertia tanto viro digna in hoc facto apparet: nam quanuis mortis periculum præscindatur, & cadaueribus immistis nullus fomes peccati remaneat; adhùc fœminea mẽbra à masculinis disiungit, & cauet, ne in sepulchro tangantur, vt ab occasione etiam impossibili declinet, & periculum non futurum effugiat. *Discernit liberorum membra, cauens, ne fortè masculinis membris fœminea cõiungat.* Sic semper bene morati viri commercium Maris & Fœminę suspectum habuere, vt magno interuallo illud effugiant, & etiam cum tuti consistunt, se non tutos vereãtur. Sic cadendi periculum formidabile est, vt etiam cum abest, metum incutiat, & cautelam armet: quare quæ semel fuit periclitandi occasio, semper debet esse suspecta, etsi aliàs impossibilis reddatur, eamque aufugere prodest, ne lacessere videamur.

683 Fugiens Herodis iras exulabat Ioseph cũ puerulo Iesu in AEgypto: Herode verò iam vita functo, Angelus admonuit Ioseph, vt in patriũ solum rediret. *Ecce Angelus Dñi apparuit in somnis Ioseph in AEgypto dicẽs: Surge, et accipe puerum, et Matrẽ eius, et vade in terrã Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animã pueri.* Matth. 2. v. 19. & 20. Qui cum iter faceret, vt Angeli monitis obtemperaret, audiens, quod Archelaus Herodis filius pro eo regnaret, in Iudæam inter contorquet, & ad Galilæam pergit, timens, quod patris iras hereditauerit. *Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire.* Ibid. vers. 22. At quid timet Ioseph, cum ab Angelo acceperit præceptum, vt ad Israel remigraret? Qui ei exitum ab AEgypto, & ingressum in Iudęam consulit, de sua indemnitate non erit sollicitus? Fortè dubitat de Angeli veritate, & se deceptum credit? Augustinus de controuersia Euangelistarum difficultatem mouet, & dum varie eam discurrit, tandem concludit. *Vade in terram Israel: sic intellectum primò à Ioseph, vt putaret rectius esse pergere in Iudæam, ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israel. Postquam verò comperit ibi regnare Archelaum, noluit obijcere se periculo.* Augusti. Quę sententia parum tuta videtur: nam quo pacto Angelus Iosepho securitatem polliceretur, si postea Ioseph periculo se exponi formidabat? Aut enim Ioseph de Angeli reuelatione dubitabat; aut mortis formidini non subiacebat: nam Dei reuelatio cum timore de oppositio stare non potest. Sed si Augustini mentem intimius penetremus, facilè percipitur, huiusmodi periculum non ex parte rei, sed ex sancta Ioseph sagacitate oriri: Israel enim locus erat Iosepho suspectus, vnde periculum euaserat imminens, cũ aufugit in AEgyptum: igitur quãuis munitus Dei auxilio & promissione, reditus in terrã illam securus sit, & à suspicione alienus; tamẽ vir sanctus Iudęã adire recusat, quasi adhùc sibi nõ tuta esset: licet enim periculũ Dei reuelatione redderetur impossibile, *Noluit obijcere se periculo* etiã impossibili, & à loco sibi aliquãdo periculoso se subducit, atq; ab occasione olim imminẽte recedit, ne eam quęrere videatur.

684 Populus in vasta deserti solitudine ambulãs ducẽ habuit colãnã nubis: ad cuius motum mouebatur, & sub cuius protectione & vmbraculo securus incedebat: cũ autẽ Deus iter retorquere voluisset, dixit eis Num. 14. *Cras mouete castra vestra, et reuertimini in solitudinẽ per viã maris Rubri.* Abulensis ad hũc locũ quæstionẽ excitat, cur Dominus hic populo

Matth. 2. v. 19.

Num. 14. v. 25.

retrocedere præceperit, cum semper ad motum columnæ mouerentur, & eam dirigere versus AEgyptũ sat esset, vt illuc iter facerent, quin Dei præcepto indigerent: maxime cũ vsque tunc nullã populi inobedientiã fuerit expertus, & nubẽ dirigentẽ læto animo sit insecutus. Si colũna adhuc eos conducit, & eius vestigijs libenter adhærent; quare Deus illos alloquitur, & viam sequenti die peragendam demonstratẽ? Iudicioſe Abulensis (quæst. 47. in Num.) dubitationi satisfacit. *Consueuerant Israelitæ ante hoc procedere versus terram Chanaam; nunc verò nubes egressura erat versus mare Rubrum: et ideò admirarentur Israelitæ, et fortè non sequerẽtur eam: vt ergò eam crederent motam Dei voluntate, Deus dixit, quod mouerent castra versus mare Rubrum.* Abulenſ. Ac si diceret: AEgyptus, ad quam modo præcipit Deus populum ambulare, occasio fuit ipsi exitialis, nam ibi miseram seruitutem, & calamitatem fuerat expertus: & sic ægrè ferebat populus ad occasionem periculi redire, vt si nubes tantũ eos dirigeret, ire recusarent; ideoq; verbo eos conducere fuit recesse: nam etsi ducti colũna nubis eos protegentis, & Dei vicariæ tuti viderentur, & à periculo immunes; tamen periculi occasionẽ adhùc timent: & licèt sub manu potenti periclitãdi occasio sit impossibilis, adhùc nocumentũ non futurum formidant, ab illiusq; approximatione recedũt, vt tutius suæ indemnitati consulant.

ANNOT. C. L. XVII. MORALIS.

POSSE, ET NOLLE VINDICTAM sumere, potẽtiæ ac nobilitatis est apex.

685 QVIA seruorum pedes se habere agnoscit Prophera, ad cœlũ scandere inoffenso pede sibi pollicetur. Hieron. *Et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor.* Hic v. 19. Nam vt aduertit Hieronymus, ceruus quauis cornua habeat sublimia, quibus serpentes, cũ quibus inimicitias gerit, vulneret, non eis vtitur, sed odore suauissimo fugat. *Quia ipse est ceruus, mihi quoquè docuit, vt ceruus essem sublimis cornibus, cibos ruminans, et ad odorem meum serpentes fugans, de quo dicitur in Psalm. 17. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, et super excelsa ponet me. Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos suos, et ad cœlestia perducet me, vt inter Angelos canam gloriam Domini.* Non armis vtitur ad debellandos hostes, sed aut eos odore fugat, aut ab eis fugiens ad excelsa montium incolumis euadit. Sic, inquam, Christianus, qui viribus poller, vt vindictam de iniurijs sibi irrogatis sumat, & eam remittit, ad cœlum per viam regiam scandit: nam vt dixit Auguſt. tract. 47. in Ioan. *A potentia discimus patientiam.* Potentiæ insigne est, posse, & nolle vindictam sumere. Auguſt. Et tantum ille Principis meretur laudem, qui iniurias liberaliter condonat. Vnde dixit Petrus Damian. serm. 44. *Potestati cedit in gloriam, iniurias vlcisci nolle, cum possit.* Petr. Damianus. Huiusmodi autem homines, qui ceruos imitantur, occasionem vltionis fugientes, aquilæ generositatem æmulari videntur. Hęc enim (vt testatur Pierius libr. 10.) conuitiorum est contemptrix: vndè nonnulli aquilam statu immobili insidentem, nulla pennarum asperitate terribilem, aut hiatu rostri minacem figurant, & iuxta eam cornicem sub stituunt, eo gestu, vt & lacessere, & conuitia facere videatur: quo hyerogliphico conuitiorũ contemptorẽ referre volũt: cornix enim solet aquilam lacessere, & in certamen quodã modo prouocare; illa vero non plus cornicis conuitia, & importunitatẽ facit, quã elephas culicẽ: quia regalis ac generosi animi est ad iniurias silere: imo & magis egregiũ fugere, vt ceruus cornibus sublimis, qui ad parui canis latratũ in montana excelsa cõscendit. Sic ille alter Imperator, vt suam potentiam maximè cõmẽdaret, decreuit quascumq; iniurias sibi illatas remittere, & offensiones murmurantiũ subditorũ condonare, vt habetur leg. vnic. *Si quis Imperatori male-*

maledixerit. Quoniam si id, inquit, *ex lenitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum.* Vincere enim inimicum, & iniurias iniurijs commutare indecorum est, vt dicebat Seneca libr. 2. de ira cap. 23. *Non enim, vt beneficijs honestum est, merita meritis repensare: ita iniurias iniurijs. Illic vinci turpe est; hic vincere. Inhumanum verbum est, et quidem pro iusto receptum Vltio.* Inquam quidem sententiam latè se diffundit, & pulchrè cap. 32. eiusdem libri. *Magni animi est iniurias despicere* &c. *Ille magnus, et nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit* &c. *Magna fera minutorum canum latratus despicit. Sic magnus vir hominum iniurias contemnit.* Et D. Chrysost. homil. 85. præclarum triumphum reputat, quem patientia iniurias sufferendo reportat. *Illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superamus.*

Seneca.

D. Chrys.

686 Cauens cum filio manus in prælio conserere, fugam arripit Dauid lib. 2. Reg. cap. 15. sic enim aiebat ad commilitones suos. *Surgite, fugiamus hîc: nec enim erit nobis effugium à facie Absalon.* D. Chrysostom. super Psal. 3. expendens titulos quorumdam psalmorum, quorum vnus est *Psalmus, cum fugeret à facie Saul*, & alter *Cum fugeret à facie Absalon*; miratus inquit: *Nemo autem fugientem, eiusque, qui bellum non gessit, descripsit imaginem, vt nunc Dauid. Et quando laude dignus habitus est, qui fugit?* Cur ergò Rex bene fortunatus, numerosa manu cinctus, qui secum duces habebat fortissimos, non se Absaloni perfidę rebellionis authori ex aduerso opponit, cum facillimè debellare posset tyronem; sed fugam æternare vult, cum cęteri duces trophæa suis factis erigant, & ęgre ferant, veluti indecoram eorum fugam à memoria non excidere? Audi Chrys. vbi supra. *Fugiebat Dauid, non vt qui timeret, sed vt qui filiũ caueret occidi.* Et D. Ambros. in apolog. 1. pro Dauide c. 9. *Cedebat*, inquit, *pater eius furori, et locum prælij declinabat, vt vel sic impius à furore respiscceret.* Posse nãq; & nolle vindictã sumere, regium sane est: nec probrum, sed gloria debet reputari fuga in eo, qui iniurias prosequi valet: nam à charitate ergà proximos vinci egregia laus est. Vnde D. Ambros. (super Psal. 37.) elegan ter de eadem fuga locutus dicebat: *Patriæ finibus pulsus à filio fugiebat, hostẽ, quẽ optabat heredẽ, metuebat vincere, ne pietatis dispendio vinceretur.* Eodem animo, persępe Dauid fugiebat Saulem, quem absque periculo potuit occidere, quia inimicis parcere regię dignitatis elogiũ est. Videat hostis armatam manũ, & potentem ipsum profligare, quod in maiestatis authoritatẽ redundat: at non videat inflictum vulnus, quod maximè ipsam deuenũstat.

2. Reg. 15 v. 14.

D. Chrys.

Chrysost.

D. Ambr.

D. Ambr.

Id præcipuè intendebat Christus Dominus (Luc. 22. v. 36.) vbi discipulis suggerebat, vt tunica vendita gladios emerent. *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Diu. Ambros. lib. 10. in Luc. sic Dominum scisciatur. *O Domine, cur emere me iubes gladium, quo ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quẽ vetas promi? Nisi fortè vt sit parata defensio, nõ vltio necessaria, et videant potuisse vindicare, sed noluisse.* Succinit Hugo Cardinalis. *Factũ est id, vt appareret nõ defuisse eis facultatẽ defensionis, sed patiẽtiam prætulisse.* Vndè id quod præcepit, passionis tempore Petrum exercere cõpulit, præcipiens, vt gladium mitteret in vaginam Ioan. 18. vers. 11. *Mitte gladium tuum in vaginã.* Frustra gladium emere, & illum secum portare iubet, qui cũ instat iuxta defensio, illum retrahere cogit. At hęc Christi erat œconomia: adsit gladius, sed in vagina sit: appareat, quod vindictã sumere omittimus, nõ propter armorũ & potẽtiæ defectũ, sed ob patientiã christianã, quę vltioni pręponẽda est: hoc enim glorioſũ, & regiũ fideliũ stẽma est. Id ipsũ persuadet, quod Christus Dominus, postquam Petrũ reprehẽdit, eo quod auriculã

687

Luc. 22. v. 36.

D. Ambr.

Ioann. 18 v. 11.

amputauit ſeruì Principis ſacerdotum, qui cum alijs ſatellitibus ad comprehendendum ipſum venerat, dixit Petro: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. v. 52. Aduerbium *modo*, quod magnam energiam continet (vt adnotauit hic Caietanus) in Græco iungitur cum prima orationis particula, non cum ſecunda, ita vt legendum ſit: *An putas, quia non poſſum modo rogare Patrem meum, et exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Verum ad quid tunc, maximè cum plurimas iniurias patiebatur, & ſub inimicorum erat manu, potentiam manifeſtat, & gloriatur poſſe de inimicis, inuocato paterno auxilio, vindictam ſumere? Audi Caietanum. *Significauit per hæc, quod modo, hora, ac tempore paſſionis non minuitur facultas mea, ſed quidquid hactenus potui, poſſum, ita quod non ex impotentia patior.* Hoc namque Dei, ac filiorum eius ingenium eſt, quod maximè nobilitatem eorum commendat, poſſe vindictam ſumere, & omittere, non in vltione, ſed in venia potentiam oſtendere. Vnde dixit Tertullianus libr. de patientia: *Summum Chriſtianæ fidei ſacramentum charitas ſcholis ac diſciplinis patientiæ eruditur.* Hoc vnum fidei Chriſtianæ ſacramentum eſt, ſummaque cęterorum, iniurias ęquo animo ſuſtinere: quod ipſe Dominus altè docuit, vt nos ad honoris & fortitudinis faſtigium eleuaret, vt rectè adnotauit Rabbanus Maurus. *Oportuit, vt Author gratiæ fideles patientiã ſuo doceret exemplo, et potius ad ſuſtinendum aduerſa fortiter inſtrueret, quam ad vindicandum prouocaret.* Ideoque Chriſtus Dominus, cum magis ab inimicis conuitijs impetitur, pluſquam duodecim legiones Angelorum ſibi pręſtò adeſſe manifeſtat ad vindictam; vt oſtendat, ſe non ex impotentia, ſed ex fortitudine iniurias tolerare. Legio quælibet ſex mille ſexcentos ſexaginta ſex continet; vnde duodecim legiones conficiunt pluſquam ſeptuaginta duo mille, quibus omnium gentium lingua exprimitur: quod expendens Gloſſa ait: *Innuit autem non eſſe verendum, ſi contra Ieſum omnes nationes inſurgant; cum multo fortiores ipſe habeat exercitus Angelorum.* Suæ fortitudinis ac potentiæ oſtentationem fecit, vbi magis laceſſitur, vt innuat, nullã omnium inimicorum ſuorum eſſe potentiam, etſi totus mundus contra ipſum inſurgat, reſpectiuè ad eam, quam ipſe habet, atque tunc pręcipuè manifeſtari, cum loco vindictæ indulgentiam iniuriarum largitur. Quia nihil eſt tam egregium ac poſſe, & nolle iniurias proſequi. Vnde Valerius Maximus pulchrè Quintũ Criſpinum inducit cum Blado Campano colloquentem, quem in ſingulari vicerat duello. *Aliam*, inquit, *quæ te occidat, dexteram quære, quoniam mea te ſeruare didicit. Nam generoſũ planè et diuinum eſt, ſuperabili inimico parcere.* Hic enim toto aberrant cœlo, qui ſe degeneres exiſtimant, cũ ab iniurijs ſibi illatis non ſe vindicant: nam hoc ipſo nobiliores redduntur, vtpotè qui patientia, quæ Dei virtus propria eſt, nobilitantur. Sic Oleaſter exiſtimauit, Moyſem Deum Pharaonis conſtitui, Exod. 7. v. 1. *Vt non ſtatim Pharaonem occideret, ſed patiẽtia quaſi Dei tulerit, et admonuerit.* Itaque Deus Moyſem vicarium ſuæ patientiæ conſtituit, vt malum hominẽ offenſus ſuſtineret, & vt Deus patiẽs non occideret. Ideoq; Moyſes Deus dicitur, quia Dei patientia ad ſuffe-rendos hoſtes prędituſ fuit. Vndè Tertullianus lib. de patientia, ex ea, qua Chriſtus Dominus tot iniurias pertulit, eius diuinitatem comprobari aſſerit: ſic enim ad Phariſæos loquitur. *Hinc vel maximè Phariſæi Dñm agnoſcere debuiſtis: patientiã hu iuſmodi nemo hominum perpetraret.* Eſt enim illa pluſquam humana virtus, nobiliſſimamque indolem oſtendit. Quod arcanè ſignificauit Deus Iſaiæ cap. 48. populo Iſraelitico ſuggerens præceptorũ obſeruantiam. *Vtinam attendiſſes mandata mea;*

Matth. 26 v. 53.

Caietan.

Caietan.

Tertull.

Rabban. Maurus.

Gloſſa.

Valerius Maxim.

Oleaſter.

Exod. 7. v. 1.

Tertull.

Iſaiæ 48. v. 18.

mea : facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris. Quid, quęres, cõmune habent pax & iustitia cũ rapidis fluminibus, & agitato mari, vt ipsis conferantur? Velocius quacũq; re trãsit vnda: pax ergò adeò inconstans, quę pax erit? Quid vndis est mobilius, quas cõmouet tẽpestas? Quę igitur iustitia ista est, quã promittit Deus ijs, qui eius mandata seruant, quãque maximã, & plenissimam vocat? Etenim vt flumina, quo magis pluit, & longior est hiems, magisq; nubes cuspidibus quatiũtur, eo magis crescunt fluẽta; & quantò maria magis ventis quatiuntur, magis extolluntur vndę: sic quò magis Christiani feruntur iniurijs, si Dei legem obseruare intendunt, non solũ non deprimuntur, sed eorũ patientia, & pax cum inimicis inita magis eos extollit, & ad cęlos vsque euehit & exaltat, eorum excellentiam & nobilitatem commendans.

ANOT. C.L.XVIII. MORALIS.

PARCENDVM INIMICIS, SED eis non fidendum.

688 SI in minutissima frustra scĩdatur Adamas, totum perdit valorem. Semel fractus ensis non solidatur. Sic violata semel amicitia numquam ad pristinam integritatem reducitur: nam qui semel offendit, semper odit, vt dicebat Tacitus in vita Agricolę. *Proprium humani ingenij est odisse, quem læseris.* In offensore diffidentia, & in offenso lęsionis cicatrix semper manent, & illa odium gignit, ista verò euomit sanguinem, vbi opportuna se offert occasio. Vnde sapienter consulebat Seneca. *Nunquã fidelem credas eum tibi, quem ex inimico amicum habueris.* Quod si reconciliato amico fidendum non est; quomodo ab aperto inimico non erit cauendum? Rectè monebat Chrysostomus. *Inimici diligendi, sed cauendi.* Solerter vbi periculum semel imminet, etsi defecisse videatur, timendum est. Sic refert Plinius (lib. 8. cap. 28.) vulpes in Thracia antequam loca rigentia, amnes, & lacus transeant, aurem ad glaciem prius apponere, vt coniectent gelu crassitudinem, & agnoscant, an queant supra ipsum adire securæ, prudenti diffidentia nos instruentes hostium cauere pericula, neque à nobis fidem ipsis esse adhibendam, antequam exploratas habeamus eorum latententes fraudes, aut animi sinceritatem: nam sœpe ab specie amica damna lęthalia proueniunt. Qui reconciliatę fidit amicitię, sępè se deceptum reperiet: nam aduersa aura, & contraria fortuna adueniente, iterum deficiet. Solidata concordia vas æneum refert, quod hodiè splendet, & cras rubigine tegitur. Ideò Christus Dominus diligere inimicos præcepit, non ipsis fidere, voluntatem & amorem prębere ipsis, non intellectum. Nec modo inimicos cauere licet, sed nimiam erga amicos confidentiam reprehendit Sapiens Prob. 6. vers. 1. *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus proprijs sermonibus.*

Tacitus.

Seneca.

Chrysost.

689 In secunda fortuna aduersam expedit timere, & contra ipsam prudenter armari, vt monebat Ecclesiastes cap. 3. *Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi.* At erit ne tempus colligendi lapides, vbi imminet iam periculum? Vbi hostis adoritur, & aperto Marte bellum aggreditur? Vbi instat iam certamen? Non inquam: sed antequam arma admoueat aduersarius, quando omnia sunt tranquilla & quieta; ne confidentia improuida inimicum armet, qui ex inexpectato feriat. Audi D. Gregorium Nissenum ad prędicta verba homil. 8. in Ecclesiastem. *Est autem omnino intelligendum, quod quæ vitium perimunt cogitationes, hæ sunt lapides, qui ab Ecclesiaste funda rectè iaciuntur, quod semper mitti, et colligi mitti quidem ad eum euertendum, qui contra vitam nostram erigitur; colli-*

Ecclesias. c. 3. v. 5.

D. Greg. Nissen.

colligi autem ad hoc vt animæ nostræ sinus plenus sit ijs præparatis, vt ad manus sit, quod iaci possit in aduersarium, si quando nobis fuerit insidiatus. Prudens semper erit de inimico diffidentia, & ille ex templo illius cautela non opprimetur, qui prouidè lapides colligit, quibus se ab illius cautela defendat: numquam enim tutũ erit inermi manu manus cum inimico reconciliato conserere: Nam ęuior plaga ab amica manu infligitur. Lucæ 26. accedit proditor discipulus, vt Iesum traderet ministris; ille autem in mansuetudine cum simulato hoste perseuerans sic ipsum beneuole affatur: *Amice ad quid venisti?* Quid? Adhuc Christus subdoli collegæ nequitiam occultare prætendit, quod nefarij facti authorem amicũ compellat, quasi culpæ exors in illo esset? Scire proditionem dissimulat, vbi iam omnibus innotescit? Non inquam: *Immo videtur Christus his verbis declarare, scire se quorsum venerit Iudas*, ait hic Maldonatus. Verum vnde id colligit locuples Commentator? Nam verba beneuolum erga discipulum Christi animum demonstrant, dum amicus compellatur. Præstaret inimicum vocare, vt omnibus testimonio Magistri pateret detestabile proditionis facinus ab ingratissimo discipulo perpetratum, si animus erat illud prodere. Nec est cur ad ironiam recurramus, & per antinomiam dicatur amicus, qui in ipso facto inimicus deprehenditur: nam rerum constitutio, quę tunc aderat, non patiebatur lepidam loquendi methodum. Vnde ergò ludę prauitas ex amici vocabulo detegitur? Enimuero ex ipsomet amici insidiantis nomine summa proditoris nequitia deprehenditur. Nec solet, nec potest, qui aperte inimicus est, tam lethalia damna inferre, ac simulatus hostis sub amici specie. Igitur vt Christus Dominus exaggeraret quã immmane facinus Iudas patrauerat, in ipso facto amicum compellat, quo *videtur declarare se scire quorsum venerit Iudas*. Amicum proditorem vocat *Amice ad quid venisti?* Quasi dicat: Crimen, quod moliris, adeo execrabile est, vt videatur non palam sęuientis inimici, sed simulati amici. Vt scias me tuæ fraudulentæ artis machinamenta penetrare, & nõ ex inopinato, sed vltroneè prodi, amicum voco inimicum agnoscens, quo nihil deterius excogitari potest.

1. Reg. 24. v. 23. vix Dauid oram chlamydis, quam præsciderat à vestimento Saul in spelunca, ipsi ostendit, conuictusque Rex Dauidis beneuolentia filium nuncupauit, ploransque dixit, Dauid iustiorem se esse, regnoque digniorem, cum addit textus: *Dauid, et viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Vel vt vertit Batablus: *Ascenderunt in arcem, in quam se recipere consueuerant.* Res planè admiratione digna. Cur cum Saul deplorat, doletq; de inimicitia pręterita, & tot beneuolentię erga Dauidem signa tradit; ad arcem, vbi tutior consistebat, Dauid mox se recepit? Reor, quia inimicorũ compassiones velut ęstiuæ aquæ sunt, & sol hiemis, quæ parum durant, & facilè euanescunt, & potius fraudes existimandæ sunt, vt imparatos nos reddant, & facilius perimant. Ab ipsis igitur, qui semel iniuriam irrogarunt, euadendum est. Id ipsum inuenies cap. 26. eiusdem lib. 1. Regum, vbi Saul amicum fœdus inire cum Dauid intendens, hic se ab illius amicitia subduxit, veritus ne propria confidentia deceptus in illius incideret manus. *Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid, quia non malefaciam tibi amplius, eo quod pretiosa fuit anima mea in oculis tuis hodie.* Quid exaggeratius ad persuadendam Saulis dilectionem erga Dauid? At quid tunc Dauid? Auscultato textum sequentis capitis 27. v. 1. *Et ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul. Nonne melius est, vt fugiam, et saluer in terra Philistinorum?* Vbi Caietanus. *Manifestè timet aliquo die se occidendum à Saule.* Neque blanda inimici verba, neque pœnitentia transactæ inimicitiæ credẽda sunt: nam dum amicum

690

1. Reg. 24 v. 23.

Batablus.

Ibid. 26. v. 21.

1. Reg. c. 27. v. 1.

Caietan.

cum os præ se ferunt, inimicũ cor in pectore gestant: ideoque præcepit Deus, vt iniurias condonemus; & permittit, vt caueamus: asperius enim foret præceptum, si fidendum inimicis iniungeret. Præcipit, vt diligamus, quia semper charitatis est actus; at nostræ prudentiæ relinquit confidentiam, quasi innuens imprudenter aliquando nos ipsis fidere: ideoque licitum esset, si id circunstãtiæ expostulant, ab ipsis cauere, sicut fecerat Dauid.

691 Eamdem Saulis, & cæterorum inimicorum simulatam amicitiam expendens Dauid dicebat Psalm. 57. v. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium, et venefici incantãtis sapienter.* At cur aspidi, quæ ad incantationis verba aures habet obtusas, inimicos, qui sibi blandiebantur amica specie, comparat? Perpulchrè Caietanus & elegãter exponit. *Aspis* (inquit) *habet venenum naturale, et cum hoc, quod est ei naturale, præsenti incantatore desistit quidem ab actu venenandi, non tamen ab habendo venenum; immò ne perdat posse venenari, obturat aurem suam. Tale intendit esse venenum Saulis, et suorum; qui etsi ad tempus præsenti voce Dauidis mansueti [nolentis scilicèt occidere Saulem] destiterunt persequi; non tamen perdiderunt venenum, sed tanquam obturantes aures suas, ne vox illa penetret intima cordis eorum, postquam pertransit velut tempus vox incantatoris, iterum redeunt ad venenũ persecutionis.* Hucusque Caietanus. Venenosus anguis incantationis tẽpore venenum recondit, sed non deponit. Hiemis tẽpore manibus absque nocumento contrectatur, non quia caret toxico, sed quia frigore rigescit, nec valet morsum imprimere; at verno tempore aduentante, si illum attrectes, venenum euomit. Inreconciliato amico maleuolentiæ venenum non extinguitur, sed præsentis commoditatis cupidus lædendi occasionem expectat. Bellè Seneca epist. 42. *Multorum, quia imbecilla sunt latent vitia: non minus aufuerunt illis vires suæ placuerint, quam illa, quæ iam felicitas aperuit. Instrumẽta illis explicandæ nequitiæ defuerunt. Sic tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent.* Cum tranquilla tibi omnia videntur, nocitura venena nõ desunt, sed latent, & quiescunt, ideoque tunc præcipuè cauendum est. Mare enim, cum ingruit tẽpestas, non est formidandum, nam tunc potius impauidum cor, & industria imperturbata necessaria fũt; vbi tranquillum & paccatum videris, tunc maximè timendum est, quia nos reddit imparatos. Apertus inimicus potius excitat, quam decipit. Affectata tranquillitas inspectatam ruinam molitur, & improuidè lædit, imparatumquè facilè obruit.

Psalm. 57 v. 5.

Caietan.

ANNOT. C. L. XIX. MORALIS.

EX NATVRAE AC IVSTITIAE debito inimicis parcere tenemur.

692 QVANVIS ante Euangelicam doctrinã antiquis dictum esset, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; Christo Domino id asserente: non tamen hoc quasi à natura dictum puta: nam ipsa natura docet ex iustitia hostibus esse indulgendum, & naturali præcepto homines ad veniam constringi, & ad iniurias condonandum teneri. Quod pulchrè ponderauit Chrysologus ad illa verba Matth. 6. quibus deprecamur nostra debita dimitti, sicut aliena dimittimus: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quæ festiuè versat serm. 71. et tandem concludit: *Homo, penes te est potestas veniæ, in te est indulgentiæ ius.* Innuens indulgentiam ab homine inimico exhibitam in aliquo iure fũdari, & veniam porrigi iniurianti nil aliud esse, nisi ius suum illi tribuere: natura enim titulos habet, quibus nos premat, & vrgeat ad offensas eõ do-

Chrysol.

Matth. 6. v. 12.

donandum,& ipſamet iniuria quaſi ius eſt ad miſerendum.

693 1. Reg 15.v.1. Dei pręcepto admonitus,& ipſius nomine præcepit Sauli Samuel, vt hoſtes Amalecitas penitus euerteret. Armata manu adoritur Saul hoſtiles acies, quas facilè profligauit, & tamen Agag Regem contra Dei mandatum viuum, & illæſum apprehendit. *Et pepercit Saul, et populus Agag, et optimis gregibus ouium,et armentorum,et veſtibus.* Sanè admiratione dignum eſt, quod Saul vir ſanguinolentus,ad iras, vindictas & inplacabilia odia natus,cõtra Dei præceptum,imò contra innatam ſibi vlciſcendi inclinationem Regi Amalecitę parcat. Cui Deus non pepercit,ſed cruenta morte perire præcepit, audet parcere Saul? Ille ipſe,qui Dauidem,hominem innocẽtem, benefactorem, reipublicæ proficuum perſequebatur,modo inimico Regi,qui ruinam Iſraelis molieba tur,indulget? Noſter Rangolius in commentar.huius loci ſic putat difficultati ſatisfacere. *Vbi agitur noſtra cauſa,ibi ſeueri eſſe volumus ſupra modum;at ſi cauſa ſit Dei, ibi moleſtius,et lẽtius agimus. Quid hoc aliud eſt,quam nos ipſos Deo anteponere?* Rectè quidem.Se ipſum Deo præponebat Saul ei ignoſcens, cui necdum Deus ignoſcebat, cuius cauſa pugnabat,quia ex venia ſibi proficere credebat.Sed ad rem noſtram egregie Ioſephus libr.6. antiquitatum cap.7. reſpondet. *Seruare Agag decreuit,idque non ex Dei ſententia, ſed victus affectu proprio, inconceſſam miſerendi licentiam ſuo periculo ſibi vſurpans.* Pende illud, *victus affectu proprio*, in quo maxima energia ineſt: quaſi ex proprio & connaturali hominis affectu,ex iuſtitia ſibi teneri videretur Saul ad parcẽdum inimico Regi.Etſi pręceptum vrgeat vltionis: etiam in ſæuiſſimo homine, qualis erat Saul, adhuc naturale debitum inſtat,vt inimico parcat: & hinc inde vtroque debito agitato, tandem ius hoſtis, quo ſibi veniam exigebat,& naturalis inclinatio pręualuit. *Victus affectu proprio.* Pietas humana ſic ad indulgentiam inclinat, vt Dei mandatum vindictam iniũgens cogat tranſcendere: dum miſericordiæ diuinę munus ſibi arrogat,cum iuſtitia non veretur pugnare,quia ex iuſtitia ad indulgentiam teneri pręſumit.

694 Dauid de manſuetudine, & beneuolentia erga inimicos maximè gloriatus dicebat Pſalm.241. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* Pro infenſiſſimis hoſtibus preces hic iugiter fundebat, vt author eſt D.Chryſoſtomus ad hunc locum. Sed cur, dũ pro inimicis orat,ad Deum voce ſua clamare ait? *Voce mea ad Dominum clamaui.* Quis aliena voce clamare dicitur? Qui clamat, neceſſe eſt ſonum proprio ore edere, & vocem formare: redundanter igitur dictum videtur pro inimicis propria voce clamare. Audi Chryſoſtomum nouam philoſophiam edocentem. *Qui clamat aduerſus inimicos,non edit vocem hominis, ſed feræ, ſed ſerpentis.* Quaſi non naturalis ſit vox hominis iniurias vltione proſequentis: quia ex debito naturę & iuſtitię tenetur pro inimicis orare, illorumque condonare iniurias: hęc enim vox hominis eſt.Qui minas & iniurias pro iniurijs rependit,non hominis, ſed feræ, ac ſerpentis voce loquitur. Non ſolum Chriſtianum, ſed naturale ius prohibet illatę offenſę vltionem ſumere;qui aliter agit, non homo, ſed fera reputatur: degenerat enim ab humanitate voce & animo, qui iniurias vindicta exequitur.Impetus naturę refutat vltionem, odium vertit in amicitiam,& ſęuas iras in blandã beneuolẽtiam.Hominis naturam mutaſſe videtur,& belluinam induiſſe feritatem, qui aduerſus inimicum ſæuit,non minus quam qui ſine cauſa fratrem offendit. Iniurias beneficentia proſequi illuſtrior eſt vltio,vt dicebat Baſilius de Seleucia(orat.8.) agens de Ioſeph,qui fraterna charitate redundans,iniurias, quas à fratribus acceperat, beneficijs vindicauit. *Ioſephus inuidiam, venditionem, bellui-*

Pſal.141. v.2.

Idem.

Chryſoſt.

Baſilius De Seleu.

belluinãq; immanitatẽ humanitatis obsequijs vlciscitur. Expẽde illa verba *humanitatis obsequijs*, animaduersio ne digna Etenĩ, quę inimicis beneficia præstãtur, humanitatis obsequiã sunt, quia naturali debito ea conferre debemus: & humanitati non obsequi, sed contradicere conuincitur, qui non bene pius in proximos iniuriarum ambit vindictam sumere

695 In abditiori montis spelunca latebat Dauid, in quam necessitate compulsus intrat Saul, qui eius animam quærebat, vbi opportuna Dauidi se vlciscendi offerebat occasio. Suggerunt ipsius satellites, vt inimicum occidat, & vt ipsum prouocent ad vindictam, contra Dei voluntatem ire aiunt, si ipsum innoxium relinquat. *Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum.* 1. Reg. 24. v. 5. Vindictam quasi à Deo præceptam obijciunt serui, vt Dauid, qui obedientissimus erat Dei præceptis, eam sumeret, & inimicum occideret: & tamen ipse non solum à morte Saulis abstinuit, sed consiliũ exprobrauit, & seruorum audaciam iam iam in Saulem irruentium cohibuit. *Confregit viros suos sermonibus, et non permisit, vt consurgerẽt in Saul.* Vbi iam videas in Dauide naturam cum obedientia pugnare: obedientia enim exigebat, vt voluntati diuinæ obtemperaret; natura ad indulgendum inimico inclinabat. Quid ageret Dauid in tali rerum contrarietate constitutus? Si vindictam omittit, rebellis contra Deum arguitur; si de iniurijs sibi irrogatis vindicatur, ab humanitate degenerat. Verum in hac contentione tandem natura præualuit, & minus obediẽs voluit reputari, quam minus in hostes pius. Obedientiam humanitati cedere maluit, vt à natura indulgendum esse inimicis adstruat, & ne ab homine degeneret, homini sibi infenso contra Dei præceptum, vt exponebant serui, parcit.

1. Reg. 24. v. 5.

Ibidem. v. 8.

***

ANNOT. C. L. XX. MORALIS.

INIVRIARVM VENIA AD COElum, vnde descendit, via regia ducit tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non solum omnium debitorum remissionem consequatur, sed cum persecutoribus amicitiam conciliet.

SVPRA naturam ipsam se se attolit, qui cum possit vindicari de iniurijs sibi illatis, parcit inimicis. Non de humana origine, sed de cęlesti meritò gloriatur hæc virtus, quæ humanum transcendit fastigium: in terra peregrinatur, quia patriam habet cęlestem, vnde descendit. *Ignem venimittere in terram, et quid volo, nisi vt accendatur?* dicebat Christus Dominus Luc. 12. *In cordibus fidelium*, addit Interlinealis. At quis iste ignis erit? Quale hoc incẽdium, quo tantopere Christus desiderat hominum corda comburi, & flammarũ cuspide conflagrare? Audi D. Ambrosium lib. de Isaac, & anima cap. vltimo, vbi loquens de igne charitatis, dicebat: *Hunc ignem in terrã misit Deus Iesus, et refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas, videbatur siquidem olim in lege veteri Exod. 24. num. 28. obumbrata, fumoque et nebula obducta. Vndè et quando data est lex, mons, in quo tradita est, fumo opertus erat, et nebula obductus. Iam vero dum nebula operit terram, non videmus nisi ea, quæ nobis approximant, et propinquiora sunt; quæ verò aliquo interuallo à nobis distant, minimè percipimus, neque distinctè cognoscimus. Quo videtur respexisse Christus Dominus, cum dixit: Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum?* Charitatis ignem, qui de cælo descendit, & iniuriarum nescit vltionem, disseminare volebat, quo charitas potissimè illuminaretur: nã nebulosa Iudęorum charitas non nisi ad amicos, parentes, filios & propinquos extendebatur, quia imperfecta admodum erat: at in lege gratiæ,

696

Luc. 12. v. 49.

Interl.

D. Ambr.

Exod. 24. v. 28.

tiæ, vbi dilectionis inimicorum præcepto magis ac magis irradiauit, nõ solum ad amicos, & propinquos, sed ad inimicos extenditur. Ignis iste charitatis in terram mittitur, quia de cœlesti principio deriuatur, vbi aduersarios amico fœdere diligere didicit. Meditare naturam illius ignis, qui de cœlo cecidit super altare ab Elia constructum, quod semel, iterum ac tertiò quatuor hydrijs aquę perfusum fuerat 3. Reg. 28. v. 38. Quid tunc? *Cecidit ignis Domini, et vorauit holocaustum, et ligna, et lapides, puluerem que, et aquã, quæ erat in aquæductu, lambens.* Quis crederet posse ignem accendi in madefactis lignis, toties aqua perfusis, & comburi tale sacrificium vndequaque aqua permeatum? Solus cœlestis ignis lapides deuorat, puluerem deglutit, aquam lambit. Solet aqua ignem extinguere, & illi inimica admodum esse, vt pote quæ eius interitum causat: At ignis de cœlo missus oppositam, & inimicam aquam deuorat, & inuiscerat, intimoque corde recludit, eam veluti pacis signo osculans lambit: hunc Christus venit mittere in terram, hunc satagit in cordibus fideliũ accendi.

3. Reg. 18. v. 38.

697 Dives ille, qui aduersus Lazarum immitis extiterat, à gehenna, vbi cruciabatur, suspicit splendidam Lazari gloriam, & ita alloquitur Abrahã, qui glorioso sinu fouebat nuper ærũnosum mẽdicum. *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. v. 24. Cur ad suam subleuandam indigentiam Lazarum expetit, in quem tam crudelis & inhumanus extiterat? Plures cœlicolæ in sinu Abrahę aderant, qui ei possent accurrere. Cur non aliquẽ eorum, sed Lazarum, quem offenderat, eligit ad sui refrigerationem? Adhùc cæcutit insanus epulo, ait Caietanus. *Aduerte prudens lector, verè impeditum intellectum istius diuitis apparere in hac petitione, dum petit Lazarum mitti ad sui refrigerationem, cui meminit se tam inhumanum fuisse.* Sed credo non ex impedito intellectu, sed ex magna cœlestis patriæ cognitione hæc verba diuitem protulisse: sciebat enim inimicorum dilectionem, & beneficam erga hostes volũtatem in cœlo maximè vigere, vbi se originem habuisse gloriatur, & nullum alium inter cœlestes ciues iudicauit aptiorem ad præstandum suæ indigentiæ auxilium, quam illum, quem plus erat prosecutus iniurijs, & inhumaniter tractauerat. Hunc ergò ad sui refrigerationem postulat, quem credebat à cœlesti politia, & doctrina non degenerem; nam superna patria offensas in blandam ac beneficam beneuolentiam vertit: nec tantum cœlestem redolet originem erga inimicos Christiana pietas, sed etiam diuinam.

Luc. 16. v. 24. Caietan.

698 *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est*, dicebat Christus Dominus Matth. 5. v. 44. Cur non dicit, vt sitis filij Dei vestri, sed Patris vestri, nam hoc redundanter dictum apparet? Si iam Pater noster Deus est, antequam inimicos amore prosequamur, quid opus est inimicorum dilectio, vt eius filij efficiamur, cum Patris notio non nisi respectu ad filium persistat? Audi Euthimium. *Filij Dei fiunt, qui per virtutem similes ipsi efficiuntur, quantum est hoc possibile: nam filij proprium est suo assimilari patri. Vt sitis*, inquit, *filis Dei, non natura, sed similitudine, amando videlicet inimicos vestros: quia et ille contumelia affectus, tamen ob amorẽ solẽ suũ oriri facit super malos, ac bonos.* Inter filios eiusdẽ patris ille à filij nomẽclatura ablegatur, qui in faciei lineis, in corporis statu, in morũ conuersatione nimiũ discedit; & naturã, quã dedit origo, exteteris filamẽtis obliterat: ille filius sui patris dicitur, præcipuè Hyspano stylo *es hijo de su padre*, qui paternam figuram, numerosque, & indolis specimen penitus traxit. Ergo qui in inimicorum dilectione excellit, filius Patris sui cœlestis est, vtpotè qui præter

Matth. 5. v. 44.

Euthim.

Hebr. v. 2.

Psal. 1 v. 96.

Ambro

ter naturam plasmatis, proprietatem paternæ tolerantiæ clarissima imaginis similitudine contraxit: nam quo patientię tenorem plus obseruat, eo perfectiorem filiationem participat, in eoque maximè cęlesti Patri assimilatur inimicis indulgens: quia sicut Pater inimicos ita dilexit, vt eius vnigenitum daret, qui Verbũ incarnatum est, medio quo inimicis hominibus fuit locutus [*locutus est nobis in Filio* ad Hebræos] sic Patrem diuinum omnino refert, qui inimicũ diligit, illique verbum non negat, sed amicè loquitur.

Hebr. 1. v. 2.

699 Hæc igitur virtus, quam cęlestis patria genuit, & nobis communicauit, ad illam recto tramite reuertitur. & regalis est via, quæ ad cęlum ducit. Rectè expendit Diu. Ambros. (serm. 12. in Psalm. 118. [illegible] eiusdem Psal. vers. 19. vb[illegible] ret Propheta ad pręcept[illegible] da, planam & apertam, n[illegible] plicatam ambagibus esse c[illegible] *tum mandatum tuum nimis.* [illegible] ne hęc sententia pugnare videtur cũ illa, quam tradidit Christus Dominus Matth. 7. v. 14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Si angusta, & arcta nobis est semita, quæ ad cœlum pergit, si conterimur in illa: quomodo Propheta latum mandatum prędicat, & valdè latum? Fruere Ambrosio. *Ideò quia angusta via, latum mandatum necessarium est.* Et statim subiungit. *Nolo coarctetur in me populus meus in angusto virtutum tramite: debet latitudo præcepti mei viantibus esse solatio, ne quis deficere possit, aut conteri.* Et paucis interiectis. *Quã latum mandatum est charitatis: Diligite inimicos vestros Matth. 5. Omnes vtique affectu charitatis inclusit, non exclusit inimicos: quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimicus? Vndè Apostolus ait ad Roman. 12. Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, nõ Gentibus, vt cum omnibus pacem habeant: illi vix suos diligunt: Christiano etiam inimicos non licet non amare.* Quid illustrius? Premenda sunt illa verba: *Ideo quia angusta via, latum mandatum necessarium est:* Quæ energia sunnt plena: est enim nouæ legis via ita arcta, vt plures in ea inimicos Dei offendamus: ne autem à virtutis tramite discedamus, & coniunctissimos nobis abnegare pręcipimur. Luc. 14. *Qui non odit patrem, et matrem* &c. *Non potes meus esse discipulus.* Vt ergò non conteramur in arta virtutis via, necessariũ est quoscumque inimicos diligere, quo facto latum ad cœlum iter nobis externitur: quandoquidem renuntiatis parentibus, qui nos impediebant in via, inimici, qui nobis obuiam occurrũt, offendicula non sunt: nam beneuolo animo amplexatis, ampla & regalis nobis aperitur via, vt alacriter curramus in patriam nullo retardante im[illegible]ento: nam ea vis iniuriarum [illegible]entiæ inest, vt parcenti om[illegible] delictorum venia negotietur.

Psal. 118. v. 96.

Ambros.

Luc. 14. v. 26.

700 [illegible] pacatissimos erga hostes nos [illegible] et Christus Dominus aiebat [illegible] 6. v. 14. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis debita vestra.* Mira inimicorum dilectionis retributio, quam vix Theologia admittere audebit: ergo fornicarius, seu in alio quocumque immani crimine perseuerans, securus est de venia consequenda, si alijs remittat offensas cõtra se factas? Veritas enim huius affirmatiuæ conditionalis *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis debita vestra*, fundat, & fouet hanc illationem. Quid? Fomitem ne constituit Christus delictorum veniam iniuriarum? Etenim nullus fęda crimina patrare verebitur, dum certò sciat pacatè se cum inimicis gesturum: quandoquidem omnium delictorum veniam sibi promissam habet. Scitè Caietanus hæc perpendit. *Crediderim tamen ego, hominem, qui tanto Dei amore agitur, vt hominibus offendentibus ipsum remittat ex corde propter Deum, etiamsi in fornicatione perseueret, tandem à Deo conuerti, ita quod Deus remittat ei omnia peccata sua,*

Matth. 6. v. 14.

Caietan.

tiæ, vbi dilectionis inimicorum præcepto magis ac magis irradiauit, nō ſolum ad amicos, & propinquos, ſed ad inimicos extenditur. Ignis iſte charitatis in terram mittitur, quia de cœleſti principio deriuatur, vbi aduerſarios amico fœdere diligere didicit. Meditare naturam illius ignis, qui de cœlo cecidit ſuper altare ab Elia conſtructum, quod ſemel, iterum ac tertiò quatuor hydrijs aquę perfuſum fuerat 3.Reg.28.v.38. Quid tunc? *Cecidit ignis Domini, et vorauit* 3.Reg.18. v.38. *bol. cauſtum, et ligna, et lapides, puluerem que, et aquā, quæ erat in aquæductu, lambens.* Quis crederet poſſe ignem accendi in madefactis lignis, toties aqua perfuſis, & comburi tale ſacrificium vndequaque aqua permeatum? Solus cœleſtis ignis lapides deuorat, puluerem deglutit, aquam lambit. Solet aqua ignem extingue re, & illi inimica admodum eſſe, vt pote quæ eius interitum cauſat: At ignis de cœlo miſſus op inimicam aquam deuor cerat, intimoque corde re veluti pacis ſigno oſcula hunc Christus venit mit ram, hunc ſatagit in cor accendi.

697 Dives ille, qui aduertus Lazarum immitis extiterat, à gehenna, vbi cruciabatur, ſuſpicit ſplendidam Lazari gloriam, & ita alloquitur Abrahā, qui glorioſo ſinu fouebat nuper ærū Luc.16. v.24. noſum mēdicum. *Pater Abraham miſerere mei, et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc.16.v.24. Cur ad ſuam ſubleuandam indigentiam Lazarum expetit, in quem tam crudelis & inhumanus extiterat? Plures cœlicolæ in ſinu Abrahę aderant, qui ei poſſent accurrere. Cur non aliquē eorum, ſed Lazarum, quem offenderat, eligit ad ſui refrigerationem? Adhùc cæcutit inſanus epulo, ait Caietanus. Caietan. *Aduerte prudens lector, verè impeditum intellectum iſtius diuitis apparere in hac petitione, dum petit Lazarum mitti ad ſui refrigerationem, cui meminit ſe tam inhumanum fuiſſe.* Sed credo non ex impedito intellectu, ſed ex magna cœleſtis patrię cognitione hæc verba diuitem protuliſſe: ſciebat enim inimicorum dilectionem, & beneficam erga hoſtes volūtatem in cœlo maximè vigere, vbi ſe originem habuiſſe gloriatur, & nullum alium inter cœleſtes ciues iudicauit aptiorem ad præſtandum ſuæ indigentiæ auxilium, quam illum, quem plus erat proſecutus iniurijs, & inhumaniter tractauerat. Hunc ergò ad ſui refrigerationem poſtulat, quem credebat à cœleſti politia, & doctrina non degenerem; nam ſuperna patria offenſas in blandam ac beneficam beneuolentiam vertit: nec tantum cœleſtem redolet originem erga inimicos Chriſtiana pietas, ſed etiam diuinam.

Diligite inimicos veſtros, et orate 698 *pro perſequentibus, et calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in* Matth. 5. v.44. ..ſt, dicebat Christus Dominus v.44. Cur non dicit, vt ſitis ..i veſtri, ſed Patris veſtri, nam ..undanter dictum apparet? Si ..ater noſter Deus eſt, antequam ..icos amore proſequamur, quid ..u. eſt inimicorum dilectio, vt eius fil.j efficiamur, cum Patris notio non niſi reſpectu ad filium perſiſtat? Audi Euthimium. *Filij Dei fiunt, qui per* Euthimi. *virtutem ſimiles ipſi efficiuntur, quantum eſt hoc poſſibile: nam filij proprium eſt ſuo aſſimilari patri. Vt ſitis*, inquit, *filis Dei, non natura, ſed ſimilitudine, amando videlicet inimicos veſtros: quia et ille contumelia affectus, tamen ob amorē ſolē ſuū oriri facit ſuper malos, ac bonos.* Inter filios eiuſdē patris ille à filij nomēclatura ablegatur, qui in faciei lineis, in corporis ſtatu, in morū conuerſatione nimiū diſcedit; & naturā, quā dedit origo, exteteris filamētis obliterat: ille filius ſui patris dicitur, præcipuè Hyſpano ſtylo *es hijo de ſu padre*, qui paternam figuram, numeroſque, & indolis ſpecimen penitus traxit. Ergo qui in inimicorum dilectione excellit, filius Patris ſui cœleſtis eſt, vtpotè qui præ

ter

ter naturam plasmatis, proprietatem paternæ tolerantiæ clarissima imaginis similitudine contraxit: nam quo patientię tenorem plus obseruat, eo perfectiorem filiationem participat, in eoque maximè cęlesti Patri assimilatur inimicis indulgens: quia sicut Pater inimicos ita dilexit, vt eius vnigenitum daret, qui Verbũ incarnatum est, medio quo inimicis

Hebr. 1. v. 2. hominibus fuit locutus *[locutus est nobis in Filio* ad Hebræos] sic Patrem diuinum omnino refert, qui inimicũ diligit, illique verbum non negat, sed amicè loquitur.

699 Hæc igitur virtus, quam cęlestis patria genuit, & nobis communicauit, ad illam recto tramite reuertitur. & regalis est via, quæ ad cęlum ducit. Rectè expendit Diu. Ambros. (serm. 12. in Psalm. 118.) verba illa eiusdem Psal. vers. 19. vbi vt nos allice

Psal. 118. v. 96. ret Propheta ad prœcepta Dei sectãda, planam & apertam, nullisque implicatam ambagibus esse dicebat: *Latum mandatum tuum nimis.* Sed plane hęc sententia pugnare videtur cũ illa, quam tradidit Christus Dominus Matth. 7. v. 14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Si angusta, & arcta nobis est semita, quæ ad cœlum pergit, si conterimur in illa: quomodo Propheta latum mandatum prędicat, & valdè latum? Fruere Am

Ambros. brosio. *Ideò quia angusta via, latum mandatum necessarium est.* Et statim subiungit. *Nolo coarctetur in me populus meus in angusto virtutum tramite: debet latitudo præcepti mei viantibus esse solatio, ne quis deficere possit, aut conteri.* Et paucis interiectis. *Quã latum mandatum est charitatis: Diligite inimicos vestros Matth. 5. Omnes vtique affectu charitatis includit, non excludit inimicos: quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimicus? Vndè Apostolus ait ad Roman. 12. Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, nõ Gentibus, vt cum omnibus pacem habeant: illi vix suos diligunt: Christiano etiam inimicos non licet non amare.* Quid illustrius? Premenda sunt illa verba: *Ideo quia angusta via, latum mandatum necessarium est:* Quæ energia sunt plena: est enim nouæ legis via ita arcta, vt plures in ea inimicos Dei offendamus: ne autem à virtutis tramite discedamus, & coniunctissimos nobis abnegare prœcipimur. Luc. 14. *Qui non odit patrem, et matrem* &c. *Non potes meus esse discipulus.* Vt ergò non conteramur in arta virtutis via, necessariũ est quoscumque inimicos diligere, quo facto latum ad cœlum iter nobis externitur: quando quidem renuntiatis parentibus, qui nos impediebant in via, inimici, qui nobis obuiam occurrũt, offendicula non sunt: nam beneuolo animo amplexatis, ampla & regalis nobis aperitur via, vt alacriter curramus in patriam nullo retardante impedimento: nam ea vis iniuriarum indulgentiæ inest, vt parcenti omnium delictorum venia negotietur.

Luc. 14. v. 26.

700 Vt pacatissimos erga hostes nos redderet Christus Dominus aiebat Matth. 6. v. 14. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis debita vestra.* Mira inimicorum dilectionis retributio, quam vix Theologia admittere audebit: ergo fornicarius, seu in alio quocumque immani crimine perseuerans, securus est de venia consequenda, si alijs remittat offensas cõtra se factas? Veritas enim huius affirmatiuæ conditionalis *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis debita vestra*, fundat, & fouet hanc illationem. Quid? Fomitem ne constituit Christus delictorum veniam iniuriarum? Etenim nullus fęda crimina patrare verebitur, dum certò sciat pacatè se cum inimicis gesturum: quandoquidem omnium delictorum veniam sibi promissam habet. Scitè Caietanus hæc perpendit. *Crediderim tamen ego, hominem, qui tanto Dei amore agitur, vt hominibus offendentibus ipsum remittat ex corde propter Deum, etiamsi infornicatione perseueret, tandem à Deo conuerti, ita quod Deus remittat ei omnia peccata sua,*

Matth. 6. v. 14.

Caietan.

sua, conuertendo cor eius ad veram pœnitentiam. Vnde non dicit Dominus: Remittit, sed Remittet. Nouit Christus Dominus tã acceptum gratum que Deo esse sacrificium iniurias cõdonare, quod sine hęsitatione affirmat, Deum omnia parcenti crimina remissurum, quod solus potuit asserere, vtpote qui solus nouerat hanc specialem prærogatiuam, & gratiã. Tam munificus est Deus in hostium amatores, vt pro cuiusque iniurię remissione omnium ipse remissionem polliceatur. Vberrimæ condonationis fructus assequitur, vt cumulatius muneretur, qui minimam offensam remittit. Nec solum Deum, quem habebat infensum, sed ipsummet iniuriantem indulgentia sibi lucratur: quia cum ipso amicitiam conciliat, & ex inimico amicum reddit.

701 *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, dicebat Christus Dominus Ioan.15.v.13. Quæ sententia plane aduersatur cum ea, quam Paulus habet ad Roman.5.v.8. Vbi exinde charitatem Christi commendat, & exaggerat, quia pro hominibus peccatoribus, & sibi inimicis animam posuit: *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis: quia cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est.* Quam difficultatem attingens Bernardus inquit: *Tu maiorem habuisti Domine charitatem, ponens etiã pro inimicis tuis animam tuam.* Maior ergò dilectio videtur pro inimicis vitam ponere, quam pro amicis, siquidem amicorum dilectio homini cognata est; inimicorum vero amicitia, & beneuolentia peregrina est ab homine, & Christianę benignitatis abundantia. Quo ergo pacto dilectionem, quam Christus commendat discipulis, vt animam pro amicis ponere non dubitent, maiorem omnium esse verè stabit? Egregiè D.Gregorius homil.27.in Euang. *Mori pro inimicis Dominus venerat, et tamen positurum se animam pro amicis dicebat: vt nobis ostenderet, quia cum lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt, qui persequuntur.* Vtrumque verum, maiorem esse omnium inimicorum, & amicorum dilectionem: quia ipsa inimici dilectione ex inimico amicus redditur persecutor. Non iam pro persecutore certat, qui pro inimico animam ponit, sed pro amico: nam ipsa dilectione ipsum lucratur, & sibi cõciliat. Quid mirum, quod tribuat omnium delictorum remissionem virtus, quæ vxorali munere aduersarios in amicos conuertit, & lucros commercio efficit beneuolos?

Ioann.15 v.13.

Roman.5 v.8.

Bernard.

D.Grego.

ANOT.C.L.XXI. MORALIS.

INIVRIARVM VENIA, QVAE non propter Deum, sed ob alios respectus confertur, suspecta est.

NOta proprietas Dei est, & de qua passim gloriatur, inimicis parcere, & sibi irrogatas iniurias condonare. Quare quoscum que actus, quibus iniurię remittuntur, sibi arrogat, & qui ab ipso effecti uè non procedunt, obiectiuè saltem oriri procurat, & propter ipsum fieri: non solum quia hæc virtus solo Deo est digna, sed vt securius nostris cordibus insit, ac permaneat: hæc enim est emphasis, qua Christus Dominus præceptum de inimicis diligẽdis intimauit Matth.5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Ly *Ego* magnam energiam cõtinet: quasi diceret. Propter me, qui præcipio, hæc peragenda sunt: nam si non ita fiant, & me maiori gloria orbabitis, & vos in periculo reincidendi in odium eritis: nam iniuriarum indulgentia, quę nõ propter me, sed propter alios respectus confertur, nimis periculosa, & parũ tuta reputabitur. Clemẽtissimus Rex Dauid postquã à Saul tot iniurias & persecutiones fuit perpessus, coronamque, & regnum pacifice possidebat, vt se placatum ostenderet, & iniuriarum oblitum, sic ab Sibam alloquitur 2.Reg.9.v.1. *Putas ne est aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter*

702

Matth.5. v.44.

2.Reg.9. v.1.

Ibid.v

Ibid.v

lona-

nihil respondit, sed arcana taciturnitate siluit. Cui iterũ Dauid: *Nunquid superest aliquis de domo Saul, vt faciã cum eo misericordiam Dei?* Tunc autem Siba Regis quęsito respõdit: *Superest filius Ionathæ, debilis pedibus.* Quẽ vocari iussit Dauid, & eũ in pristinã paternæ hereditatis possessionẽ restituit, atq; ad mẽsam suã sedere cõcessit. Vbi meritò ambiges, cur cũ primò Dauid percontaretur, superesset ne aliquis de domo Saul, vt ei parceret, ac benefaceret, Siba non respondeat, & vsq; ad secundã interrogationẽ responsum differat, quod inurbanitatis indiciũ videtur, & à curiali homine alienũ: nã non solũ Principis vocibus, sed & nutibus solent aulici respondere, quo se promptiores famula tui ostendãt. Miror nõ solum Sibæ silentiũ, sed regis tolerãtiã. At vtriusq; ingeniũ & sagacitatẽ per callebis, si verba præcitata rutines. Cũ enim primò Dauid veniã & misericordiã superstitibus domus Saul pollicetur, non propter Deũ, sed propter Ionatham ipsi charissimum eam promisit, *Vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathã* Cum verò secũdò iniuriarum remissionem offert, nõ propter Ionatham, sed propter Deũ id faciẽdum dicit, *Superest ne aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Vt autem Siba motiuũ veniæ non Deum, sed aliquid humanum audit, neque respondit, neque filium Saul superstitem detegit, quasi suspecta illi esset illa misericordia. Verum cum secundò Dauidem audit veniam pollicentem propter Deum, ei respondere, & Misibophet propalare non dubitat, quasi de sua felicitate, & Regis gratia securus. Inquo & Sibæ sofertia, & Regis prudentia enituit: nam ille iniuriam non propter Deum, sed propter Ionatham condonatam infidam habuit: iste vero cum videret ad primam interrogationem Sibam tacere, vt responsum differto silentio retentum acciperet, verba commutauit, & se propter Deum parciturum promittit: sciebat enim seruus fidelis, & Rex sanctissimus, quod iniuriarum remissio, quę propter humanos respectus exhibetur, minis fallax, & parũ tuta est reputãda.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 3.

Cum felix ille latro in crucis patibulo Christo assisteret, quem tot iniurijs, & conuitijs offenderat, obnixè deprecatur, vt ei parcat, & ad suum regnum perducat: *Domine memento mei dũ veneris in regnum tuũ* Luc. 23 Varia huius repentinæ conuersionis motiua Patres assignant. Titus Bostrensis vnicum fuisse putat, deprecationẽ nempè, quã pro inimicorũ venia audiuit, *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* In qua re venit ponderandum, quod cum Christus Dñs in alijs operibus tanquã inferior Patrẽ deprecatus fuisset, & pro impenso beneficio gratias egisset, vt cũ Lazarũ suscitauit à mortuis [*Pater gratias tibi ago, quia exaudisti me*] & passim alibi: hic eximia magnitudine, & maiestate Patrem alloquitur ita, vt non deprecatio videatur, sed imperium, quo æqualitatem cum Patre demonstrabat, non hominis oratio, sed Dei voluntas iniurias condonandi. Hoc sanè ansam præbuit latroni, vt ad spem venię consequendę erigeretur, & pro ea preces magna fiducia funderet. At quare non antea suæ salutis solicitus perhibetur, cum fama, & fortè euidentia ipsi constaret, Christum sua doctrina, & miraculorum opinione alios peccatores ad se conuertisse? Cur vltimum dispendium expectat, ibique se erigit, qui vsque tunc irreuertibilis apparebat? Crediderim, quia Christum vsque ad illam horam purum hominem reputabat, & licèt suis deprecationibus quamplurimas iniurias condonatas vidisset, cum propter homines remitti crederet, suspectæ ipsi videbantur: at cum Christum non vt hominem veniam deprecantem audit, sed vt Deũ eã conferẽtem, & suggerentem Patri, quod propter ipsum tanquã Deum parcat, *Pater dimitte illis*: quasi de sua salute, & venia securus occurrit: *Domine, memento mei.* Quasi diceret: Nunc quando

703

Luc. 23. v. 24.

Titus Bostrensis.

Luc. 23. v. 34.

propter Deum iniuriæ remittuntur, vt mihi parcas deprecor, quo securus de indulgentia remanebo. Accipe Titum Bostrẽsem sic versantem.

Titus Bostrensis. *Ast vnde hic, cum miracula, quæ circa crucem paulò post acciderant, nulla adhùc vidisset, ad mentem redit? Exoratione, quam Iesus Christus magna cũ fiducia ad Deum tanquam ad Patrem transmittebat. Pater (aiebat) ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: nam et perinde cũ eo loquitur, atque par cũ pare. Patrem vocat, et magna cum libertate Dimitte illis clamat: non enim dixit: Domine, rogo te, vt hanc illis noxam condones, sed simpliciter Dimitte illis inquiebat.* Vbi igitur latro Deũ non propter hominem, sed propter se ipsum parcentem vidit, ibi suã veniam confidenter quęsiuit: nam etsi Deus ipse sit, qui parcit, cũ nõ propter seipsum, sed propter alios respectus cõdonat, quasi dubitatur de ipsius indulgẽtia, & suspecta habetur.

704 Dum Moyses cũ Deo in mõte colloqueretur, vulgus Aaroni deos, qui ipsum ducant, instanter petit: conflato autẽ vitulo holocausta ipsi obtulerunt, lapsi in detestabilẽ idololatriã. Quod cum Deus intueretur, nimis irascitur, & Moysem pręcipit ad populũ descendere, eumque quasi deprecatur, vt se populum punire permittat. Moyses autẽ humiliter orat, & vt veniã tanti sceleris consequatur, sic Deũ cõuincere satagit. Exod. 32. v. 12. & 13. *Ne, quæso, dicant AEgyptij: Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, et deleret è terra. Quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, et vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper.* Quibus auditis placatus Dominus, & indignatione deposita populo pepercit, & eum, vt minatus fuerat, non punire promisit: *Placatusque est Dñs, ne faceret malũ, quod locutus fuerat aduersus populũ suũ.* Ibid. v. 14. Descendit Moyses ad populũ, & postquã illius scelera increpauit, ac viginti tria millia hominũ interfecit, fratre in fratrẽ, & amico in amicũ irruentibus, sic remanentibus eloquitur. *Peccastis peccatũ maximũ: ascendam ad Dñm, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro* Ibid. v. 30. Reuersusq; ad montẽ, supplex orauit Dñm, vt populi noxam condonaret. *Reuersusq; ad Dominũ, ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatũ maximũ, feceruntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* Ibid. v. 31. Magna valdè hinc oritur difficultas: nã si cõmissi sceleris, cũ primò Moyses à monte descẽdit, veniã & indulgentiã secum portauit, quomodo nunc reuertitur, vt pro eadẽ venia deprecetur? Si indulgentiã ab ore Dei accepit, quorsum eam repetere satagit, & ad eã obtinẽdam ad montẽ ascendit? Fortè se deceptũ à Deo credit, & de illius veracitate dubitat? Iniuriã semel remissam cur personę irrogatæ iterũ producit, & quasi hęsitasset de placatione Dei, secundã indulgentiã procurat? At mira hic Moysis solertia apparet: nã etsi iã remissionẽ, & indulgẽtiã obtinuisset, cũ primò Deus illam præstitit, nõ propter seipsũ, sed propter hominũ respectus populo pepercit: nã cũ Moyses pro ipsa deprecatur, Abraham, Isaac, & Iacob merita proponit, vt Deũ placet, atq; AEgyptios ipsum reputaturos seductorẽ, si populum interficeret in deserto; quod omnehumanã attentionẽ præ se fert: idque cum meditatus fuisset Moyses, quasi nõ tutus angebatur, tenens, quod iniurię condonatio nõ propter Deum, sed propter alios respectus obtenta suspecta esset, & parum tuta. Igitur sic secũ meditatur: Etsi Deus sit, qui condonat; dum motiua non diuina sunt, sed humana, non satis mihi est: iterum ergò ad montem pergam, vt Dum propter ipsum orem, quo securus de venia existam. Quare cum secundò Deum deprecatur pro populi indulgentia, nulla humana motiua proponit,

nit, sed simpliciter obsecrat: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Ac si diceret: Nolo vt propter representationes primò factas populo parcas; propter te ipsum indulge, vt à tua præsentia secutus remissionis discedam.

ANNOT. C.L. XXII. MORALIS.

IEIVNIVM DAEMONEM FVgat, cœlestem vitam refert, sanctitatis est compendium; intemperantia libidinis.

705 VIRTVTIS robur & munimẽ, quibus inimica vincitur manus, ieiunium est: vnde ceruorum pedibus incedere gaudet Propheta, *Et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor.* Hic v.19. Quia vt aduertit D. Hieronym. *Ceruus ad odorem suum serpentem fugat.* Quod proprium ieiunantis hominis est, vt inquit Petrus Damianus opusculo 52. cap. 22. *Serpẽs quanta sit ieiunij virtus ostendit: quia mox vt sputum ieiuni hominis gustat, protinus interemptus expirat. Non ergo serue Dei te pigeat ieiunare, vt moriatur ille, qui te cibo turgidum nititur deglutire, et absorbere.* Quod quidem ex D. Ambros. libr. 6. in exameron. cap. 4. accepit. *Sputum hominis ieiuni si serpens gustarit, moritur. Vnde quanta vis est ieiunio, vt sputo suo terrenum serpentem interficiat, et multo magis spiritualem.* Idemque habet Galenus, *sputum ieiuni hominis scorpioni, et viperæ venenũ est.* Quod cecinit ille alter Poeta.

Est quadam vt serpens Virginis quæ tacta saliuis
Disperit, atque se se mandendo conficit ipsam.

Qui igitur ieiunij armatura munitur, spiritum nequam fugat, enecat, ab ipsiusque incursibus liberatur: quod per translationẽ dixerat Dauid Psal. 68. v. 11. *Operui in ieiunio animam meam.* Vbi D. Ambros. ieiunij vim, & munimẽ agnoscit epist. 7. *Ergo qui nõ ieiunat,* inquit, *intectus est, et patet vulneri.* Et epist. 36. in id ipsum latè se diffundit, & concludit: *Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt.* Et paulò infra. *Murus quidem est Christiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis vnquã Christianorum ieiunauit, et captus est? Quis sobrius mansit, et victus est?* Succinit D. Basilius de laudibus ieiunij. *Ieiunium armatura est ad confligendũ cum impijs. Vnde Dñs non prius in carne, quam assumpserat, diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communisset.* D. Basil.

Iam ergò cum tanta vis ieiunio insit, vt dæmonẽ fugет, ac interimat. Cũ tanta (vt dixit Tertull.) sit circũscripti cibi prærogatiua, vt hominem præstet Deo contubernalem, parẽ reuera pari: Non mirũ si ipsum ad perfectionem cœlestis vitę erigat, cœlestibusque incolis coęquet, ita vt beatitudinis gazas gerat: nam hæc est proprietas corporis ieiuni, mortalitatẽ deponere, & dotibus beatorũ indui. Diu torsit ingenia, quod Deus mortẽ Moysis ita absconderit, vt mortaliũ nullus sepulchrum eius agnouerit, & fide tantum teneatur mortẽ subijsse: cuius rei causam in monte cũ Deo colloquiũ, à quo taliter fulgoribus irradiatus descendit, vt populus eum intueri nequiret, aliqui esse autumant. Sed cum multi ex antiquis Patribus hac eadẽ gratia fruerentur, Deumq; alloquentẽ viderent, & nihilominus tali priuilegio non fuerint donati, aliquid in Moyse peculiare, quo hunc fauorẽ promeruit, cogirandũ est: idque fuisse reor, per quadraginta dies pabulo caruisse, quibus beatam vitã didicit, & eius priuilegia acquisiuit. Sunt enim proprietates Dei neq; comedere, neque oculis corporeis videri. En causa, cur Moysi corpus nõ videtur: qui enim sicut Deus non comedit, sicut Deus non videatur. Et licet ieiunio diuinitatem inuisibilem nõ acquisierit, inuisibilẽ mortalitatẽ acquirere necesse fuit: ideoq; neq; scitur eius mors, neque eius sepulchrũ videtur. Quia etsi ieiuniũ corpora nõ effi-

706 Ter ull.

707

Psal. 68. v. 11. D. Ambr.

efficiat beata, efficit, quod beata videantur, & cęlestia, quorum proprietas est, vt sine pabulo viuant. Addubitant Philosophi quisnam sit locus, & sphæra elementaris ignis: sunt, qui reputēt, ignem, qui in terra moratur, elementarem esse, nec aliū prętер ipsum inueniri. At communis fere omnium Philosophorum opinio tenet, sphęram ignis elementaris esse contiguam primo cœlo, quod lunę vocatur, & eius concauum occupare, ita vt superficies conuexa ignis superficiem concauam cœli tangat. Scholis rationes huius sententię mitto Id solum dubitarem, cur naturæ Author hæc ita disposuerit, vt ad cœlum vsque ignem extulerit? Cur cętera elementa viuētibus hisce & sub lunaribus corporibus cohabitare voluit, vt eis inseruirent non solum in prima corporum formatione, sed in ipsorum conseruatione? Terra enim, aer & aqua necessaria simpliciter sunt ad vitā sustentandā, ignis autem non item. Cur nobilius ignis elementum non ad similes functiones descendat, sed tanquam cœlicola in superno loco habitet? Crediderim, quia ignis elementaris in propria sphæra non alitur, neque ad sui conseruationem combustibile indiget, ad talem puritatis, perfectionis & actualitatis gradū illic peruenit, vt pabulo non indigeat, quare illo semper caret, & ieiunans subsistit: igitur ad cęlum eleuetur: quasi enim naturali vi corpora ieiuna cœli ad se rapiūt, quia corū vita nō terrena, sed cœlestis reputatur, vndè aut cœlum trahere, aut ab ipso trahi necesse est.

707 Inter cęteras apparitiones, quas Deus coram hominibus fecit, illa semper erit admirabilior, quę in Horeb monte Moysi se se obtulit, cum oues pasceretur. Ostendit se ei Dominus in rubo flāmis inardescente, cuius viror nō cōburebatur; quin potius ignis ipsū fouebat. *Apparuitq; ei Dñs in flāma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus ardebat et, non cōburebatur.* Exod. 3. v. 2. Id autem videtur à Deo alienum, quod vt Moysem

Exod. 3. v. 2.

fauoribus prosequeretur, in igne appareret, nam vt Deum deterreret, videbatur aptius: naturaliter enim ignem formidamus, ab illiusque approximatione fugimus, cum talis sit naturę, vt omnia exurat, & ad suam formā reducere tentet. Cur igitur in igne Dominus apparet, vbi Moysis animum & beneuolentiam sibi cōciliare intendebat? Ausculta naturā illius ignis: talis enim erat conditionis, vt rubum illæsum conseruaret, atque cum ad os cibum, quo nutriretur, haberet, illo se abstinuit, vt ieiunatorem se ostenderet. Hæc igitur diuinæ præsentiæ in illo assistentis fuit causa: nam taliter corpora ieiunantia, & à cibo se abstinentia Deum alliciunt, vt in illis cogatur permanere, quatenus sua prętentia illa beata reddat. Ignis ille non terrenus, sed elementaris fuit, & vbi à cibo abstinuit, cœlestis probatur originis: ita enim ieiunij virtus eleuat, vt & corpora insensibilia ad cœlestem patriā exaltet, vt eius proprietatibus gaudeant, quia pabulo carentia iam cœlestia corpora reputantur. Vndè dixit Bernardus. *In carne prater carnē viuere, non humana vita est, sed cœlestis.* Igitur appareat Deus in igne ieiunante, vt huius virtutis excellentiam exaltet, & ad illius sequelam excitet. *Bernard.*

708 Non pudet subiungere obseruationem ingeniosam cuiusdam moderni prętenti instituto appositissimam. Postquam Christus Dominus à funere victor resurrexit, quadraginta diebus cum hominibus fuit commoratus, & tot distulit suum ascensum in cœlum, quod mysterio non vocat. Quorsum, qui tot anxietatibus Patrem adire cupiebat, in terra demoratur? Cur humanitatem suam glorioſam non statim ad suprema eleuat, obtento iam redēptionis fine, & consūmato, ad quod venerat? Restat ne aliquid peragēdū, vt Patris obediētiā omnino exequatur? Restat quidē. Debebat Christus cū hominibus commorari *Vsque ad tempus prafinitum à Patre* ad Gal. 4. Adimplere debuit

Galat. 4. v. 2.

debuit statutũ tẽpus: igitur quadraginta diebus post resurrectionẽ permaneat, vt quadraginta dies, quibus in deserto delituit, suppleantur, qui quidem in illius vita non computantur. nam cum in illis quadraginta diebus ieiunasset, à ciboque abstinuisset, non in hac vita mortali veniunt numerandi, sed in beata, nam ieiunij vita non terrena censetur, sed cœlestis. Quare necesse fuit, quod post resurrectionem Christus suppleret illos quadraginta dies ieiunij, quos ab hac vita mortali ademerat: virtus enim ieiunij beatam vitã æmulatur, imò & diuinam. Vndè post prædictos ieiunij quadraginta dies accessit tentator, & dixit: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. v. 3. sibi persuadens, Deum esse, qui tot diebus ieiunio erat deditus. Viderat Dæmon Ioannem vrbis delicias squalẽtis eremi habitatione mutasse, calcasse carnis mollitiem vestis asperitate, agresti cibo mundi totam frenasse luxuriam, & tamen non dixit ei: *Si Filius Dei es.* At vbi Dominum vidit iugiter ieiunantem proclamat: *Si Filius Dei es.* Cur ità? Audi D. Chrysologũ serm. 13. *Audistis, quid de ieiunij ipse senserit, et iudicet inimicus? Vidistis, quia iam non hominem, sed Dei Filiũ credit, quem liberum à ventris conspexerat seruitute? Sensit, sensit diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat &c. At vbi Dominum vidit iugiter ieiunantem proclamat: Si Filius Dei es.* Diuinitatis index, & virtutis compendium ieiunium est, quandoquidem cogitationem, quam non excitarunt cęteræ virtutes de Christi sanctitate, solum ieiunium sanciuit. Nescit enim ieiunium cum diuinitate, & cęlesti patria non habere commercium.

709 Animaduersione dignum est, quod Noè non nisi post quadraginta dies arcæ, in qua erat inclusus, ianuam aperuerit. *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noè fenestram arcæ, quam fecerat.* &c. Genes. 8. v. 6. Cur per tam longum tempus apertionem arcæ distulit Noè, qui tam cupidus erat futurę serenitatis, & sciendi, an alluuionis aquę essent imminutę? Albinus antiquus Doctor in quæstionib. in Genesim opportunè hic virtutem ieiunij agnouit. *Post apparentia, inquit, cacumina montiũ quadragenarius numerus tribulationem significat pœnitentiæ: quod igitur Noe post quadraginta dies fenestram arcæ aperuit, significat ieiunio quadragesimo cœlum reserari.* Adimpleto ieiunij tempore in illis quadraginta diebus adumbrato, nihil restat, nisi in cœlum tanquam in propriam patriam ingredi: nam tunc & eius panduntur portę, vt ieiuna corpora excipiat, & totus Deus illabatur in ipsa. Quam aptè hæc congruunt sanctissimo Parenti Nostro Francisco de Paula, qui ob egregium ieiunium, & mirificam abstinentiam velut ceruus velocissimus ad montana conscendit, dæmonum myriades fugauit, frequentissimum cum Deo habuit commercium, & Ecclesiæ prodigium miraculorum factus est. Vt enim Diu. Augustin. obseruauit serm. 33. ad fratres in eremo. *Elias tandiu miracula fecit, quandiu pane, et aqua refectus est: sed postquam carnem comedit, et vinum bibit, in satietate miracula non legitur fecisse.*

710 E conuerso autem sicut ieiunium omnium virtutum est compendium, omnium vitiorum mors, quo epitecto illud insigniuit Basil. de Selcucia orat. de ieiunio. *Ieiunium est omnium vitiorum sepulchrum.* Intemperantia mors est virtutum, & vitiorum fomentum, præcipuè sensualis appetitus. Vndè Diu. Maximus intemperantiam in vsu epularum dissertè vocat *Matrem, et matricem scortatorum.* Et Tertullianus contra Phys. cap. 1. & vltimo magna animi contentione disputat, & acutè concludit libidinem sine gula & intemperati animi vitio monstrum esse. *Species, inquit, corpus, et vna regio est. Denique pro dispositione membrorum ordo vitiorum: prior venter, et statim cætera. Sagina substrata lasciuia est, per educitatem.*

salacitas transit. Et aliàs luxuriam vocat appendicem gulæ. Similiter
D. Augus. D. Augustinus serm. 56. de temp. scite ait: *Irrigata corporis nostri terra spinas libidinis germinabit.* Et Isidorus
Isidorus Pelusiota. Pelusiota lib. 2. epist. 108. *Ventrem mancipatum libidinis affectibus succũ bere*, dixit. Vndè lucem capit difficilis Pauli textus ad Hebræos 12. v. 16.
Hebr. 12. v. 16. Vbi Esau scortatoris nomine deturpauit. *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau.* Mirũ quod vocet Esau
D. Chrys. Theophil. D Thom. scortatorem, aut prophanum, cũ Moyses in sacris annalibus nihil simile de illo memoratus sit, nec verisimile appareat, sacrum Scriptorem, qui alia de moribus Esau minutim scripsit, id omisisse. Vndè D. Chrysostomus, & Theophilatus præcitata epitecta ad præcedentia, quę Apostolus exarauerat, referri autumant, cum non videant Esau posse competere. Alij cum D. Thoma scortatorem vocari Esau existimant, quia matrimonium cum idolatris contraxit. Sed merito fere omnibus hoc placitum displiceret: quia idolatram ducere vxorem non est scortatorem esse, sed inobedientem. Hanc dubitationem Thasalius Monachus proposuit Isidoro
Thasal. Monach. AEgyptio, & eam egregie solvit lib. 1. epist. 320. *Non mirũ id videri debet, cũ enim constet intemperantem fuisse, atque ventris ingluuie, saginaque obstrictum, facile potuit intelligi, eum libidinibus deditum, et prophanum extitisse, quod ex eo turbido fonte nequitiarum omnium turpitudo scaturiat.* Intemperantiæ enim carnis illecebra, consequentia est.

ANNOT. C.L. XXIII. MORALIS.

MONASTICAE, ET SOLITAriæ vitæ elogia traduntur, à cuius perfectione qui deficit, impudenter delinquit.

711 PLACVIT propè huis operis finem vitę religiosæ, quam immerito profiteor, aliquas laudes depromere, quas cum ingẽti gaudio ad calcem sui vaticinij Propheta noster prædicauit. *Et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentẽ.* Hic v. 19. Idest, per viam tutam, & à periculis liberam deducet me, vt fere omnes commentatur: nam cerui (vt inquit Eucherius in Psalmum 17.) *Eucher.* cum venatores fugiunt, in excelsos montes properant, vbi tuti consistũt, & innoxij. Quod de his, qui in religione degunt, capit Hieronymus in huius loci breui commentario. *Omnem mundanam solemnitatem contemplatione cœlestium transcendere me fecit, victoriam eius, et triumphum, atque tropbæum canentem.* Illis enim, qui se à Babylonico sęculi iugo soluunt, ceruorum Deus pedes ad velocitatem præstat, vt pericula vitent, & Deo consecrati alacri animo sint, cum iã per planam ad cęlestem Hierosolymam incedant viam, quæ sęcularibus scopulosa, & implexa est. Quapropter in psalmis canere, & assidue celebrare diuinam bonitatem oportet ijs, qui sęculo renuntiant, & de Babylonica tyrannide triumphant, quorum Deus à laqueo sęcularium sollicitudinum pedes liberauit, vbi pericula passim occurrunt.

Postquam cęlestis Sponsa Deum, 712
quem in lectulo suo habere credebat, non inuenit, impensè curat illum per vicos ac plateas exquirere; sed fruſtra. *Surgam, et circuibo ciuitatem,* *Cantic. 3. v. 2.*
per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, et non inueni. Cur qui ardenter diligebat Sponsam, inueniri recusat? Eleganter D. Ambros. lib. de virginib. *Non in* *D. Ambr.*
foro Christus reperitur: non est enim Christus circũforaneus. Christus enim est pax, in foro litres: Christus iustitia est, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus charitas est, in foro obtrectatio: Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia. Itaque in foro (& idem puta de quocumque alio loco, vbi prophanę sęcularium hominum curæ tumultuari solent) Sponsum quæsiuit Sponsa, & non inuenit: cum tamen pertransisset vigiles custodiẽtes ciuitatem,

post-

postquam ciuitatis non portas tantum, sed etiam negotia & curas trāsgressa est, atque ad solitudinem peruenit, Sponsum inuenit, dulcissimum que ultrò proloquium promeruit. Vndè ipsius pulchritudine allectus dicebat Sponsus: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Cantic. 3. v. 6. Ea ipsa, quam in ciuitate non agnouit, in solitudine maximè placet, & gratissima apparet. Vnde dixit Philo lib. de Abraham: *Natura enim cōparatum est, vt qui Deum inuenire cupiunt, amicam ei solitudinem diligant.* Ideoque merito idem auctor (libro quod deterius potiori insidiatur) Cain dementiam irridet, qui se à facie Dei abscondi posse in solitudine arbitrabatur: nam qui ad solitudinē abit, in Deum profecto incidat, necesse est. Et propterea vt fauoribus Deus cumularet Abraham, præcepit ipsi, vt à domo paterna exiret. *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terrā, quam monstrauero tibi.* Genes. 12. v. 1. Perfectam Deus, & omni virtute exornatum reddere volebat Abraham, nam illi postea dixit Genes. 17. *Esto perfectus.* Vt ergò perfectus esset, à propria domo, & de cognatione egredi præcipitur: nam ibi perfectionem Deo gratam habere non poterat, vt annotauit Origenes epist. ad Roman. cap. 1. *Hoc vtique non diceretur, si in domo patris Deo placere potuisset.* Vigebant ibi secularia negotia, idololatriæ error, parentū amor; procul ergò abire oportebat, vt perfectus esse posset, atque vt Dei præsentia potiretur, vt notauit Philo. *Postquam totam domum egressus est, ait text. visum ei Deum.* Sic habetur cap. 12. *Apparuit Dominus Abraham.* Quem loquendi modum nunquam ante à Scriptura tradiderat, vt aduertit D. Chrysost. homil. 32. in Genes. parum à principio. Voluit ergò Deus hominem solitarium, domum patris cognationemque relinquentem sui visione nobilitari, vt quo fauore, qua dilectione relinquentes paternam domum, & in solitudinem religionis abeuntes prosequatur, ostendat.

Cantic. 3. v. 6.

Philo.

Genes. 12. v. 1.

Genes. 17 v. 1.

Origenes.

Philo. Genes. 12 v. 7.

D. Cryss.

Moysi montanam ac solitariam vitam ducenti, & in deserto oues Iethro soceri sui pascenti Deum apparuisse, mirandaque arcana manifestasse sacræ produnt litteræ. Exod. 3. v. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* &c. Cur in deserto monte, vbi nullus aderat testis, secreta cœlestia Deus reuelat? Oleaster ad hunc locum: *Audis hic, quibus hominibus, et in quibus locis Deus sua secreta reuelet? Nempè deserta loca incolentibus.* Quoties deinceps Deus Moysem de rebus altissimis erat instructurus, à castrorum tumultibus semotum ad montem vocabat, ibiq; totum diuinis intentum alloquebatur. Impediunt inferiorum rerum auræ animum cœlestia meditantē; eum tamen qui vitę huius onera abiiciunt, veluti alati cœlum volare videantur, eisque Deus perpetuus est comes. At cur in igne Deus apparet, imò ignis nuncupatur? Sic Deuteronom 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Cur hoc nomen amat, qui aliud elementi respuit vocabulum, nō enim aqua, aer, aut terra nuncupatur? Tempestiuè S. Anastasius Synaita lib. 4. in exameron: *Arbitror id fieri, quod solus ex rebus terrenis loca superiora appetat, et persequatur.* Surgit in altum ignis, quia superior sphera sibi locus est: exteræ contagionis non patitur commixtionem, & solus in totius orbis vertice degit; idcirco in illo apparet Deus, quia cęlestia petentibus præstò adest. Id ipsum adumbrat rubus, in cuius medio Deus apparuit. *Est enim rubus,* inquit Lypomanus, *arbor sterilis, et senticosa, quam auis citra deplumationem intrare non potest, vt Hebræi dicunt, crescens in deserto, à quo nomine, et arbore mons Synai nomen accepit, in quo Dominus apparere dignatus est.* Ecce digna diuinæ inhabitationis arbor, quę neque aliti ingressum præbet, quin plumas deponat: quod religionis arctum institutum adumbrat, vbi omnes terrenę curæ deponuntur, vt aditus ad Deum sit aper-

Exod. 3. v. 2.

Oleaster.

Deuter. 4. v. 24.

S. Anast. Sinaita.

Lypom.

apertus. Huc respicit locus ille Psal. 70. v. 16: *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potẽtias Domini.* iuxta 70 versionem legitur, *Quoniã non cognoui negotiationes.* Quasi rerũ terrenarũ lucris ac curis intenti ad cõtẽplanda magnifica Dei opera nõ admittantur. Vnde quia ab his liberũ habebat animũ Dauid, ad eorũ cõtẽplationẽ ingredi nõ dubitabat. Qui enim à sęcularibus negotijs se subducit facilè Dei mysteria percipit, ipsũque comitẽ habet, qui omnẽ aditum inimicis spiritualibus prędudit.

Psalm. 79 v. 16. Septuag.

714 Prędixit Deus (Daniel. cap. 11. ver. 41.) miseram stragem, & deplorandã ruinam, quam Rex Antiochus inducturus erat in terram Iudęæ, sub cuius persona Antichristus latebat adũbratus, & tres tantum ciuitates ipsi insuperabiles futuras assignat. *Introibit in terram gloriosam, et multæ corruent: eæ autem solæ saluabuntur de manu eius Edom, et Moab, et principiũ filiorum Amon.* Cur ex ciuitatibus Iudææ, quas superbus Princeps profligabit, hæ solum à tyranni iugo immunes euadent? Quid illę vrbes peculiare habuerunt, vt ab inimico expugnatore liberentur? Audi D. Hieronymum, qui in Antiocho vrbes depopulante Antichristum agnoscit. *Antichristus Idumeam, et Moabitas, ac filios Amon, idest, Arabiam relinquet intactam: quia illuc sancti ad deserta confugiunt.* Referebant illę ciuitates vitam religiosam, & solitariam, vbi nullus inimico patet accessus: quasi soli Religiosi, & eremi incolæ de mundo triumphent, quia intra religionem, & monastica claustra arma desunt diabolo, quibus abundat in sęculo, vt ibi habitantes aggrediatur. Quod scitè admodum adnotauit D. Ambrosius serm. 35. ad illa verba Matth. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant. O misera,* inquit, *satanæ, et extrema congressio. Diabolus in deserto tentationis solida arma non inuenit, deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Euæ: deest illi pomorum speciosa deceptio: quia non inuenit cibum, quem offerret esurienti, postulat in cibum saxa mutari. Vndique exclusus, vndique defraudatus ad pauimenta se confert: satis enim manifestè ostendit vastitatẽ sibi eremi restitisse, cum putat propter inopiam rerum elementa posse conuerti. Putabat igitur in panem lapides vũmutari.* Tamen etsi in religiosa, & solitaria vita non sint paradisi deceptorię voluptates, in fructũm vbertate paradisum refert, vt pulchrè aiebat Petrus Damianus sermon. 59. *Verè claustrum est paradisus: hic prata virentia scripturarum: præterfluẽs lacrymarum vndositas, quam de puris affectibus amor ille cœlestis eliquat: hic sunt arbores erectissimæ chori sanctorum, nullaque est, quæ non multa gaudeat fructus vbertate.* Etenim religiosa vita paradisum instaurat, quia in ea delitię exuberant, vberrimique fructus colliguntur.

Dan. 11. v. 16.

D. Hier.

D. Ambr.

Pet. Dam.

Sed proh dolor! Quot sunt qui in hoc paradiso delinquunt, qui in hac via tuta, & à periculis libera offendunt, qui in hoc perfectionis statu peiores, quam in sæculo efficiuntur. Sępè quę in iuuentute venerantur Religiosi incrementa virtutum, senes abhorrent, & misere deperdunt. Qui mundialibus curis irretiti perfectionem sequebantur, in excelso religionis statu aliquando degenerant, similes Pardorum gentibus, quibus iuuẽtus cana est, nigra senectus. Hos meritò comparat S. Geminianus (lib. 4. epist. 38.) miluis, qui iniuentute magnas capiũt aues; in senectute autẽ vix muscas, aut culices, degeneres ostendentes viros, quibus in maiori ętate, & perfectiori statu minor inest virtus. *Miluus in iuuentute differt àpręda auium non videtur, sed quanto plus viuit, magis se se semper degenerem ostendit: vndè secundum Aristotelem quoddam genus est milui, quod in principio aues capit, tandem vix muscas et vermiculos, et demum fame perit.* Tales iudicabis leues & inconstantes, qui in prima ætate virtutem colunt, in senectute autem impie se gerunt, & virtutem in sęculo partam deperdunt.

715

S. Gemin.

Hos

716 Hos quidem à bono in malum declinantes, & in peius semper abeuntes arguit Deus in populo Israelitico, qui post magnos in lege Dei prouentus indecorè defecit. Oseæ 8. v. 9. *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi.* Assimilem onagro conditionem habuisse populum reprehendit: in quo autem populus onagri exprimat mores & ingenium, obscurum valdè est. Consulendus AElianus lib. 14. de histor. animal. c. 9 vbi de onagris, seu asinis Africanis ait: *Mauri asini primùm vt se in viã dederunt, incredibili celeritate iter cõficiunt, vt euolare, non exturrere videantur: deinde cito fessi de via, et pedes, et spiritus deficiunt, et pedum tarditate ad currẽdum constricti insistũt, et acerrimas profandunt lacrymas, nõ tantopere meo iudicio ob futuram mortem, quam ob pedum infirmitatem: quare vt captiui ad equos alligati trahuntur.* Vbi expressam videas imaginẽ Israelis, qui cum nimis immaturæ festinatione ad negatam voluptatem properaret, defecit tandem, & viribus ac spiritu cadens, constrictus ad hostes, non iam amplius liber & strenuus, adducitur. Similiter instabiles videas homines, qui à principio alacriter insequũtur virtutẽ; posteà verò turpiter eam deserunt, & à dæmone victi ad sua praua desideria trahuntur: & miserabilem deplores casum eorum, qui in sęculo bene morati extitere; ad religionem autem traducti efficiuntur praui. Quibus apprimè congruit, quod de eodem Israelitico populo dicebat Amòs c. 8. v. 9. *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Idest, in meridiano Religionis splendore, vbi virtutis radij magis uigent, deficiente repente sole, nox obrepet, & luci clarissimę virtutis vitij caligo densissima succedet. Qui in nocte sæculi luce non erant destituti, intrà claustra omnino obscurantur: sicut arbores, quas vidisse testatur S. Ioannes Climacus, quæ in terra sterili, & salsugine enatæ vberes afferebant fructus; ad fęcundam verò translatæ, vbi dulcissimę aquæ lacticibus irrigantur, ad limpharum torrentem steriles sunt effectæ. Impudẽter enim delinquunt, qui à virtute Religiosi status semel deficiunt: quia perfectissimum Religiosæ vitę institutum propter suam excellentiam nescit paulatim decrescere. Qui ab illo cadit, ad ima descendere necesse est: quia, vt dixit Aristoles, *Corruptio optimi pessima est.* Et Horatius: *Grauiori casu decidunt turres.* Vndè dicebat D. Augustinus, lapsus nonnullorum suę professionis expertus epist. 137. *Simpliciter fateor coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam: ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile expertus sum meliores, quã qui in monasterijs profecerunt; ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs ceciderunt.*

Amòs c. 8. v. 9.

S. Ioan. Climac.

Aristotel.

Horatius.

D. Aug.

717 Iacobo è parentis domo fugienti, & per solitariam semitam incedenti apparuit Deus in illa celebri scala supra terram innitente, cuius cacumen tangebat cœlum, & in cuius suprema extremitate innitebatur Deus: qua uisione instructus, cum in somnis accidisset, euigilans ait: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Genes. 28. v. 19. Planè Deum agnouit, neque de illius consortio dubitauit. Cum autem ipsemet Iacob à Mesopotamia remigraret, *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Genes. 32 v. 24 At cum per totam noctem cum Deo luctaretur (vt probabilior fert Patrũ sententia) ac intra brachia complecteretur, illum prorsus ignorauit, vt satis perspicue indicant illa verba, quibus nomen certantis sibi reuelari expescit: *Dic mihi quo appellaris nomine?* Cur Iacob in somnis, & noctis vmbris, eminus quantum à cœlo terra distat, ibi agnoscit Deum superiori scalæ extremitate innitentem; non verò cum è Mesopotamia redux tota nocte cum eo luctans, mutuis amplexibus se se illi inseruit? Cur modo quisnam sit, sciscitatur, qui lynceis oculis à terra Deum prospexerat in cœlo? Ipsummet, quem tunc in tam longo interuallo agnouerat,

Genes. 28 v. 16.

Genes. 32 v. 24.

Ibid. v. 29

uerat,modò ad amplexus vſque inter brachia ruentem neſcit? Meditabar olim ſic accidiſſe, quia Iacob è Meſopotamia remigrans cum vxorum familia & filiorum copia, matrimonij ſtatum figurabat,cęlibatus verò quando ſolus à parentis domo fugiebat, & aſperam ſolitudinem peragrabat. Facilius autem cęlebs, & Religioſus Deum agnoſcit,quam is, qui mundialibus irretitur curis. Nunc mihi oppoſitum videtur: nam Iacob in toto vitę curriculo Eccleſiaſticum,ac Religioſum virum adũbrabat, *Erat enim vir habitans in tabernaculis Set*, vt ibidem habetur, & ſunt quam plures,qui in mundo degunt ſecularibus ſolicitudinibus implexi,Deum perſpicuè agnoſcentes, ipſum venerantes, ac reuerentes: ij autem ad religionem translati,quãdò ratione muneris & ſtatus magis Deo adiunguntur, quotidieque ipſum in manibus habent celebrantes, & in pectore excipiunt: minus de illo ſapiunt,propter maiorem familiaritatem eum deſpiciunt, & ignorant. Ipſemet Iacob,qui in primæuis annis alto ſopore dormiens Deum agnouerat,cum iam increuerat, & canæ ſenectute plus proficere tenebatur, magis ac magis Deum ignorat. Huius autem degeneris conditionis ſe expertem agnoſcens Propheta,lętatur,quod cerui naturã imitatur, qui quotannis cornua cum incremento renouat,neque in ſenectute à virtute iuuentutis degenerat. *Et ponet pedes meos,quaſi ceruorum*. Hic v.19.

ANOT.C.LXXIV. MORALIS.

COELESTIA ANHELANS TERRENA contemnit, et pericula deſpicit.

718 QVI ſurſum animam leuat, & à ſęcularibus curis abſtrahit,terrena cuncta ſpernere diſcit, quia ibi tantum felicitatem veram agnoſcit,veramque ſecuritatem. Nihil eſt,quod timorem incutiat ad cœlum tendenti,uam illico valet terrena quæque pericula ſuperare, & diſcrimina contemnere. Poſt ingentem mundi alluuionem generaleque naufragium explorare deſiderans Noè, an adhùc terra ſtagnaret aquis,& futuræ ſerenitatis ſigna apparerent, arcam,qua erat incluſus, detexit; vt exindè terrę ſuperficiem proſpiceret. *Aperiens Noe tectum arcæ aſpexit, viditque, quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ*. Geneſ.8.v. 13. Suomet obſtare videtur Noe deſiderio: nam ſi animus erat inueſtigare, an terra adhùc aquis eſſet ſubmerſa, an ſaltẽ cacumina montium diſcooperta apparerent;cur arcę tectum reſerat, & non potius ianuam terræ vicinam, & peruiam? Quo ingenio per tecti rupturam,quæ ſurſum aſpicit,& cęlum tantummodo demonſtrat,terrã potuit videre diſcoopertam,& mortalium pericula non vltra progredi? A cœlorum aſpectu terræ ſiccitatẽ arguere procurat? Ita equidem: nam qui terrena pericula vitare intendit, cœlum aſpiciat,neceſſe eſt; nam ibi & diſcrimina videbit, & paruipendet. Per tecti rupturam cœlum aſpicit,exindeque terram,quam videre prętendit,intuetur: quia oculos ad cœlum in preſſura leuare, ars eſt ad pericula quæque ſuperanda,& mundialium rerum inanitatem deſpiciẽdam. Polare ſidus qui aſpicit, ſine offendiculo viam calcat, & terrena proterit. *Geneſ. 8. v.13.*

719 Poſtquam Dominus diſcipulorum de primatu contendentium ambitionem repreſſit, illorumque ſocordiã exprobrauit, tandem eorum animos terrena ambientes promiſſione cœleſtis patrię ſedauit.Luc.22.v.29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* At quorſum de cœleſti regno agit,cum illi de terreno tantum contendunt, & deſideria terrena cupientia cœleſtium promiſſione auertere conatur? Talis ne eſt mundialium rerum ambitio,vt ſuperiorum promiſſione muneretur? Audi Caietanum. *Retrahit eos ab ambitione præmio præparato eis in cœleſti gloria, vt non ſolum ex ſenſu temporis meri-* *Luc.22 v.29.*

merito, sed ex præparato tam excelso præmio erubescant. Vt discipulorum animos à sęcularium solicitudine reuocaret, in cœlo paratas ipsis obijcit mansiones, vt illuc oculos conuertant, vbi vera felicitas perennat: nam qui ad supernam patriam oculos dirigit, nescit non spernere terrena. Corda peritura ambientia ad cęlestia eleuare procurat, non solum vt à proposito resipiscant, sed vt talia desideraſſe erubescant: nam pudor est ad cœli conspectum, vbi mēs de veritate bonorum eruditur, caduca non despicere, quæ cœlestibus cō parata inania sunt, & pro nihilo reputantur. Vnde Dauid summam impiorum exaltationem, quæ summa vacuitas est, alte meditatus, dicebat Psalm. 36 *Vidi impium superexaltatum, et eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, et ecce non erat.* Quid est, transiui? Idest, postquàm eum consideraui, cœlos aspexi, cumque ibi oculos conuertissem, deprehēdi omnia impiorum prospera, & decora nihil esse, eaque tanquam inania, & insubstantialia despexi. A vertice, vbi eleuantur, ad cœlestium meditationem transiui, & cuncta, quæ possident, inania prorsus, & vacua reputaui. Nahum c.1.v.10. locutus de ijs, qui secunda potiuntur fortuna, & temporalium rerū abundant copia, aiebat: *Consumentur quasi stipula ariditate plena.* Mirum, quod mundialium rerum amatores ariditate dicantur pleni. Planè implicata sententia est, & quæ antinomiam importare videtur: nam rerum plenitudo abundantiam significat; ariditas autem omnimodam vacuitatem. Quomodo ergò inter se conuenient vacuitas & copia, inanitas & plenitudo? Eleganter Rupertus ibi. *Mire dictum ariditate plena. Quid est ariditas, nisi vacuitas? Ergò stipula hic dicitur ariditate plena. Non absque sensus graui pondere sic dixit sciens spiritus, qui hunc mundum arguit, diuitum huiusmodi falsam plenitudinem verā esse materiem.* Quasi dicat: Spiritus in cœlesti schola eruditus ex ijs, quæ ibi didicit, vacuitatem rerū terrenarum arguit, & plenitudinem eorum, quę sub cœlo sunt, falsam esse plenitudinem, & veram vacuitatem agnoscit: cœlestia versans sterilia cuncta temporalia reputat, quę plenitudinis speciem præ se ferunt, sed vix cœlestium meditatione tanguntur, cum vacua resonant, & inania. Coticula ęternorum affricata fictū fulgorem detegunt, nulliusque valoris apparent, & quanuis humanum cor ponderosè grauent, ipsa vanitate leuiora sunt. Vndè dicebat Dauid Ps. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Nihil sanè leuius vanitate est. Nihil futilius mendacio. Quo ergò pacto vanitate & mendacio, quibus decipiuntur homines, illorum grauatur cor? Grauatus animo esse potest, qui nihil nisi vanitatē gestat in corde? Crediderim sic dictum, quia huius mundi bona, licet merę sint vanitates, grauant tamen humanum cor, eo videlicet, quod qui ad illa respiciunt, ineptum habent cor, vt ad cœlestia veluti ad cētrum eleuetur, & impedientia pondera excutiat, & despiciat: sicut qui superna meditatur, terrena omnia prorsus contemnit, ne grauetur, & tardigrado cursu ad cœlia eat: ne in via retardetur, sed festinanter cursum perficiat, omnia peritura calcat, & despicit. De quo meritò gloriatur Vates, pedes se ceruorum habere agnoscens, vt loca velociter ascendat suprema, & cœlestem viam carpat sine impedimento. *Et ponet pedes meos, quasi ceruorum.* Hic vers. 19.

Nahum c.1.v.10.

Psal.4.v.3.

ANNOT. C. L.XXV. MORALIS.

ANIMA, VT FRVCTVM AFFERAT, semper est colenda.

720

FERTILIS ager, nisi assiduo renouetur aratro, nihil nisi spinas & tribulos germinabit: sic animæ cultura nisi iugis sit, & assidua, non nisi infructuosas herbas, quæ

quæ virtutis segetem suffocent, afferret. Horti peramæni euigilans cultor forcipe expedit quotidie superflua virgulta mirteti præscindat, ne arma, & figuræ ex eo composita deformentur. Semper enim nocet differre paratis, & incultus animus facilè quacumque negligentia deformatur. Nihil æther perflans in laxũ velum efficit, nec segnis anima proficuè Deum sustinet, vt eleganter docebat Chrysostomus hom.34. in epistolam ad Hebræos. *Sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur: sic etiam Spiritus Sanctus in animam remissi et segni permanere non sustinet. Et sicut araneorum stamina flatus venti non suscipiunt: sic neque animæ sæcularis, nec homo animalis gratiam poterit Spiritus Sancti suscipere: nihil enim differunt ab illis staminibus cogitationes nostræ, solo visu habentes consequentiam, totius autem virtutis vacuæ permanent.* Vt anima Deum sustinere queat, & illo comite viam peragat, à segnitie longè esse oportet, assiduaque fatigatione excoli: nã vt dicebat Procopius ad cap.28. Isaiæ *Dei sermo solet animas nostras excolere, suoque tempore doctrina tanquã aratro renouare, et latentes earum cogitationes præscindere.*

721 Numeror.8. v.7. pro Leuitis eruendis hæc extat lex. *Leuitæ radant omnes pilos carnis suæ.* Cur radi præcipiuntur pili, non auelli? Præstaret eos radicitus extrahere, vt abradendi curam abijcerent, & tempus ad id munus insumptum in diuinis laudibus insumere. Optimè D. Gregor. lib.1.Moral. cap.23. *Ipsi Leuitarum pili radi præcepti, non auelli: semper enim caro superflua generat.* Licet Leuitæ perfecti essent, ex radice tamen originalis noxæ nascitur, vt radices semper maneant in eorum carne infixæ, quæ penitus auelli nequeunt: vnde semper de nouo vanæ pullulant cogitationes. Hę igitur assidue radendæ sunt, quandoquidem extrahi nequeunt: continua propriæ cogitationis nouacula superfluitates, quę ex originaria culpa serpunt, crebro abradendę sunt, ne zizanijs crescẽtibus decrescat, & euigoretur animæ victus, pro cuius salute tuenda nulli labori, nullique curę parcẽdum est.

Huius assiduæ culturę & renouationis solerter agricola erat Dauid, quandoquidem nunquam à labore cessabat, sed prę manibus opus suũ semper habebat. *Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus.* Psalm.118.v.109. Quid est animam in manibus gestare, & exinde legis diuinę non obliuiscî? Hugo Cardinalis. *In manibus, id est, in operibus. Quasi dicat: quæcũq; facio, facio pro salute animæ meæ.* Alludit satis opportunè ad locutionem sutoris, & aliorum artificum, qui vt significent diligentem curam, quam erga commendata sibi operà habent, solent dicere, præ manibus ea habere. *No la dexo de las manos*, Hispanè dices. Hoc igitur significare voluit regius Psaltes, cum dixit, à se animã nunquam derelinqui, semperque in manibus eam gestare, semper de illa cogitare, ac eam excolere, vt perfectos habeat inde prouentus, vt vberes reddat fructus, nullo infructuosę herbæ vitio permixta. Perfecti enim viri de nullo alio, nisi de cultura animę agunt. Vndè ęgrotanti Ezechię sic futura mors denuntiatur. *Dispone domui tuæ: quia morieris tu, et non viues.* Isaię 38.v.1. Mirũ, quod Deus morituro Regi non suggerat, vt de seipso potius disponat, quã de rebus suis. Qui salutem animæ tam solerter desiderat, & solicitè procurat, illius non recordatur, vbi mortis sententiam pronuntiat, & de rebus tantum perituris curam iniungit? Oleaster difficultatem vidit, & soluit: *Quia sanctus erat Ezechias. Tu verò quia peccator es, animã dispone prius, et postea tua.* Timorato viro, qualis erat Ezechias, non fuit necesse id prę cipere, quod prius ipse fecerat: nam sedulo toto vitę tempore animam disposuerat, ipsiusque culturæ inten derat; ideoque de rebus tantum suis disponere iniungitur. *Sed tu,* inquit

Num 8. v.7.

722 *Psal.*118. v.109.

Isaiæ 38. v.1.

Au-

Augustin. sermone 144. de temp. *Solam animam malam vis, optimam segetem desideras, bonum equum, bonum famulam, uxorem castam, et pudicã, nec malam vellem sustinere potes.* De
726 sola anima non cogitas, ideoque sæpè tibi suggerendum est, dispone animę tuæ, ne incultam & vanis affectibus lasciuientem mors eam inueniat, inuicto labore, & assidua fatigatione impende in te ipsum curam, & operationem, vt nusquam sinè virtutum germine mucinaris, & sterilem te mors arborem manifester, quales illę erant, de quibus lamentabatur Propheta spem dominorum decepisse. *Ficus enim enim non florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, et arua non afferent cibum.* Hic vers. 17.

ANNOT. C.LXXVI. MORALIS.

AMOR SVBDITORVM IN Principem victorias parat.

723 LETHALITER nutat ad ruinã Reipublicę status, vbi subditorum erga Principem deficit amor, vbi beneuolentia erga Principẽ instabilis est. Hinc excidium Romani imperij auguratus est Tacitus lib. 2. Annalium. *Breues, et in faustos populi Romani amores.* Sicut ex pia affectione popularis multitudinis firmam stare Rempublicam, & gloriosis nobilitari triumphis, aiebat Seneca lib. 1. de clemẽtia cap. 4. Quia qui pro dilecto & beneficoPrincipe pug
727 nat, pro seipso certare arbitratur. *Suam itaque incolumitatem amant, cũ pro vnõ homine denas legiones in aciẽ deducunt, cum in prima fronte procurrunt, et aduersa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris sui signa vertantur: ille est enim vinculum, per quod Respublica cohæret, ille spiritus vitalis, quem hac tot millia trahunt. Nihil ipsa per se futura, nisi onus, et præda, si mens illa imperij subtraheretur.* Verus ergã Principem amor veluti anima est militaris roboris, ardoris & fortitudinis. Accerrimus propugnator cum sit Regis dilectio, nihil non audet, gloriosum pericula despicit, vt victorias suo Principi reportet.

Genes. 14. v. 14. à quatuor Assyriorum Regibus cum captus duceretur Lot, de ipsius captiuitate dolẽs Abraham, aduersus victores se parat pugnaturũ, & vt fortiori manu exiliat in vindictam, exuuiasque auferat triũphatoris. *Numerauit* (inquit textus) *expeditos vernaculos trecentos decem et octo, et persecutus est eos.* His cinctus militibus, & Reges deuicit, & captum nepotẽ liberauit. Quis nõmiretur, quod tam exiguo bellatorum numero aduersus magnum, & victoria superbientem exercitum processerit Abrahã, victoriamq; reportauerit paucis & inexpertis militibus munitus? Cur non veteranos milites armauit, vt viriliter & expedite dimicarent, sed vernaculos, & tyrones ad bella insuetos, longeque numero hostibus impares? Auscultа D. Chrys. hom. 35. in Genes. *Assumpsit vernaculos, et qui cum Lot educati erant, vt benevole facerent, vtpote serui pro suo domino certantes: vt quemadmodũ duæ, ita et milites non furore, sed amore ad bellum vindicarentur.* Pende hæc vltima verba, *non furore, sed amore ad bellum vindicarẽtur.* Non prosũt, sed obsunt milites ad bella coacti, & furore sequentes, qui more canum alligati, non Principis, & patriæ amore ducuntur. Consultò senatus noluit Romanus captos milites, quos ipsi offerebat Annibal, & quibus plurimum indigebat, post Canas victoriam admittere: quia qui vltro se hosti obtulerunt, & mori pro patrię amore in certamine recusarunt, ineptos ad bella iudicauit. Solerter igitur Abraham paucos, sed erga Dominum bene affectos, quamuis tyrones milites ad bella selegit: quia amore Principis armati, pauci & inexperti milites plus efficiunt, quam sinè amore multi. Exiguus bellatorum numerus deformidabili & numeroso exercitu victoriã reportauit, quia non furore,

724 Genes. 14. v. 14.

sed

sed amore ducebatur ad bellum.

725 Præcepit Iosuè cap. 1. v. 5. Dei nomine militibus, qui supererant, decẽ millibus reuersis, viginti duo millibus, vt omnes è fonte coram se biberent, addens velle Deum eiusmodi signo discernere pugnaturos. *Qui lingua lamberent aquam, sicut solent canes lambere, separari seorsum.* Igitur flexis genibus alij ad fontem procubuere, & longo haustu auidissimè se irrigarunt: erat enim meridies, autore Iosepho, solque incalescebat, & ardor sitim accenderat. Alij stantes cauis manibus aquam sumpserunt, & more canum carptim lambebant, qui trecenti tantum extitere; quos dux probauit ad pugnam, cæteris dimitti iussis. Quæ huius discriminis fuerit causa, non parum negotium facessit. Cur tam pauci ad tam ingentem inimicorum multitudinem expugnandam assumuntur, eo quod more canum aquam lamberent? Quod fortitudinis illud signũ erat, vt exinde liceat dimicaturos fortiter, & numerosas acies profligare augurari? Præclarè Origenes homil. 7. in Iosue. *Ideò hos trecentos more canum dictos bibere: quia hoc animal super cætera animalia mortem dicitur proprij domini seruare, nec obliterari tempore, nec iniurijs eius, quo in eo fertur, affectus.* Quasi innuat, ideò illos fuisse electos, quia maiori erga Deum, & ducem amore erant præditi: nec enim poterat non reportari victoria, vbi etsi pauci, fideles tamen, pugnabant milites: pauci namque bellantes, qui more canum benè affecti sunt erga dominum, illiusque amore flagrant, de ingenti multitudine triumphant. Etenim vnus Mardochæus Esther cap. 2. vers. 22. quia Regem diligebat Assuerum, ipsum ab Eunuchorum liberauit gladio. Ideoque Vates, quia in Dei amore plurimum profecerat, illiusque ardebat dilectione, victorem ipsum ducturum, & trophea reportantem præsagiebat, hic vers. 19. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

Iosue 1. v. 5.

Origenes.

ANOT. C. L. XXVII. MORALIS.

VICTORIAS DE INIMICIS felicitèr reportat oratio.

VICTOREM se ab hostibus euasurum præsagit Vates: quia diuinis meditationibus intẽtus non cessabat orationes cum cantico effundere. *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Hic vers. 19. Etenim quę à Deo incępit oratio, defluit in victoriam. Hinc Dauid in finem & victoriam multos dedicauit psalmos: quia precariæ orationis robore victoriam ab insidiantibus reportauit hostibus. Ideoque Propheta se oratione victurum ceruo comparat, propter elegãtem illam ac symbolicam inuentionem, qua matutino tempore ceruus purissimum rorem hianti ore iucundè excipiens se reficit, & confortat ad prælium: designat enim huiusmodi animal hominem religioni ac pietati deditum cupideque, rebus omnibus spretis, diuinorum oraculorum suauissimis meditationibus, præsertim sub aurora, quando animus debet esse sanioribus cogitationibus intentus, vacantem, quibus tanquam saluberrimo pubulo, & desideratissimo rore mens nostra cœlitus roboratur, ac recreatur. Hoc inquam diuinæ meditationis rore depasto iustus tanquam ceruus victoriam de potentioribus reportat inimicis.

726

Videns Rex Balac, quę fecerat Israel Amorrhęo, & quod pertimuisset eum Moabitæ, dixit ad maiores natu Madian. Num. 22. v. 4. *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus cõmorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.* Vnde concipere potuit Balac, omnes Amorrhęos à populo fuisse vincendos, & veluti herba à boue penitus extirpãdos? Quid bouino ore imbecillius, vt in illo fortitudo Israelis exprimatur? Enimuero bos leniter lambẽdo pascua pabulatur, & inermi lingua herbam depascit. Opportune Origenes hom.

727

Num. 22. v. 4.

Origenes. homil.13.in Numer. *Quia sicut vitulus abrumpit ore herbam campi, et lingua tanquam falce secat quæcumque inuenit ita populus hic ore, et labiis pugnat, et in verbis habet arma. Mittit ergò Balac ad Balan, vt opponat verba verbis, et preces precibus.* Viderat Rex populum precibus ad Deum factis omnes superasse hostes, victoremque semper euasisse: ideoque experientia doctus, veluti bos in ore habet vim ad eradicandas herbas, in ore precantium robur agnoscit ad superandos fortissimos quoslibet inimicos: vndè armis diffidens, precibus Balan voluit illis se opponere, profitens orationi nullam vim, nullumque hostem posse resistere: nam fastus & energia precantis vocis est, victorias felicissimè reportare.

728 Isaias 41.v.14. Apostolicos, ac fideles viros confortat Deus, nè periculis succumbant, siquidem hostes potentissimos, & elatos contrituri sunt. *Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum trituran s nouum, habens rostra serrãtia: triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulueremem pones.* At quo modo non timebunt, si vermes sunt, mortui? Armari ne potest imbecillitas vermis, aut mortis inanitas, vt cõtra potentissimũ hostem pręualeat? Quia vermes sunt, non expauescent? Imò ob id inimicum quemlibet formidabunt. Optimè Pagninus in Thesauro: *Israelitas vermi comparat: quia vt illius robur non nisi in ore situm est, sic omne Israelitarum robur in oratione sit positum.* Nihil sanè fragilius, molliusue verme est, sed adeò efficax vis in eius ore adest, vt trabem rodendo atterat, & consumat. Sic in fidelium ore deprecatione armato, oratione munito maxima inest fortitudo, qua etsi mortui, & abiecti videantur, hostes triturant, & in puluerem redigunt. Supplex & precaria orationis vis omnes humanas potestates superat. *Noli timere vermis Iacob: posui te quasi plaustrum triturans, habens rostra serrantia.* Non minus feruida oratio, & deprecatio confidens, ac rostra serrantia, superbissimos expugnat hostes. Fusis ore declamationibus potentissimi debellantur inimici. Plures Dauid narrantur victoriæ Ecclesiastic. 47.vers.1. Quod contriuerit inimicos vndique, quod extirpauerit Philisthęum, quod occiderit Gigantem, quod suffocauerit leonem & vrsum. Sed notanda sunt verba, *In tollendo manum in saxo funda, deiecit exultationem Goliæ, vbi inuocauit Dominum omnipotentem.* Vbi oratio interpellabat, Deumque assidua pulsabat, deprecatione, victor euasit. Quod agnoscens D. Chrysostomus homil. vltima de Dauid, & Saule, dicebat: *Postquam enim misit lapidem, eum (Gigantem nempe) precationis robore fuerat aggressus: quod Ecclesiasticus dixit, deiecit exultionem Goliæ.* Huic diuini auxilij inuocationi omnes victorias, quibus fuit nobilitatus Dauid, adscribit D. Ambrosius libr.1. officior. cap.35. *Nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est: ideò in omnibus victor prælijs.*

Isaiæ 41. v.14.

Ecclesiast. 47. v.1.

D. Chrys.

729 Hoc ipsum à Deo accepetat Dauid promissione facta Psalm 131. v.18. *Inimicos eius induam confusione, super ipsum autẽ efflorebit sanctificato mea.* Cur omnes Dauidis inimicos confundere Deus pollicetur, & quibus meritis fertur ad id? Caietanus ibi. *Et hoc etiam intellige ex Sion: quoniã ex cultu diuino in Sion confundere promittit Deus inimicos Dauidis: quod tẽpore Dauidis impletum esse constat, et tẽpore seminis eius confidẽtis in Deo, vt patet de Abia, Asa, Iosaphat, et Ezechia; solus namq; Iosias videtur inter Reges iustos succubuisse inimicis, et hoc ideò, quia non consuluit Dominum in illo bello, tanquã in hoc degenerauerit à Dauide.* Consulto enim Domino, & precibus in eum fusis felix fausq; semper erit belli euẽtus, sueq; victoriæ non consulit, qui Deũ omittit ante certamen consulere. Sic Iosuè vers.5. tria millia pugnatorum

Psalm.131 v.18.

Caietan.

terga verterunt, corruerunque triginta sex homines in vrbis Hai expugnatione. Si autem inquiras, cúr tam infeliciter pugnatum sit? Ausculta Lyram ibi. *Idcirco Deum post mortem Iosue consultum ab Israelitis: quia experti fuerant male eis accidisse, quando Iosue, in consulto Deo, misit bellatores contra vrbem Hai.* Qui ad bellum procedens Deum consulere negligit, vt fecerat Iosue in obsidione vrbis Hai, meritò orbatur victoria, & terga indecorè vertit inimicis. Vt igitur feliciora contingant in bello, & hostes expugnentur, Deum ante omnia obnixè deprecari oportet.

ANOT. CL. XXVIII. MORALIS.

PLERIQVE HOMINVM AD cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, sed per tartarorum iter.

730 COELVM scandere nemo est, qui non optet, quia naturaliter ab omnibus appetitur beatitudo. At diuersis homines se se implicant affectibus, nam non pergunt illuc, quò magis ire volunt, diuersam que à desiderio conficiunt viam, quia per terrenas, & multoties infernisemitas cœlum adire cupiunt. Quos acutè carpit Cyprianus de immortalitate. *Quid ergò oramus, aduenial regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat?* Miratur Sanctus Pater rem adeò repugnantem, homines, videlicet, desideria videndi Deum publicare, & aliunde mundanis rebus tenacius adhærere. Per pulchrè hos comparat Plutarchus ijs, qui in triremis remis incumbunt, nam magno impetu eò pergunt, quò versa ferunt dorsa. Sic sæpè nobis cõtingit: ad cœlos oculos dirigimus, sed ad terram nauigare intendimus: æthera adire volumus, sed per viam, quę ducit ad barathrum.

Cyprian.

731 Exod. 3. v. 18. præcepit Deus Moysi, & senioribus Israel, vt Regem adirent AEgypti, & hęc ipsi intimarent, vt populum liberum dimitteret. *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum, vt immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio, quod non dimittat vos Rex AEgypti, vt eatis, nisi per manũ validã. Extendam enim manum meam,* &c. Totam Deus manum porrigere pollicetur, vt populum eruat, viamque triumdierum conficiat. Verum qui tribus digitis terram sustinet, opus habet manum extendere, vt eius populus tam breue iter faciat? Quorsum tantas vires Deus apparat populo peregrinaturo? Num vt Pharaonis frãgat peruicaciam? Id littera innuere videtur. *Sed ego scio, quod nõ dimittet vos Rex AEgypti, nisi per manum validam.* Sed aliorsũ interpretatur Rupertus illud *extendam manum meam* &c. *Ad hoc autem,* inquit, *et manum validam erexit Deus, ad hoc inquam, vt Israelitæ eant non per viam terræ Philisthini, sed per solitudinem.* Sic populus percupiebat vel ad terram promissionis per prophanum iter incedere, vt necesse fuerit manum validam Deum erigere, ne populus per prophanam viam, sed per solitudinẽ, & viam asperam iter capiat. Nam esto homines ad cœlum ire cupiãt, non tamen per cœli viam difficilem & saxosam, sed per barathri iter planum & latũ viam carpere exoptant: non per solitudinem, & virtutis semitam, sed per viam terræ Philisthini, per latam vitiorum viam ad promissionis terram ire contendunt.

odx E. 3. v. 8.

Rupert.

Matth. v. 12.

732 Præripitur 3. Reg. 2. igneo curru in cœlum Elias, sed non antea cœlestia lumina ingreditur, quam se se pallio exuat, quo erat indutus, illud enim discipulo spiritum petenti dimisit: ad quem euentum D. Hieronymus libr. 1. in Genes. ait: *Elias ad cœlorum regna non potuit ire cum pallio.* Communiter hæc sententia à recentioribus vsurpatur, vt diuitiarum pondus adstruant, vel vt difficilem diuitum salutẽ ostendant. Ego autem illam pendo particulam, *Non potuit ire.* Quare Elias pallio indutus cœlum adire nequibat? Percõtatus Chilon, quid essent diuitiæ?

73

Cap. 5. v. 7.

Res-

Respondit: *Thesaurus malorum, calamitatis æternæ viaticum.* Aptius illas viam æternæ calamitatis vociaret, siquidem frequenter per viam diuitiarum incedentes (vt dixit Seneca) *Stygias vltro quærimus vndas.* Si ergò temporalium bonorum abundantia via est frequenter ad tartarũ, sicuti ad cœlum nuditas; potest ne aliquis ire sine via, vel per viam tartari potest ad cœlum properare? Minimè. Elias ergò non potuit ire cum pallio, quia sine via, seu per viã alienam incederet: igitur meritò ei adimitur pallium, vt viam ineat salutarem, vt per cœli viam, nempè, nuditatem, non per tartareum iter, quod frequenter diuitiæ sunt, ad cœlum tendat. Non enim per latam & planam damnationis viam, sed per cœli iter arctum & breue ad cœlum itur. Affinis textus ille est Canticor. 5. vbi Sponsa de sua nuditate conqueritur. *Matth. 2. v. 12.* *Tulerunt pallium meum custodes murorum.* Quinam murorum custodiæ incumbunt? Angeli, nempè, cœlestis milites exercitus Ecclesiæ dimicantis. At num Angelis facinus dignum est Sponsam spoliare vestibus; an potius latronis? Pulchrè D. Ambros. lib. 3. de Virginib. *Bene tollitur ei pallũ, quæ ad Christum appropinquat.* Benè inquam, quia in morem illius, qui errantem viam edocet, ablato pallio Angelorum pium ministeriũ animã ad Christum inueniendum constituit in via: quia non diuitiæ, quæ frequenter sunt calamitatis æternæ viaticũ, sed nuditas & paupertas via est, quæ ducit ad Christum.

733 Longo itinere confecto, & Regi in præsepio nato à Magis obedientia præstita, *Cap. 5. v. 7.* *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Matth. 2. versu 12. Dubio absque per aliam viam ad patriam remeabant, ne quæsiti forsan ab Herode facilè inueniri possent, & contra cœleste monitum ad tyrannum redire cogerentur: alia namque via fuit à Bethleem in Ierosolymam, quam præterierunt, quousque parum interrupto tramite recto idem iter resumerent in sententia Abulensis. *Cum dicitur, quod per aliam viam reuersi sunt, est sensus: quod non redierunt ad Ierusalem, vbi erat Herodes; sed declinauerunt modicum, vt non intrarent Ierusalem.* Hugo Cardinalis aliam prorsus viam assumpsisse putat, & moralissimè ad nostram thesim versat. *Si recessit homo à paradiso per superbiam, debet redire per humilitatem: si per inobedientiam, per obedientiam: si per luxuriam, per castitatem. Venisti* [adijcit ex Chrysostomo] *per viam luxuriæ ad Herodem, ambula de cætero per viam castitatis: venisti per viam auaritiæ, ambula de cætero per viam eleemosinæ: si enim per primam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis.* Stultissimum namque est per viam, quę tendit ad Herodem, ad Christum ire velle, per barathri iter ad cœlum tendere: quò non nisi per viam asperam itur, Sed proh dolor! Quantis se homines implicant desiderijs! Cupit inhonestus ad cœlum ire, sed non per castitatem, quæ via regalis est, sed per luxuriam, quandoquidem proximam peccandi occasionem non deserit. Quod quidem est velle simul, & nolle ire: nolle à se sed à Deo illic collocari. Ad eum modum quo lasciuus vitam produci cupit, sed per luxuriam, quæ mortis iter est, atque adeò vult, & non vult vitam produci: non vult à se, sed totaliter à medico. De quo non male, nescio quis.

Qui fragilem longè cupimus producere vitam,
Luxuria vitæ cur breuiamus iter?
Nolumus, et volumus produci tempora vitæ.
Nolumus à nobis; malumus à medicis.

Abulens. *Hug. Car.*

Hanc hominis conditionem refugiens Vates, in cœli itineribus instructus, pedes se, inquit, habere veloces ad superãdos montes, qui inter Babylonẽ, & Ierosolimam interiecti sunt, quia ad Ierusalem eius patriam per asperã & montuosam viam ire con-

tendit: stultum enim esset per planũ iter velle ad cœlum properare, vt stulti volunt sęculi amatores. *Et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor.* Hic v. 19.

ANOT. C. LXXIX. MORALIS.

QVOD PRO DEO LARGIMVR, non minuitur, sed cum ingenti lucro recipimus.

734 VSVRARIVM munus piè obit, qui pro Dei obsequio facultates suas dispensat, quarum nõ solum non sentit iacturam, sed cum lucro ea reportat. Quę donat, non amittit, sed in possessione sua retinet: etenim quę à domo exire videntur, in domo remanent. Deuicto Philisthęo, arma, quibus pugnauerat Dauid, in victoriæ monimentum, & facti gratitudinem attulit in Ierusalem, ibique collocauit in templo. *Arma verò eius posuit in tabernaculo suo* 1. Reg. 17. v. 54. Non leuem difficultatem verba hęc regalis historiæ ingerunt: nam constat ex cap. 28. eiusdem libri, gladium Goliath, quo Dauid eius amputauit caput, in tabernaculo Domini in ciuitate Nobè in victoriæ memoriam fuisse asseruatum. 1. Reg. 21. v. 9. *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle terebinthi, est inuolutus pallio post Ephod.* Aiebat Abimelec Dauid ab eo arma postulanti. Quo ergò pacto verum erit, Dauid arma collocasse in tabernaculo suo, quod erat in Ierusalem? Caietanus dupliciter nodum soluit. Primò autumans, hic esse sermonem de omnibus armis Philisthęi, excepto gladio, qui oblatus fuit in tabernaculo Domini, ibique in recordationem cõcessæ victoriæ pendebat. Secundò existimat, post triumphum translatum fuisse gladium ex Ierusalem in Nobè ad tabernaculũ Dñi: ideoque, inquit D. Hieron. in quęstionibus Hebraicis. *Non est intelligendũ, quod in suo posuit tabernaculo, sed in tabernaculo Domini, de quo tabernaculo postea illum ab Abimelec sacerdote suscepit.* Idem habet Lyranus hic, qui pro tabernaculo suo tabernaculum Domini intelligit, quia Dauid tempore victorię non plura habebat tabernacula. Iam ergò ambiges, cur exuuias certaminis, quæ in Dei tabernaculo collocauit Dauid, in tabernaculo suo posuisse dicitur? Dubio absq; quia quę in Dei tabernaculo sacrauerat, in propria domo retinebat, vt eis tanquã proprijs, quando opus esset, vteretur. Ideoque quãdò gladio indiguit, in tabernaculo domini ad inuenit, & ad manum se se illi obtulit: quia quæ Deo dicantur, tenacius possidentur, nec oblata amittuntur, sed securius asseruantur.

735 Præcipiebat olim Deus Leuitic. 25 num. 3. terræ cultoribus, & satorum dominis, vt sex annis fructus colligerent; septimo autem, in quo erat iubileus, nihil de terrę prouentibus percipere, sed ea pauperibus relinquere. *Leuit. 25. v. 3.* *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno sabathum erit terræ requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes: et vuas primitiarum tuarũ non colliges.* Per quod, vt inquit Theodoretus adductus à Glossa, humanitatis officia docuit: voluit enim Deus pupillos, viduas & aduenas eorum fructuũ esse participes, nullũque expertẽ beneficiorũ, quæ ipse cõtulit. Sed difficultas oritur ex verbis, quæ statim textus subiungit. *Sed erunt vobis in cibum, tibi, et seruo tuo, ancillæ, et mercenario tuo, et aduenæ qui peregrinatur apud te: iumentis tuis et pecoribus, omnia, quæ nascuntur, præbebunt cibum.* Si enim omnia pauperibus fore septimo anno relinquenda præcepit; quomodo ea in cibum erũt ipsis dominis, ancillis, seruis, & pecoribus? Qui omnia largitur, nihil reseruare necesse est. Ingeniosè Theodoretus. *Non prohibet Deus vesci eis, quæ sponte sunt, sed reponere in vsum proprium.* Enimvero quæ in vsum proprium non reponuntur, sed pauperi-

peribus erogantur, non amittuntur, neque nobis desunt, ex illis enim vescimur: ea ipsa, quę alijs fruenda relinquimus, nostra sunt, nobisque ad vsus necessarios inseruiunt. Vnde D. Chrysostomus. *Si panem des, hunc habes solum.* Frumenta pauperi erogata in propria horrea reponuntur. Deficient, quæ domi habentur; at quæ pro Deo offeruntur, indeficienter permanent, & rehabentur cum ingenti lucro. Hinc enim Dauid de viro liberaliter propria bona largiēti locutus aiebat Psalm. 111. v. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Vbi D. Chrysostomus: *Nou dixit dedit, vel distribuit; sed dispersit, et eius, qui præbet, largitatem ostendens, et rem sementem nominans: qui seminant, dispergunt, quæ sunt reposita.* Sed fortè qui sic dispergunt facultates suas in pauperes, quę dispersa sunt, amittūt? Haud equidem. *Hoc est enim* [pergit Chrysostomus] *collectione melius* (collectione inquam, quę ex semine terræ ab agricola mandato speratur) *ita dispergere melius est quam colligere. Dispergunt pecuniæ, et colligitur iustitia: dispergantur quæ non manent, vt acquirantur manentia.* Eleganter se diffundit in hoc argumentum Clemens Alexandrinus lib. 3. pedag. c. 7. ad illa verba Cantic. 4. v. 15. *Puteus aquarum viuentium*, quę sic pulchrè versat. *Quemadmodum quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur: ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis potum sitientibus communicans, rursus augetur, et repletur; quemadmodū ad vbera, quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac confluere.* Nunquam enim sine magno incremento donata egentibus bona non reuertuntur, vt annotauit D. August. libr. 1. de doctrina Christiana ad illud Marc. 6. *Et sustulerunt reliquias fragmentorū duodecim cophinos plenos. Illi quinque*, ait, *et illi septem erant panes, antequā inciperent dari esurientibus: quod vbi fieri cœpit, cophinos, et sportas satiatis tot hominum millibus impleuerunt.* Quibus adde illud eiusdem Patris epist. 132. *Officium impertiendi meritū erit accipiendi.*

Luc. 19. Zacheus publicanus, & diues valdè ab illicito fœnore thesaurum conflauerat opulentum: cōuertitur à Christo Domino, & statim cogitat de restituendis opibus furto comparatis. Sed animaduersione digna sunt verba, quibus id efficere videtur. *Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quem aliquid defraudaui reddo quadruplū.* Miraberis merito, cur non prius dixerit, restituo creditoribus; & postea do pauperibus; siquidem prius, & magis urget obligatio ex iustitia, quæ restitutionem exigebat, quam liberalitas erga pauperes ex misericordia? Prius enim est ablata reddere proprio domino, quam indigentibus accurrere. At etsi Neophitus esset Zacheus, recenterque in doctrina Catholica educatus, altè perpenderat, quam esset fructuosa in pauperes eleemosina. Desiderabat enim nō ad æqualitatem, sed quadruplum reddere, si aliquem defraudauerat. Vt ergò liberalior, & copiosior esset restitutio, & suppeterent bona ad tam profusam restitutionem, ingeniatur arbitrium perito fęneratore dignū, nempè, prius effuse eleemosinas dispensare pauperibus, à quibus citissime sperabat cum fęnore cumulare diuitias, vt posset non duplum, sed quadruplum restituere: quia augendi opes artificium est eas prius in pauperes distribuere. De quo maximè lætabatur Paulus Philippenses in hac arte instructos aspiciens c. 4. *Gauisus in Domino sum vehementer: quoniam tandem aliquādo reflоruistis.* S. Antonius Patauinus verba capit de lętitia, quam habuit Apostolus eo quod Philippenses in diuitijs reflоruerāt, sicut antea. *Quid reflоruistis? Scilicèt eleemosinam dādo.* At si Paulus docuerat bona abrenuntiare, & pauperibus elargiri, idque Philippēses effecerant; quomodo in diuitijs reflоruerant? Reflorere in opibus dicuntur, qui omnia abdicarunt, vt egē

736 Luc. 19. v. 8.

Ad Phil. c. 4. v. 10.

tium inopiam subleuarent? Ita equidem. *Eleemosynæ* (inquit opportunè Antonius) *ramis arborũ similes sunt: sicut enim arbor ramis superfluis præcisis melius fructificat: sic et, qui de proprio eleemosynam facit, Dominus reſiduum multiplicat magis.* Bene, inquam, superflua qui dispergit, ad vberiorem se præparat frugẽ colligendam: sicut inueteratis arboris ramis abcisis fęcundiores fructus affert.

737 Id ipsum arcanè monebat Ecclesiastes cap.11.v.1. *Da partem septem, nec non et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Sententia satis, vt apparet, implexa: imò quia homo ignorat, quę euentura sunt mala, seruare substantiam, & diuitias debet, vt habeat vndè viuat in tanto malo imminenti, & in aduersa se tueatur fortuna. Rectè Lyra ibi. *Quia ignoras quod futurum sit malũ, et ab illo liberari possis per opera pietatis impensa indigentibus. Quia sicut prædictum est, pietas non solum habet promissionem vitæ futuræ, sed etiam præsentis.* Ergò omnia disperge, ne quid tibi vnquam desit. Da, vt habeas, qui nihil habes, quia nihil das. Si vis censum augere, & tibi in futura calamitate prouidere, omnia porrige, illaque securius possidebis. Hinc enim rectè notarunt Origenes, & D. Thomas discrimen illud possessionis vineę: nam Gentibus, & Iudæis locata fuit, *Locauit illam agricolis*, Matth.21. Fideli autem populo iam non locatur, sed datur, *et dabitur Genti facienti fructus.* Cur alteris data, alteris locata perhibetur? Audi D. Thomam. *Non dicit, locabitur, sed dabitur: quia iam ex vinea datur fructus Deo. Qui eam colit, nũ dicitur mercenarius, aut colonus, sed ei data vinea est; cum verò fructus Deo non datur, colonis locata est.* Vinea data dicitur, cum vberiores fructus Deo reddimus; locata, cum parum, aut nihil tribuitur: quoniam cum plura reddimus, habemus plura, illaque non vt coloni, sed vt proprietarij possidemus; quã tò enim largius bona in Dei obsequium dispendimus, tantò ampliori iure illa capimus. Quæ retines solũ commodata, aut locata videtur; quæ spargis donata, in propria iura redacta, & tranquilla securitate sunt possessa, non solum in præsenti, sed in futura vita. Sic inquam ceruus, vt ad excelsa loca conscendat, vngulas figit, vt aduertit hic D. Hieronym. homines designans, qui sua bona pauperibus largiuntur, manumque porrigunt iacentibus, vt cœlum conscẽdant, vbi cum fenore & lucrosa commutatione illis fruantur. *Et ponet pedes meos quasi ceruorum, et super excelsa mea deducet me victor.* Hic vers.19.

Ecclesiast.

Matth.2. v.33.

D. Thom.

ANNOT. C. L. XXX. MORALIS.

HOSPITALITAS DEI VIRTVS, et beatitudinis complementum.

738 NON modo hospitalitas erga pauperes, & humanitatis officia erga aduenas & peregrinos homines ad Dei similitudinẽ eleuat, sed character ipsiusmet diuinitatis quodammodo est. In hac pia beneficentia latet diuinitas, in Deũque, qui illam exercet, consecratur, & supra humanitatis fastigium creditur eleuandus. Redeuntibus ab AEgypto fratribus Ioseph cum annona, quã ipsis liberaliter porrexerat, aperto quodam sacculorum, vbi triticũ deferebant, in ipso quidem pretium pro illo exhibitum latens inuenerũt, & admirabundi dixere: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Genes. 42. v.7. Planè desipiunt: nam non Deus, sed pijssimus Ioseph, quos peregrinos & aduenas perhumaniter exceperat, quorũ vẽtres impleuerat, saccos adimpleuit, & latenter in ipsis pecuniam reposuit. Adhùc liuor & inuidia ipsos tenet, quod ne in fratrẽ pietatis laudes refundant, ipsum nõ agnoscunt liberalitatis authorem? Deum ipsis accurrisse aiunt, ne grates inuiso fratri rependant, illique deferant tam egregium opus? *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Ve-

Genes.42 v.7.

rum

rum hæc non malitia censenda est, sed euentus perspicua cognitio: sciebant enim fratrem erga ipsos misericordem extitisse, nec solum triticum, sed pretium etiam reddidisse ipsosque peregrinos recepisse hospitio; atque ideò ipsum exindè non hominem, sed Deum esse putabant, ob idque Deum appellant: nam ita est Dei proprium indigentibus subuenire, ipsorumque subleuare egestatẽ, vt qui id faciat, in Deum quodãmodo consecretur. Hęc, inquam, virtus adeò excellit, vt non aliud nisi Dei nomen ipsa capiat. Promeruit Ioseph Dei cognomen fratribus indigentibus annonam prębens: nam libenter Deus miseriam pauperis subleuanti nomen ipsi sacrum porrigit. Nec solum nomen, sed & seipsum diuendere non recusat, vt auxilium indigentibus prębeat, & peregrinis requiẽ. Pulchrè annotauit Ambrosius, quod ex pretio pro Christi sanguine exhibito, à Iuda proditore proiecto, & à Iudęis nõ admisso ager fuit emptus, vt peregrinis esset sepulchrum. Matth.27. *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorũ.* Et pie dixit, nũc agnosco, quod ad peregrini quietem, & pauperis hospitium patietur se Deus diuendi, atque pretium proprij sanguinis in hoc ministeriũ prębstabit. Locum, vbi requiescunt egeni, proprio sanguine Christus emit, vt hospitalitatis adimpleret officium, seque Deum ostenderet: nam nisi hęc virtus in ipso reluceret, nõ Deus crederetur.

Matth.27 v. 7.

739 Ducitur ad martyrium Stephanus, & inter frangorem lapidum ipsum impetentium à latere æternæ dextræ, vbi sedebat, surgit Christus, statque accinctus cum bellatore pugnaturus. *Ecce video cœlos apertos, et Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Actor.7. Cur non sedens apparuit, vt diuinitatem, quam à Patre hereditauit, ostendat? Nonne ipse Pater dexteram, vt Filio, & heredi sessuro offert, Psalm.100. *Sede à dextris meis?* Vt quid igitur non sedit, vbi Stephanum in agone vidit? Surgit, ait pondè-

Actor.7 o v. 56.

rosè Petrus Damian. serm. de S. Stephano, vbi eius adiutorio indigebat Stephanus, vt Deus, & æqualis Patri crederetur: nam si sedens appareret, & in procinctu non esset, vt necessitati hominis ipsius auxilio indigentis accurreret, neutiquam Deus videretur. *Stat cum stante, cum bellatore bellatur, lapidatur cum lapidato, nec Patre minor esse putetur.* Nisi enim necessitati, & indigentię Stephani opem prębere, & patienti compatere tur, atque in natura humana consorti subueniret, non ęqualis reputaretur Patri. Hęc inquam virtus diuina est, & quę naturam diuinam demonstrat, beatitudinemque adimplet.

Petr. Dam.

740 Quod Chrysologus maximè in Abrahæ hospitalitate ponderauit, id fuit, quod non solum peregrinos humano excipiebat officio, sed seipsum peregrinum effecit, vt peregrinos reciperet. Ad id ipsi iniungitur, vt à propria patria exeat. *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quã monstrauero tibi.* Genes. 12. v. 1. Tanta enim auiditate hospitalitatem sectatus est, vt non solum extorris patria, patria fuerit peregrinus, dum vixit; sed in superna patria non se beatum reputaret, si ab hoc pietatis cessaret munere. Gulosus ille epulo medijs in flammis constitutus, oculos eleuans Lazarum mendicum prospexit in sinu Abrahæ recumbentem. *Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinu eius.* Luc. 19. Vt quid Abraham vlcerosum pauperem in sinu excipit iam beatus? Ibi nulla necessitas vrget, nulla miseria affligit, quia à beata patria omnia relegantur incommoda, neque ascendunt ibi vllæ egestates. Pulchrè Chrysol. serm. de diuite, & Lazaro. *Et reuerà fratres, parum se beatum credit, si in ipsa beatitudine ab hospitalitatis pio cessaret officio.* Etsi pauperes ibi auxilio non indigeant Abrahæ, ipse tamen, vt beatus perfectè sit, pauperibus indiget, quos in sinu foueat: non enim

Luc. 16. v. 23.

Chrysol.

enim se beatum crederet, si ab hoc pietatis munere vacaret in patria. Quid exaggeratius? Vel beatus ambit, vt bene se habeat in gloria, hospitaliratem exercere. Fortè ab hac posthuma Abrahæ erga pauperes humanitate, quam in patria exercuit superna, ad illam elevatus pia hæc officia didicit Paulus: nam post raptum ad tertium cœlum, vbi arcana Dei penetrauit, infirmarij munus sibi delegit. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Aiebat statim 2. Corinth. 11. 2G.cor.11. v.29. Quid? Non aliud Paulus in cœlo vidit imitandum, quod mox pauperes, & egenos egrotantes quærit, quibus auxilium præbeat? Cum primò à cœlesti patria descendit, pium hoc officium exercere curat? Ita equidem: hoc vnum in cœlesti gymnasio monitum didicit, & à consortio beatorũ hausit: quia hæc vna virtus beatitudinem adimplet, eiusque sectatores perfectè beat: etsi ibi neque infirmitas, neque dolor sint vltra, pauperes nihilominus huius egregiæ virtutis amatores fouent, ne glorię saporem amittant, & patriam pro exitio habeant.

ANNOT. C. LXXXI MORALIS.

COELESTIS VRBS IERVSALEM arx est mortificationibus munita, et pœnitentiũ patria.

741 SVPERNA beatorum habitatio metaphora munitissimę arcis passim in sacro eloquio describitur: sic Cantic. 6. *Terribilis vt castrorum* acies perhibetur, ac veluti ciuitas muro & antemurali circumuallata. Cantic.6. Ast qui muri eam cingunt? Qui milites muniunt & defendunt? Non inquam robustissimi & potentissimi bellatores, sed inermes, lassi & confracti, pœnitentes nempe, mortificationibus attriti, maceratione extenuati, & asperrima vita languidi: his copijs cœlestis patria cingitur, his propugnaculis circumallatur, vt refugium sit munitissimum ad ipsam confugientibus. Non lapidum robore illa excelsa ciuitas fulcitur, non bellicis instrumentis armatur, nõ exercituum roboratur fortitudine; sed peccatorum pœnitentia munitur, & insuperabilis consistit. In cuius significationem præcipiens Deus Moysi terram Chananitidem considerare, fortiores sex ciuitates in fugitiuorum refugium segregare iussit Num. 35. v. 6. *De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorum auxilia separata.* Vbi Laurent. Iustinian. lib. 6. de casto cœnobio Verbi & animæ, in vna ex prædictis ciuitatibus pœnitentium patriam describi arbitratur, qui peracta satisfactione ad cœlestem ciuitatem confugiunt, vbi tanquam in tutissima arce, & propria patria excipiuntur protegendi. *Est pœnitentia vna munitissimarum ciuitatum, quas Dominus Moysi mandauit, segregari in salutem fugitiuorum.* Piè namque operando, & animosa spe erecti pœnitentes ad ciuitatem illam confugiunt, & eã religiosa audacia expugnant, sibique arrogant, & vt propriã patriam possident.

Num.53. v.6.

Laurent. Iustinia.

742 Libet in materiali structura terrenę ciuitatis Ierusalem, quę cœlestis typum gesit, illam meditari, quæ sursum est. Inter alios autem sic eã describit Ieremias cap. 31. v. 38. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, et ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli, et exibit vltra norma mensuræ in conspectu eius super collem Gareb: et circuibit Goa, et omnem vallem cadauerum, et cineres, et vniuersam regionẽ mortis.* Hanc ędificationem adhuc fatue expectãt Iudęi in aduentu Messię esse complendam. Hieronym. S. Thom. & fere omnes Interpretes prædictã prophetiam non posse intelligi de ciuitate Ierusalem, quę funditus fuit destructa temporibus Titi & Vespasiani, & postea à Zorobabel reędificata non permansit, cõtendunt. Quare ad metaphoricum sensum recurrunt, & alij Ecclesiæ militantis, alij cœlestis Ierosolymę ędificationem hic descriptam agnoscunt. Difficul-

Ierem.31. v.38.

tas

tas huius loci in inuestigatione consistit vtriusque portę à Propheta designatę: quęnamq; illa esset, quę Hananeel vocabatur, & illa altera, quæ anguli nomine erat nota? Castrus oculatissimus illius ciuitatis inuestigator ad hunc locum tradit: turrim Hananeel fuisse extructã inter duas portas ciuitatis, altera quę appellatur porta gregis versus occidens, & ducebat ad vallem Iosaphat, altera versus oriens, quę porta piscium dicebatur, & (vt docet Hieron. ad c. 1. Sophon.) ad Ioppen ducebat, atque mari erat proximior. *D.Hier.* *Diospolin ducebat et Ioppen, et vicinior mari erat inter omnes vias Ierusalẽ, per quam pisces immittebãtur in vrbẽ.* Alia igitur porta carnis, alia piscium vocabatur, & inter vtramque turris Hananeel erat extructa. *Castro.* *Turrẽ Hananeel* (ait Castrus) *in ea muri Ierusalẽ parte sitam fuisse, in qua erat porta piscium, et porta gregis, quanuis propius ad portam piscium: et est cõmunis Hebræorum sensus, quod destructio illius ciuitatis, et primus assaltus à porta gregis seu carnis incœpit, et postea eius reædificatio et instauratio murorum à porta piscium.* Verũ quid hac prophetia, quæ non tam materialem illam ciuitatẽ, quam cœlestem Ierosolymam respicit, innuitur, nisi cœlestem illam patriam mortificationibus muniri, & pœnitentiæ esse arcem? Destructio namque & profligatio pergentium ad ipsam à carnis illecebris incipit, à porta carnis eam inuadit inimicus, & prosternit; & à porta piscium, id est, à carnis maceratione, ieiunio & abstinentia extruitur, atque muri eius insuperabiles instaurantur, vt pœnitentium patria sit & munimen eorũ sudore ac labore ędificata. Carnis voluptatibus ciuitas illa ab inimicis profligatur, & earum abstinentia erigitur. Sic Hug. Card. *Hug.Car.* *Duo sunt arma inimici abundãtia cibi et delectatio corporis: et arma Christiani abstitentia et maceratio carnis nostræ.* Congruit autem cum prælibatis id, quod addit Propheta. *Et circuibit Goatha, et omnẽ vallem cadauerum.* Vbi D. Hieron. *Vt consideremus cineres, et pœnitentes dicamus cum Dauid: Quia cinerẽ quasi panem manducaui, et poculum meum cum fletu miscebam.* Præparatur ergò Ierosolymæ ędificatio vsque ad vallem pœnitentiũ, & cinere mortificationis aspersum, atque ibi vt in propria patria carne afflicti cõmorẽtur, nam ipsis & ab ipsis munitissima illa ciuitas ędificatur. Nec minus cõgruit eiusdem Hieronymi lectio *AEdificabitur ciuitas à turre Hananeel, id est, à turre obedientiæ.* Obedientia namque propria pœnitentium virtus est, qui mandatorum obseruantiæ student, propria membra crucifigentes, & carnem quasi equum afflictione domantes, atque rationis fræno coerçentes. Quidquid igitur in ciuitate beata reperitur, pœnitentiam redolet, illaque quasi arx munitur. Vnde Dauid, vt animũ humiliatum & cõtritum cor pœnitentię malleo ostenderet, psalmum composuit 50. quẽ pœnitentiæ vocamus, & post varios affectus, quibus dolorem intimum cordis expressit, & indulgentiam deprecatur, concludit: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.* Mirum quod sanctissimus Rex pro peccatorum venia exoret, & pœnitentis animi eiulatus exaudiri satagat, vt Ierosolyma muris circumualletur & muniatur. Cur ad huiusmodi murorum structuram innocentium merita non experit, sed pœnitentium lacrymas & suspiria? Homines deiecti, mortificationibus attriti, pœnitentia debiles, maceratione languidi murorum fortitudinem substituent, & ciuitatẽ vt tuto præsidio cingent? Ita equidẽ: nam cęlestis ciuitas, quam meditabatur Dauid, pœnitentia munitur, ruinæque Angelorum, quę ipsi acciderunt, hominum pœnitentijs reparãtur. Accinit Carthusianus. *Carthus.* *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Id est, triumphanti Ecclesiæ te per speciem cõtemplanti. Et edificentur muri Ierusalem: id est, ruina Angelorum malorum reparetur per saluationem hominum electo-*

D.Hier. *Idem.* *Psal.50.*

electorum. Studeamus ergò Charissimi cum S. Dauid veraciter pœnitere, atq; in vmbris non simulatam humilitatẽ cõplecti. His igitur lapidibus ciuitas illa cęlestis extruitur, atque Angelorum ruina reparatur.

743 Opportunè cęlestis Ierosolymæ terrena typum gessit, quæ iustorum fuit patria, atque habitatio Regum & Prophetarum, Dauidis, Salomonis Ezechiæ, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis &c. Hæc igitur regia & sancta ciuitas primò fuit sita ea terræ parte, quę myrrhæ plantis sic abundabat, vt necesse fuerit, cum primò fuit extructa impenetrabiles myrrhę montes secare ad eius tabernacula ædificanda, quòd pars aliqua siuè montium, siuè vallium situationis illius myrrha non abundaret, vndè per antonomasiam tota ciuitas myrrhæ mons appellabatur, secundum illud Cantic. 4 v. 6. *Vadam ad montem myrrhæ.* Adeò vt patrium myrrhæ solum crederetur, quia cęlestem patriam referebat: nam *per myrrham amaram* (verba sunt Carthusiani) *significatur austeritas vitæ pœnitentialis, rigor iustitiæ, mortificatio carnis. Vadam ad mõtem myrrhæ: id est, eos misericorditer visitabo, qui in arduis pœnitentiæ exercitijs occupantur, et rigori pœnitentiæ sunt intenti, et seipsos salubriter mortificare nituntur.* Igitur myrrhæum vndequaq; ciuitas illa spirabat odorem, quia cęlestem referebat, vt pœnitentium patria & habitatio ostenderetur: quasi innocentes, qui eam ingrediuntur, non ciues videantur, sed aduenæ. Superna illa mansio, dulcissima cum sit, acerbissimã mirrham vndique redolet, nil aliud producit, nisi arbores amaritudinem distillantes: muri & penetralia triclinia mortificationes emanant, & per arduos pœnitentię montes myrrha passim pullulat. Ideoque Salomon in monte Moria, qui myrrhæ mons vocabatur, cępit domum Dei ędificare, vt habetur 2. Paralip. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria.* Quia cum illud habitaculum Dei esset speciale, empyriũque delinearet & cęleste, merito myrrhę & pœnitentiæ vocatur, vt pœnitentibus superna ciuitas videatur extructa, vbi tanquã in propria patria & domicilio cõmorãtur.

2. Paral. 3

Correctioni S. Matris Ecclesię me, meaque omnia subijcio.

INDEX RERVM,

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTTVR.

LITTERA .C. CAPVT HABACVC DENOTAT .N. MARGINALEM NVMERVM.

ABSTINENTIA,

Vide ieiunium.

Ante diluuium ab esu carnis omnes abstinebant.c.1.n.213.
Epularum carnaliũ abstinentia primæ uam sanctitatem redolet.ibid.n.214
Sanctitatis est insigne.ibid.n.215.
Nobilitatis est argumentũ.ibid.n.216.
Statum innocentię instaurat.ibid.
Imaginem *Dei* cudit ibid n 217.
Angelicam reuerberat puritatem. ibid.n.218.& 219.

ABORTVS.

Dei seruitus gratiæ abortus.c.1.n.251.

ADAM.

Pane suo diciturvesci,quia illum proprio labore comparauit.c.1.n.165.

ADVLATIO, ADVLATOR.

Vt alteri placeas, alterum sine causa ledere immane adulationis facinus. cap.1.n.353. tota annot.
Quem publicè laudat adulator,tacitè execratur.cap.2.n.43.
Omnia Principibus licere cõsulit.ibid.
Vmbræ comparatur. ibid.
Seruilem & abiectum animum arguit adulatio ibid. n 44.
Qui blandè adulatur, fidem suis dictis negotiatur.c.2.n.73.
Superioribus in statu blandiuntur adulatores, in declinatione conuitiantur.c.2.n 121.tota annot.
Solum temporis differentia adulationẽ à detractione discriminat. ibid.
Fortunata adulatio ob malefacta coronatur.c.2.n.128.tota annot.
Acteoni adulator confertur ibid.
Etiam cũ reijcitur, placet adulatio ib.
Vel Deum ipsum fallere tentat. ibid.
Adulationis incãtamẽtũ vel sanctorũ manus & linguã deuincit.ib. n.129
Catulos referũt adulatores.ibid.n.131.
Dum extimè adulator caput audientis linit,oculos interius mentis excęcat.ibid.n.130.
Omnes,quibus indigent,adulãtur.c.2. n.136.tota annot.
Etiam bruta animalia pascentibus dominis blandiuntur.ibid.
Vel plebeio & despecto homini adulatur necessitas.ibid n.137.
Qui omnium placitis se accommodat, vt omnibus placeat, & aduletur, meritò ab omnibus despicitur.c.3. n.361.362.& 363.
Geminatam adulator habet faciem, vt omnibus placeat.ibid.n.364.

ADVLTERIVM.

Adulterium vel à barbaris detestatũ in barbariem degenerat. c.3.n.599. tota annot.
Vel bruta animantia illicitatori commercia abhorrent.ibid.
Minus detestabile erat AEgyptijs homicidium,quam adulterium perpetrare.ibid.n.600.
Grauioris criminis mutua cum alienis vxoribus commixtio inter nobiles rea est ibid.n.602.

Nobilitatẽ amittit, qui alterius adulterat torum. ibid.

AMBITIO, AMBITIOSVS.

Ambitiosus ascendere nescit, dum suprema suspirans ima despicit. cap. 1. n. 239. tota annot.
Ingratitudinis notam incurrit. ibid.
Semper est incapax. c. 1. n. 333.
Inferno similis cap. 2. n. 90.
Quo magis conatur ascendere ambitiosus, magis cadit. cap. 2. n. 97. tota annot.
Tam lubrica est ambitionis semita, vt vix desiderij pede tangatur, cum per eam gradiens labitur in ruinam ibid. n. 98
Cadentes Gigantes dicuntur Ambitiosi. ibid.
Ambitio clauda & labilis vno tantum pede nititur ambulare. ibidem numer. 99.
Vertiginem patitur ambitiosus. ibidem.
Columbis, & vespertilionibus propter stultam elationem comparantur. ibid. n. 100.
Cum cętera vitia citra condignũ plectãtur, ambitio ad extremum vsq; punitur. cap. 2. n. 101. tota annot.
Ad talionem Deus ambitiosis pœnam retribuit. ibid. n. 102.
Qui extrema ambitioso fastu petit, in extremis punitur. ibid. n. 103.
Ambitiosus cum ascendere satagit, commilitonibus suis conscendere pollicetur, quos postea ad ima demittit. cap. 2. n. 107. tota annot.
Semper decipit. ibid.
In dignitate vitia detegit, quę celauerat. ibid.
Aliquando zelus publicæ vtilitatis potens est in ambientibus ambitionis deprauatas proprietates expurgare. cap. 2. n. 142.
Ambitiosus bonorum perditione mulatur, & dum non possessa quærit, possessa amittit. cap. 2. n. 156. tota annot.
Abitio quanuis aerea videatur, graui onere ambientem opprimit. cap. 1. num. 20.
Qui ad fastigium ascendit, velocius quam ascenderat, ad infimum relabitur. cap. 2. n. 156.
Extra suos terminos transiliens periclitatur ambitio. ibid.
Per imbecillem scalam ascendit ambitiosus. ibid. n. 158.
Negotiosa honoris ambitio ipsa solicitudine inhonoratur, sublimitate ipsa decrescit. cap. 2. n. 350. tota annotat.
Ambitiosi in aranea depicti. ibid.
Brachijs, non meritis scandit ambitiosus. ibid. n. 351.
Dum propriam excellentiam fauoribus negotiatur, propriam incapacitatem detegit. ibid. n. 353.
Honoris priuatio ambitioso mortis quoddam imò & inferni genus est. cap. 2. n. 380. tota annot.
Tam interijsse dicitur, qui honore, quam qui vita priuatur. ibidem num. 381.
Nullum nõ vile agit ambitio. c. 3. n. 327. tota annot.
Etsi abiectissimum sit officium, non ingratum existimatur ei, qui alterius dignitatem gestit occupare. ibid. n. 328.
Turpiter, & indecorè agit ambitiosus. ibid. n. 329.
Dominationis ambitum filiorum vitæ præponunt ambitiosi. ibidem num. 330.

AMOR.

Amore lęso nullus infensior hostis. c. 1. n. 146. tota annot.
Acerrimus accusator. ibid.
Peccata contra Spiritum Sanctum, quia amor est, irremissibilia dicuntur. ibid. n. 147.
Ad arguendum de offensis acutior sapientia est. ibid. n. 148.
Offensus in rabiem degenerat. ibid. n. 149.
Vt Deus exaggeret supplicíorum acerbitatem, per amantium manus infligenda fore minatur. ibidem num. 151.
Sinè causa amare licet, non sinè causa odisse. cap. 1. n. 152.

Amor se dissimulat, vt securius amantem possideat. cap 1. n. 276.
Odium, & amor pictores sunt. cap. 2. num. 69.
Res, vt ęgritudine, amore pereunt. c. 2. n. 263. tota annot.
Risus amoris Sardonichus est, quia amantem enecat. ibid.
Prę nimio amore periclitatur vita ibidem n. 264.
Quæ vehementer amamus, etsi possessa, tanquam amissa optare debemus. ibid. n. 264.
Possessio rei amatæ parit ipsius interitum. ibid n. 264.
Non semper amor probatur muneribus; ea negare sępè amor est. cap. 2. num. 346.
Calcar amoris est, olim immaniter offendisse, quem nunc peramanter diligis. cap. 3. n 23.
Amor docet natorum sanguine matrem tingere manus. cap. 3. numer. 51.
Amor Dei erga creaturas occasum neścit, & finem ignorat. cap. 3. n. 54. tota annot.
Diuini amoris flamma nunquam extinguitur. ibid.
Immensurabilis est. ibid n. 55.
Ideò Filius, non Spiritus-Sanctus carnem assumpsit, ne Dei amor dicere tur occisus. ibid. n 56.
Detrahit Deus suæ sapientiæ, ne suo amori detrahere videatur. ibidem num. 57.
Vbi mors instat, amor accenditur. c. 3. n. 189 tota annot.
Tenuissima lędit aura. cap. 3. numer. 304.
Magnus amor patriam vertit in exilium. cap. 3. n. 377.

AMOR INIMICORVM.

Qui silet ad iniurias, Deum habet defensorem. cap. 2. num. 422. tota annot.
Difficultas ad parcendum inimicis hominum ignobilem, facilitas Dei naturam prædicat nobilissimam. cap. 3. n. 120. tota annot.
Iniurias sibi illatas diù retinet homo, & eum, à quo semel lędituŕ, semper prosequitur odio. ibid.
Non ęquo animo ferũt homines ab eis consolari, à quibus aliquod malum sunt perpessi. ibid. n 121.
Qui pro inimicis orat, humanam trãscendit naturam. ibid.
Qui ab alio iniuriè increpatur, nunquam cum illo consentiet. ibidem num. 122.
Deus pro inimicis facit, quod pro amicis non feciśset. ibid. n 123.
Ex occasione iniuriæ Deo irrogatę nobilitant ipsius clementiam. ibidem.
Quin obstaret Diuinitas, cum periculo illum amittendi Deus Filium suum pro inimicis tradidit. ibid. n. 124.
Diabolus non cognouit Christi Diuinitatem, vsquedum ipsum pro inimicis orantem audiuit. ibid.
Indignè de Deo sentit, qui inimicis sua beneficia negaturũ existimat. ibid. n. 125.
Dei laus est, & sanctificatio iniuriarum indulgentia, ibid.
Posse, & nolle vindictam sumere, potentię, ac nobilitatis est apex cap. 3. n 685. tota annot.
Iniurias iniurijs rependere, turpe est. ibidem.
Magni animi est, iniurias despićere. ibidem.
Patientia inimicum superare, fulgentissima victoria. ibid. n. 686.
Non in vltione, sed in venia nobilitas ostenditur, & potentia. ibidem. numer. 687.
Parcendum inimicis, sed eis non fidẽdum. cap. 3. numer. 688. tota annot.
Semel fracta amicitia non solidatur. ibidem.
Ex naturę, ac iustitiæ debito inimicis parcere tenemur. cap. 3 n. 692. tota annot.
Inimicus ius habet ad indulgentiam iniuriarum. ibid.
In belluam degenerat, qui iniurias vltione prosequitur. ibidem numer. 694.

Iniuriarum venia ad cœlum, vnde descendit, via regia ducit, tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non solum omnium delictorum remissionem consequatur, sed cum persecutoribus amicitiam conciliet. c.3. n.696. tota annot.

Dilectionis inimicorum præcepto illuminata est charitas. ibid.

Benefica erga inimicos voluntas maximè in cœlo viget. ibid. numer. 697.

Dei Filium, Verbumque Patris omnimoda similitudine refert, qui verbum inimico non denegat, sed amicè cum eo loquitur. ibid. numer. 698.

Latum ad cœlum panditur iter dilectionis inimicorum mandato. ibid. num.699.

Tam munificus Deus est in hostium amatores, vt pro cuiusque iniuriæ remissione omnium ipse criminum remissionem polliceatur. ibidem num.700.

Ipsa dilectione ex inimico amicus redditur persecutor. ibid.n.701.

Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, sed ob alios respectus conconfertur, suspecta est. cap.3.n.702. tota annot.

Vel Deus ipse cum parcit, si non propter se ipsum parcat, non satis peperciſſe videtur. ibid.n.704.

AMICITIA, AMICVS.

In amici morte verbis vti inelegantibus elegantia est. cap.1.n.32.

Amicitię detrahit maiestatem, qui illam ad secundos tantum parat euentus. cap.1.n.78.

Etsi amicus desinat benefacere, sustinendus est c.1.n.82.

In animis amico fœdere coniunctis toto animo Deus complacet; exulat à discordibus. c.1. n.83. tota annot.

Non leui causa ab amicis recedendum. cap.2. n.305. tota annot.

Amicitia tarde admittenda, & constãter retinenda ibid.

Quæ ad commodum accedit, non amicitia, sed negotiatio est. ibid.

Nisi ex graui, & iusta causa contra amicos bellum moueri non debet. ibidem. n.307.

Contra amicum susurrantibus non sunt præbendę aures. ibid.

Serui nequam efficiunt, vt amicitiæ inter dominos rescindantur. ibid. n.308.

Nulla debet esse arctior fratrum amicitia. cap.2.n.309.

Nihil detestabilius, quam amicum os prętferre, & inimicum cor gestare. cap.2.n.314. tota annot.

Nescit generosus animus simulatæ amicitiæ dolosa officia patienter sustinere. ibidem numer. 315. 316. & 317.

Qui amicitię larua se nimis introducunt, infidelitatis suspicionem incurrunt. cap.2. num.318. tota annotat.

Diù cogitandum est, an aliquis in amicitia sit recipiendus. ibid.

Amicus infidelis veluti adulterina moneta, cuius omnis fulgor est fictus ibid.

Nescit cęremonialiter se introducere vera amicitia. ibid.

Nihil minus significant verba amicitiam affectantia, quam quod significare videntur. ibid.n.319.

Qui de fide erga amicos publicè blaterat, corde infidus reputatur. ibidem.

Repellendi sunt, qui amicitię prætextu se nimis lateribus ingerere conantur. ibid.n.320.& 321.

Semel fracta amicitia non solidatur. cap.3.n.688.

Nunquam fidelis credendus, qui ex inimico amicus efficitur. ibid.

Reconciliatus amicus venenum recondit, sed non deponit. ibidem num.691.

ANGELVS.

Non audent Angeli ad præsentiam vnius hominis iusti supplicia infligere. cap.1.n.111.

Qui innatum animum nocendi habet, malus Angelus censendus est. cap.1. num.253.

Vel verus Angelus terminos suæ cõmissionis transiliret, nisi impediretur.ibid.
A consortio Angelorum cœlum puritatem duxit.cap.1.n.285.
Angeli nos docent, quanta reuerentia Dei sacratissima templa sint tractãda.c.2.n.302.

ANIMA, ANIMVS.

Qui de fortitudine blaterat, animo pusillus est.cap.1.n.330.
Perplexitas grauis animę cruciatus. cap.2.num.19.
Magni animi est magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia. cap.2.n.104.
Pudor est pro bonis spiritualibus animęnon pręstari, quæ pro perituris facimus.cap.3.numer.614.tota annot.
Ferè omnes temporalium bonorum; pauci sunt, qui spiritualium sentiãt iacturam. cap.3. num.663. tota annot.
Anima vt fructum afferat semper est colenda.cap.3.n.720 tota annot.

ANIMAL.

Maiora animalia minora deuorant. cap.1.n.302.
Inter animalia, quę Ezechielis currum vehebant, solum bos in Cherubim transmutatur, quia proprio muneri incumbebat.cap.2.n.8.

AQVILA.

Aquilę suis prædis regiones determinant.cap.1.n.187.
Perniciſſimo impetu volant. ibidem n.189.
Iouis aquila, quæ regalis dicitur, carnes non attingit. cap.1.n.212.
Aquilæ perfectissimus vir cõparatur. cap.1.n.212.
Ferè omnes aues in duratione superat cap.1.n.257.
Inter omnes aues propter modestiam, & vrbanitatem præfecturam obtinet.cap.3.n.130.
Se aquis frigidis immergens reiuuenescit.cap.3.n.430.

ARX.

Arces, vt munitiores sint, supra rupes solent ędificari.cap.2.n.2.

ASCENSIO.

Christus Dominus in Ascensione docuit fideles palam agere de regno cęlorum. cap.3. num.369. tota annot.
Vehementi dolore à suis fuit auulsus. cap.3.n.374.
Nisi Patris obedientia instaret, cęlum ascendere recusaret. ibid.
Tardigrado cursu renitentiam exprimebat.ibid.n.375.

AVARITIA, AVARVS.

Auaritia inferno comparatur. cap.2 num.90.
Nullum non frangit auaritia vinculum.cap.2.n.231. tota annot.
Vinculum amoris patris ad filium, & filij ad patrem auaritia solvit. ibidem.
Sibi ipsis homines auaritiam prę ferunt. ibid.n.232.
Vinculum inter Deum, & homines pręscindit.ibid.n.233.
Omnium iniquitatum est arx. ibid.
Auari ciues propter lucra fructus abscondunt, aut inimicis deferunt. c.3. n.666. tota annot.
Fidelitatem patriæ debitam rumpit auaritia. ibid.
Reipublicæ proditor est auarus. ibid. num.667.
Sępè terra, quæ fructus obtulit, fame perit propter ciuium auaritiam. ibid.n.668.

AVLICVS.

Inter aulicos adulandi certamen est, quis eorum fraudulentius decipiat. cap.2.n.72.
Semper aulicus est inconstans. cap.2. num.407.

AVRVM.

Acutiora, & fortiora sunt auri tela, quam ferri. cap.2. num.414. tota annot.

Ingenuus quisque ad indecorum auti descendit famulatum. ibid.n.415.

Non solum audet humana conculcare iura, sed diuinam temerare immunitatem. ibid.n.416.

Deum cogere præsumit, vt à vindicta desistat. ibid.n.417.

AVSTER.

Reficit, & fouet plantas, quas contraxerat Aquilo. cap.3.n.113.

B

BABYLONIA.

Chaldæorum fuit Metropolis. cap.2. num.243.

Primò eã Nembroth ædificauit. ibid.

Eius arcem Bello primus Assyriorum Rex extruxit. ibid.

Persia aliquando vocatur. ibid.

Ex lateribus eius muri fuerunt extructi. ibid.

Nabuchodonosor ttes murorum ambitus intra Babyloniam construxit, & totidem foris circumdedit. ibid.

A Medis, & Persis igni fuit tradita. ibid.n.246.

BAPTISMVS.

Remedium primęuę culpę est, sed ingratum quia parentem detestatur. cap.3.n.430.

BEATVS.

Beati reputantur, qui immatura morte pręuenti suorum mala nõ vidẽt. cap.1.n.57.

In lumine gloriæ se Deus præcingit, vt Beati iuxta meritorum mensuram ipsum videant. c.2.n.260.

Gustus Beatorum præstantissimo sapore reficietur in patria. cap.3.n.286 tota annot.

BELLVM.

Bella, quæ nos premunt, & hostibus tradunt, à nostris sceleribus oriuntur. cap.2.n.219.

Non robur militum, sed iustitia pręualet in bello. ibid.

Bellum maximè contra amicos non nisi ex certa & iusta causa moueri debet, cap.2.n.307.

Bella gerere cum Deo, vincere; sine Deo, vinci est. cap.3. num.513. tota annot.

Crispati, & comati ad bella sunt inepti. cap 3.n.561. tota annot.

BENEFICIVM, BENEFACTOR.

Nocitura petentibus denegare, beneficium est. cap 1.n.25.

Plus indignationis vnius beneficij negatio negotiatur, quam gratitudinis plurium elargitio. cap.1.n.51.

Beneficia in ære exaranda sunt, ne obliuionis iniuriam patiantur; in aqua iniuriæ, vt facilè dilabantur. cap.1.n.53.

Accepta beneficia, etsi prohibeamur, publicare tenemur. cap.1.n.279.

Beneficiorum commercio vita muniatur. cap.1.n.282.

Beneficia ingratis excidunt, hęrent in iurię. cap.1. n.293.

Beneficiorum gratitudini non est imposita lex, neque illa indiget. cap.2. n.266.

Etiam cum vitę periculo obseruanda est accepti beneficij gratitudo. ibid. n.267.

Plerumque Deus beneficia contrahit, vt nostrę vtilitati consulat. cap.2. n.346. tota annot.

Sępè beneficia negare, amor est. ibid.

Ingentius Dei beneficium, ea tantum nobis pręstare, quæ proficua sunt. ibid.n.347.

Beneficij magnitudo sępè ingratitudinem, & obliuionem largienti negotiatur. ibid.n.348.

Vult Deus minus liberalis videri in beneficijs conferendis, vt plus commodo accipientis prouideat. ibid. n.349.
Monstrosum flagitium est, beneficium largitori insidiari. cap.2.n.359. tota annot.
Nullum est odium perniciosius, quam quod resultat ex beneficij collati pudore. ibid.
Pro beneficijs nocumenta rependere, abhorret natura. ibid. num.360. & 361.
Diabolicam arguit malitiam, beneficijs iniuria respondere. ibid. num. 362.
Ingratis beneficia conferens supplicia Deus adauget. cap.1. nu.364. tota annot.
Non repensa beneficia tortores sunt ingratum animum cruciantes. ibid.
Ingrato animo beneficium non conferre, beneficium est. ibid. num.365. & 366.
Sic beneficia infortunata sunt, vt tutius sit aliquos offendere, quam fauoribus prosequi. cap.2.n.369. tota annot.
Tot tela contra se quisque parat, quot beneficia confert. ibid.
Qui beneficium largitur, patientia armari debet, vt ingratam retributionem sustineat. ibid.n.370.
Qui maiora confert beneficia, maiori cautela se debet muniri. ibid. num. 371.
Quotquot beneficia Dei largitas in homines erogauit, tot contra se multiplicauit arma. ibid.
Plura Deus, quam cuulgat, hominibus confert beneficia. cap.3.n.200. tota annot.
Veniam meritò demeretur, qui post accepta beneficia delinquit. cap.3. n.249. tota annot.
Beneficia, quæ conciliare debent amicos, inimicos multoties generant. ibid.
Malè acceptum beneficium vrget ad vindictam. ibid.n.250.
Pro beneficijs mala rependere, spem aufert indulgentiæ. ibid.n.251.
Peccata contra benefactorem ex se ipsis indigna sunt venia. ibid. numer. 252.
Magnis beneficijs supplicia Deus cõpensat. cap.3.n.573. tota annot.
Pœnam inducit Deus, vt occasio sit vberioris beneficentiæ. ibid.n.574.
Beneficium prœoccupare debet spem recipientis. cap.3.n.656.
Ingratum est beneficium, quod inter manus donantis diù adhæsit. ibid. n.657.

BONVM *VIDE* OPES.

Qui terrena bona contemnit, Deo dignus est. cap.1.n.102.
Bonum publicum priuato est præferendum. ca.1.n.306. toto §. & cap.2. num.145.
Moderatè Deus bona temporalia largitur. cap.2.n.135.
Quod ab alijs aufertur, vt ipsis conferatur, bonum tantum homines existimant. cap.2.num.164.
Bona, quæ Deo derelicto acquiruntur, non prosunt, sed obsunt. c.2. n.196. tota annot.
Sibi ipsis homines bona sua præferũt. cap.2.n.232.
Bona rapina comparata ignis sunt, qui bona alia consumit. cap.2.num. 237.
Bonorum dominium duorum esse nõ potest. cap.2.n.247.
Bona Deo dicata non licet in propha nos vsus commutare. cap.2. numer. 286.
Mundialium bonorum abdicatio mirabile Dei opus. cap.3. n.576. tota annot.
Ingens bonum, quod minus est, in malum trãsformat. cap.3. n.611.
Bona temporalia æternis sunt postponenda. cap.3.n.616.
Fere omnes temporalium bonorum, pauci sunt, qui æternorum sentiant iacturam. cap.3. num.663 tota annot.
Terrena bona homines suspirant, & ad cœlestia prægustata nauseant. ibid.n.664.
Temporalia bona æternis prœponunt. ibidem.

C

CALVMNIA, CALVMNIATOR.

Plerumque calumnijs nobilitatur lacessitus homo. cap.1. nu.290. tota annot.

Laudibus alium destruere, summa calumniandi ars.c.2.n.148.

A prauis calumniari laudari, est.cap.2. num 306.

CALIX.

Calamitatem magnam significat. c.2. n 282.

Calicem de primo ad vltimum circũferri in conuiuijs, solemne est in Scriptura. ibid.

CASVS, CADERE.

Qui alienis pennis volat, citò cadit.c.1 num.257.

Proximorum casus suos iusti reputant.cap 3.n 544.tota annot.

CAVSIDICVS.

Causidici velut sentes iustitiam sepiunt, si lanam non deponas, ad eam non accedes. cap.2. n.170. tota annot.

Ne rota crepet, vngitur Axis. Causicos, ne taceant vngere est necesse. ibidem.

Non modò iura, & defensores apud Causidicos venalia sunt, sed & silentium ipsum venale est.ibid.

Eorum lingua plurimum nocet, nisi funibus argenteis ligetur.ibid.

Ex litium longa prosrastimatione lucrum reportant.cap 2.n.205.

Prolixam in litibus Causidicorum moram præscindere, magna Reipublicæ felicitas.cap.2.n.206 & 207.

In eorum manus incidens, in portis mortis versari dicitur. ibid.

Legibus abutuntur, & prælia in Republica fouent.ibid.n.207.

COELVM.

A consortio Angelorum puritatem duxit.cap 1.n.285.

Octauum cœlum, quod in medio cursu reuocatur, & super Arietem, & Libram perpetuò agitatur, imperfectam pœnitentiam indigitat. c. 2. num.25.

Cœli homo, non Angelus clauicularius constituitur, vt benignum se prębeat pœnitentibus cap.2.n 52.

Non proprio, sed communi bono mouetur cœlum.cap.2.n.147.

Facilis, & plana iam nobis via ad cœlum est.c.3.n.342.tota annot.

Cœlum anhelans terrena contemnit, & pericula despicit.cap 3.n 718.tota annot.

Plerique hominum ad cœlum ire cupiunt, non per cœli viam, sed per tartarorum iter cap.3.num.730.tota annot.

Si Polare sidus inspiciamus, sine offendiculo ad cœlum curremus.ibid.

Neque nimio timore, neque spe nimia ad cœlum itur.cap.3.num.530. tota annot.

CAESARIES.

Capitis cæsariem in cognatorum sepulchrum inferebant Gentiles, à quibus sumpsere Hebræi. cap.3. num 625.

CHALDAEI.

Propter suam in deuastanda Ierosolyma celeritatem pardi dicuntur.c.1. num.185.

Pertinaciter Ierosolymam expugnauerunt. cap 1.n.232.

CHARITAS.

A charitate, & politia degenerat, qui esuriente propria domo, in alias sua bona distribuit.cap.1.n.42.

Sic charitas vrget ad proximos subueniendos, vt cum facultates desunt, ad miraculum recurrere compellat. cap.3.n.100.tota annot.

Charitas in pauperes omnipotentiæ diuinæ est dispensatrix. ibid. n. 101. & 102.
Aliquando discordiã fouet charitas. cap. 3. n. 378. 379. & 380.

CHRISTVS DOMINVS.

AEgre tulit Christus Dominus, tormẽtorum suorum acerbitatem malitiosè protrahi cap. 1. n 106.
Differre mortem procurabat, vt dilationis cruciamento crudelius torqueretur. cap. 1. n. 108.
Quod magis vult, sæpe nolle manifestat. cap 1. n. 276. tota annot.
Iniurias sibi irrogatas contrahit. c. 1. n. 297. & 298.
Suum in carne aduentum adeò distulit, vt magis ab hominibus haberetur in pretio. cap. 3. n. 43. tota annot.
Salutis nostræ opus alius præter Christum præstare non poterat. ibib.
Et Angelicam, & humanam naturam Christi Domini Incarnatio exhilarat. ibid. n. 44.
Vt legem finiret, circumcisionis legẽ Christus adimpleuit. c. 3. n. 49. tota annot.
Circumcisionis gladium in sua carne confregit. ibid. n 50.
Sanguineus circumcisionis fluxus in Christi circumcisione sistitur. ibid. num. 51.
Inter Christum, & Abrahamum circũcisionis termini præfiguntur. ibid. num. 52.
Octauo Natiuitatis Christi Domini die sanguis circumcisionis in aquã Baptismi conuertitur. ibid. n. 53.
Suę sapientiæ Christus detrahit, ne amori detrahere videatur. cap. 3. num. 57.
Sedulò satagit dubitationem erga suum amorem præscindere. ibid. num. 58.
Cum dura verba loquitur, ad misericordiam properat. cap. 3. n. 89.
Ab Austro venire dicitur, id est à Bethlehem. cap. 3. n. 109.
Christus Dominus nulla ex parte non sanctus, & impeccabilis prorsus fuit. cap. 3. n. 113. tota annot.
Etiam vt à Beata Virgine ortum habuit. ibid.
Inuenenati serpentis imaginem sumpsit. ibid. n. 114.
Peccati tantum similitudinem admisit. ibid.
Peccatorum verba veluti in Echo in Christo respondent, sed longè ab ipso efformantur ibid.
Pater Filium generans per intellectũ quasi oculos auertit à peccatoribus, & sanctis tantum intendit, ne aliquid quod peccatum redoleat, in æterna generatione concipiatur. ibid. n. 115.
Ceruorum hinnulus à ceruis nascitur, sed longè illis est velocior: sic Christus ex hominum genere natus longè illis velocior fuit, quia nullum eum grauauit peccatum. ibid.
Vrbanitatis Christus D. studiosus fuit obseruator. cap. 3. n 132.
Plus Christum D. cruciauit electorum paucitas, quam tormentorum multitudo. cap. 3. n. 145. tota annot.
Mortem ante Incarnationem Christo intulit, paucos sui sanguinis participes fieri. ibid. n. 146.
Etsi multi sint homines electi, nõ multi Christo videntur, nisi nullus excludatur. ibid. n. 147.
Vnius tantum hominis tantum Christo excitauit dolorem, ac omnium perditio. ibid.
Crux Christi regni, ac diuinitatis eius veritatem propalauit. cap. 3. n. 172. tota annot.
Christi sanguis in Cruce fęcundior. cap. 3. num. 179. tota annot.
Quo magis Christus in Cruce fuit cõfractus, eo fragrantiorem spirabat odorem. ibid. n. 182.
Christus Dominus post resurrectionẽ terram suis discipulis diuisit. cap. 3. num. 212.
Vt quinque sensus bearet in patria, quinque plagas in corpore reliquit. cap. 3. n 289.
Christus Dominus in ascensione docuit fideles, palam agere de regno cœlorum. cap. 3 n. 369. tota annot.
Plus quam mortem, suos relinquere, ægre tulit. cap 3. n. 374. tot. annot.

Vehementi dolore à suis fuit auulsus. ibidem.
Nisi Patris instaret obedientia, cœlũ ascendere recusaret. ibid.
Tardigrado recursu rem tentiam exprimebat ibid. n. 375.
Captiuę instar humanitas ferebatur. ibid. n 376.
Ob nimium amorem patriam pro exilio habuit Christus. ibidem numer. 377.
Resurrectionis Christi luces, & vmbræ traduntur. cap. 3. nu. 386. tota annot.
In mundi exordio adumbrata Christi resurrectio. ibid.
Resurgens Christus mortis exuuias in mortis manibus reliquit. ibidem num. 387.
Quod passionis acerbitas amaricauit, resurrectionis iucunditas delectabile reddidit. ibid. n 388.
Dominum esse mortis ostendit, vbi sub mortis imperio iuisse credebãt Iudęi. ibid. n. 389.
Nobilissimum inter omnia mysteriũ fuit resurrectionis. ibid. n 390.
In illo latebat nostræ libertatis chyrographum ibid.
Quantum in se fuit, morti etiã vt Deus se se obtulit Christus, & quodammodo defraudato desiderio discessit. cap 3. n 518.
Tanti æstimat hominis salutem, vt nihil reputet, quod pro ipso pertulit. ibidem.
Ipse solus animam libenter posuit. ibid. n. 519.
Sic Christus Dominus hominis salutẽ æstimat, vt pro illa faciat quidquid pro sua faceret, si indigeret, suamque reputet gloriam. cap. 3. n 659. tota annot.
Nihil haberet, si hominum salute esset viduatus. ibid.
Ipsius dicitur hominum salus. ibidem num. 660.

CHRISTIANVS.

Parum Christiani nomen tibi proderit, si Christiani opera non feceris. cap. 2. n. 92. tota annot.
Pudeat Christianum sibi blandiri de nomine, cui non respondent mores. ibid. n. 95.
Christianorum scelera ad exteros non deferenda, ne Euangelica ratio in contemptum impiorum deueniat. cap. 2 n 335.
Christiani vel à vitijs abstinere debẽt, ne A Ethnicos ad nefandas blasphemias inducant. cap. 3. n. 28. tota annot.
Qui moribus Christianę, quam profitentur, religioni contradicunt, infidelium peccata quodammodo iustificant. ibid. n. 29.
Ex religione, quam contemnunt, maximè fidelium peccata ingrauescunt. ibid. n 30.
Qui Christiani nomen habet, & opera negligit, grauius plectitur. ibid. n 31.
Palam gloriandum de Christiano nomine. c 3. n. 371. & 372.

CINIS.

Cinis exhomologesis adiutor, diuinæ pietatis illex, & validissimus hostium expugnator. cap 3 n 617. tota annot.
Cineris mortalitate iacto vitia profligantur. ibid.
Cui terra suppetias fert, ipsius recordatione magno robore munitur. ibid. n 619.
Validissimus à cineris cogitatione exurgit homo. ibid.
Vbi cinerem in mente homines versant, superbiam deponunt, & turgentes spiritus deijciunt. ibidem n. 620.

CICONIA.

Parentes senio confectos ex vno climate in aliud transfert ciconia. c. 3. num. 474.
Elinguis est. ibidem.
Deitatis fuit symbolum. ibid.

CIVITAS, CIVES.

Desolata dicitur ciuitas, quæ iustum Principem amisit, cap. 1. n. 109.

Bonus ciuis pro nullo emolumento patriam vendit. cap 2. n. 143.
Veluti cœlum non proprio, sed communi bono debet moueri. ibid. numer. 147.
Seditiosus ciuis bellum in Republica fouet, vt ex illo lucrum capter. c. 3. n. 285. tota annotat.
Mali ciues propter lucra fructus abscondentes, aut inimicis deferētes rerum penuriæ causa sunt. c. 3. n. 666 tota annot.

COMA, COMATVS.

Crispati & comati molles & effeminati, ad bellaque inepti. cap. 3. n. 561. tota annot.
Qui calamistro crispant comas, impudicitiam manifestant. ibid.
Terga effeminatè vertit in bello, qui totus est in nutriendis capillis. ibid. n. 562.
Quem Deus creauit cum pulchritudine hominis, non vult, vt in fœminā se transformet. ibid. n. 563.

COMPENDIVM.

Dei seruitus compendium vitæ. cap. 1. num. 247. tota annot.

COMITAS.

Ingenuitatis ac dignitatis illustrius stemma est. cap. 3. n. 130. tota annot.

COMETA.

Vulgus hominum aliquando stellas putat esse Cometas. cap. 3. n. 407.

CONSOLATIO.

Auctorem Deum agnoscere nostrarū calamitatum, non parua consolatio est. c. 1. n. 210.

CONSCIENTIA.

Auditoris conscientia optima sermonis interpretatrix. cap. 3. n. 105. tota annot.
Interioris conscientiæ habitus in vultu legitur. ibid.
Qui ad verba generaliter dicta dolet, prauæ suæ cōscientiæ accusator est. ibidem.
Vnusquisque iuxta propriam conscientiam alienam interpretatur. ibidem num. 106.

CONCIONATOR

Vide Ecclesiastes.

Concionator, qui lęta prædicat, gratiam; qui tristia, odiū sibi conciliat. cap. 1. n. 136. tota annot.
Cuiuscumque sint vitia reprehendere debet cap. 1. n. 139.
Caueat ne Dei verbum vllis ænigmatum difficultatibus obscuretur. c. 2. n. 36. tota annot.
Concionator sit quod loquitur. cap. 2. n. 39. tota annot.
Apostolici Concionatoris munus est non blandiri, sed obiurgare cuiuscumque sint crimina. cap. 2. n. 43. tota annot.
Non indiget Dei verbum acquisitæ sapientiæ præsidio, vt peccatorum animos fœcundet. cap. 2. n. 47. tota annotat.

CONFESSIO.

Peccati confessio vnicum salutis medicamentum. c. 3. n. 32. tota annot.
Pœnam peccati debitam anteuertit deuota confessio. ibid.
Peccata reuelare vitam, illa tegere mortem præstat. ibid.
Qui in peccatorum gurgitem cadit, si os liberum habet, vt illa confiteatur, salvabitur; sin autem, demergetur. ibid. n. 33.
De gloria consequenda nos reddit securos peccatorum confessio. ibid. num. 34.

CONVERSIO.

Vide pœnitentia.

Veræ conuersionis insigne, tanquam amara fastidire, quæ dulcia arridebant. c. 1. n. 348. tota annot.

Ad fortius per conuersionem resurgendum prodest aliquando corruisse. cap. 3. n. 21. tota annot.
Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuersione c. 3. n. 520. tota annot.
In peccatoris conuersione maximè potentia Dei elucet ibid. n. 521. & 522.

CONSILIVM, CONSILIARIVS.

Rebus sunt adaptanda consilia cap. 1. num. 35.
Consilia retractare non leuitatis, sed prudentiæ est argumentum. ibid.
Experti consiliarij votum iuniori præponendum est. c. 3. n. 78.
Ministrorum consilia populus non intelligat. cap. 3. n. 92.
Vt consilia feliciter exequantur, alto sunt retinenda silentio. ibid. n. 95.
Magnatorum est vitium, sola authoritate praua sua consilia defendere. cap. 3. n. 232. tota annot.
Constantia compendium virtutum & corona. c. 2. n. 23. tota annot.

CONFVSIO.

Confusionis & pudoris supplicium ipsa morte, & gehenna grauius est. c. 2. num. 224 tota annot.
Etiam in perditissimis hominibus confusio ad delinquendum retardat. ibidem.
Commissi sceleris pudorem nō habere monstrosum est. ibid.
Qui beneficium confert non rogatus, munera multiplicat, quia confusionem aufert. ibid.
Exnuditate pudore suffundi non minor pœna ingenuo viro est, quam mors. ibid. n. 225.
Verecundia per se sufficit ad supplicium. ibid.
Vt hominem Deus reuocet à peccato, confusione puniendum minatur. ibid. n. 226.
Quos tormenta non vincunt, interdū vincit pudor. ibid.

CORRECTIO.

Qui corrigendi habet potestatem, etsi barbari, & bruta animalia sint, placidè sunt audiendi. c. 1. n. 9. & 11.
Egregius modus corrigendi subditos, ferire delicta, non personam. cap. 1. num. 14 tota annot.
Qui flagitia prodit, obdurationem, & impudentiam in delinquendo negotiatur. ibid.
Qui aliorum peccata corrigunt, meritò spiritu prophetiæ priuantur, ne occulta subditorum delicta detegant. c. 1. n. 15.
Ideò ligati describuntur corrigentes, ne subditorum honorem lacerent, sed vitia tantum obijciant. ibid.
Qui ab alio corrigitur, nunquam cum eo consentiet. c. 3. n. 122.

CORNV.

Potentiam significat. cap. 3. n. 166.
Diabolo, & morte veluti cornibus AEgyptum Deus ventilauit. ibid. num. 167.

COTVRNIX.

Propè terram semper volat. cap. 1. num. 216.
Ignobilitatis est hyeroglificum. ibid.

CONCESSIO.

Non omnibus concessis potiri expedit, ne in prohibita dilabamur. c. 1. num. 315 tota annot.
A concessis abstinere ars est ad non concessa vitanda. ibid.

CRVX.

Ponderosam peccatorum grauitatem alleuiauit, vt à Christo Domino portarentur. cap. 1. n. 22.
Crucis brachia aptè cornua vocantur. cap. 3. n. 169.
Crux Christi regni, ac diuinitatis eius veritatem propalauit. c. 3. n. 172. tota annot.
Ab infamia Christus Crucem redemit. ibidem.
Ex Cruce coronę fabricantur, quibus Imperatorū tempora cingūtur. ibid.

Sceptrum regale est. ibidem.
Regni Christi ludus cessauit in Cruce, & veritas illuxit. ibid. n. 173.
Veluti canis à baculo, quo fuit percussus, à Cruce, in qua fuit deuictus aufugit dęmon. ibid. n. 174.
Qui Crucem attente inspexerit, non poterit maiestatem in ea pendentis non rimari. ibid. n. 175.
Omnia Dei attributa in Cruce splendebant. ibid.
Quo magis humanitas in Cruce fuit attrita eo splendidius emicuit diuinitas. ibid. n. 176.
Non solũ Diuina, sed & Angelica, & humana natura ad honoris fastigiũ ascenderunt in Cruce. ibid. n. 177.
Cruce Christus cęlum arietauit, atque eius reserauit baluas. ibid. n. 178.
Christi sanguis in Cruce fęcundior. c. 3 n. 179. tota annot.
Vberiores fructus Christus in Cruce attulit. ibid. n. 180.
Fęcundiorem successionem acquisiuit. ibid. n. 181.
Per Crucem totus instauratus mundus. ibid. n. 183.
Crucis intuitu vberiora Christus patrauit miracula. ibid. n. 184.

CVRIOSITAS.

Mentem excęcat. cap. 3. n. 18.

D

DAVID.

IN lectulo suo occubuit, quia aures musica mulcebat. c. 1. n. 136.

DEDECVS.

Aliena dedecora facilè, gloriosa gesta difficilè credunt homines. c. 2. n. 372. tota annot.
Vt dedecora credantur non est necesse testes producere; vt excellętię, non sat videtur, si adducantur. ibid. num. 373. & 374.

DECEPTIO.

Facillimè homo seipsum decipit. c. 2. num. 404.

DESIDERIVM DESIDERARE.

Anima à pluribus desiderijs agitata, grauiter cruciatur. c. 2. n. 19. tot. ann.
Quia pia tantum habent desideria, & opera negligunt, sterilibus arboribus conferuntur. c. 2. n. 24.
Quod quisque desiderat, id sibi persuadet. c. 2. n. 404. tota annot.
Verba non vt sunt, sed iuxta nostrũ desideriũ interpretamur. ibid n. 406.
Quod vehementer desideratur, facillimè creditur. ibid. n. 407.
Consilia, quæ vera esse cupimus, facilè sectamur. ibid. n. 408.

DETRACTIO, DETRACTOR.

Detractionis materia sępè laudis materia efficitur. c. 1. n. 290. tota annot.
Ignobilium proprium vitium est detractio. c. 3. n. 533. tota annot.
Cyniphes referunt detractores. ibid.
Detrahere illegitimorum labes. ibid. num. 535.

DEVS.

Nihil Deo gloriosius, quam de sapientibus triumphare. c. 1. n. 39.
Ad vnius beneficij conspectum vult Deus nos omnium iniuriarum obliuisci. cap. 1. n. 51.
Non patitur Deus homines inconstãtes. c. 1. n. 82.
Complacet in animis amicitia coniũctis, à discordibus exulat. c. 1. nu 83. tota annot.
Lucem Deus in propria specie laudauit, quia inimicis tenebris conciliatam aspexit. c. 1. n. 88.
Difficulter Deo attendunt, qui humanis rebus adhærescunt. c. 1. n. 102. tota annot.
Non audet Deus ad præsentiam hominis iusti pœnam infligere. c. 1. n. 110.
Ad Deum non secure itur, nisi per tritas semitas. c. 1. n. 134. & 135.
Æquiore animo Deus suas, quam iustorũ fert iniurias. c. 1. n. 196. tot. ann.
Etiam Gentilibus, & tyrannis artem, & fortitudinem cõfert, vt fidelium emendationi consulat. c. 1. n. 245.

Veluti chirurgus secat,& vrit.ibidem. num.246.
Mortis horam quasi Deo duplici indigemus.ca.1.n.262 tota annot.
Persępè quod minus vult, id se dicit velle Deus;& quod nolle dicit, ipsum vult.c.1 n.276 tota annot.
Vt postulata concedat,orationem expectat.ibid.n.280.
Vt auidius quęratur,simulat aufugere.ibid.n.281.
Obsequij exaggerator,offensę contractor est.c.1.n.293 tota annot.
AEgerrimè fert Deus, vt segniter, & quasi ex occasione nostræ saluti intendamus cap.2.n.10.tota annot.
Hominum iudicio se subijcit, vt apud ipsos sua iustificetur causa.c.2.n.51 tota annot.
Deos suos aliquo tempore dormire credebant Gentiles.c.2 n.386.
Durum Dei verbum lenitatis est omen,misericordia vices cum iustitia reciprocat. cap.3.n.87.tota annotat.
Amor Dei erga creaturas occasum nescit,& finem ignorat. cap.3,n.54. tota annot.
Tristibus Deus læta semper admiscet cap 3.n.87.
Non solum ablata restituit,sed insperata concedit.ibid.n.91.
Deus pauperibus dives est, quia profusio rem in eis largitatem ostendit cap 3.n.100.
Vnus est Deus, vt facilius seruiatur, Trinus,vt abundantius benefaciat. cap 3.n.149.tota annot.
Deus,si non vnus est, non Deus est. ibid.n.150.
Nuturæ vnitate obseruantiam suę legis negotiatur.ibid.
Dei opera mutuo se gignunt.c.3.n.161
Cum supplicia Deus infert, quodam modo naturam mutare videtur.c.3. n.197. tota annot.
Plura Deus,quam euulgat,hominibus confert beneficia. c.3.n.200. tota annot.
Vel solo intuitu mundum labefactare valet.c.3.n.209.
Non pœnas respicit,sed prędmium.c.3. num.224.tota annot.
Non latenter, sed palam quærendus est.c.3.n.370.
Non Deus punit,vt interimat, sed vt illuminet.cap.3.n.485.tota annot.
Non minus ægre Deus fert, quod illũ tepidè quęramus,quam quod auertamur ab ipso.c.3.n 502.tot.annot.
Pugnare cum Deo vincere, sinè Deo vinci est.c.3.n.513.tota annot.
Plus Deus nostræ salutis solicitus est, quam nos.c.3.n.517. tota annot.
Gloriatur Deus de animæ deperditæ conuersione.cap.3.num.520.tota annot.
Tametsi Deus pientissimus sit, in publica scelera maximè excandescit. cap.3.n.558.tota annot.
Magnis beneficijs supplicia Deus cõpensat.c.3.n.573.tota annot.
Pœnam inducit, vt occasio sit vberioris beneficentię.ibid.n.574.
Mundialium rerum abdicario mirabile Dei opus.c.3.n.576.tota annot.
Dei cum iustis de bonis operibus est concertatio: ipsis Deus illa attribuit,iusti *Deo*.c.3.n.669.tota annot.

DELICTVM.

Delicti publicario fomes esse solet ad delinquendum.c.1.n.14.
Delicta vulneranda sunt, sed delinquentis persona seruanda.ibid.
Delinquentium nomina, vt melius corrigantur,tacenda.c.1.n.17.
Pudor est in delictum incidere, qui illud damnauit.c.1.n.287.
Etsi *Deus* cętera delicta dissimulet, in pusillorum expilatione præceps fertur ad vindictã.cap.2.n.173.tot. annot.
Delictorum magistri prius,& grauius puniendi.c.2.n.409.tota annot.
Tametsi *Deus* pientissimus sit, in publica delicta maximè excandescit. c.3.n.558.tota annot.

DIABOLVS.

Perfectos viros acrius vexare procurat,vt prę tristitia vincãtur.c.1.n.50.
Vt nos perdat,nouitates suggerit.c.1. num.133.

Calamitatis Deum authorem esse celare satagit, vt nos præcipitet in desperationem. cap 1. num. 207 & 208.
Mortis tempore durissimum bellum nobiscum gerit. c. 1. n. 266.
Non homo à dæmone, sed dæmon ab hominibus sumptibus saginatur. cap. 1. n 310. tota annot.
In vitulo comedenti, qui nocumentū infert figuratur. ibid. n. 311.
Fallitur, qui à dæmonis seruitute aliquid emolumenti reportaturum sperat. ibid. & n 312.
Pascere ventum dicuntur diabolo famulantes. ibid.
Sicut vestis de suis sumptibus tineam alit, sic homo diabolum. ibid. n. 313.
Inquilinos habet homines. ibid.
Laboriosa semper offert. ibid.
Acrius iustos, quam peccatores diabolus insequitur. cap. 1. n. 325. tot. ann.
Vbi spiritualia bona sentit, ibi artem, & laborem impendit, vt illa suffuretur. ibid.
Cibus eius electus. ibid. n. 326.
Duces mauult perdere, quam milites. ibid. n 328.
Callidiora fraudis instrumenta occultat, vt incautos iustos apprehēdat. ibid. n. 329.
Sepè diabolus maiora mala nobis infert, cum post commissa scelera aditum ad alia præcludit, quam cum denuò ad noua prouocat committenda. cap. 1. n. 340. tota annot.
Vel cum bonum operatur exosus est, quia à proprio se subtrahit munere. cap. 2. n. 7.
Magna dæmonis tentatio, mortem distantem obijcere. cap. 2. n. 76 tota annot.
Subito à pauperatis extremo ad diuitiarum extremum trāsire diaboli est opus. c. 2. n. 134.

DIGNITAS, DIGNVS.

Non debet dignitas publico sermonis iaculo deuenustari. cap. 1. n. 3. tota annot.
Optima ad honorem personæ cōmēdatio est. c. 1. n. 12.
Indignes à dignitate prefium: & existimationem mutuat. c. 1. n. 13.
Sordida Personę conditio non obest, vt dignitati debitus deferatur honor. cap. 1. n 10.
Res maximi doloris est, quod dignioribus depressis indigni ad dignitatem subleuentur. c. 1. n. 60. tot. ann.
Neque insensibilia patienter sustinēt ignobilius nobiliori pręponi. ib. n. 61
Vel Deus ipse cauet creaturis præponere, quem ipsæ dignum non agnoscunt. c. 1. n. 64.
Quod digno spreto indignus ad dignitatē euehatur, non pœna hæc digno existimāda est. c. 1. n. 112. tot. ann.
Benemeritum à dignitate arcere, gratia solet esse, non supplicium. ibid.
Facilè à dignitate ruit, qui eam sinè meritis acquisiuit. c. 1. n. 256. tot. an.
Dignitati inseritur, qui illam immeritò adipiscitur. ibid. n. 258.
Meritis claudus cito à fastigio dignitatis ruit. ibid. n 260.
Sedes dignitatis veluti indomitus equus imperitum sessorem excutit ibid. n. 261.
In statu adulatio, in declinatione conuitium dignitatis est comes. cap. 2. n. 121 tot. annot.
Licet aliquando vltrò se dignitati offerre. cap. 2. n. 141.
Dignitatem concupiscere non semper reprehensibile. c. 2. n. 139. tota annot.
Nemo se in dignitate perpetuare glisccat. c 2. n. 176. tota annot.
Non vt vxor perpetuò habenda, ducēda est dignitas. ibid.
Dignitas, quę manus ligat imperantis, renuenda est. ibid. n. 177.
Qui alios ad dignitatem eleuant, liberam, & omnimodam iurisdictionem illis debent tribuere. ibid. n. 178.
Sinè spe vlterius eam assumendi relinquenda est dignitas ibid.
Qui nullas radices in dignitate mittit, quibus in posterum dominetur, suffragiū Dei in electione habet. ibid. num. 179.
Inter timoratos viros dignitates vices suas habent. ibid.
Dignitas sinè meritis hominis est titulus sinè homine. c. 2 n. 350.

Sinè labore digni, & sinè brachijs ad dignitatem scandunt. ibid. num. 351. & 352.
In æqua meritorum lance ad dignitatem cana sapientia iuniori est præferenda. c. 3. n. 76. tota annot.
Caduca senectus meritò à dignitate repellitur. ibid.
Inexpertus non est ad dignitatem erigendus. ibid.
Sapientia experientia prædita opportunior regimini est. ibid. n. 77.
Dignitas, quæ confertur digno, ab omnibus habetur. c. 3. n. 137. tota ann.
Omnes remunerantur, cum ad dignitatem benemeritus eleuatur. ibid.
Quod benemerito donatur, omnes sibi impensum reputant. ibid n. 138.
Præmium merentis ab omnibus possidetur. ibid. n. 139. & 140.
Nullum non vile agit, qui dignitatem ambit. c. 3. n. 327. tota annot.
Dignitas benemerito, etiam si inimicus sit, conferenda. cap. 3 n. 365. tota annot.
Humilis in dignitate asper & superbus; nobilis blandus & humilis. c. 3. n. 568. tota annot.
Natiua humilitas non est in dignitate obliuiscenda. c. 3. n. 629. & 630.
Nefas est ante laborem dignitatem ambire. c. 3. n. 632. tota annot.

DISCORDIA.

Discordes animi cogunt aufugere Deum, & eos deserere c. 1. n. 83. tota annot.
Ad arma Deus accedere recusat, quia pugnę diuisionis instrumenta sunt. cap. 1. n. 87.
Discordia res paruæ crescunt, maximæ dilabuntur. c. 3. n. 245.
Quandoque discordię & dissensiones bonæ & optimæ Reipublicæ. cap. 3. n. 378. tota annot.
A charitate aliquando oriuntur discordię. ibid.

DILECTIO.

Res, vt ęgritudine, dilectione pereunt. cap. 2 n. 263. tota annot.

DISSIMVLATIO.

Parua dissimulanda sunt, magna plectenda. cap. 1. n. 181. tota annot.

DIVITIAE DIVES.

Vel solo visu pauperis auarus diues suffocatur. c. 1. n. 202. tota annot.
Nihil tam timet diues, quam pauperis preces. ibid. n. 203.
Diuites & potentes paupe res & inualidos excoriant, & ligur iunt. cap. 1. n. 302. tota annot.
Cibaria omnia solent diuites subripere, pauperibus fame pereuntibus. ibid. n. 304.
Veluti milui paruulorum rapinę student. ibid. n. 305.
Diuitijs honores deferuntur. c. 1. n. 336 tota annot.
Pro numine habentur diuitię. ibidem num. 338.
Meralla non memorat Moyses, ne diuitiarum curam excitet. ibid.
Densum lutum vocantur diuitię. c. 2. num. 120.
Rapina comparatæ incomportabile pondus possessori afferunt. ibid.
Transitus extremę paupertatis ad diuitiarum extremum inter opera Dei non computatur. c. 2. n. 132. tota annotat.
Diuitibus, raptoribus, & inhumanis non desunt, qui eos mordeant, & spolient. c. 2. n. 159. tota annot.
Diuitias, quas deuorauit, cum magno dolore euomit tyrannus. ibid. n. 161.
Malè partę diuitię authoribus longũ mœrorem, heredibus breue gaudiũ afferunt. ibid.
Diuitię, quæ Deo derelicto acquiruntur, non prosunt, sed obsunt. cap. 2. num. 196. tota annot.
Rapina comparatę fugaces. ibid. numer. 198.
Breuissimo tẽpore durant. ibid. n. 199.
Nuditatem afferunt. ibid.
Sępè Deus hominibus, qui proditandis filijs mala agunt, heredes permittit, qui eorum bona disperdant, quin de ipsorum animabus curam habeant. c. 2. n. 208.

Diuitię rapina comparatę ignis sunt, qui bona alia consumit. c.2. nu.237. tota annot.
Iniusti raptores, vbi cibum deferre autumant, ignem deferunt. ibid.
Veluti venenata potio opes malè acquisitæ viscera iniustum possessorē euomere faciunt. ibid. n.238.
Acutiora sunt auri tela, quam ferri. cap.2 n.414. tota annot.
Diues impunè delinquit, pauper inualidus pœnę obnoxius est. c.3. n 228. tota annot.
Iudicem diues sua crassitudine hebetat. ibid.
Diuitem culpare audet nemo. ibid.
A lege pœnali diuites videntur immunes. ibid n.229.
Vel mortuus diues reueretur. ibid.
Mundialium rerum abdicatio mirabile Dei opus. cap.3. num. 576. tota annot.
Rerum mundialium abundantia seminarium criminum est. ibidem num. 577.
Vbi Christum dæmon vidit terrena bona despicere, Deum esse compertum habuit. ibid. n.578.
Insensibilia arguunt hominum auarā cupiditatem. ibid.

DOCTRINA.

Qui lętam doctrinam prædicat, gratiam; qui tristem, odium sibi conciliat. cap.1. n.136. tota annot.
Subtiliori doctrina sępius ad Dei cognitionem capimur. c.3. n.116. tota annot.
Christiana doctrina non renuntiauit ingenio, subtiliter percipere mysteria gaudet. ibid.

DOLOR.

In magnis doloribus rusticum ac barbarum apparere, elegantia est. cap.1 n.31. tota annot.
Immoderatus dolor lacrymas subducit. cap 1. n.48.
Nimius dolor quasi impotentia est ad Dei mandata exequenda. c.1. n.47. & 49.

DOMINVS.

Pluribus dominis seruire, intolerabile iugum. cap.2. n.270. & cap. 3 n.150.
Vt Dei præcepta homines obseruēt. vnum esse Dominum, qui præcipit, ipsis intimatur. ibid. n.272.
Qui pluribus dominis seruire ambit, nullum habet. c.3. n 363.

DONVM.

Ad dona supernaturalia acquirenda quies animæ & imperturbatio necessaria est. c.2. n.449.

DOMVS.

Qui proprię domus curam negligit, infideli est deterior. cap.1. n.45.
Neque pro Deo sequendo propriæ domus cura est omittenda. cap.2. num.9.
Qui domus suæ curæ non incumbit, non homo, sed spectrum est. cap 2. n.391. tota annot.

E

EBRIETAS.

Est voluntaria insania. cap.3. n.299.
Contumelię, & derisui exponuntur, qui se mero ingurgitant. c.2. n.87.
Ebrium aliquem efficere, idem est ac ipsum inhumaniter cruciare cap.2. num.279.
Magnam ignominiam ebrietas affert. ibid. n.283.

ECCLESIASTES.

Caueat Ecclesiastes, ne Dei verbum vllis ęnigmatum difficultatibus obscuretur. c.2 n.36. tota annot.
Non theatralibus vtatur orationibus. ibidem.
Veluti argentea tuba perspicuè personare debet. ibid. n.37.
Phaleratis verbis audientium mentes non deturbet. ibid.
Non ieiuna verba proferat. ibid.

Longas sine fructu verborum frondes Deus abhorret. ibid. n. 38.
Sacer Ecclesiastes sit quod loquitur. cap 2. n. 39. tota annot.
Eius verba animi sint interpretes. ibidem.
Opera verbis consonent. ibid.
Cibo, quo alios pascunt, se debent nutrire. ibid. n 40.
Eorum vita eamdem ac verba exhalet fragrantiam. ibid.
Verbum Dei gladius anceps, vt vno ore audientes, altero Prædicatorē feriat. ibid. n. 41.
Indignus prædicandæ veritatis minister est, qui opera non præstat, quæ alios docet. ibid. n 42.
Apostolici Prędicatoris munus est nō blandiri, sed obiugare cuiuscumq; sint vitia. cap 2. n. 43 tota annot.
Neque adulationem, neque maledicentiam incurrat. ibid. n 44
Illibatis personis vitia carpere tenetur. ibid.
Veluti apis in peccatorum cordibus spicula figat. ibid. n 45.
Tanquam columba gemitum pro cā tu depromat. ibid.
Quasi fulmen potentibus opponatur, vt venena vitiorum extinguat. ibid. num. 46.
Non indiget Dei verbum acquisitæ sapientiæ prędidio, vt peccatorum animos fęcundet. cap. 2. n. 47. tota annot.
Subtiliori & obscuriori doctrina sępius Ecclesiastes homines ad Dei cognitionem capit. cap. 3. num. 116. tota annot.
Plus debet verbis significare, quam loquitur. ibid.
Quæ auditores acumine proprio percipiunt, ipsos delectant. ibid.
Verbum Dei gladius acutus. ibidem n. 118. & 119.
Subtile & ingeniosum Prædicatoris eloquium melius à vitiorum statione homines remouet. ibid. n. 119.

ECCLESIA.

Ecclesia aliena à vectigalibus. cap 2. num. 286. tota annot.
Ex animalibus, quę Ioui in Olympia ara sacrificabantur, miluus aliquid nunquam subripiebat. ibid.
Nullo iure res sacras in profanos vsus licet commutare. ibid.
Qui ministerio inseruiunt altaris, nulli præter Deum debent famulari. ibid. n. 287.
Neque impius Princeps de bonis sacerdotum adhùc in publica necessitate audet aliquid extorquere. ibid. n. 288.
Tributa nō pendit Ecclesia. ibid. n. 289.
Regni excidium Ecclesiæ vectigalia. cap. 2. n. 290. tota annot.
Plurimi Principes tentantes templa expoliare, extēplo moriuntur. ibid.
Ingruente Religionis exitio, & Regio thesauro penitus consumpto Ecclesiarum opes licitè Principibus impenduntur. ibid. n. 291.
Ad miraculum Princeps recurrere debet prius, quam opes Ecclesiarū attingat. ibid. n. 292.
Bonorum Ecclesiæ scissio scissionis regni prophetia est. ibid. n. 293.
Non modo res sacras diripere, sed eas tangere mortem affert. ibid. n. 294.
Ecclesię Catholicę fortitudo semper inuicta, eo quod vnico eius innitatur Sponso. cap. 3. n. 495. tota annot.
Veluti luna, quanuis videatur deficere, nunquam deficit. ibid.
Insulis comparatur. ibid. n. 496.
In Arcturo, qui immobilis irradiat, adumbrata. ibid. n. 497.

ELECTIO.

Qui nullas in dignitate mittit radices, vt in posterum dominari velit, suffragium Dei in electione habet. c. 2. num. 179.
Indignum Prędulem eligere nihil est aliud, nisi araneę telas, quæ facili negotio rumpuntur, ordiri. cap. 2. num. 350.
Electo sat est dignitatem deferre, excluso adminus laudes remittat. c. 3. num. 69.
In ęqua meritorum lance cana sapientia iuniori in electione est prędferenda. c. 3. n. 76. tota annot.

Cum

Cum dignus eligitur, omnes ad dignitatem eliguntur. c. 3 n. 137. tot. ann.

ELEEMOSYNA.

Quod pro Deo largimur, non minuitur, sed cũ ingenti lucro recipimus. cap. 3. n. 734 tot. annot.
Pauperibus erogatam eleemosynam ad æqualitatem Deus rependit. c 2. num. 186.
Cum facultates desunt, vt subueniatur pauperi, ad miraculum recurrere libet. cap. 3. n. 100. tota annot.
Nemo ab eroganda eleemosyna impossibilitate naturali excusatur. ibid. n. 103.

EMENDATIO.

Citò punire delicta emendationis est ars. cap. 1. n. 105.

EQVVS.

Equi ad Euphratem procreati velocissimi sunt. c. 1. n. 142.

ERROR.

Vel in ipsis erroribus virtutis signa præ se ferunt Sancti. cap. 3. num. 7. tota annot.

EXACTOR.

Quæ subditus pro subueniendo Principi offert, non sunt ab exactoribus violenter extorquenda. c. 2. n. 166. tota annot.
Intolerabilis est exactionis præda. ibidem.
Non patitur Deus, quod vltroneè offertur, flagellis exactores extrahere. ibid. n 167.
Sæpè mare nauigantibus in portu naufragium est, vbi exactorum rapacitatem incurrunt. ibid. n. 169.

AETHIOPES.

Madianitę, & AEthiopes idem sunt. cap. 3. n. 258.
Iudæi AEthiopes dicuntur. cap. 3. numer. 317.
AEthiopes pellibus armati ad bella procedebant. ibid.

EXCESSVS.

Rarus minister est, qui in commissione non excedat. cap. 1. n. 252. tota annotat.
Vel bonus Angelus, nisi impediretur, in commissione excederet. ibidem num. 253.

EXCELLENTIA.

Cum alterius excellentię narrantur, plusquam dimidium famę addendum est. c. 2. n. 329.

EXEMPLVM.

Ad Superioris exemplum operantur subditi. c. 3. n. 237.

EVCHARISTIA.

Silentio reueretur. cap. 2. n. 390.
Etsi sacerdos vipera sit venenata, ad illius sibilũ Christus realiter adest in Eucharistia. c. 2. n. 421.
In plenilunio agnus, qui Eucharistiã referebat, immolabatur. c. 3. n. 61.
Christus Dominus in Sacramento Eucharistiæ non solum inuisibiles, sed & visibiles hostes expugnat. cap 3. n. 261. tota annot.
Omnem à Catholico pectore Eucharistia depellit timorem. ibid.
Catholica arma sub ipsius tutela robo rantur. ibid. n. 262.
Loco castrorum est. ibid.
Iuueniles vires aduersus hostes præstat. ibid. n. 263.
Qui ipsam osculatur, armatur ad bella. ibid. n. 264.
Rei bellicæ fortuna ab illa dependet. ibidem.
Fides diuina in Sacramento Altaris adeò triumphat, vt non solum intellectum, sed & sensus quodammodo in captiuitatem redigat. c. 3. num. 265. tota annot.

A deceptione sensus in hoc Sacramẽto redduntur immunes. ibid.
Panem, & Christi substantiam non simul latere in hoc Sacramento, aliquomodo fatentur sensus. ibidem num. 266.
Panis Eucharisticus triticum est ligustro confectum, vbi tota panis substantia euanuit, remanentibus dũtaxat accidentibus. ibid. n. 267.
Quodammodo sensus in Eucharistia ad percipienda obiecta supernaturalia eleuantur. ibid. n. 268.
Amor, vt homines ditet, Deum in Eucharistia deprędatur. c. 3. n. 269. tota annot.
Vt iucundius sit hoc conuiuium, in materia à proprio domino abstracta adumbratur. ibid. n. 270
Pium latrocinium sibi Christus intulit, vt nos reficeret in Altaris mensa. ibid. n. 271.
Acte furandi pię abutitur Sacerdos, sacrum Eucharistiæ Sacramentum conficiens ibid. n. 272.
In almo Eucharistiæ Sacramento duplex Christi vita specialis & glorię, & redemptionis actiuæ suscipientibus quodammodo confertur. c. 3. n. 273. tota annot.
Vitam, quam accepit à Patre, Christus in Sacramento Altaris communicat ibid. n. 274.
AEternitatis diem largitur. ibidem num. 275.
AEternæ vitę participes efficit suscipientes. ibid. n. 276.
Aliquid plus quam beatitudo pręstat Eucharistia ibid. n. 278.
Pretium libertatis, & redemptricem vitam quodammodo Christus in Eucharistia largitur. cap. 3. n. 279. tota annot.
Eucharistia numisma triticeum libertatis pretium afferens ibid.
Christi facultates hereditario iure pręstat. ibid. n 280.
Eximium redemptionis nostræ valorẽ communicat. ibid. n. 281.
Libertatem nostram operatur. ibid. num. 282.
Deum vrget, vt debita nostra remittat. ibid. n. 283.
Censum peccati solvit. ibid. n 284.
Ad redemptricis vitę vnitatem nos ad uocat. ibid. n. 285.
Non solum anima, sed & sensus Eucharistię suauitate beantur. cap. 3. num 286. tota annot.
Gustum in patria Eucharistię suauitate satiandam esse, non improbabiliter asseritur. ibid. tota annot.
In Eucharistia Verbum caro efficitur. cap 3. n. 291. tota annot.
Verba pro facto supponunt. ibid.
Hoc sacrificium verbis conficiendum pulchrè adumbratum. ibid. nu. 292. & 293.
Hostia vociferationis propriè dicta. ibid. n. 293.
Christus Dominus in Eucharistia realiter adest. c. 3. n. 295. tota annot.
Reali Christi substantia anima in Altaris mensa satiatur. ibid.
Lac vitę necessarium pręstat. ibidem num 296.
Sub lactis forma concupiscitur. ibid. num. 297.
Non panis, sed carnis epitecta admittit. ibid. n. 298.
Qui ad mensam Eucharisticam sine ea, quę tantum Sacramentum decet, puritate accedit, insanire videtur. c. 3 n. 299. tota annot.
Indignè hunc cibum participans, iudicium proprium absorbet. ibid.
Qui temerario ausu ad hanc mensam sine puritate sedet, tanquam demẽs lapides iactat. ibid. n. 300.
Temeritas & insania est, irreuerenter hoc sacrificium tractare. ibidem num. 301.
Qui sinè decente ornatu ad Altare accedit, tanquam insanus alligatur. ibid. n. 302. & 303.
Christi amor in Eucharistia sic deliciatus est, vt vel tenuissima aura lædatur. c. 3. n. 304. tota annot.
Vel aere transeunte offenditur. ibid. num. 305.
Pupillam oculi in teneritudine refert. ibid. n 306.
Veluti flos leuissima aura languet. ibid. n. 307.
Leui attactu prouocatur ad vindictam ibid. n 308.

Qui post Eucharisticam cœnam somno torpet, inter ritum sibi parat. c.3. num 309. tota annot.
Euigilare debet, qui ab hac mensa surgit. ibid.
Qui semel ex agno paschali somno correptus comedebat, rursus ex eodem agno comedere non poterat ibidem.
Quod discipuli Eucharistico cibo vix assumpto dormiant, propter illorũ periculum dolet Christus. ibid. numer. 310.
Corde vigilet, qui innoxium hoc pabulum inuenire desiderat. ibidem num 311.
Qui ad hanc mensam recumbens non excutit somnium, lethalem morbũ incurrit. ibid. n. 312.
Ad Eucharistiam non nisi in gratia accedendum. cap. 3. num 313. tota annot.
Obsoletus arcetur ab hoc conuiuio. ibidem.
Participans hunc cibum desideria debet habere cęlestia. ibid.
Nihil terrena sapiens conuiua afferat ad hanc cœnam. ibid.
Indignus sibi mortem infert in hoc conuiuio. ibid. n. 316.

F

FAMA.

Bona fama, præcipuè in Superioribus, adipiscenda, & conseruanda; mala autem nimis fugienda. cap. 2. n. 323. tota annot.
In mulierum fama fama Principis eruditur. ibid. n. 324.
Gestorum turpium vindicta mala fama patratoris est. ibid. n. 325.
Præsentis potentiæ fama non extinguitur futuri æui memoria. ibidem num. 325.
Fama plus quam dimidium laudibus detrahit, vt vituperijs adaugeat. c. 2 num. 327. tota annot.
Semper est mendax. ibid.
Parua malę famæ scintillula totus honor flagrat. ibid.
Cum alterius dedecora audiuntur, famę plusquam dimidium detrahendum est. ibid.
Addendum plus quam dimidium, cũ excellentiæ narrantur. ibid. n. 329.
Veris falsa addere solitat ibidem numer. 330.
Insita famæ cupido augendi rumores. ibidem.
Non bona fama crimen reputatur. ibidem.
Homines non ex rei patratæ merito, sed ex patratoris fama rem existimant. c. 3. n. 96. tot. annot.
De quo obscura fama habetur, nulla præclara gesta creduntur. ibidem num. 99.
Illustrium factorum fama ad cęlos vsque peruenit. c. 3. n. 112.

FOEDVS.

Fœdera cum infidelibus inire impiũ, & periculosum. c. 2. n. 222.

FEL.

Pro vino accipitur. cap. 2. n. 280.
Furorem significat. ibidem.

FELICITAS.

Veluti vinum suauiter fallit, vt cũ dedecore, & ignominia, quem eleuauit, à dignitate deijciat. c 2 n. 89.
Magnarum est virium felicitatis oneri non succumbere. cap. 2. n. 104.
Sicut nimio fructuum pondere frangũtur arbores, sic homines immoderata felicitate ibid.
Nimia felicitas Dei memoriam obliterat. ibid.
Animum corrumpit. ibid.
Carnis maceratione frænanda. ibid. num. 105.
Potius à felicitate, quã à tribulatione timendum. ibid. n. 106.
Præteritorum memoriam extinguit ibidem.
Non durat immoderata felicitas. c. 3. num. 254. tota annot.
Nemo alienæ infelicitate est felix. c. 3. num 673.

FIDES, FIDELIS.

Noua in fide fugienda. cap. 1. n 131. tota annot.
Per inusitatam semitam incedere fidē eneruat. ibid. n. 134.
Iustus fide viuit, sed non ex fide solū. c. 2. n. 85.
Cor virtutum est, & iustificationis initium. ibid.
Veluti scutum nos protegit. cap. 2. num. 92.
Ad viuendum in fide necesse est benè operari. ibid. n 93.
Fides sola filios Dei non facit, sed potestatem tribuit, vt fiant. ibid. n. 94.
Pudeat fideles de nomine gloriari, cui mores non correspondent. ibidem num 95.
Amicorum, qui se nimis introducere tentant, suspecta fides. cap. 2. n. 318. tota annot.
Non propinquitate loci, sed cordis affectu probatur fides. ibid. n. 322.
Ne paucorum fidelium defectus pate fiant, totus orbis inuertitur. cap 2. num. 340.
Fides humana ex auditu incerta, ex munerum acceptione mendax. c. 3. num. 73. tota annot.
Testibus ex auditu non est adhibenda fides. ibid. & n. 74.
Eius, qui munus accepit, suspectum est testimonium. ibid. n. 75.
Per nocturnam fidei lucem melius quam in die indagatur Deus. cap 3. num. 117.
Quæ ad fidem, & religionem pertinēt, palam operanda. cap. 3. n. 373.

FILIVS, FILIA.

Felicitates patribus promissę adimplētur in filijs. c. 2. n 153.
Tota filiorum ergà parentes cura ad id reducitur, quomodo eos sepeliant. c. 2. n. 211.
Religiosi filij quę parentes Deo dicarunt, non sibi vsurpant. ibid.
Filius definitio est patris. cap. 3. n. 213. & 217.
Sępè Deus hominibus, qui pro ditandis filijs mala agunt, heredes permittit, qui eorum bona disperdant, quin de ipsorum animabus curam habeant. c. 2. n. 208.
Vel vna sola filia totam domum euertit. cap 2. n. 240. tota annot.
Viris sibi dilectis raro Deus plurimas dedit filias. ibid.
Ad honoris iacturam vna sola filia pluribus ęquiualet. ibid.
Veluti oculi pupilla custodienda est filia, quia ab ea numerosa familia inhonoratur. ibid. n. 241.
Neque breui vngue à materno sinu debent discedere, ne periclitentur. ibid. n. 242.

FINIS.

A fine felicitantur virtutis principia. cap. 3. n. 506. tota annot.

FISCVS.

Nunquam Fisci mala causa est, nisi sub bono Principe. cap. 2. n. 125.

FORTITVDO.

Qui de fortitudine gloriatur, animo pusillus est. cap. 1. n. 330.

FLVCTVS.

Fluctuum decimus maximus dicebatur. cap. 2. n. 76.

FORTVNA.

Nescit Deus cum aliorum detrimento alios secunda fortuna prosperare. cap 2. n. 165.
Vnusquisque intra fortunam debet manere suam. c. 2. n. 258.
Qui alienæ fortunæ inuidus illā ęquare procurat, periclitatur. ibid. numer. 259.
Maxima fortuna minima licentia est. cap 3. n. 400.
Quod prospera excęcat, aduersa illuminat. c. 3. n. 486. & 487.
In secunda fortuna aduersam timere expedit, & contra illam muniri. c. 3. num. 689.

SAN-

SANCTVS FRANCISCVS de Paula.

Sanctissimus Parens Franciscus de Paula regalis aquila carnes haud vescens.cap.1.n.212.tota annot.
Nonagenarius discessit, admirabilem à carnibus abstinentiam obseruans, ad quam suos assectas voto adstrinxit.ibid.
Primęuam Abelis sanctitatem carnis abstinentia resculpsit. ibidem num.214.
Modico herbarum victu characterem sanctitatis cudit.ibid.n.215.
Carnes fastidiens regiam nobilitatem expressit.ibid.n.216.
Innocentię statum restaurauit.ibid.
Ad consortium Deitatis asc̃endit. ibid.
Angelicam puritatem comparauit. ibid.n.218 & 219.
Vel vmbram carnalis cibi à suis relegare curauit.ibid n.220.
Cęlestem vitam sibi, suisque delegit. ibid.n.219.
Regalem nobilitatem, & profusam miraculorum dispensationem humilitate acquisiuit.cap.1.n.225. tota annotat.
Minimum se agnoscens cum Ecclesiæ Proceribus in sanctitate contendere non recusat.ibid.
Corde humilis, sed animo fuit magnus.ibid.n.226.
Quia à puncto minimo ad extremum humilitatis peruenit, magnitudinis maximum attigit extremum.cap.1. n.239 tota annot.
Tantum Eucharistię pabulo per quadraginta dies fuit enutritus. cap.3. num. 263.
Propter mirificam à cibis abstinentiã Ecclesiæ prodigium, & miraculorum patrator factus est maximus. cap.3.n.709.

FRATER, FRATERNITAS.

Fratrum dissensiones difficiles. cap.1. num.146.
Fraternitas,quę concordiæ vinculum esse debet, plerumque discordiarũ seminarium est. c.2. n.309. tot. ann.
Naturaliter inimicitię aduersatur, & vltionem recusat.ibid.
Fratres non externo iudice,sed interno amore ad concordiam redigi oportet.ibid.
Fraternus amor cum inodium degenerat,adeò implacabilis hostis est, vt ad eius confringẽdam ferociam ingentia castra sint necessaria.ibid. num.311.
Qui implacabilis hostis futurus est,cõ frater ante adoptione efficitur.ibid. num.312.
Nullus ad puniendum fratrem aptior est gladius, quam frater.ibidem num.313.
Nocumentum,quod frater molitur in fratrem,nunquam leue est.ibid.
Falsus frater spina dicitur.c.3.n.350.

FVRTVM.

Qui non habet,vndè viuat,& viuit, & non laborat,aut viuit miraculo,aut furto.c.1.n.164.
Qui sinè facultatibus gulosè cibatur, non temere furto viuere iudicatur. c.1.n.169.
Aliena furari,& eis vti tanquam proprijs,potentiorum est ingenium.c.1. num.192.tota annot.
Opes furto comparatę fugaces sunt. cap.2.n.198.
Breuissimo durant tempore. ibidem num.199.
Ignis sunt,qui bona alia consumit.c.2. num.237.
Vel ignoratum furtum in animo pacatissimo iras & iurgia fouet. ibid. num.239.
Iucundiora sunt,quæ furto possidentur.c.3.n.269.

G

GAVDIVM.

Gaudium & voluptates terrenas magno pretio mercantur homines. c.1. num.314.

GARRVLITAS.

Regiminis inuersio gubernatorũ garrulitas.c.3.n.92 tota annot.

GENTILES.

Suis dextrę,& armis diuinitatem arrogabant.c.1.n.243.

Vel solo intuitu mundum *Deos* labefactare credebant.c.3.n.209.

GRATIA.

Dei seruitus compendium vitæ,& gratiæ abortus.c.1.n.247.tota annot.

Gratiæ abortus perfectissimi partus, ibid.n.251.

GRATITVDO.

Vt simus grati,non opus est *Deum* prę cipere:ne grati simus, non sat videtur,etsi prohibeat.c 2.n.266.tot.ann.

Gratitudini non est imposita lex.ibid.

Gratus animus vitam potius quam gratitudinem vult amittere.ibidem num.267.

Grata beneficij responsio altero præcepto concurrente prævalet. ibid. num.268.& 269.

GLORIA, GLORIARI.

De quo quisque gloriatur,id illi deest c.1.n.330.tota annot.

Spes glorię mœrorem fugat,animumque tranquillat.cap.3.n.158.tota annotat.

Ad gloriæ intuitum tardiores pedes plumescunt.ibid.

Cęlestis glorię præmium cogitantes mandata omnia alacriter exequuntur.ibid.n.159.

Laborum acerbitas ab infusa spei glorię suauitate dulcescit.ibid.n.160.

Ne gloriæ memoria à nobis excidat, delitias *Deus* submouet.c.3.n.338.

Facilis,& plana iam nobis ad gloriam via est.c.3.n.342.tota annot.

Pudor est pro æterna gloria non præstare, quod pro peritura facimus, cap.3.n.614.tota annot.

Ardua quæque aggrediuntur homines, vt humanam gloriam assequãtur.ibid.

Vel pro gloria in ænigmate ostensa acriter pugnandum est.ibid.n.616.

GVBERNATOR.

Euersio ciuitatis gubernatorum est dissidium.cap.1.n.98.tota annot.

Gubernatorum frugalitas publicam calamitatem clamitet.cap.2.n.227. tota annot.

Populis,quibus præsunt, se in pompa debent conformare.ibid.

Publicę necessitatis tempore se debẽt pręcingere.ibid.n.228.

Regiminis inuersio gubernatorũ garrulitas.c.3.n.92.tota annot.

GVLA.

Libidinis,& salacitatis est fomentum, cap.3.num.710.

H

HABACVC.

Eius patria, & genus ignota. Prologom.1.

Sunamitidis fuisse filium, quem Eliseus à morte excitauit, creditur. ibidem.

Quo tempore,& sub quo Regum prophetauit,incertum est: probabilius videtur sub Manasse Principe vaticinia detonuisse.Prologom.2.

Amplexum,seu luctatorem significat. Prologom.3.

Biennio post duarum Tribuum exilium moritur.ibid.

Tota eius prophetia ad Chaldæos prę cipuè contorquetur.Prologom.4.

Quam sit *Deus* afflictorum memor, mirificè in sua prophetia ostendit. ibidem.

Temerè contra *Deum* loqui videtur. cap.1.n.31.

Eius audacia æstuantis,ac desiderantis animi affectum significat.ibid.

HERES.

Sæpè Deus hominibus, qui proditandis filijs mala agunt, heredes permittit, qui eorum bona disperdant, quin de eorum animabus curam habeant. c.2.n.208.tota annot.

HISPANI.

A Vandalis imfirmissimis hostibus expugnantur, vt vitiorum vi, non hostium robore videantur superati. cap.2.n.223.

HOSPITALITAS.

Hospitalitas Dei virtus, & beatitudinis complementum. c.3. n.738. tota annotat.

HOMO.

Hominum conditio est de Deo conqueri, si optata non assequantur. c.1 num.25.

AEgre ferunt suorum errorum emendationem. c.1.n.39.

Ea hominum natura est, vt non tantã gratiam habeant pro his, quę illis tribueris, quãtum dolorem pro his, quæ illis negaueris. c.1.n 51. tot. an.

Inconstantes in amicitia homines non patitur Deus. c.1.n.82.

Quæ sua sunt anhelantes, de aliorum exitio non dolent. c.1.n.90.

Nemo hominum in tuto constitutus alterius ruinæ miseretur. c.1.n.90.

Difficulter Deo attendunt, quia humanis rebus adhæresc unt. c.1.n.102

Quia homines ad Deum, vt ipse vult, amore non accedunt, terroribus, minis, ac supplicijs facit, vt resipiscãt. cap.1 n 126. tota annot.

Deum propter ipsius pietatem impiè contemnunt. c.1.n.157. tota annot.

Homo ad sepulchrum accedens idem ac in vita est per essentiam, sed alter debet esse per gratiam. c.1.n.262.

Iniurię admodum exaggerator, beneficij accepti cõtractor est. c 1 n.293.

Non homo à dæmone; sed dęmon ab hominibus sumptibus saginatur. c.1 n 310. tota annot.

Hominum iudicio se subijcit Deus, vt apud ipsos sua iustificetur causa. c.2.n 51. tota annot.

Homines non videntur habere, nisi quod ab alijs aufertur. c.2.n.162. tota annot.

Qui de suis non curat, non homo, sed spectrum est. c.2.n.391. tota annot.

HONOR, HONORARE.

Honores diuitijs deferuntur. c.1.n.336 tota annot.

Alterius egestatem subleuare, illum honorare est. ibid. n.337

Nulla facilior, nullaque sensibilior iactura, quam honoris, est. c.2.n 331. tota annot.

Omnes ambiũt honoris stẽmata. ibid.

In proprium dedecus nemo honoris cupidus consentit. ibid. n.332. & 333.

Licet vulnus honoris curetur, manet cicatrix. ibid. n.334.

Semel sordidata opinio nunquam expurgatur. ibid.

Honoris infamia veluti nodus sericus, qui facilè efficitur, sed difficillimè solvitur. ibid.

Negotiosa honoris ambitio ipsa solicitudine inhonoratur, sublimitate ipsa decrescit. c.2.n.350. tota annot.

Honoris priuatio ambitioso mortis quoddam, & inferni genus est. c.2. n.380. tota annot.

Magis honoris priuatione, quam gehenna, cruciantur dãnati. ib. n 382. & 383.

HORA.

Hora mortis ita periculosa est, vt quasi Deo duplici indigeat. c.1. n.262. tota annot.

HVMILITAS, HVMILIS.

Humilitas Regia, & potentissima virtus. c.1.n.225. tota annot.

Quoscumq; Proceres humilis superat ibidem.

Corde humilis animo est magnus. ibid num.226.

Sola humilitas veram nobilitatem cudit. ibid. n.227.

Quo quisque est nobilior, eo magis humiliatur. ibid. n.228.
Miraculorum patratrix virtus ab humilitate procedit. ibid. n.229. & 230.
Deum cogit miracula efficere. ibid.
Qui ab extremo humilitatis ascendere incipit, extremã assequitur magnitudinem. c.1.n.240. & 241.
Qui naturalem habet dignitatem, non recusat per humilitatem ab illa descendere. c.1.n.334.
Humilitas oculatissima virtus, quę superbis absconduntur, rimatur mysteria. c.3.n.16. tota annot.
Intellectus acumine omnia penetrat. ibidem.
Lac diuinarum reuelationum humilibus Deus administrat. ibid. n.17.
Sicut natura non patitur vacuum, sic nec gratia humiles, quin illis se infundat. ibid.
Humilis propriæ cõditionis cognitio oculos mentis acuit. ibid. n.18. & 19.
Humilitatis assecla prophetica virtus est. ibid. n.20.
Grandis potestas timeat: Humilis à timore est securus. cap.3.n.547. tota annot.

HYPOCRISIS.

Simulationem, & hypocrisim toto animo Deus abhorret. c.3.n.554. tota annot.
Vulpi confertur hypocrita. ibid.
Nequit Deus ad res simulatas se accõmodare. ibid. n.555.
Ne simulationem Deus incurrat, idẽ est ad intra, & ad extra. ibid.
Austeritatem simulat hypocrita, vt carnis illecebris inseruiat. ibid. n.556
In siculnea adumbratus. ibid.
Viperam refert. ibid. n.557.
Quod in cordis secreto latet, in facie Deus videri vult. ibid.

I

IACTATIO.

De quo se quis iactat, id illi deest. c.1. n.330. tota annot.
Qui de fortitudine gloriatur, pusillus animo est. ibid.
Veluti struthiones blaterones sunt, qui de perniciissimo volatu se iactant, cũ tamen volandi non habeant facultatem. ibid. n.331.

IEROSOLYMA.

Per antonomasiam ciuitas dicitur, sicut Roma apud Latinos. c.2.n.155.
Idem est ac mons Pharam. c.3.n.109.

ILLECEBRAE.

Non nisi Deo auspice, & acriter pugnante, importunę carnis illecebræ superantur. c.3.n.582. tota annot.
Carnis illecebrę hominẽ infamãt. ibi.
Vel illecebrarum defensio, & excusatio aliquid impuritatis secum deferre videtur. ibid.
Victoriam in declinando inimicã lasciuiam sibi tanquam mirabile opus Deus arrogat. ibid. n.583.
Carnis illecebrę sic periculosæ sunt, vt quomodocumque concipiantur, noxium respirent contagiũ ibid. n.584.
Magis quam infideles declinãdi sunt illecebrosi. ibid.

ILLEGITIMI.

Patris famæ insidiantur. cap.3.n.535.
Procliues sunt ad detractionem. ibid.

IMAGO.

Viuere dicũtur imagines, quæ omnibus numeris sunt absolutæ. c.3.n.39.

IMPIETAS, IMPIVS.

Nulla maior impietas, quam ob pietatem Dei Deum contemnere, ob impietatem hominum homines vereri c.1.n.157. tota annot.
Iustorũ mortẽ impij desiderant, illorũ vitã ęrumnosã detrectãt. c.1.n.173.
Impij Regis domus desertum Deo est. cap.1.n.192.
Eadem, qua delinquunt, impietate puniuntur impij. c.2.n.154.
Veluti mare impius, vt se purget, alios coinquinat. c.2.n.164.

Vrbana impiorum ruina ipsorum loquacitati commendatur. c. 3. n. 94.

IMPERIVM, IMPERARE.

Imperandi desiderium non semper reprehensibile. c. 2. n. 139. tota annot.
Imperare ex suo genere opus laudabile. ibid.
Qui virtute præditus imperium recusat, Deum conuincitur non amare. ibid. n. 140.
Tam absurdum est neminem velle imperare, quam omnes. ibid.
Qui imperare optat, bonus videri affectat. ibid. n. 142.
Propter iniustitiam, & tyrannicam dominationem mutantur imperia? c. 2. n. 159 & 160.

IMPATIENTIA.

Qui Deum suarum pœnarum authorem non agnoscit, facilè ad impatientiã stimulatur. c. 1. n. 207. tot. an notat.

INGENIVM.

Ingenia quo illustriora, eo breuiora sunt. c. 1. n. 233.
Mortuis annumerãtur ingenioſi. ibid.
Nisi se stultum simulet ingeniosus, mortem non effugiet. ibid. n. 234.
Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quã metus superat. c. 2. n. 226.

INFANS.

Vt vita fruatur perfecta, decimum ante natiuitatem debet attingere mensem. c. 1. n. 247.
Infantes, qui octauo mense nascuntur, non uiuunt, aliter, qui septimo. ibid. num. 248.
Somnõ sopitus nascitur infans. cap. 21. num. 214.
Ne fontes vberum, quibus alitur, lacerent, sinè dentibus nascitur. c. 2. n. 360

INSIPIENTIA.

Quasi ius est ad gratiam Principis promerendam. c. 1. n. 237.

INDOLES.

Etiam in delictis generosa solet indoles agnosci. c. 3. n. 7.

INGRATVS.

Ingratis beneficia excidunt, hęrent iniuriæ. c. 1. n. 293.
Ingratis benefaciens supplicia Deus adauget. c. 2. n. 364. tota annot.
Gratum hominem semper beneficiũ delectat, ingratum semel. ibid.
Ingrato beneficium non conferre, beneficium est. ibid. n. 365 366. & 367.
Generosus animus ingratitudine ad benefaciendum non retardatur. c. 3. n. 59.

INFERNVS.

Inferni appetitus inexplebilis. cap. 2. num. 90.

IEIVNIVM *VIDE*, ABSTINENTIA.

Ieiunium dæmonem fugat, cęlestem vitam refert, sanctitatis est compẽdium: intemperantia libidinis. c. 3. n. 705. tota annot.
Inimicum serpentem enecat. ibid.
Arx est, quę nos à diabolica oppugnatione defendit. ibid.
Vitam cęlestem, & diuinam ęmulatur ibid. n. 706.
Elementaris ignis, quia ieiuniũ obseruat, cęlestem habet sphęram. ibid.
Ieiuna corpora Deum cogunt in ipsa illabi. ibid. n. 707.
Ieiunij dies in tempore mortalis vitæ non computantur. ibid. n. 708.
Nescio ieiunium cum Deo non habere commercium. ibid. n. 709.
Omnium vitiorum est sepulchrum. ibid. n. 710.

INIMICITIA, INIMICI.

Tanta aliquorum hominum est prauitas, vt non iam suos, sed & aliorũ inimicos ob adulationem odio habeant. c. 1. n. 353. tota annot.
Nulla est implacabilior quam fratrũ inimicitia. c. 2. n. 329. tota annot.

Nihil detestabilius, quam amicum os preferre, & inimicum cor gestare. c.2.n.314.tota annot.
Etiam super inimicorũ incommodis dolendum est.c.3.n 604.
Posse, & nolle de inimicis vindictam sumere potentię, ac nobilitatis est apex.c.3.n.685.tota annot.
Parcendum inimicis,sed eis non fidẽdum.c.3 n.688.tota annot.
Ex naturæ,ac iustitiæ debito inimicis parcere tenemur.cap.3.n.692.tota annot.

INDIGNI.

Quod fauor,& præmium indignis cõferatur, non sat est, vt à Superioribus auellamur. cap.1. num.78. tota annot.
Quod digno spreto indignus ad dignitatem eleuetur, non pœna digno existimanda est cap.1.n.112.tot.annotat.
Indigni ipsa dignitate in honorantur. cap.2.n.350.tota annot.

INFIRMITAS.

In alienis infirmitatibus nostras curare discimus.c.1.n.160.
Vnus humor omnes infirmitates causat,sed pro diuersitate locorum diuersi sunt morbi.c. 1.n.271.

INFELIX.

Infelix est,qui alieno malo non docetur.c.1.n.160.tota annot.
Summa infelicitas est,à virtutis trami te recedere.c.3.n.506.tot.annot.
Nemo comparatus infelix. c.3. n.608.

INTELLECTVS.

Si venalis esset,non haberet emptorẽ. cap.1.n.35.
Cęcitas sensibilis intellectum acuit. cap.1.n.128.
Vir magno intellectu præditus mortuis annumeratur.c.1.n.233.
Quod voluntas renuit,intellectus percipere recusat.c.2.n.405.
Quę pervia sunt, fastidit intellectus. c.3.n.116.

INTENTIO.

Bona intentio ignarum intellectum manuducit ad veritatem attingendam.c.2.n.395 396.& 398.

INCONSTANTIA.

Virtus inconstans in vitium degenerat.c.2 n.23.& 24.
Inconstantes floribus autumnalibus conferuntur.ibid.

INSVLARES.

Solent esse indomabiles, & malæ bestię.cap.3.n.129.

INVIDIA, INVIDVS.

Nullum incurabilius,nullumque abiectius malum est inuidia.cap.2.n.111. tota annot.
Tam abiectum vitium est, vt quemlibet pudeat illud prodere.ibid.n.112 113.& 114.
Inuidiam occultari non patitur Deus. ibid.n.112.
Plus alienis bonis,quã proprijs malis cruciatur inuidus.c.2.n.148.tot.an.
Aliquem apud inuidum laudare, ipsum calumniare est ibid.
Omni plaga dicitur percussus, qui inuisi felicitatem vidit.ibid.n.149.
Plus alterius felicitate,quam gehẽna, inuidia tabescẽs cruciatur dæmon. ibid.n.150.& 151.

INIVRIA.

AEquiori animo Deus suas, quã iusto rum fert iniurias.c.1. n.196.tot.ann.
Homo iniurię suæ admodum exaggerator,beneficij contractor est.cap.1. num.293.tota annot.
Ingrato hærent iniuriæ,beneficia excidunt.ibid.
Iniurias sibi irrogatas Deus extenuat. ibid.n.296.297.& 298.
Qui silet ad iniurias,Deum habet defensorem.c.2 n 422 tota annot.

Con-

Conuitia patienter sustinens creditorem habet Deum. ibid.
Sibi Deus iniuriarum reseruauit vindictam. ibid.
Difficultas ad condonandum iniurias hominum ignobilem, facilitas Dei naturam prędicat nobilissimam. c. 3 num. 120. tota annot.
Posse, & nolle de iniurijs vindictam sumere potentiæ, ac nobilitatis est argumentum. c. 3. n. 685. tot. annot.
Parcendum iniuriantibus, sed eis non fidendum c. 3 n. 688. tota annot.
Ex naturæ, ac iustitię debito iniurias condonare tenemur. c. 3. n. 692. tota annot.
Iniuriarum venia ad cœlum via recta ducit, tantumque ex ea reportatur lucrum, vt non solum omnium debitorum remissionem consequatur, sed cum persecutoribus amicitiam conciliet. c. 3. n. 696. tota annot.
Iniuriarum venia, quæ non propter Deum, sed ob alios respectus confertur, suspecta est. c. 3. n. 702. tot. an.

IRRISIO.

Nihil grauius ingenuis viris, quam irrideri cap. 2. n. 115. tota annot.
Morte ipsa acerbior est illusio. ibid.
Vel mortuus ad irrisionis iaculum animatur, & conuitia sentit. ibid. n. 116.
Ab hora, qua irridetur, Christus Dominus dicitur crucifixus. ibid.
Vltimum patientiæ extremum, & tormẽtorum corona est, conuitia tolerare. ibid n. 117.
Infernales cruciatus superat irrisio. ibidem.
Etiam insensibilia conuitia & irrisiones sentiunt. ibid. n. 118.
Naturales vires superat, irrisionem æquo animo sustinere. ibid.

IVDAEVS.

Iudaica perfidia non nisi ignis flagratione punienda. cap 3. n. 317. tota annotat.
AEthyopes dicuntur Iudæi, quia eorũ facies denigratę sunt, quandò vitulum effecerunt. ibid.
Sub ouina pelle intus sunt lupi rapaces, & sub cortina Christi Moysem adorant. ibid.
Debitus Iudęorum finis incendium. ibid. & n. 318.
Cauterio ignis eorum ulceri est medẽdum, vt totum Ecclesiæ corpus curetur. ibid. n. 319.
Fidei rore destituti flammis tradendi. ibid. n. 320.
Vbi à Deo, & Christo eius recesserũt, vasa fictilia, quę reformari non valent, sunt effecti. ibid.
Sabathum Iudęorum ritibus dicatum meritò carebat manna ibid. n. 321.
Moysis domum, quæ synagoga fuit, reędificare, maxima ignorãtia. ibid. num. 322.
Mortem deuorat Iudaica perfidia. c. 3 n. 323. tota annot.
Mortuæ legi adhærens veluti coruus cadaueribus alitur. ibid.
Tanquam hyena non nisi morte pabulatur. ibid n. 324.
Iudæorum peruicacia ipsis parat interitum. ibid.
Synagogæ ędificatio post Christi aduentum nõ nisi mortem affert. ibid. num. 325.
Christum damnantes ad mortẽ mortis reos seipsos effecerũt Iudęi. ibid. num. 326.
Iudęorum maxima infelicitas terram fodere, & fructum ex ea non colligere. c. 3. n. 649. tota annot.
Omni genti intolerabiles sunt. ibid.
In eorum labores Gentes intrauerunt. ibid. n. 650 & 651.
Fides in eorum cordibus exaruit, & ad Gentium pectora transiuit. ibidem num. 652.

IVDEX.

Iudicum ęquitas, & constantia anima & rectitudo legum est. cap. 1. n. 70. tota annot.
Leges sine anima sunt animę sine lege ibid. n. 72.
Parua iudicis inclinatio magnum est periculum. ibid.
Iudicum salus in ęquilibrio posita est. ibidem.

Vbi iudices inter se pugnant, haud potest conseruari Respublica. c. 1. n. 98. 99. & 100.
Non debent iudices terminos suæ iurisdictionis transilire. c. 1. n. 101.
Iudex qui citò punit, similis parcenti est. c. 1. n. 105. tota annot.
Iniqui iudices, qui potestate ad opprimendum abutuntur. c. 1. n. 119. tota annot.
Qui à legis præscripto in supplicijs excedit, infamiam incurrit. ibidem num. 120.
Potestas ad absoluendum potestati ad puniendum præponatur. ibidem num. 121.
A crudeli iudice potestatem adimere, singulare Reipublicæ beneficium. ibid. n. 122.
Iudex, qui mortem infert, seuerioris supplicij sibi eripit materiam. ibid.
Magna debent iudices corripere, parua dissimulare. c. 1. n. 181. tota annot.
Sæpè virgas in baculos vertunt, vt grauius, quã par est, percutiãt. c. 1. n. 255
In Hebræo populo non vrgebantur iudices, quia imponendi tributa non habebant facultatem. cap. 2. n. 168
Nihil præstat iudicem esse iustitiæ præstantem, si inferiores ministri sunt auari. cap. 2. n. 201. tota annot.
Non solum iudex lucra debet nõ quærere, sed familiæ manus cohibere tenetur. ibid. n. 202.
Qui iustitiam exercent, armari se debent, vt se defendant. ibid.
Tutius est inter inimicos iudicare, quam inter amicos. ibid.
Nec gratis quidem licet apud malos iudices mori. cap. 2. num. 205. tota annot.
Lites citò dirimere, & officialium moras prolixas præscindere, magna iudicis prærogatiua. c. 2. n. 207.
Nihil in iudice auaritia turpius. c. 2. num. 234. tota annot.
Crimina muneribus absolvere, nefarium iudicis scelus. ibid.
Quæstui deditus perfidus est iudex. ibidem.
Apud Romanos capite puniebatur iudex, qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse cõuincebatur. ibid.
Veluti piscatoris arundo iniquus iudex capto pisciculo manet rectus; si autem magnum extrahat, flectitur, & contorquetur. ibid. n. 235.
Staterę dolosæ comparatur. ibid.
Rectus iudex vel vultu terret clientes, ne munera offerre audeant. ibidem num. 236.
Etiam munuscula accipere, cautum erat apud Romanos. ibid.
Iudex, qui proprio muneri non incũbit, quasi nemo reputatur. c. 2. n. 392.
Vel ignorans iudex veritatem inueniet, si recto animo illam scrutetur. cap. 2. n. 395. tota annot.
Non benè audit in iudice bona intentio sine litteris. ibid.
Inueniendæ veritatis cupidus illam amplectitur. ibid. n. 397.
Bona iudicis intentio veritatem inscio intellectu explorat. ibid. n. 398.
Quem damnat iudex, eloquij suauitate mulceat. c. 3. n. 68.
Iudex nisi æquus sit, iniquus erit. c. 3. n. 141. tota annot.
Neque suis parcat. ibid.
Dignus laude, qui cognationis amore iustitiam non adulterat. ibidem & num. 142.
Amor à iudiciaria potestate arcendus ibidem.
Sinè personarum discrimine sententię ferendæ sunt. ibid. n. 143.
Proprias debet iudex obliuisci iniurias, alienas vindicare. ibid. n. 144.
Vix aliquis est iudex ferreus, cuius acies à diuite non hebetetur. cap. 3. num. 228.
Non hominis crimen, sed conditionem solent iudices damnare. ibid. num. 229.
Facilè iudices Potentiorum authoritate aduersus innocentes sæuiunt. cap. 3. n. 256.

IVDICIVM FINALE.

Incerta mortis, ac iudicij certitudo. cap. 2. n. 79. tota annot.
Iudicij dies in nocte venturus dicitur, quia ignotus est. ibid.
Furi comparatur, quia ex inopinato veniet. ibid.

Vltima iudicij mora,& expectatio,vltima, & maior reproborum pœna. cap.1.n.107.
Finale iudicium ita æquum erit,vt nõ solum homines Deo,sed Deus hominibus sit rationem redditurus. cap.2.n.60.tota annot.
Etiam ipse Deus ad maiorem iustificationem iudicabitur.ibid.
Stare tanquam reus ante hominum tribunal perhibetur Deus.ibid.
Vt Deus sui ipsius rationem reddat, statuitur dies vniuersalis iudicij. ibid.n.61.
Tunc sanctus pleno ore prædicabitur, cum hominibus satisfecerit. ibid. num.62.
De bonis malis concessis, quibus ad scelera ferũtur,redditurus est Deus rationem.ibid.n.63.
Extrema iudicij dies adeò est periculosa,& formidabilis, vt peccatoribus nulla euadendi affulgeat spes, & iustis sit causa formidinis. cap.2. n.65.tota annot.
Remedio plusquam dormientes,damno plusquam excitati erunt peccatores.ibid.& n.66.
Ea solum consideratione,quod impiorum sors potuit ipsis contingere,cõtremiscent iusti.ibid.n.67.& 68.
Iustorum ærumnis extrema iudicij dies est solatium. c.2. n.69. tota annotat.
Restitutionis dies vocatur extrema, quia omnia, quę nunc inordinata sunt, suis restituentur locis. ibidem num.71.

IVDICIVM.

Vt quisque est,sic alios iudicat.cap.1. num.176.tota annot.
Hominum iudicio se Deus subijcit, vt apud illos sua iustificetur causa.c.2 n.51.tota annot.
Oculorum perspicua notitia incorruptum reddit iudicium.c.3.n.73.& 74.

IVGVM.

Excusso Dei iugo mille alia accipimus grauiora.c.2.n.270.tota annot.
Voluptati famulari,grauissima seruitus.ibid.
Pluribus dominis seruire, intolerabile iugum.ibid.& n.273.

IVSTITIA.

Vigor iustitię languet,vbi fauor,& munera vigent.c.1.n.70.tota annot.
Iustitię vigor semper feruidus sit, sed nunquam præceps.c.1 n.105.
Virga iustitię, quæ sine radice flores, & fructus producit,miraculo, aut furto germinat.cap 1. n.167. & 168.
Arma necessaria sunt, vt iustitia in tribunalibus obtineatur,quia Astrea auara metamorphosi in Paladem uersa est.c.2.n.202.
Iustitiam commutat,& inflectit aurũ. cap.2.n.234.
Iustitia alijs nascitur, non sibi. cap.3. num.141.
Vincula ciuitatis sunt æquitas, & iustitia.c.3.n.576.

IVSTVS.

Magna calamitas reipublicę mors iusti,eo quod suis precibus à vindicta Deum retrahit.cap.1.n.109.tota annotat.
Mundum supra se portant, & mundo æquiualent.ibid.
Iustorum mortem impij desiderant. cap 1.n.173.
Nihil sinistrum de alijs cogitat iustus. cap.1.n.177.& 180.
AEquiori animo suas, quam Dei fert iniurias.cap.1.n.196.tota annot.
Iusti moriuntur,vt viuant;peccatores, vt moriantur cap.1 n.267. tota ann.
Veluti arbores hiemales in radicibus vitam abscondunt, quanuis cadauera appareant.ibid.n.270
Iustorum societas nunquam non vtilis.cap.1.n.282.tota annot.
Non omnibus licitis potitur,ne ad nõ licita trahatur.c.1.n.316.
Acrius iustos,quam peccatores diabolus insequitur.cap.1. n.325.tota annotat.
Veluti naues onustas iustos diabolus deprędari satagit.ibid.

Armari se debent, vt diabolo resistant. ibid. n. 327.
Perseuerantes sunt in virtute. cap. 2. num. 24.
Astrologi videntur, quia de cęlo semper agunt. c. 2. n. 59.
Ea tantum consideratione, quod impiorum sors potuit ipsis accidere, contrem scent in die iudicij. cap. 2. num. 67 & 68.
Iustorũ ęrumnis extrema iudicij dies est solatium. c. 2. n. 69 tota annot.
Vel in ipsorum erratis virtutis signa præ se ferunt. c. 3. n. 7. tota annot.
Sicut pulchra corpora etiam in aduersa valetudine antiquæ pulchritudinis vestigia ostendunt, sic præteritę virtutis sancti signa in erroribus manifestant. ibid.
A sanctorum defectibus perfectionis iter ediscere possumus. ibid. n. 8.
Defectus sanctorũ folia quæ desluũt, nobis proficua sunt ad sanandas nostras infirmitates. ibid. n. 10.
Veluti ouis facilè ad viam reducitur iustus. ibid. n. 11.
Non complacet in peccato. ibid.
In re virtutis pie audet, & impossibilia tentat. c. 3. n. 154 tota annot.
Proximorum lapsus suos iusti reputant. c. 3. n. 544 tota annot.
Etsi homini propria pulchra, aliena fęda videantur: tamẽ iustus sibi ipsi displicet. c. 2. n. 456.
Iusti, ac perfecti viri ea est conditio, vt quot gradibus fauore ascendit, tot propria abiectione descendat. cap. 3 num. 628. tota annot.
Pro nihilo terrena bona iustus habet. cap. 3. n. 665.
Iustorum cum Deo de bonis operibus est concertatio: ipsi Deo illa attribuunt, iustis Deus. cap. 3. n. 669. tota annot.

L

LABOR, *VIDE* TRIBVLATIO.

Ex laboribus, quibus comparantur, æstimantur res. c. 3. n. 45. & 46.
Non fas est ante laborem quiescere. cap. 3. n. 632. tota annot.
Vehementem dolorem excitat in bonis proprio labore partis alium luxuriari. c. 3. n. 650. & 651.

LATRO.

Primus sinè secundò dicitur bonus latro, quia malè viuens benè moritur. cap. 1. n. 175.

LAVS.

Qui publicè laudat, tacitè solet detenuare. c. 2. n. 43.
In laudibus fas est personas exprimere; in vituperijs nec signare licet. ibid. n. 44.
Vel sanctorum manus, & linguam deuincit laus. c. 2. n. 129.
Laudibus alium perdere, summa calũniandi ars. cap. 2. n. 148.
Aliena probra facilè, glorioſas laudes difficilè credunt homines. c. 2. n. 372 tota annot.
Tam auarus est homo laudis alterius, vt illius dubitatio pro fide supponat. ibid.
Necesse est testes adducere, vt laudibus fides adhibeatur. ibid. nu. 373. 374. & 375.
Laus pro re laudabili accipitur. cap. 3. num. 111.

LACRYMAE.

Pœnitentię lacrymæ ignem amoris fouent. c. 3. n. 23.
Virginitatem redintegrant. ibid. n. 25.

LEO.

Propria vestigia, ne inueniatur, cauda delet. c. 2. n. 96.
Qui crispiores habet iubas, ignauior est, & imbecillior. c. 3. n. 561.

LEX.

Primi legis fractores seuerius puniendi c. 1. n. 115. tota annot.
In legum obseruantia principia vitæ iacuntur. c. 1. n. 247. & 248.
Superior qui subditis necessaria non sum-

ſumminiſtrat, legibus eos adſtringere non valet.cap.1.n.343.& deinceps.
Quandocumque Legislator legem adimplet, nullus ab illius obſeruantia creditur immunis.c.3 n.49.
Lex non multiplex debet eſſe. cap 3. num.551.tota annot.
Coaceruatæ leges licentia ſunt ad delinquendum.ibid.
Vt diuina lex, quę vna eſt, obſeruetur, curat Deus ne aliquid ipſi addatur. ibid.n.552.
Legum paucitate mundus inſtauratur ibid.n 553.
Qui plurimas leges condit, inobedientiam fouet. ibid.

LINGVA.

Sic lingua impudenter audet ad malitiam, vt Dei moderamine indigeat c.3 n.84.
Vniuerſitas iniquitatis in lingua eſt. ibidem.
Ad vitam ſpiritualem tuendam ſilere oportet. ibid.
Superflua loquacitas mentis vacuitatem denotat.ibid.
Bis ad limam, ſemel ad linguam verba ſunt trahenda.ibid.
Linguæ gubernaculum propter ipſius audaciam neque Angelo fidit Deus ibid.n.85.& 86.
Semel Deus & vnum tantum Verbum locutus eſt.ibid.
Longè difficilius intemperantia linguę, quam aliud vitium, compeſcitur. ibid.

LITES, LITIGIOSI.

Qui lites,& iurgia fouet, procul à dignitate relegandus eſt.cap 1.n.65.66. & 67.
Vbi multæ lites, ciues ſe mutuo odio proſequuntur.c.1.n.105.
Nullum ingentius beneficium Reipublicę præſtatur, quam breues terminos litibus prefigere.cap 1.n.105.
In litibus maior ſolet eſſe expenſarum vſus, quam ſententiarum fructus. cap.2.n.170.
Litigantes pro aduerſa ſententia, & pro morte ipſa pecunias ſoluunt miniſtris.c.2.n.205.
Diſpendio litis carere, non mediocre lucrum eſt.ibid.
Prolixam in litibus officialium morā præſcindere, magna Reipublicæ felicitas.ibid.n.206.

LVCRVM.

Magna lucra damna ſecum afferunt. cap.2.n.191.

LVDOVICVS.

Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare, ſolebat dicere Ludouicus Vndecimus Francorum Rex.c 1.n.181.

LVNA.

Facilè decreſcit,& extinguitur, quia alienis fulgoribus micat.c 1.n.256.& quia ſolis iuriſdictionem ſibi arrogare ambit.c.2.n.16.
A ſolis collegatu decreſcit. c.2.n.109.

LVPVS.

Lupi in veſpere, quia fame cruciantur, acerrimè ſęuiunt.c.1.n.186.

LVX.

Cęleſtes luces, quia nobilitate ſunt prædite, humiliari non recuſant. c.1 n.228.
Dei ſupplicia lucem afferunt. cap. 3. num.485.tota annot.

LVXVRIA.

Carnis illecebrę effeminatos reddunt homines.c.2.n.223.
Non niſi Deo auſpice carnis luxuria ſuperatur,c.3.n.582.tota annot.
Mortis caſtitas; vitæ luxuria expers. cap.3.n 588.tota annot.
Ad ianuam templi Veneris funera vendebantur. ibid.n 590.
Sic luxuria ſerpit in proximos, vt commercium viri, ac mulieris, quanuis per

per iocum fit, reus facti habeatur. c.3. num.591. tota annot.
Raro sinè vltimo luxurię periculo vir cum muliere ioculatur. ibid. n.592.
A ludo sępè ad impudentes concubitus deuenitur. ibid. n.593.
Palam conuincitur impudicus, qui cũ muliere in secreto cõuersatur. ibid. num.594.
Timenda cunctis luxuria, eo quod totam hominis vitam, & studium sorbet. c.3. n.595. tota annot.
Toto animi studio obsistere debet homo luxuriæ, quia totum hominem occupat. ibid.
Nihil hominis ad alia munera relinquit. ibid. n.596. & 597.
In belluam hominem degenerare facit. ibid. n.598.
Vel mortuis formidabilis est. cap.3. num.682.
Intemperantia epularum luxuriæ mater, & fomentum est. c.3. n.710.

LVCIFER.

Descendendo ascendere tentauit. c.1. num.241.
Sed tamen ascendendo descendit. c.2. num.98.
Exampla & splendida magnitudine ad perexiguæ muscę paruitatem reducitur. ibid.

M

MADIANITAE.

Marti dediti. cap.3. n.317.
Idem ac AEtyopes sunt. cap.3. n.258.

MAGNITVDO.

Animi magnitudo ab humilitate procedit. c.1. n.226 & 227.
Vera magnitudo omnes ambit extremitates; falsa autem vnam tantum, illamque superiorem. cap.1. n.239. tota annot.
Magnitudo sinè propijs meritis facilè ruitura. cap.1. num.256. tota annotat.
Magnitudine res decrescunt. c.3. n.254. tota annot.
Magnitudinis terminus est decretionis initium. ibid.
Ingentior magnitudo prophetia est vltimi casus. ibid. n.255. & 256.
Non indiget externo hoste, vt ruat. ibid.

MAGNATES.

Quidquid in populis delitiosum est, magnates sibi rapiunt. c.1. n.194.

MAGDALENA.

Detractionis materia Magdalenæ in materiã vertitur honoris. c.1. n.291.

MAGISTER.

Scelerum Magistri prius & grauius puniendi. c.2. n.409.
Aberrat, qui per virtutis viam absque Magistro incedit. cap.3. n.523. tota annotat.

MANSVETVDO.

Placida mansuetudo fortior persuasionis energia est. cap.3. n.126. tota annot.
Ex accusatore patronum facit. ibid. num.128.
Legem rebellibus imponit. ibid. n.129.

MALEDICENTIA.

Adulationis notam incurrit, quia pluribus blanditur. c.2. n.44.
Adulatione est peior. ibid.

MALVM, MALVS.

Immane scelus est, sinè proprio commodo alijs malum inferre. c.1. n.152. 153. & 154.
Infelix, qui alieno malo non docetur. cap.1. n.160. tota annot.
Sępè diabolus maiora mala nobis infert, cum post commissa scelera aditum ad alia præcludit, quam cũ denuò ad noua prouocat committenda. c.1. n.340. tota annot.

Reo vicinus est, qui malus reputatur. cap.2.n 51.
Malorum contagium, vel sanctos lædit.c.3.n 527 tota annot.
Maiora mala faciunt, vt minora pro bonis habeantur.cap.3.n.608. tota annot.
Præsens malum imminens, quod sustinetur, bonum facit apparere. ibid.n.610.

MALVM, PVNICVM.

Euri flatibus tenacius suæ arbori adhæret.c.3.n.176.

MALITIA.

Acre insurgit certamen inter Dei misericordiam, & hominum malitiã, vt dum magis in Deum insurgit homo, magis admiserendum Deus videatur exurgere. c.3.n.59. tota annotat.

MANVS.

Sordes tergere non valet manus, quã lutum tenet.cap.1.n.287.
Vtroque pede claudicat, qui ad neutram manum inclinat. cap.3.n 360. tota annot.

MANDATA.

Mandatorũ obseruantia vitæ authuarium.cap.1.n.247.

MANNA.

Angelorum, non hominum dicitur panis, quia nullo labore illud comparauerunt.c.1.n.164.

MATER.

Maternus amor nociuus solet esse filijs.cap.3.n.393.

MARTYR.

A morte vitam mutuat.c.1.n.269.
Eius vulnera vitalia sunt. ibidem.

MARIAE DEIPARAE Concept.o.

Semper in gratia stetit, nunquam in originariam culpam cecidit Beata Virgo.c.3.n.408 tota annot.
Communis casus non sensit ruinam. ibidem.
Non filia, sed amica dicitur, quia filiationis Adę reatum non contraxit. ibid.n.409.
Lutosam carnis peccato inuolutę materiam abhorruit.ibid.n.410.
Neque venialem habuit noxam. ibid.
Lux gratiæ indeficiens ipsi adfuit. num.411.
Sub astrorum gratię benigno aspectu concipitur, ne culpę influxus eam aspiciat.c.3 n.412.tota annot.
Iudicium Astronomicum de MARIA ferendum à gratia, non à natura pe tendum est.ibid.
Sub pulchro & speciosoclimate concipitur, ibid.n.413.
Malignus Aquilonis halitus non ipsi nocuit.ibid.
Sub magno signo fuit concepta. ibid. num.414.
Nunquam eclypsim passa est.ibid.
Gratiæ lux in cęlo Marianæ puritatis semper extitit testis fidelis. ibid. num.415.
Theologica signa eam à peccato immunem ostendunt.ibid.n 416.
Verbi incarnati gemella dicitur, qui ab vtero vnius decreti oriuntur ambo ibid.
MARIAE habitaculum vniuersale culpæ diluuium non ingreditur. cap.3. n.417.tota annot.
Generale periculum fuit MARIAE prę sidium.ibid.
Alcyoni comparatur.ibid.
Omnem ad culpam aditum Spiritus Sanctus in MARIA præclusit. ibid. num.418.
Non decertando, sed deterrendo triũphum à serpente reportauit, vt nobiliori potiretur victoria.c.3. n.419. tota annot.
Diabolus nunquam MARIAM aggredi fuit ausus, quia suamet formidine erat deuictus, ibid.

Ne de, præsumpta victoria diabolus gloriaretur, antequam MARIAM adoriatur, ab ipsa profligatus ostenditur. ibid. n 420.
In ventre matris Christus glorioſiorē didicit triumphum. ibid. n. 421.
Sinè pugna MARIA triumphauit, & à ſecuritate victoriam cecinit. ibid. num. 422.
MARIA paradiſus ſemper virens, lux nunquam deficiens. c. 3 n. 423. tota annot.
Flos ſeptus ab inimica manu non temeratus. ibid.
Cęteris Adæ filijs areſcētibus, MARIA virēt. ibid.
Hortus fuit bis concluſus propter integritatem animę, & corporis. ibid. num. 424.
Veluti amygdalina virga prępropera florum gratia amænitate vernauit. ibid.
Niuis candorem, qui natiuus eſt, referebat. ibid.
A primo conceptionis inſtanti illuxit. ibid. n. 425.
In diebus cęli, qui occaſum ignorant, adumbrata. ibid.
Vt totus naturę ordo in MARIAE Conceptione videatur inuerſus, non tantum capite, ſed & pedibus coronatis incedit. c. 3. n. 426. tota ann.
Non ſolum iure naturę, ſed gratiæ priuilegio Regina fuit. ibid.
Pedibus incedere corona redimitis, ſingulare MARIAE elogium. ibidem num. 427. & 428.
A pedibus oriri incœpit. ibid.
Pedes habere coronatos, à ventre matris hereditauit Chriſtus. ibidem num. 429.
Nec leuem culpæ ſuſpicionem MARIAE Conceptio patitur. c. 3. n. 430. tota annot.
A Chriſto Domino fuit baptizata, quia authoritatem tantum ab hoc Sacramento accepit. ibid.
Abſque capite in ſua Cōceptione deſcribitur, quia nullam capitis culpā contraxit. ibid. n. 431.
Inciſum habere caput perhibetur, quia omnibus à primo capite hereditate poſſidendis renūciauit. ibid.
Eius venter propter originariam puritatem laudatur. ibid. n 432.
Si dæmoni aliquando inſeruiſſet, indigna eſſet, vt in Dei matrem aſſumeretur. ibid. n. 433.
Ex ſpineto ſentibus originalis culpæ vallato mollis roſa MARIA exurgit. c. 3. n. 434. tota annot.
Lilio confertur. ibid.
In mare eius immutabilis puritas adū brata. ibid. n. 436.
Tanquam naturę miraculum non ſuū, ſed filij odorem exhalauit. ibidem num. 437.
Venenoſus ſerpens nunquam ad MARIAM accedere fuit auſus. cap. 3. n. 438. tota annot.
Nociua dæmonum reptilia fugauit. ibidem.
MARIAE vbera inexpugnabilis arx, à qua arcentur inimici. ibid. n. 439.
Culpę vectigal non ſolvit. ibid.
Erga Marianam Conceptionem varius extitit Diuus Thomas, quia viam ignorauit, qua à primæuo peccato fuit immunis. ibid. n. 440.
Ab odore Marianę Conceptionis longè propellitur dæmon. ibid.
Stellis non decoratur MARIAE Conceptio, quia eas diabolus peſtilenti infecit contagio. ibid. n. 441.
A MARIA nondum genita aufugit dęmon ibid. n 442.
Ad eius conſpectum natiuum deponit venenum. ibid.
MARIA cerua à trifauci diaboli ore recedens. c 3. n. 443. tota annot.
Neque veſtigia culpę dæmon in Conceptione MARIAE exoluit. ibid.
Immunis à periculo vidit aliorum naufragia. ibid.
Terra fuit, in quà primi fructus ſapidiſſimi creuerunt. ibid. n 444.
Flos lucis in Conceptione proprie dicta. ibid. n. 445.
MARIA palma ſemper virens, nunquā gratia viduata. cap. 3. n. 446. tota annot.
Superna vis MARIAM ſubleuauit, ne ponderi originalis culpæ ſuccumberet. ibid.
E mortua radice virens pullulauit. ibidem.

Nul-

Nullum originalis nocentiæ folium ab illa cecidit. ibid. n. 447.
Non vt lauaret, sed vt fœcundaret, gratia illi fuit collata. ibid.
Cadendi periculum in MARIA Deus anteuertit. ibid. n. 448.
Primeuæ culpæ nullam incisionem admisit. ibid.
In generatione spirituali nullum præter filium patrem agnoscit. ibid.
Lactis fuit ipsi baptismus. ibid. n. 449.
Vel ab vmbra originariæ culpæ recessit. ibid.
Quoties MARIAE puritatis periclitari videtur, toties noua perfectione fulcitur. c. 3. n. 450. tota annot.
In Conceptione, vbi cæteri periclitantur, Mariana puritas consummatur. ibidem.

MARIA CONCIPIENS, & pariens.

MARIA in Partu, & Conceptione Virginior c. 3. n. 452.
MARIA flos in Conceptione & in partu intemeratus cap. 3. n. 402. tot. an.
Veluti apis ad flores, Verbum ad MARIAM accessit illibato ipsius pudore ibidem.
A se ipso Christus paradisũ MARIAE custodiuit. ibid. n. 463.
Copulam ab oratione salutans MARIAM Angelus abstulit, vt nullam in Conceptione Verbi copulam interuenturam innueret ibid. n. 464.
Sicut flos odorem spirans venustatem non amittit, sic MARIA Verbum concipiens, & pariens. ibid. n. 465.

MARIA PVRIFICATA.

Legi Purificationis obtemperante magis sua immunitas innotuit. cap. 3. num. 453.

MARIAE CRVCIATVS.

Cruciatus MARIAE in morte filij exaggerantur. c. 3. n. 470.
Filio compatiens omnium Martyrum tormenta collectiuè superauit ibidem.
Cruciamenta filij in dolore excessit. ibidem.
Vltra humanitatem fuit passa ibid.
Diris cruciatibus nos peperit. ibid.
Omnium matrum dolores sustinuit. ibidem.
Dei speciali auxilio vitam in passione filij non amisit. ibid n. 471.
Christus in Cruce, MARIA in Christo patiebatur. ibid. n. 472.

MARIAE, ASSVMPTIO.

Vt Antipelargiæ legem adimpleret, Christus maternum corpus in cœlum aduexit. cap 3. num. 474. tota annot.
Vt cœlestes mansiones occuparet, Christus matrem ad æthera leuauit. ibid.
Debito filiationis Christus satisfecit, matris corpus transferens in cœlum ibid. n 475.
Comes matris inseparabilis Christus esse voluit. ibid. n. 476.
Indecens esset quod MARIAE corpus in terra remaneret. ibid.
Vt iugi sacrificio victimam offerat Deo Patri, altare ex terreno matris corpore in cœlis collocauit. ibidem num. 477.
Vel minimam huius altaris particulã in terra relinquere non patiebatur filiationis debitum. ibid.
Non secum Christus matrem detulit in cœlum, vt imperiali pompa, & nobiliori triumpho postea excipieretur. ibid. n 478.
Hominis sola natura supra immortales spiritus exaltata fuit in Virgine ibidem.
Ad cœlum eleuatur, vt necessitates nostras prospiciat. cap. 3. n. 479 tota annot.
Homines in huius vitæ mare fluctuãtes ad litus cœlestis patriæ perducit. ibid.
Cõmune mundi propitiatorium adest in cœlo. ibid.
Vberiori auxilio à cœlo terram fouet. ibid. n. 481.
Ascendit, vt omnem terram suo patrocinio fœcundet. ibid.

Cum onere filijs alimenta præbendi præexcelsum locum scandit. ibid. num.481.
In æthere tanquam columna nos ducit, & protegit. ibid.

MARIAE PIETAS.

A Deipara pietatem Christus hausit, ad ipsiusque nutum munera dispẽsat. c 3.n.466.tota annot.
Ardorem diuinæ iustitię temperauit. ibid n.467.
Misericordię matrem esse gloriatur. ibidem.
Pietatis affectum affricarunt filio MARIAE viscera ibid.n.468.
Iuxta MARIAE voluntatem munera, & supplicia Deus dispensat. ibid. num.469.

VARIA DE MARIA.

In Pharam monte fuit adumbrata.c.3. num.109.& 113.
Nobilitatem virtutis generis nobilitati prętulit.c.3.n.188.
Voluit Christus Dominus, vt omnis eius victoria Virgini Matri tribueretur.c.3.n.454.tota annot.
Alluminatrix dicitur. ibid.
Sinè MARIAE consortio hostes aggredi non expedit.ibid.n.455.
Gloria ex filij victoria resultans in Matrem redundat.ibid.n.456.
Vt debitum Matri rependeret, Christus Eucharistiam instituit. cap.3. num.458.tota annot.
Pia ergà filium MARIAE officia iure supersubstantialem cibum exigebant.ibid.
MARIAE filius Christus in Euchatistiæ institutione voluit reputari, vt ipsi fuisse debitam innueret. ibid. num.459.
Nisi diuino cibo non poterant materna munera compensari. ibid.n.460.
Non precibus,sed iustitia MARIA Eucharistiam impetrat.ibid.n.461.

MENDACIVM, MENDAX.

Apud homines maximo mendacium, nullo veritas hœtur in pretio. c.2. n.72. tota annot.
Familiare omnibus & mẽdacium,veritas peregrina,ibid.n.74.
Quia mendacio non consentiunt, facies suas homines dilacerant. ibid. num.75.
Nisi mendacij colores veritas induat, pericitabitur.ibid.n.72.& 73.
Deceptionem & mendacium in se patitur, qui in alios, molitur.c.2. n.188. & 189.
Nunquam mendacium impunitum ne Deus,quem destruere tentat, in illud consentire videatur.c.2.n.341. tota annot.
Seruile vitium mendacium est.ibid.
Veritatem adiuuare mendacio iniuria illi est.ibid.
Nihil supplicij prætermittit Deus in mendacio.ibid.n.343.& 344.
Quo veritas timidior, eo mendacium est audacius. cap.2.num.399. tota annot.
Audacter,& sine delectu loquitur mẽdax.ibid.n.402.& 403.
Perlucet mendacium si attentè inspiciatur. ibid.
Mentiri dicitur ager,quandò in fructibus spei agricolæ non respondet. cap.3.n.644.

MERITVM.

Magnitudo sine meritis facilè ruitura cap.1.n.256.tota annot.
Merita fere semper infortunata sunt. cap.1.n.74.
In æqua meritorum lance cana sapiẽtia iuniori est præferenda. c.3.n.76. tota annot.
Qui cæteros meritis anteit, primò reportet præmia.ibid.n.79.
Dignitas, quæ confertur benemerito, ab omnibus habetur.cap.3.n.137.tota annot.
Vltra merita & promissa Deus mercedem rependit. cap. 3. num.201. & 202.
Meritorum inæqualitati inęqualitas prẽmij debet correspondere, ne rectus Reipublicę ordo euertatur. cap 3.n.482.tota annot.

Præmia merita fouent, & virtutes alunt.c.3.n.636.tota annot.
Res summi doloris est, æquales in merito feliciores contueri.cap.3.n 673. tota annot.
Si quem Deus benemeritum à munere excludit, laudibus extollit. ibid. num.674.

MERCES *VIDE* PRAEMIVM.

MERETRIX.

Ad meretrices cognoscendas olim prophetia opus erat; nunc ad continentes.c.3.n.585.tota annot.
Olim meretrices pudicę videri studebant; nunc pudicę meretrices apparent ibid.n.587.
Antiquitus cautum fuit, meretrices derecta facie ambulare.ibid.
Meretricis cubiculum inferno confertur cap.3.n.597.

MINIMVS.

Quoscumque magnos superat. cap.1. num.225.
Qui ad punctum minimum humilitatis perueniunt, veram magnitudinē assequuntur.c.1.n 239.tota annot.

MILVVS.

Paruulorum studet rapinæ. c.1.n.305.

MILES.

Crispati & comati milites molles & effęminati, ad bellaque inepti.cap.3 num 561.tota annot.
Nihil tam Deus abhorret, quam apparatum muliebrem in viro.ibid.
Terga effęminatè vertit in bello, qui totus est in nutriendis capillis.ibid. num.562.

MINISTER.

Sępè ministri, quia vectigalibus suas domus habent immunes, de aliarū subuersione non dolent.cap.1.n.90. tota annot.
Ministrorū dissidiū euersio ciuitatis. c.1.n.98.tota annot.
Iustitiæ minister, qui citò punit, similis parcenti est.c.1.n.105.tota annot.
Minister, qui non habet, vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto.cap.1.n.164 tota annotat.
Ne eorum munera venalia fiant, ministris, quæ necessaria sunt, debet largiri Princeps.ibid.
Rarus minister est, qui in commissione non excedat.c 1.n.252 tot annot.
Sępè ministri iustitiæ virgas in baculos vertunt, vt grauius, quam par est, percutiant.ibid.n 255.
Minister, qui sinè metu loquitur, quod sentit, tanquam miraculum celebratur.c.2.n.43.
Quæ populi pro subuertendo Principe offerunt, non sunt à ministris violenter extorquenda.c.2.n.166. tot annot.
Curiales ministri tandiu causas tuentur, quandiu munera accipiunt.c.2. n.170. tota annot.
Rarus est qui munera non respiciat terrena.ibid.n.172.
Malleatori confertur curię minister. ibidem.
Nihil refert præstantiores ministros esse in iustitia pręstantes, si inferiores sunt auari c.2.n.201. tota annot.
Armari debent, vt iustitiam tueantur. ibid.n.203.
Adeò serpit auaritia in ministrorum inferiorum turbam, vt miraculum reputetur, aliquē ab ipsorum manibus innoxium euadere.ibid.n.204.
Nec gratis quidem licet apud malos ministros mori.cap.2.n.205 tota annotat.
Melius est petenti iuridicè tunicam & pallium dimittere, quam in manus ministrorum incidere. ibidem.
Qui forensibus indigent ministris, in portis mortis versari dicuntur.ibid. num.206.
Ministrorum frugalitas publicam calamitatem clamiter.c.2.n.227.tota annot.
In publicis necessitatibus debent superfluam præscindere pompam. ibid.n.229.

Tributa non Regi, sed ministris inseruiunt, maximè cum iniustè imponũ tur. c 2. n. 247. tota annot.
Non in Regis ærarium, sed in proprijs domibus pecunias rapina extractas reponunt. ibid. n. 248.
Ex Regijs opibus præclaras ædes constituunt, & amplas emunt possessiones. ibid. n. 249.
Inter malos ministros iniusta tributa sparguntur. ibid. n. 250.
Ministrorum bona prophetia sunt spoliationis regni. ibid. n. 251.
Tanquam miraculum reputatur, qui ex bonis, quæ Regi extorquet, nullum sibi commodum lucretur. ibid. num. 252.
Sine ministerio interuentu tributa manibus subditorum accipere, magna Principis felicitas. ibidem num 253.
Ministrorum Deus consilia corrumpi, & in vacum laborare facit, vbi regnum euertere decreuit. c. 2. n. 254.
Ministri munera commutantes regnũ euertunt. ibid.
Deprauata ministrorum consilia æterna bella fouent. ibid. n. 257.
Ministrorum garrulitas regiminis inuersio. c. 3. n. 92 tota annot.
Secretorum reuelatores pestilentes sunt ministri. ibid.
Regnum exitiali loquacitate perdunt ibid. n. 93.
Vt feliciter consilia exequantur, alto debent retinere silentio. ibid. n. 95.
Minister nisi æquus sit, iniquus erit. c. 3. n. 141. tota annot.
Non esse creditur minister, qui quod debet, non operatur. cap. 3. num. 195. & 196
Praui ministri sola authoritate consilia sua defendunt. c. 3. n. 232. tota annotat.
Arcana consilia vxoribus non reuelẽt. cap. 3. n. 352. tota annot.
Irreuerentia in regios ministros vltionem scelerem exposcit. cap. 3. numer. 383.
Sciat minister, quot gradibus fauore ascendit, tot propria abiectione descendere. cap. 3. num. 628. tota annotat.

MIRACVLVM.

Qui non habet, vndè viuat, & viuit, & non laborat, aut viuit miraculo, aut furto. c. 1. n. 164. tota annot.
Veluti miraculum est, mortem vitæ non assimilari. c. 1. n. 174. & 175.
Miraculorum effectiua virtus ab humilitate procedit c. 1. n. 229. & 230.

MONS.

Montes Principes significant. cap. 3. num. 210.
AEterni appellantur. ibid. n. 211.
Hominum industria fiunt. ibid.

MISERICORDIA.

Acre insurgit certamen inter Dei misericordiam, & hominum malitiã, vt dum magis in Deum insurgit homo, magis ad miserendum Deus videatur exurgere. cap. 3. num. 59. tota annot.
Multoties ira motiuum solet esse misericordiæ. ibid.
Deus magis sibi infensis prius benefacit. ibid. n. 60.
Criminosæ culpę impietas occasio est profusioris misericordiæ. ibid.
Se manifestare satagit malitiam superando. ibid. n. 62.
Durum Dei verbum lenitatis est omẽ, misericordia vices cum iustitia reciprocat. c. 3. n. 87. tota annot.
Rigoris verba prę ambula sunt misericordię signa. ibid. n. 88. & 89.
Impetus iustitię pacatum misericordiæ portum denuntiat. ibid. n. 90.
Misericordia non est seueritatis expers. cap. 3. n. 241.

MORS, MORI.

Etiam ijs, qui ad mortem damnantur, citò plecti misericordia est. cap. 1. n. 105.
Mors iusti magna calamitas Reipublicę. c. 1. n. 109. tota annot.
Mors idea & paradigma vitæ est, non nisi miraculosè dissimilis. c. 1. n. 170. tota annot.

Qualis vita, finis ita. ibidem.
Vmbra vitæ est illius imaginem fideliter referens. ibid. n. 171.
Finis principio respondet. ibid. n. 172.
Iustorum mortem impij cùpiunt, ærũnosam illorum vitam detrectant. ibid. n. 173.
Iustæ miraculum est mortem vitæ nõ assimilari. c. 1. n. 174 & 175.
Primus sinè secundò dicitur, qui malè viuens benè moritur. ibid.
Mortis hora sic periculosa est, vt quasi Deo duplicem digeat. cap. 1. n. 262. tota annot.
Imperium mortis sibi Deus adscribit. ibid. n. 262.
Iusti moriuntur, vt viuant: peccatores, vt moriantur. c. 1. n. 267 tota annot.
Mortis arma peccatoribus, non iustis insidiantur. ibid. n. 268.
Magna dæmonis tentatio, mortem distamẽ obijcere. c. 2. n. 76. tota annot.
Veluti nauigantes, qui interdũ quieto mare absorventur, in prospera valetudine plurimos mors aggreditur. ibid.
Mortis Deum extra vrbem Romani constituebant, ne eius aspectu hominum mentes disturbarẽtur. ibid.
Noua vitæ spatia adhuc expirando falsa expectatione homines sperãt. ibidem.
Incerta mortis, ac iudicij certitudo. c. 2. n. 79. tota annot.
Quia primo mors iustum occidit, debilibus nititur fundamentis. ibidem num. 82.
Strictissimum mortis & vitæ vinculũ. ibidem.
Mortis fames insatiabilis. c. 2. n. 90.
Qui præsenectute ad mortem properat, iuuentutis delicta dissipet. c. 3. num. 81.
Res cum propè mortem sunt, magis placent. c. 3. n. 189. tota annot.
Mortis vicinitas rerum pulchritudinẽ adauget. ibid. n. 190. & 191.
Vbi mors instat, amor accenditur. ibid. num. 192.
A natiuitate moritur homo. cap. 3. numer. 202.
Lacrymabilis dolor, à vita mortem mutuare. c. 3. n. 204.
Mortis, ac cineris recordatio, diuinæ pietatis illex, & validissimus hostiũ expugnator. cap. 3. nu. 617. tota annotat.
In morte vel minima peccata nos premunt. c. 3. n. 622. tota annot.
Leuis noxa in mortis hora magna apparebit. ibid. n. 623.
Quodlibet peccatum pro pluribus supponet. ibid. n. 624
Mortis tempore crudelius diabolus sęuiet. ibid.
Ij tantum cum mortuis aliquo connectuntur vinculo, præstantioraque opera misericordiæ exercent, qui suffragijs eorum recordantur. cap. 3 n. 625. tota annot.
In cognatorum morte mos fuit cęsariem capitis deponere. ibid.
Cognationi, & amicitiæ renuntiat, qui pia officia ergà mortuos cognatos, & amicos non exercet. ibidem numer. 626
Præclara misericordia est defunctorum manibus parentari. ibid. n. 627.

MVLIER.

Paruum est pulchrum, magnum autẽ malum. c. 2. n. 242.
Mulierum bona fama diligentissimè tancienda est. c. 2 n 324.
Mulier varium & mutabile genus. c. 3. n 352. & 354.
Secreti est incapax. ibid.
Secretum quod Deus diuulgare decreuit, non viro, sed mulieri commendat. ibid.
Nihil gratius mulieribus debet esse, quam intra propriam domum permanere. c. 3. n 498. tota annot.
Variæ gentium artes, vt mulieres intra domum contineant. ibid.
Exitiales earum à domibus exitus. ibid. n. 499.
Immobiles esse deberent. ibidem num 500.
Non hinc inde discurrant etiam pietatis prętextu. ibid. n. 501.
Si quæ sunt mulieres pudicitiæ cultrices, in sermonis petulantia, & vestimentorum profanitate impudentes apparent. c. 3 n. 585.

Vaticinio opus est, vt quę pudicæ fũt, agnoscãtur. ibid. n. 586.
Difficulter creditur casta, quę impudica in habitu apparet. ibid. n. 587.
Commercium viri ac mulieris, etsi per iocum sit, reus facti habetur. cap. 3. n. 591. tota annot.

MVNVS.

Qui non merenti munera tribuit, liberalis videri ambit. c. 1. n. 74.
Qui munera mercatur, ea diuendere sibi licere putat. c. 1 n 164.
Deo displicet quisquis vt ipsi incumbat, à proprio se subtrahit munere. c. 2. n. 5. tota annot.
Solus qui proprio muneri incumbit, pulchrè apparet. ibid. n. 8.
Vnusquisque de suo agat munere. c. 2. n. 14. tota annot.
Nemo, etsi præclaras habeat virtutes, ad munus non sibi deputatum dignus est. ibid. n. 17.
Deus non mutat, sed perficit munera. cap. 2. n. 29.
Etiam inter parentes & filios munera amorem gignunt. c. 2. n. 281.
Crimina muneribus redimere, nefariũ scelus. c. 2. n. 234.
Nihil est tam sanctum, nihil tam munitum, quod non violari muneribus possit. c. 2. n. 236.
Etiam Deus muneribus flecti vulgò creditur. ibid. n. 237.
Eloquentem linguam munera habẽt. ibidem.
Non munera Deus respicit, sed offerẽtis animum. c. 2. n. 274. & deinceps.
Muneris excellentia delinquentis peccata aggrauat. c. 3. n. 12.
Ex munerum acceptione fides humana mendax. c. 3. n. 75.
Munera benemerito, etiam si inimicus sit, conferenda. c. 3. n. 365. tota annot.
Cum discretione largienda sunt munera. c. 3. n. 536. tota annot.
Qui plura munera in vno coaceruat ministro, regnandi munere indignus est. ibid. n 537.
Meritorum habita ratione, non siderũ influxu, aut simpathia munera sunt distribuenda. ibid. n. 538.
Qui munus à digno abstulit, vt indigno conferat, vxorem à proprio viro aufert. ibid.

MVRMVRATIO.

Vide detractio.

Plerumque homo murmurationibus nobilitatur. c. 1. n. 290. tota annot.
Cum alterius dedecora audiuntur, famę plusquam dimidium detrahendum est. c. 2. n. 327.
Murmuratio auget crimina, minuit bona. ibid. n. 328.

N

NEVTRALITAS.

Qui neutralitatem affectant, omnibus sunt exosi. c. 3. n. 360. tota annot.
Qui geminatas habent facies, meritò ab omnibus despiciuntur. ibidem n. 364.

NOMEN.

Glorioſa nomina non nisi gloriosis gestis acquiruntur. c. 2. n. 324.

NOBILITAS, NOBILIS.

Ciborum abstinentia nobilitatis insigne. c. 1. n. 216.
Augustior nobilitas ab humilitate est. c. 1. n. 227. & 228.
Sola nobilitas scit humiliari. ibidem num. 228.
